
37
12 C
4

HISTORIA
POLEMICA
DE
GRÆCORUM
SCHISMATE.
TOMUS SECUNDUS,
PARS III. & IV.

HISTORIA
POLEMICA
DE
GRÆCORUM
SCHISMATE

Ex Ecclesiasticis Monumentis concinnata

LABORE ET STUDIO

P. LAURENTII COZZA A' S. LAURENTIO
Ordinis Minor. Regularis Observantiæ, Provinciæ Romanæ
Lectoris Jubilati, ex Guardiani Sac. Montis Sion, ac totius
Terræ Sanctæ ex Custodis, Sacræ Congregat. Indicis
Consultoris, Supr. Rom. ac Univers. Inquisit.
Qualificatoris, & in Cismontana Observ.
Familia Vice-Commissarii Generalis,

TOMUS II.

In quo præter Historiam exactè digestam, omnes & singulæ controversiæ à Photii ætate usque ad initam in Concilio. Lugdunensi sub Gregorii X. Pontificatu, unionem inter Ecclesiam Orientalem, & Romanam Occidentalem exortæ, summâ cum diligentia discutiuntur,





OBLATUS

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino

D. LAURENTIO
CASONI

S. R. E. Cardinali Amplissimo, ac Totius Seraphici
S.P.N. Francisci Ord. Protectori Vigilantiss.

PARS III. ET IV.

ECCLESIASTICI Cap. 8. vers. 9.

Nè despicias narrationem Presbyterorum sapientium, & in Proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus.

ROMÆ, Typis Georgii Placho, propè S. Marcum, MDCCXIX.

SUPERIORUM LICENTIA.

Expensis D. Laurentii Licca U. J. D.

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCEPS:



Um hujus Operis *de Græcorum Schismate* primitias, Tomo primo non ita pridem edito comprehensas, Beatissimo Catholicæ Unitatis Capiti ROMANO PONTIFICI jure optimo consecraverim, Tomum hunc alterũ Uni Tibi deberi, PRINCEPS EMINENTISS. indubium adeo mihi fuit, ut in eandem sententiam, vel eximiam Modestiam Tuam, quâ in tam conspicuo EMINENTIÆ fastigio constitutus latêre studes, planè censuerim concessuram. Evicit illa quidem, Virtutum, Dotiumque tuarum splendores circumfusâ velut nube concludens, ut multa mihi & magna subducerentur nomina, quibus in Tuam Unius Celsitudinem hæc Lucubratio adnitebatur, Domicilium eo loci tutissimum nactura, publicoque tandem documento aliquo observantiam erga Te meam contestatura: Quibus enim Tabulis aliis consignari æquum erat erga Virum Principem ab recondita eruditione commendatissimum gratitudinem meam, nisi quas, pro viribus, id genus eruditionibus instruxissem? Neque verò eas tutiori concredidissem Asylo nisi exploratæ strenuitatis Heroem adire juberem, integerrimâ per omnem ætatem constantiâ, Veritatis, & Justitiæ Vindicem, præsentique semper animo, providâ sapientiâ temperato, ardua quæque subeuntem; id nempe muneris impleturum, quod in suam semel fidem recepisset: Hùc aspirabat indoles ipsa Operis, quæ in scopum collineans Græcanici Schismatis amoliendi, eum certè Mæcenatem suopte avebat ingenio, quem sanior Fides, & sanctior Disciplina; quem zelus pro Domo Domini, Juribusque Apostolicæ Sedis; quem flagrantissima præcipuè Charitas, conciliandis Christianorum animis intenta, jampridem nobis in Virum Apostolicum conflaverant; ad Catholicam Ecclesiarum omnium Unionem, Deo propitio, solidiùs aliquando restaurandam, quodammodo factum perfectumque: Porrò, magnarum adeo rerum absolvendarum characteres istos divinitùs insculptos esse Animo tuo, altiùs introspexisse videtur Mens illa cœlitùs irradiata, ac futurorum facilè præscia, Venerabilis Servi Dei, Summique Pontificis INNOCENTII XI. cùm, difflatis imperio nubibus, quas modestia Tua circumfuderat, lucem tantam sibi admovit propiùs, atque adeo evexit sublimiùs, fulgentiores Virtutis radios longiùs porrecturam. An verò Mentem illam spes fefellisset, quæ Te sibi ab arcanis consiliis, Principumque omnium secretis esse jussit; idque in tanta rerum implexione, & Sanctæ Sedis jura, & Ecclesiasticam Disciplinam, & sanctiorem Ethicam Christianam, ipsamque adeo doctrinam Fidei complectentium? Atqui florem

tunc illum Juventæ Tuæ saluberrimos toti Ecclesiæ fructus protulisse, quos & Eruditi suspicerent, & Seniorum criteria tacito admirarentur obtutu, satis superque deprehensum est: nequicquam, vel tum, adnitente modestiâ, more Tuo, alienâ sub umbra latitare; perinde in robustis illis pro Sancta Sede Lucubrationibus instruendis, evulgandisque, ac in conficienda Maximos inter Europæ totius Principes Pace Neomagense, sexcentisque rebus aliis istiusmodi. Jam ubi hæc minimè latuere, nec ignorare Orbis terrarum potuit, quod Hispania, Gallia, Germania, quod Roma didicisset: quì fiet, ut ullius fugerint oculos apertiora Sapientiæ, Prudentiæque Tuæ documenta, quibus indita cœlitùs Virtus, infractique Animi robur, in gravioribus quibusque rebus mirâ dexteritate gerendis, implexisque utcumque negotiis fœliciter extricandis, sese magis in dies explicuère? Abundè id suasit, persuasitque Amplissima Legatio Neapolitana, a fel. record. Alexandro VIII. vetustæ prudentiæ Principe, in Te uno per eam tempestatem scitè locata; atque ad multos porrecta annos, consilio Successoris, imperioque; quippe Ecclesiæ bono, simulque popularium suorum fœlicitati advigilantis. Sed & calculum benè candidum adjecit suum, Supremum ipsum Tribunal Fidei, cui Te providentissimus Regnantis Summi Pontificis zelus Assessorem dare festinavit, promeritâ jamdudum Purpurâ brevi coronandum, atque ad altiora deinde Tribunalis ejudem subsellia Quæsitores inter Fidei provehendum. Nihil nunc attinet, Purpuratas Legationes, Ferrariensem primùm, mox verò Bononiensem, in contestes advocare; quasi super Cordis Tui munditie, manuumque innocentiâ, dexteritate, justitiâ, cæterisq; omnibus egregii Principis dotibus, collaturæ essent suffragia frequentiora; reapse verò (quod ajunt) *soli faculas* admoturæ: ea quippe gloriosa facinora, quibus binas ejusmodi Spartas oppidò difficiles exornasti, luce denique ipsâ sunt clariora. Te autem tot adoreis instructo, in Urbem Orbis Moderatricem, Theatrumq; longè splendidius revocato; ac super tantorum commendatione gestorum silentibus, morem Tibi gesturis, plerisque omnibus; domestici tamen lapides, tutò jussionibus refragantes, disertiores in dies fiunt: Cubitalibus enim literis, quod semper, nunc maximè pergunt, Propheticam illam, ac verè Principibus necessariam, exhibere Sanctionem, nullo unquam die obliterandam: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Profectò, si cui libuerit introspicere (libet porrò multis) non *Ordinem* tantùm Tibi *ministrantium*, sed & singulorum ad sua cujusque munera delectum, honestatemque; nullus equidem dubito, quin Te dignum prænuntiet, qui *Domus Dei diligentiam habeas*, postquàm scitè adeo *Domui Tuæ præesse nosti*.

Hæc ergo ex multis, nuncupandæ Tibi Lucubrationis hujus, magna illa sunt nomina, quæ, quod præmiseram, Tua mihi heroïca subduxit modestia. Cujus ego maximam tot inter Virtutes alias, rationem habiturus, ad eum me recipio *Instituti Seraphici* characterem, qui suo certo jure (atque adeo pace justissimæ Modestiæ Tuæ) quem ex me repetiit id genus laborem, eundem Uni Tibi, TOTIUS EJUSDEM ORDINIS PROTECTORI, consecrandum edixit. Rem totam, tribus in verbis, confectam dico: apud Tuam dumtaxat Eruditionem, atque in evolvendis Ordinis nostri, imò Tui, Documentis, dilectione plenam sedulitatem. Neque enim nescis, PROTECTOR VIGILANTISSIME, Seraphicum Parentem nostrum, & mente & carne in expressam Christi e Cruce pendentis Imaginem configuratum, simul exuisse terrena omnia, simul *Spiritum Unitatis*, Vestem prorsus inconsutilem, induisse. Hac enimvero de causa, Religionem suam ad Christianæ Religionis normam exacturus, quos ipse Filios Altissimæ Paupertatis, atque adeo Franciscani Stemmatis ex asse conscripsit hæredes, eosdem ad unum omnes, velut Agnos, Ovesque Gregis unius, unius item Pastoris regimini sub Universalis Ecclesiæ Pastore Supremo subjecit: (*a*) *Universi Fratres*, inquit, UNUM *de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere in Generalem Ministrum, & Servum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire*; ac rursus: (*b*) *Ad hæc per obedientiam injungo Ministris, ut petant à Domino Papa UNUM de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector*,

(*a*) *In Regul. FF Min. ca. 8. & in Bul. Leonis X.* Ite & vos in Vineam meam.
(*b*) *Ibid. cap. 12.*

ctor, *& Corrector istius Fraternitatis; ut semper subditi, ac subjecti pedibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ . . . , quod firmiter promisimus, observemus*. Tantam porrò primævæ Institutionis hujus, Apostolico jam tum Diplomate ab Honorio III. communitæ, rationem habere Sancta Sedes dignata est, ut plerosque licèt Franciscanorum, variis de causis, peculiarem sibi Ministrum efflagitantes, exercito Generalis UNIUS regimine tandem aliquando absolverit; non uno tamen modo Seraphicæ Religionis Unitati, ad mentem Sancti Institutoris, consuluerit. Nam & peculiares istas omnes Franciscanorum Classes, super capitali Regulæ præcepto benignâ ejusmodi dispensatione donatas, eidem nihilominus Cardinali Protectori, ad (*a*) multos certè Annos, illigavit; easdemque rursus omnes annuæ velut recognitioni UNIUS incessanter Capitis obnoxias esse jussit: Præcepit enim, suis ut quæque Diptychis consignarent UNIUS, ejusdemq; Matricis velut Ecclesiæ consecrationem; illius, inquam, (*b*) *tam longè antea à Domino præparatæ, in qua Ordinem suũ* Patriarcha Pauperum *inchoaret*; *quamque iccirco Ecclesiam PORTIUNCULÆ appellari voluisset, quòd esset futuru MATER, & CAPUT pusilli Gregis Fratrum Minorum*. Quin & Matricis ejusdem Ecclesiæ, totiusque Corporis Regularis Observantiæ, quà strictæ, quà strictioris Generali Prælato, cùm Titulum primævum *Ministri Generalis* TOTIUS *Ord. Fratrum Minorum* (*c*) iteratis Decretis Apostolicis, asseruisset; eidem Uni, Seraphicam Religionem totam, ex Regulæ præscripto, Sanctæ Sedi substratam repræsentaturo, in Pontificio Sacello, solennibusque aliis Ritibus, quem locum Seraphicus ipse Pater impleturus esset, attribuit. Jam verò, Seraphicum hunc Spiritum unitatis, Altissimâ Paupertate consolidatum, conciliandis Ecclesiæ Catholicæ Schismaticorum animis nunquam non strenuè adlaborasse; non Florentini tantùm Concilii Acta loquuntur, sed & Valvæ ipsæ æneæ Vaticanæ: Magnum quippe illum Regularis Observantiæ Vindicem exhibent, (*d*) *Beatum Albertum Sarthianensem*, ab Apostolica reducem, per Orientem totum, ipsámque adeo Africam Legatione; qui cùm Græcos primùm, dein Armenos, Syrosque, labore summo, nec minore charitate in antecessum præconversos, ad pedes Eugenii IV. præmisisset; Æthiopum quoque Abyssinorum, Ægyptiorumque Legatos secum ipse pertraxit, *Decretum Unionis* è Pontificio Throno porrectum recepturos. Quid memorem selectos alios ab eodem Eugenio Viros Sanctos, Unionem tunc eandem impensè promoventes, *Bernardinum* Senensem, *Joannem* Capistranum, & *B. Jacobum* de Marchia: quorum hic sermonibus per Europam ferè universam, ille, etiam calamo in Basileenses Refractarios exacuto; Ille verò, (*e*) per extemporaneum Græci Idiomatis donum, suâ in eodem Concilio ad subdubitantes Orientales ferventissimâ Concione; singuli porrò miraculis, & Paupertate verè Franciscanâ celeberrimi, haud minima pars fuerunt Unionis ejusdem perficiendæ? Nam quæ ducentos circiter ante Annos in Lugdunensi II. Concilio sub B. Gregorio X. peracta fuerat, ejus certè magna pars extitit Seraphicus Ecclesiæ Doctor *S. Bonaventura*: strenuus ille Altissimæ Paupertatis Assertor in toto Ordine, jam tum ex parte Dispensationes Apostolicas sollicitante; quippe cui ad literalem Regulæ observantiam universim restituendo, peregregiam navavit operam, duodeviginti totos Annos Generalis Minister Totius Ordinis; consignatâ etiam (*f*) Doctrinâ *super Legatis* Franciscanæ Paupertati consonis, dissonisve; ad cujus amussim, ex præscripto (*g*) Sanctæ Sedis, Legata omnia sub Generali Ministro Totius Ordinis expendere pergimus etiamnum. (*h*) *Hic*, inquam, *Unus, pertractandis arduis Concilii rebus delectus est, assistentibus Rotbomagense, ac Tripolitano, ex eodem Ordine, claris Episcopis*; ejusque maximè illecti Charitate, ac Sapientiâ, Græci omnes ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam rediêre. Missos faciam, cùm eximiè Pauperes Minoritas *Hieronymum* Asculanum, & *Bonagratiam* Dalmatinum, Apostolicâ perfunctos præviâ Legatione; qui Tartarorum insuper Legatos venerabundos eidem OEcumenico stitêre Concilio: tum verò Sanctam *Rosam Viterbiensem*, decennem Puellam, unâ inopiâ divitem, ac Seraphico indutam Cilicio; quæ paucos ante Annos, infusâ cœlitùs Sapientiâ portentis innumeris confirmatâ, in (*i*) domesticum *Schisma Fridericianum* detonaverat, Refractarios quosque ad Romani Pontificis obedien-

(a) *Orb Sera. Tom.* 1. *pag.* 493. *num.* 10. *ab Anno scilicet* 1517. *ad* 1580.

(b) *Bre Rom. Seraph. ad diē* 2. *Aug. Lect.* 4.

(c) *Ex Bullis Leo. X Pauli III. Sixti V. Clemen. VIII. Greg. XIV.* Ex injuncto, 24. *Nov.* 1621 & *ex Decr. Urb. VIII.* 21. *Apr.* 1631. Pro imponendo adversæ parti *perpetuo silentio*.

(d) *Ex Iconis. Romæ edi:* 1658. *Vitæ &c Operib ejus & B. Albert præfixo*.

(e) *Wadinge. in Anna! Minor Tom.* 1? *ad Ann* 143?. *num.* 5.

(f) *D. Bonav. in Apol. qu.* 9.

(g) *Constitut. Urb VIII.* Injuncti nobis, 18 *Dec.* 1625.

(h) *Bre. Francis. die* 19. *Julii Lect.* 6.

(i) *Brev. Rom. Seraph. die* 8. *Mart. Lect.* 5.

dientiam fœlici prorsus eventu reductura: ut & *Arcam* illam *Testamenti* Sanctum *Antonium Patavinum*, cùm in Virtutibus aliis, tum maximè in Minoritica Paupertate, (*a*) redarguendoque coram Gregorio IX. super eo negocio Fratre Elia, (*b*) *Francisci Patris æmulum*; qui Fridericianis iisdem temporibus, (*c*) *ad prædicandum Evangelium missus*, *dicendi sapientiâ*, *magnisque miraculis*, inobedientias istas omnes, & vitia: *In primis verò hæreses summâ vi profligavit; ideaque PERPETVVS HÆRETICORVM MALLEVS est vocatus*, atque adeo *SCHISMATICORVM*; quippe ægrè admodum in lubrico nudi schismatis consistentium: In uno equidem Græcorum consistam schismate, illudque ajo: fœlicibus certè auspiciis, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, (*d*) *Seraphici ipsius Patris interventu* profligatum: ut perspicuum planè sit, ad hoc natam Altissimæ Paupertatis Religionem, ut quem sibi præscribit Spiritum Unitatis, eundem transfundat in Ecclesiam universam. Neque enim sine causa Innocentius III. à Christo in somnis admonitus, *Vidit* (*e*) *Lateranensem Basilicam*, scissuris istiusmodi identidem debilitatam, *ruinæ proximam; quam quidam Homo PAVPERCVLVS, proprio dorso submisso, nè caderet, sustentabat*; moxque in Francisco sapienter intuitus *Paupertatis amorem*, perfectique hujus propositi *Constantiam*: *Verè*, inquit, *hic est ille*, *qui opere*, *ac Doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam*. Sed enim absit, ut quis existimet, aut Seraphicum Patrem, aut quos dicebamus Altissimæ Paupertatis Heroës, nisi adstipulante piis illorum conatibus Cardinali Totius Ordinis Protectore, Spiritum Unitatis in universam Ecclesiam transfudisse! Neminem profectò latere dixerim, Doctissimum illum *Julianum* Cardinalem *Cesarinum*, adversùs Marcum Ephesium in Florentina Synodo strenuè disceptantem, & Bernardinum, & Capistranum, & Sarthianensem maximè, Regularis Observantiæ Capita sibi charissima complectentem, (*f*) *Protectorem Totius Ordinis* per id ætatis extitisse, Atquì, Seraphicum ipsum Patrem, Lateranensis Ecclesiæ rimas *primâ* tunc vice reparantem, (*g*) *Primus* item Protector Ordinis fulciebat *Cardinalis Hugolinus* Innocentii Nepos, non diu post ad Summum Pontificatum, juxta Sancti Viri prophetiam, evectus, dictusque Gregorius IX., atque initam cum Orientalibus Unionem Pontificiâ jam Vigilantiâ confirmaturus; simulque *Antonii Patavini* zelo, Paupertatem verè Minoriticam propugnanti, (*h*) Asilum Apostolicum, ne quis ex adverso nocere posset, patefacturus. Quid *Raynaldus* Cardinalis Ostiensis, Gregorii Nepos, & immediatus in Totius Ordinis Protectione Successor; qui in Alexandrum IV. evadens, & *Rosam Viterbiensem* Schismatis *Profligatricem* veneratus fuit, & Virginem *Claram* Pauperum *Primogenitam* Sanctorum Fastis adscripsit; sed & Doctorem Seraphicum evexit ad Generale Totius Ordinis Ministerium, cùm in schismate amoliendo, tum in Regulari Paupertatis Observantiâ constabiliendâ, strenuam, fœlicemque operam locaturum? Tertius porrò Seraphicæ Religionis Protector *Joannes* Cardinalis *Ursinus*, qui Doctori Seraphico Generalem agenti præsidio fuit, ejusdemque jam Purpurati Collega unanimis, in Lugdunensi Græcorum Unione perficienda; an non ipse est *Nicolaus III.*, qui, quod ille super Paupertate verè Franciscanâ docuerat, diebus, noctibusque porrò multis in id unum impensis, distinxit clariùs, faciliorem ad praxim salvâ in omnibus Regulæ puritate reduxit, atque (*i*) Apostolicâ Constitutione in corpore Juris clausâ, ad perpetuam rei memoriam, Altissimæque Paupertatis Canonem consignavit? Opportunè autem, nè quid ultra progrediar, ad usque Nicolaum III. Tomus hic alter excurrit; satisque jam videtur Modestia ipsa Tua, professionis meæ debito sociata, in hanc unanimem itura sententiam: Neque me potuisse, post qualescunque in Oriente labores, aptiorem *Instituto meo* scribendi materiam quærere, quàm *de Schismate Græcorum*; neque meliorem, post unum Christi Vicarium, alteri huic Tomo adsciscere Mecœnatem, quàm EMINENTIAM TUAM *Seraphici Ordinis Protectorem*. Nihil est ergo, cur eâ mihi de causâ subindigneris; dotibus quidem aliis humiliter occulendis intentus, de Ordinis tamen Protectione, bene laboriosâ, nihilque terreni sapiente, etiam sanctissimè gloriabundus; quippè quam non ignoras, Seraphici Patris, aliorumque tam multorum filiorum ejus, quà in Cœlo degentium, quà in toto Terrarum Orbe

mi-

Orb. Seraph. To. I. de Missionib. pag. 65.

(a) *Orb. Sera. To. I. pag. 104. num. 17.*

(b) *Bre. Sera. die 13. Julii.*

(c) *Bre. Rom. die 13. Julii.*

(d) *VVading. Annal. Ordin. To. I. ad Ann. 1215. num. 4.*

(e) *Bre. Francisc. 5. Octobr. Lect. 6.*

(f) *VVading. ibid. ad Ann. 1429.*

(g) *Orb. Sera. Tom. I lib. 3. ca. 33. pa. 492. n. 5. & 8. & in parte Protector. ibid. pag. 500. num. 19. 20. 21.*

(h) *Orb. Sera. Tom. I. pag. 103. n. 15. 16.*

(i) *Nicol. III. Capit. Exiit, seminat. De Verb. Signif.*

militantium interceſſione, *menſuram bonam*, & *confertam*, & *coagitatam* in EMINENTIÆ TUÆ ſinum divinitus collaturam. Perge ergo, & quam tuendis, fovendiſque tam multis ac variis Altiſſimæ Paupertatis Sectatoribus, paternâ ſanè charitate dies, noctesque ſolicitâ, Protectionem impendis, eandem ut porrigas ad exiguum hoc obſervantiæ meæ documentum, oratum exoratumque Te patiare. Imple enimvero numeris omnibus primævos, quos dicebam, illos in Totius Ordinis Protectione Præceſſores tuos; atque Unitatem in FRANCISCI Religione conſolidatam ad univerſam pro viribus Chriſti Religionem extende. Faxit Deus Optimus Maximus, Te ut nobis incolumem eſſe jubeat, ad uſque etiam Græcanici Schiſmatis, aliorumque prorſus omnium extinctionem. Ita vovet, ita ſuis cum omnibus in Chriſto Filiis, Filiiſque adeo Tuis, enixè precatur

EMINENTIÆ TUÆ

Ex Conventu Aracœlitano de Urbe, die D.Laurentio ſacrâ, 1719.

Humillimus, Devotiſs., & Obſequentiſs. Servus

Fr. Laurentius à Sancto Laurentio.

A P.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendifs. P. Magiftro Sac. Palatii Apoft.

H. Cervinus Epifc. Eraclea Vicefgerens,

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendifs. P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici expendi Tertiam, & Quartam Partem *de Schiſmate Græcorum*, quam ex Eccleſiæ Hiſtoriis collegit, & ampliavit *Reverendiſſimus P. Laurentius Cozza à S. Laurentio Vice-Commiſſarius Generalis, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ*, nihilque deprehendi Fidei, boniſque moribus contrarium; immò multa profutura Catholicæ Fidei, & unioni tamdiù deſideratæ utriuſque Eccleſiæ; multos errores Schiſmaticorum everſos, ſummâ cum Eccleſiæ utilitate ibi vidi cum gaudio; & Miſſionariis Apoſtolicis, & Catholicis omnibus utiliſſimum judicavi. In quorum fidem &c. Datum ex Collegio Clementino die 11. Januarii 1719.

D. Joannes Bernardus Pozzolus C.R. Sacerd. & Sac. Theol. Lector.

POlemicæ Hiſtoriæ de Græcorum Schiſmate Tertiam, & Quartam Partem, quam *ex Eccleſiaſticis Monumentis* concinnavit, Iluſtravitque *Reverendiſſimus Pater Laurentius Cozza à S. Laurentio, Ord. Minorum Regularis Obſervantiæ &c.* juſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri S.A.P. diligenter evolvi, ac ſedulò perlegi, nihilque deprehenſum, quod Fidei, boniſque moribus adverſetur; quin potiùs ſolidè prorsùs, ac nervosè Schiſmaticorum calumnias adversùs Eccleſiam Romanam convellit, ac quæ contrà Fidei puritatem errores, ac hæreſes ſuperſeminarunt, evellit, ex Sacrorum Bibliorum fontibus, & Patrum magiſterio cuncta perluſtrans, confirmans, ac roborans; atq; quod in Apoſtolico obeundo munere in S. Civitate zelo ac Fidei Catholicæ incremento priùs egit præſentiâ, verbo, ac indefeſſo labore, eruditiſſimo modo, calamo exequitur cuncta Schiſmaticorum adita reſerando, ut habeant Evangelii Miniſtri ad Orientalium ſalutem procurandam miſſi, apertum armamentarium, quo improbos Schiſmaticorum conatus proſcindant. Quamobrem, ut Opus lucem aſpiciat, & cunctorum utilitati inſerviat, digniſſimum cenſeo. Dat. ex Ædibus noſtris hac die 30. Decembris 1718.

Franciſcus Dominicus Bencini S. T. D., & in Collegio Urb. de Propaganda Fide Polemicæ Lector.

Imprimatur.
Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

INDEX CAPITUM,

Quæ continentur in hoc Tomo.

TERTIÆ PARTIS.

QUARTÆ PARTIS.



HISTORIA POLEMICA DE GRÆCORUM SCHISMATE.

PARS TERTIA.

1 EPTIMA absolutâ Synodo, ut jam fati sumus, deletoque Græcorum Schismate, occasione Iconoclastarum hæresis, triginta ante annos exortæ, ut Nicetas David in vita adnotat Ignatii, contigit quadriennio post, Methodium sanctissimum Patriarcham ex hac luce migrare: *Sed cùm Ecclesiam*, ait prælaudatus Nicetas, *optimè, sanctissimèque per quatriennium rexisset, ad Deum sempiternâ potiturus pace abiit*; cui assentitur Curopalates: Quo defuncto, piissima Augusta Theodora pro deligendo successore, Jannicium Anachoretam magnæ sanctitatis Virum consulendum misit, à quo, de Ignatio sanctissimo Viro Monasterii Satyri Abbate substituendo, responsum accepit: *Cùm ante omnium Episcoporum, & populi sententias*, inquit idem Nicetas, *Imperatrix ad Jannicium Anachoretam consultum misisset, etquemnam hoc Patriarchatus honore dignum per Dominum cognosceret, Ignatium eximius ille Jannicius divinitùs pronunciavit*.

2 Erat Ignatius iste genere clarus, Michaelis Imperatoris ex Procopia Augusta filius, vitæ verò sanctimoniâ clarissimus: *Beatissimus hic & divinus Antistes Ignatius*, scribit idem Auctor, *Constantinopolim in terris patriam habuit, hanc, inquam, totius ditionis, & Imperii præclarissimam Regiam; Parentes verò, Michaelem Imperatorem, & Procopiam Imperatricem, nobilissimos & religiosissimos Principes*. Cùmq; pater ejus non toto biennio Imperium sanctissimè admnistrasset, Leoni Armeno per tyrannidem Regnum invadenti, libens, volensque cessit. Verùm impius Leo beneficiorum omnium ingratissimus, adepto Imperio, Michaelem, atque universam illius Imperialem Familiam per varias Insulas relegare non est veritus, & quòd crudeliùs est, filiis virilia adimere jussit; atque ita per tyrannidem factum est, ut Ignatius hic Eunuchus esset: „ Leo igitur, *subjungit Nicetas*, illa infausti nominis fera, cùm, quam „ conceperat, peperisset iniquitatem, occu„ pato per vim ac tyrannidem Imperio, nul„ lam omnia spectantis oculi rationem ha„ buit, neque Beatorum exulum reveritus „ est modestiam & æquitatem; immemorque „ beneficiorum, quibus Beati illi indignum „ exornarant, à quo improbæ mentis artibus „ illecti erant, adeout Imperator Regiorum „ illum Liberorum In sacra baptismatis tin„ ctione sponsorem & patrinum designaret; „ sed nihil horum immitem illius ferocemq; „ animum potuit flectere. Etenim in exilium „ amandatos, alterum ab altero separavit, „ singulisque suam Insulam assignavit, firmâ„ que custodia circumsepit; Filiis porrò vi„ rilitatem ademit, membrorum castratione „ plectens, plusquàm inhumanus & crudelis. *Hactenus Nicetas*.

3 Porrò post plura, ad enarrandas Ignatii laudes calamum vertens, hęc subnectit: „ Nicetas, sive Ignatius, velut generosissimus „ in domo Domini surculus plantatus, & in „ atriis Monasticæ vitæ educatus, nec ei, qui „ ipsum plantaverat infructuosus, nec ad „ speciem foliis tantùm copiosis, ut maledi„ cta illa ficulnea, hoc est, indumentis nihil „ boni continentibus visendus; sed qui se„ cus cœlestium aquarum decursus, & uber„ rimos Spiritus Sancti fontes situs, & vetus „ omne Testamentum, novumque totum me„ ditatus, Sanctorum Patrum monumentis „ studiosè addictus, illorum, & facta imitan„ do, & contemplationis mente revolvendo,

„ totumque interiorem hominem saginando, „ confirmatus, dulcissimos virtutis fructus „ Deo progignebat. Primùm itaque temperantiam in abstinendo, studium in vigilando, Psalmis canendis, quando id jubebatur, „ precandoque proferebat: Adde callos in „ genibus, lacrymas, pectoris planctus, lin„ guæ continentiam. *Hæc, & alia plura* de Ignatii dotibus atque virtutibus scribit Nicetas. De illius porrò promotione ad Ecclesiasticos Ordines ita ait; „ Sacro Presbyte„ rii honore insignitus manu Basilii, qui sa„ cræ Pareorum Ecclesiæ Episcopus, pro sa„ crarum Imaginum cultu casibus innumeris, „ gravissimisq; ærumnis conflictabatur. Hu„ jus, inquam, Basilii manu spectabili, vi ac „ virtute Sanctissimi Spiritus, primùm qui„ dem lector, sive sacrarum literarum Preco „ sanctus, deinde Hypodiaconus, tùm Dia„ conus, ac Sacerdos, lege & ordine Eccle„ siasticorum graduum consecratur.

4 Hunc ergo Virum famâ sanctitatis tunc celeberrimum, generis nobilitate nemini imparem, placuit nedùm Augustæ Theodoræ, verùm & universo Clero & Populo in locum Methodii substitui. Hinc idem Nicetas de Ignatii electione pauca scribens, ait, „ Mul„ tis verò tùm ad Ecclesiæ administrationem „ designatis, aliisque, alias ob causas, voto „ frustratis, uti destinata Dei sententia sta„ ret, Ignatius sanctissimus Presbiter, cùm „ per multos annos Sacerdotii muneribus „ magna cum laude perfunctus esset, bonùm„ que sibi in multa auctoritate, & in Jesum „ Christum fide jam gradum extruxisset, ac „ propterea omnium ore celebraretur, quan„ tumvis dignitatis magnitudinem refugiens, „ vi tamen Sancti Spiritus, & Antistitum „ auctoritate & sententiâ, honore sacro di„ gnissimus judicatus, in imperantis Urbis „ sacra Sede collocatur, lucernaque cande„ labro imponitur. *Hæc Nicetas*. Quæ omnia summatim recensens Curopalates, inquit: „ „ Vitâ functo beatissimo Methodio, per „ sexdecim annos Ecclesiam Constantinopo„ litanam moderatus fuerat Ignatius Nice„ phori Imperatoria ex filia Nepos, filius au„ tem Michaelis Imperatoris, qui Regno ex„ ciderat, postquàm Regno & genitalibus „ privatus, Eunuchus factus, Monasterium „ ingressus fuerat, & Monasterii Satyri Præ„ fectus, ad Patriarchatus Sedem addu„ citur.

5 Tunc temporis Ecclesiam Romanam moderabat Leo hujus nominis IV. natione Romanus, ex patre Radoaldo, sive Radulpho, multæ humilitatis vir & patientiæ, largus, pius, innocens, benignus, justitiæ amator, plebis ferventissimus gubernator, divinarum Scripturarum indefitiens perscrutator, vigiliis intentus, & orationibus, omnique virtutum genere exornatus, ut de eo scribit Anastasius; Cujus rei causâ Sergio II., qui Gregorio IV. successerat, vitâ functo, eodem die universo Clero & Populo consentiente, non sinè divino nutu, eidem Sergio subrogatus fuit. Ad hunc ergo Pontificem ex more datæ sunt Synodicæ & Imperiales literæ de Ignatii electione, quibus & summis laudibus sanctissimus ille Vir extollebatur. Testantur Nicolai I. literæ datæ ad Michaelem Imperatorem, præcipuèque illa, quæ est in ordine quinta, ubi sic scribit: „ Denique confide„ rare libet, quid sibi vult hoc, quod per „ duodecim ferè annos Regiæ Urbis vestræ „ innocuè Sacerdotium agere, & sanctis vir„ tutibus pudicitiæ, castitatisque florere di„ ctum Ignatium, non solùm ipsi per vestras „ innotuistis Epistolas, velut etiam Synodi„ cis vocibus ejus sub tempore habitis, ma„ gnis honoribus, Epistolæ vestræ fatentur, „ quas præ manibus tenemus, laudastis ju„ giter, & extulistis, minimè eum ad Apo„ stolicam Sedem invasoris, vel alicujus cri„ minis opinione notantes, nunc invidè dam„ nastis. *Et infra*. Nos quidem de nobilissi„ mo viro Ignatio Patriarcha, non tantùm „ hæc, verùm & illud comperimus, quòd „ non solùm genere claruit, verùm etiam à „ primævo suæ ætatis per singulos Ecclesia„ sticos gradus ascendens, ex monastica vita, „ omni Ecclesiastico cœtu consentiente (sicut „ in apicibus, quos sanctissimo Leoni Præ„ suli prædecessori nostro destinaveratis, com„ perimus) Episcopatus culmen promeruit. *Hæc Nicolaus Papa*. Sub hoc ergo sanctissimo Patriarcha novum & dirum schisma exortum est, de quo in hac tertia præsentis Operis Parte acturi sumus.

CAPUT I.

De occasione Photiani Schismatis sub Patriarcha Ignatio exorti.

6 Anno Domini DCCCLIV., Leonis Papæ IV. Anno VIII., Michaelis Imperii XIII., imperante in Occidente Lothario XIV. sui Imperii Anno, currente Indictione secundâ, versante in Regia Constantinopolis Urbe Gregorio, cognomento Asbesta, Episcopo Siracusano, compluribus diffamato criminibus, placuit Beatissimo Patriarchæ Ignatio causam in Synodali congressu recognoscere, proinde Synodo coactâ, causâque solerter examinatâ, cùm Gregorius diversorum criminum reus convictus esset, Synodali sententiâ damnatus fuit, hac tamen adjectâ conditione, si placeret Romano Pontifici. Causâ delatâ ad Leonem Papam, infirma remansit, Sanctissimo respondente Pontifice, se nihil posse diffinire alterâ inauditâ parte. Et cùm Gregorius Legatum, Zachariam nomine, causam suam dicturum coram Pontifice mitteret, fato functus est Leo, xv. Kal. Au-

Augufti; cui, cùm finè mora datus effet fucceffor Benedictus hujus nominis III. natione Romanus, Petri filius, hic Legationem fufcepit Gregorii Syracufani, & auditis quæ pro illius defenfione à Legato producebantur, etfi infirma viderentur, ex folà tamen Pontificia bonitate, dilata eft latæ fententiæ confirmatio, ac proinde executioni neutiquam fuit demandata. Hæc tamen Ignatii Patriarchæ juftitia vifa eft Gregorio nimia feveritas, clementiam verò Romani Pontificis pro fibi juftitia debita ufurpavit, adeout elatus & fuperbus, nec debitas gratias Sedi reddidit Apoftolicæ, nec Ignatio pepercit: & malis artibus operatus eft, ut a Sede Conftantinopolitana pelleretur. Hæc ex Nicolao I. Epiftola IX. datâ ad Michaelem Imperatorem, ubi inter plura hæc fcribit: „Judicate ergo, manfuetiffime Imperator, cui potiùs obediendum eft, Deo, an hominibus? judicate, „ cui potiùs refiftendum fit, poteftati, quam „ in Petro Deus omnipotens ordinavit, „ quamque fuper cunctam Ecclefiam extulit, „ an ordinationi Gregorii Syracufani, cui „ dicendum eft: Væ homini illi, per quem „ in Ecclefiam Chrifti tot fcandala venerunt: „ quique olim (ficut ipfi fcitis) à fratre & „ comminiftro noftro Ignatio, & à Synodo, „ quæ fub eo, erat depofitus eft; & ut Apoftolica Sedes in ejus damnatione confenti„ ret, ab ipfo Confacerdote noftro poftulata „ eft. Sed deceffores mei beatæ memoriæ „ Leo & Benedictus Sedis Apoftolicæ mo„ deramina fervantes, noluerunt fic unam „ partem audire, ut aliæ parti nihil pœnitus „ refervarent. Unius quippe mediator non „ eft, quamobrem interim depofitio ipfius „ remanfit infirma. Cùmque idem Gregorius per Legatū fuæ partis, Zachariam no„ mine, Sedem agnoviffet Apoftolicam in „ fua depofitione nullatenus confenfiffe, non „ gratias egit, non à cœptis in jam dictum „ fratrem noftrum fævientibus contumeliis „ conquievit, fed benignitate Dei & patien„ tiâ Sedis Apoftolicæ in fuperbia abutens, „ in ipfum videlicèt Ignatium Patriarcham „ fuum redivivà jacula impietatis irreveren„ ter exacuit. *Hæc & alia Nicolaus*.

7 Tunc temporis Michael Imperator adhuc juvenis liberas Imperii habenas moderari cupiens, tutores fuos Theoctiftum, & Manuelem, utpote fuis depravatis moribus adverfantes, confulente Bardâ Avunculo fuo & Auguftæ Theodoræ fratre, amovit: indeque Theoctiftum, quafi reum, quòd ipfam Theodoram ad reaffumendum Imperium incitaret, ejufdem Bardæ operâ, occidi juffit: ita excuffo Tutorum jugo, contemptâ quoque matre, quam poftea in Monafterium detonfâ reclufit, tota Imperii fumma pènes ipfum Bardam remanfit, ad cujus nutum cuncta infelix Princeps moderabat. Intereà ad omnia fcelera perpetranda animum adjecit, divina quoque contemnens & humana, adeout bonorum odium paulatim fibi conciliaret, nec ferre poterat Sanctiffimi Patriarchæ patientia. Ex ipfius ergò fceleribus, pauca ex Curopalata referam, ut ex ungue Leonem: „ Hæc igi„ tur, *inquit*, omnia homini odium conci„ liabant, omniumque in ipfum iram meritò „ concitabant: & quod peffimum eft, Cinæ„ dorum ipfum comitantium focietas, & ad „ omne turpe facinus paratorum. Quos ille „ in honore habens, & colens, Divinis verò „ illudens, & infultans, facras veftes auro „ contextas induit & clamydes; turpiterque „ & impurè cogebat res divinas peragere, „ caftiffimaque myfteria; iftorum principem, „ Grillum nomine, Patriarcham vocans, & „ reliquos undecim Metropolitas; fe quo„ que unum è Sacerdotibus fieri voluit, qui „ Præful Coloniæ appellabatur. Cùmque „ oporteret eos canere, myfteriaque perfice„ re, citharâ cantiunculas abfolvebant, nunc „ fenfim quodammodo & levi voce refonan„ tes, nunc incitatâ & clarâ, perinde atque „ in facris cæremoniis Sacerdotes facrorum „ Hymnorum voces edere confueverunt; ha„ bebantque vafa inaurata & pretiofis lapidi„ bus ornata, quæ aceto & finapi implentes, „ iis, qui fumerent, porrigebant, ad hunc „ modum facrofancta & impollnta myfteria „ irridentes.

8 Pergit inde Curopalata, fubjungens: „ Accidit olim, ut improbus ifte Cœtus, Ci„ nædorum fcilicet, quo repræfentabatur Pa„ triarcha cum Epifcopis, in via occurreret „ Beato Ignatio Patriarchæ cum facro Cle„ ro, & fupplicationibus procedenti: quo „ Gryllus confpecto, turpiter fimul & impu„ denter nihil cedens, remifsâ teftudine, cum „ fuis fodalibus vehementioribus plaufibus „ ufus, fanctos illos maledictis, & turpibus „ probris laceffebat. Ifte impudentiffimus „ Imperator matrem quoque fuam Theodo„ ram in Palatio adhuc degentem accerfivit, „ ut à Patriarcha (nam iftum effe beatum „ Ignatium finxerat) benedictionem accipe„ ret. Ut igitur honeftiffima mulier fummâ „ religione exit, feque in terram, proftravit „ benedictionem petens, nihil omninò fufpi„ cata: quippe cùm interim Gryllus os ofcu„ laret, furgens ille oppedit, crepitum fci„ licet ventris emittit, verbaque proprio ore „ digna protulit. Ipfa verò graviter & ini„ quo animo ferens, execrationis filium in„ fectabatur, ipfumque propediem divinâ „ providentiâ deftitutum iri, quafi Propheta „ vaticinata eft. *Hæc ille* de corruptis hujus Principis moribus, qui certè in causâ fuere, ut fanctiffimum Patriarcham illos deteftantem, implacabili profequeretur odio.

9 Bardas itidem, pènes quem, ut præfati fumus, fumma totius Imperii erat, moribus pariter depravatus, confuetudinem habere cœpit cum nuru fua, quod, cùm ad aures bea-

beati Ignatii delatum fuisset, admonere non destitit incestuosum hominem; correptionem verò parvi facienti minatus est; indeque à Sacratissimi Domini Corporis participatione semovit. Id quòd ægrè ferens Bardas minatus est Sanctissimo Patriarchæ exitium, animumque adjecit ad illum perdendum. Sic sæpè laudatus Nicætas in Ignatii vita, ubi de Barda loquens: „ Quamquam enim in rerum Civilium administratione egregius, industriusque esset, rei tamen Divinæ atque Ecclesiasticæ nemo illum unquam commodum dixit, ut qui norua suæ amore ita fureret, ut ejus rei fama totam Urbem peragraret, nec inter plebem tantum bæreret, sed ad Patriarchæ quoque aures facti indignitas deferretur. Quid ergo Patriarcha? Non hominis dignitatem reveritus, facinus silentio pressit; sed ex lege arguit, reprehenditque, & hortatus est, ut ne saute neglecta, animam suam perditum iret, sed fœdum & enorme scelus expiaret. Ille tamen non modo se ab improbitate sua non abstiauit, sed ipso Epiphaniæ die festo in ædem sacram, Eucharistiæ mysteria percepturus, impudenter est progressus. Quid hic Patriarcha? A' Sacris arcet, indignum enm judicans Corporis Dominici participatione. Ille verò diro percitus œstro furit, suumque in exitium armatus, se gladium in Antistitis viscera defixurū minatur. Sed Ignatius contra comminatur, Deum invocans, qui potens esset gladium in illum convertere. *Hæc Nicætas*. Subjungens postea, hanc secuti Schismatis causam & originem extitisse: „ Hinc offensionum, *inquit*, prima origo: hin fons Ecclesiasticæ perturbationis. Hinc gravi Bardas ira odioque concepto, ac altius in pectus demisso, omnem, ut dicitur, rudentem contra Ignatium movebat, ut eum apud Imperatorem criminaretur.

10 Accessit ad hæc & Photii Senatoris, qui & à Secretis Principis erat, effrenata ambitio. Erat enim hic nobilis genere, claris & illustribus oriundus Natalibus, rerumque Civilium & politicarum usu, prudentiàque & scientiâ clarissimus, ut scribit idem Nicætas. Qui Grammaticæ literaturæ, & carminis pangendi, dicendique laude, quin & philosophiæ, & medicinæ, & omnium prope liberalium Disciplinarum externarum studio, cognitioneque tantopere florebat, ut ævi sui facilè Princeps haberetur. In eo porrò concurrebant, aptitudo quædam, & naturæ vis ac fœlicitàs; studium, & opes, quibus sibi librorum omnium maximam copiam comparabat; &, quod præ cunctis, gloriæ, laudisque cupido, qua incensus totas noctes, ut lectioni assiduæ vacaret, docebat insomnes, Ecclesiastica quoque volumina revoluisse, *subjungit Nicætas*. Studiosè assiduequè lectitasse. Sed hæc omnia fuerunt ei in exitium; „ Fragili, *ait ille*, & arenoso, vanæ, profanæque sapientiæ fundamento & insolentiæ, non secundum Christum doctrinæ cor suum mentemque confirmans, vanis hominum laudibus & plausibus inflatus, elatusque inani gloria, per ipsam inimicæ Deo superbiæ se conjunxit: Ex quo omnis impietatis, omniumque offensionum materiem edoctus est.

11 Is ergo, cui & ab initio minimè placuit Ignatii promotio, Gregorio Syracusano, aliisque Schismaticis conjunctus, calumnias in Sanctum Virum meditatus est. Rem describit Anastasius auctor illius ævi, in præfatione ad VIII. Synodum, ubi agens de Ignatii ad Thronum Patriarchale promotione, hæc subnectit: „ Sanè restiterunt hujus provectioni quidam per pauci Episcopi, inter quos erat Syracusanus Gregorius: eo quòd eos propter diffamata & publicata nonnulla crimina in Sacerdotio vitæ, ante restricationem in eos illati judicii, se non posse recipere, canonica sit, ac miti ratione profatus: propter quæ, quia illa satisfactione non abluerunt, meritò postmodum ab eo & Synodo abdicati sunt. Favebat autem his quidam Senator sæcularis administrationis fungens officio, à Secretis, nomine Photius, qui ad Patriarchale conscendere fastigium affectans, cùm eis seorsum colligebat, & fideles quosque à sanctæ communionis participatione avertens, Divinis interesse Mysteriis, dùm à Patriarcha Ignatio celebrarentur, penitùs recusabat. *Hæc Anastasius*.

12 Conjuncti igitur Gregorius, Photius, & Bardas, & in Sanctissimum conspirantes Antistitem, ex una parte Photius conabatur plebem ab Ignatio revocare, sub prætextu, quod sanctæ memoriæ Methodii derogasset. Ex altera porrò Bardas plurimùm laborabat, ut Imperatori redderetur invisus, illum accusans, (quia Theodoram Augustam tondere & in Monasterium detrudi juxta Bardæ mentem, renuit) quòd conspirasset adversùs Principem, quasi faveret, ut Theodora iterum habenas reassumeret Imperii. Hæc omnia ex eodem Anastasio dicente: „ Cùm igitur Photius Sociatus Schismaticis, quorum auctor præfatus erat Syracusanus Gregorius, persuaderet cunctis, qui quasi pio circa Methodium (habentes quidem Zelum justitiæ, sed non secundùm scientiam) affectu flagrabant, quod Patriarcha Ignatius derogator esset, ejusdem sanctæ memoriæ Methodii, & idcircò quasi parricida foret habendus, fama crebrescit. *Hæc* de Photii calumnia adversùs Ignatium, de Bardæ verò Machinationibus sic inde prosequitur: „ Persuasit enim, *inquit*, Imperatori Michaeli, ut Matrem, & Theclam Sororem suam, quæ & ipsa cum Matre ac Fratre Imperii fuerat sceptra sortita, tondere Patriarchæ præciperet, & in

„ in Monasterio collocaret. Quòd cùm Patriarcha renueret, pro eo quod utraque Imperatrix hanc interim non eligeret spontè professionem, maximè quia his secundùm morem, sicut cæteris Imperatoribus & Imperatricibus juraverat, non se ullo tempore insidiaturum. Bardas protinus ad Imperatorem Juvenem. *Heus*, inquit, *Imperator, saltem nunc non advertis Ignatium tua spirare neci, & Matrem Imperii alii gestire, futuro scilicèt Imperatori, sociare marito.* Hæc miserrimus egit, nec propriæ germanæ Imperatrici videlicèt parcens, ut & in Patriarchalem ulcisceretur. *Et paulò post*. Tunc Imperator, *subjungit*, aure tanti præstigii credulus & iratus, Matrem cum Sororibus tonsam Palatio pepulit, & Ignatium, Schismaticorum, ac Bardæ sugestione, à regimine Patriarchatus abegit.

13 Verùm, ut scribit Nicætas, antequam sua Sede pelleretur Ignatius, quidam ex ordine Patricio cum quibusdam Episcopis, accedentes ad Ignatium omnem lapidem moverunt, ut se Episcopatu abdicaret, si in apertum nollet se committere periculum: „ Sed non minus firmus, Immotusque stetit, *subjungit Nicætas*, quàm maritima cautes altis in terra defixa radicibus, fluctuum insultibus nihil cedens. Ergo cùm non haberent, unde illum læderent, nullâ per eum datâ causâ, cujus rationem reddere non posset, nudo, quod ajunt, capite, perfrictaque fronte, ad omne fas nefasque descenderunt. *Et infra*. Postquam igitur administri regii, sæpè tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id quod iniquè petebant, suam illo dignitatem fortiter, & constanter tuente, à se, ipsi de cætero Consilium petiverunt; rebusque inter se diù agitatis, omnemque in partem versatis, tandem Photium Protospatarium & primum à Secretis, Patriarcham Urbis regiæ designant.

CAPUT II.

De Ignatii depositione, ac Photii promotione.

14 ANno Domini DCCCLVIII. Ludovici II. Imperatoris Anno III. Imperii Michaelis III. Anno XVII. Nicolai Papæ I. qui Benedicto III. successerat, Anno I. currente Indictione VI. Beatissimus Ignatius postquam Sedem Constantinopolitanam spatio Annorum XI. sanctissimè occupasset, perfidiâ Gregorii Syracusani, ambitione Photii, atque Bardæ dolo deponitur, & imperialia jussu inthronizatur Schismaticus Photius, relegato Ignatio in Insulam, Terebinthus nomine, agitur de hac re in libello synodico ubi sub titulo: *Synodus Constantinopolitana in Palatio*; hæc habentur: „ Methodio autem Sanctissimo ad Dominum profecto, Ignatius, qui Monachus & Presbyter sub Michaele & Nicephoro Christi amantibus Imperatoribus fuerat, legitimè in Thronum elevatur. Adversùs quem dominandi studio & ambitione, Episcopi quidam & Monchi elati haud mediocriter longo tempore sunt tumultuati: quin & Michaelis Imperatoris levitate abusi, imperatoria manu deiiciendum de Throno Patriarcham Ignatium curarunt, in Therebintho Insula loco exilii ei constituto. In Palatio etiam Synodo vi li coacta, Photium, qui primus à Secretis fuerat, surrogarunt. *Hæc ibi*.

15 Erat Photius, ut antefati sumus, vir Laicus, & ex laico, adversùs Sacros Canones, ad Patriarchale fastigium evectus: Hinc Nicætas ait: „ Eratque verè cernere, ut fertur adagio, extemporalem, fictitiumque, seu personatum sanctum. Nam primo dic Monachus ex Laico, altero Lector, tùm Hypodiaconus, ac Diaconus, & Presbyter: Sexto deinde, qui fuit Christi natalis, & ipse sacrum conscendens Tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit. *Hæc ille*. Ex quibus colligi licèt, Ignatii depositionem, atque Photii promotionem accidisse circa XIX. vel XX. Decembris diem antedicti labentis anni: & quidem de nocte, propter ea, quæ paulò post subnectit Nicætas, *inquiens*: „ Hinc, ò quis ex his paucis verbis ortam cladem illam & noctem explicet? Quis turbas & factiones, litesque & improbitatem illius probri Siculi dicendo assequatur? Simul ac enim ejus rei nuntium accepit, non se Philosophum ostendit, & infamiam suam prudenter dedecuaque contexit; sed cereos de Ignatii consecratione acceptos abjecit, & impudentissimo ore innocentem coram universa Ecclesia fœdissimè conviciatus, Lupum pro Pastore substitui furiosè clamitavit.

16 Ab hoc porrò Gregorio Syracusano ordinationem suam, consecrationemque accepit Photius, adstantibus Petro Sardorum Episcopo cognomento Miser, & Eulampio Apameæ, aliisque de Clero, qui sine causa ab Ecclesia se ipsos sejunxerant, ut Idem Nicætas tradit. Id quod attendens Nicolaus I. in Epistola IX. data ad Michaelem Imperatorem, ex hoc etiam capite infirmam Photii ordinationem pronunciat, *inquiens*: „ Qui (ut cætera nunc omittamus) à Gregorio Syracusano, vel cæteris Schismaticis institutus, immò destructus, contra omne fas alteris præsidere non potest Ecclesiæ. Nam meritò destructus esse creditur, qui à destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans perdidit. Nàm Gregorius, quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam no-

„ scebatur elisus? Quomodo quemquam in aliquo Ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omninò dejectus. Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit, sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequivit. *Et paulò post*. Gregorius ergo, *subjungit*, qui canonicè, ac synodicè depositus, & anathematizatus erat, quemadmodùm posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit. *Hactenus Nicolaus*.

17 Sed citrà depositionem, quæ mala passus est Ignatius, quæve Familiares sui, atque eidem consentientes, idem recenset Nicætas: „ Licèt essent ab eo per Metropolitas suos, à quibus est receptus, exacta Chirographa, ut paternum Ignatio honorem tribueret, omniaque ex ejus voluntate gereret, neo ulla in re molestus esset: ipse tamen vix post duos à creatione sua menses, juramento suo violato, primùm Ignatii Familiares conjecit in vincula, dirisque flagris, & plagis multavit: deinde rursùs blanditiis, muneraque & honores pollicitus Chirographa petiit, & omnibus modis studuit adversùs Ignatium exitii causam reperire. Cùmque nihil horum, quæ ipse cupiebat, inveniret, Scelerato Bardæ, perque Bardam Michaeli levissimo suggerit, ut mittat, qui in Ignatium velut Imperio insidiantem severè inquirant.

18 „ Ergo crudeles præfecti, atrocesque Satellites extemplò Terebinthum petunt, omniaque genera quæstionum instituunt, & Famulos Ignatii tormentis omnibus excruciant. Postquam verò defecerunt servantes scrutinia, nec quidquam deprehenderunt, quo jure in illum animadverterent, aperto scelere in eum grassantur. Arreptum enim Virum Sanctum, & suos in Insulam Hiesiam traduxerunt, atque Ignatium vinctum Stabulo Caprario incluserunt. Inde ad ea loca transferunt, quæ Prometi dicebantur; ubi Leo ille cognomento Lalaco, Numerorum domesticus, tàm immaniter colaphis genas illius cecidit, ut Sacratissimo Seni duos molares excuteret dentes. Deinde vectibus geminis, Latronum instar, pedes strinxerunt, angustoque conclusum ergastulo, duobus duntaxat Pueris administris illi concessis; reliquerunt.

19 Hæc porrò omnia eò pertinebant, ut *subjungit Nicætas*, ut Ignatius abdicationis libellum scriberet, sponteque Throno Patriarchatus cederet. Pergit inde subnectens: „ Elapsis autem haud multis inde diebus, innumera deductum, in carcere catenis onerant: deinc Augusto Mense appetente, in navigium conjectum. Mytilenem deportant. Porrò eos, qui habebantur familiares & amici immanissimis cruciamentis, plagisque lethalibus afficiebant: quos autem humanissimè tractabant, exilio multabant; Blasioque Chartophilaci ob fidem & dicendi libertatem linguam detruncarunt.

20 Addit Curopalates, inter alios cruciatus, quos Sanctissimus Vir Ignatius per tyrannidem passus est, & hunc alium, quod nimirum in Capronymi sepulchro fuerit reclusus: „ Et post multas, *inquit*, & incredibiles vexationes & cruciatus, ad extremum in Capronymi sepulchro includitur, impositis ipsi gravibus crudelissimisque custodibus. Et profectò decessisset à vita Sanctissimus hic Vir, præ gravissima vexatione, summoque dolore, nisi pius ac religiosus quidam Vir, cum quibusdam de causis necessariis abiissent Custodes, è sepulchro cum eduxisset, & convenientem illi curam præstitisset: quem post magnam vexationem Mytilenam relegat. *Hæc ille*. Qui & de aliorum Episcoporum Ignatio adhærentium vexationibus verba faciens, subjungit, inquiens: „ Sed & alii complures Episcopi similia his, atque adeo pejora pertulere, eo quod iis, quæ fierent non assentiebantur, neq; se alium recipere velle Patriarcham (quodcumque accideret) exclamabant. Attamen postmodum cedentes alii minis, alii pollicitationibus, Bardævoluntati obsequuntur, cum virtute & gloria pecuniæ cupiditatem & defectionem permutantes.

21 Porrò hæc omnia, & alia plura crudelitatis genera descripta leguntur in Libello Episcoporum oblato Patribus in VIII. Synodo, atque Actione II. relecto, ubi inter plura, pauca hæc transcribam: „ Sed hujus fraudem non celavit Deus, sed omnibus patefecit; & hi qui dolum manifestum fecerunt, exiliis, & proscriptionibus, ac flagris, atque multis tædiis summissi sunt: sed nec sic valuit se reprimere, sed quemadmodum impetum habuit miseri voti sui, depositionem & anathematismum fecit, & in eum, his factis, quid malorum in ipsum ex tunc non egit? Nonne dentes ejus radicitus evulsit, faciens eum in facie percuti? Nonne pedes ejus ferreis vinculis munivit? Nonne cum fuga lapsis & fugacibus suis in fœtoribus & sordibus damnavit eum, ut moraretur non pauco tempore? Nonne denudans eum vestimentis, quæ induebat absque prima parvula tunica, hujus crura scidit, & in sepulchro, quod in modum rogi factum est, declusum, locari fecit, candelas fondens, quæ ibidem elucebant, ne aquam eis habentibus, cùm siti ureretur, ad refocillationem potaretur ex illis? Nonne hunc erectum stare facientes, tulerunt virgam, quam tenens in manibus fulciebatur, senectutis imbecillitatem consolans? Nonne sine cibo & potu multis eum diebus transfigere

gere

„ gere fecerunt? Nonnè exulem illum fecit, „ ubi fiunt frequenter incursus Barbarorum, „ & rapiuntur homines, qui locis illis inhabitant, & gladii efficiuntur impendium? „ Sed quæ ab eo sustinuit, tantæ multitudinis „ sunt, ut dinumerare, in vanum laborare sit, „ neque enim sermo valebit hæc enarrare. „ Et tunc, quem? Imperatorum filium, & Imperatorum nepotem, qui angelicam vitam „ subiens, habitu monasticæ conversationis „ indutus est, qui Deo placabilis, & Angelis reverendus, atque Dæmonibus metuendus apparuit. *Hæc ibi de Ignatii vexationibus*.

22 De aliorum inde Episcoporum vexationibus hæc alia subjiciuntur: „ Multi enim „ ex nobis cum infidelibus gentibus in Prætorio mulctati sunt, fameque, ac siti, seù „ cæteris miseriis afflicti, ad secandum marmora pro lignis damnati sunt; alii autem „ pro eo, ut cum lignis ferirentur, spatha „ percutiebantur, iis, qui feriebant, non ut „ Sacerdotes, neque ut homines carnem ferentes, sed ut inanimata corpora percutientibus. Illud verò, quod calcibus submittebant, & huic pœnæ subjectis viscera „ evellebant, ut leve tormentum habebant. „ Id præterea, quo monilibus ferreis afficiebat, & catenis vinciebat, fœnum post multos dies in escam præbens, humanitatem „ multam esse putabat. Quot autem in tenebrosis & umbra mortis, in fœtoribus „ mortiferis includebant, nec tegebant, cùm „ facerent? sed glorianteѕ & chachinnantes „ magnâ voce, nescientibus eum feritate, „ atque jactantia loquebantur, ludentes. Et „ rogati, ut talibus misericordiam præberent, „ magis insaniebant, ac deteriùs causabantur; alios etiam in extremitates Orbis, & „ in alienigenarum loca fecit exiliari. *Hactenus ex prælaudato Libello*.

23 Cæterùm Photius, peracta hujusmodi crudelitate & tyrannide, nec valens, his non obstantibus, Chirographum renunciationis exigere ab Ignatio, tumultuantibus piis & sanctissimis Episcopis, videns Ecclesiam in duas scissam partes, in pessimum abiit consilium, nam congregatâ in Sanctorum Apostolorum Ecclesiâ malignantium Synodo, Decreto Synodali depositum pronunciat Ignatium, & Anathemati subiicit: „ His ergo „ compertis, *inquit Anastasius*, cœperunt „ nonnulli Metropolitani Antistites, ac Inferioris Sacerdotii vel Laici, Pontificis „ sui tormentis compatientes, dejectionemque dolentes, rectorem sibi proprium reddi „ magnoperè clamitare: quod Photius sentiens, persuaso Imperatore, subministrante Barda, congregavit Concilium quorundam Episcoporum, adulatione sibi, vel „ timore faventium, & eundem Ignatium deposuit, anathemate perculit. *Nicetas verò* „ *ait*: Ignatio porrò Mytilinæ commorante, „ Photius Ecclesiâ malignantium sibi affinium coactis, absentis Ignatii in ipso gloriosissimorum Apostolorum templo, exauctorationem pronunciat; nec pronunciat „ tantùm, sed anathemate Ignatium ferit, „ damnatque; & damnatum idem accusator, „ idem Judex proclamat. *Curopalates quoque* „ *scribit*: In Sanctorum Apostolorum templo „ coacto Concilio, publico interdicto condemnant Ignatium.

24 Ejusdem Synodi, seu potiùs conciliaboli, mentio fit in Libello Synodico, sub titulo, *Constantinopolitana in Blachernis*, ubi dicitur: „ Photius igitur, cùm præter divinos, & sanctos Canones, Thronum conscendisset, non quieti operam dedit, sed „ Imperatore ad iram concitato, infinitis „ malis Ignatium affecit, tamdemque in Insulam Mytilenem innocentem relegavit; & „ malignantium conventiculo in Blachernis „ congregato, ipsum absentem injustè deposuit; eosque etiam, qui pravis ipsius nutibus subscribere, eique communicare detrectabant, infinitis malis affecit in exilium agens, quo & quomodo vellet.

25 Sperabat Photius hac via, damnato Ignatio, universum Populum, Clerumvè sibi conciliare, atque ab Ignatio divellere, cujus rei causâ compellere vi & minis conatus est Episcopos ad subscribendum ejusmodi injustæ ac tyrannicæ damnationi, renuentes verò vinculis addicens & carceribus: „ Qui „ quos factioni suæ studere, *inquit Nicetas*, „ factisq; insanis accinere, ac decretis subscribere videbat, hos verò inter intimos smicos ac Symmistas habuit. Qui autem ex „ ejus amentia offendebantur, factaque (ut „ qui sincero judicio ferunt) non probabant, „ Prætorio & vinculis pessimè acceptos tradebat.

26 Non cessit tamen ad Photii intentum, nec populum à pio Pastore eâ arte divellere potuit, qui magis ac magis legitimum Pastorem sibi reddi clamabat: „ Populum ab eo „ per hoc tanquam à damnato scindere sperans, *ait Anastasius*, cui tamen usque ad „ hoc veluti Presbytero divina Sacrificia „ conficiendi præstabat assensum. Quo gesto magis ac magis pietas Fidelium accenditur, & eò constantiùs ab universis Ovibus proprius Pastor exquiritur, quo verſutiùs lupi crudelitas furit. *Hæc ille*, subjungens inde alterum consilium Photii de mittendis Legatis ad Sedem Apostolicam ad extorquendam à Romano Pontifice sui Patriarchatus confirmationem: „ Preterea Photius, *inquit Anastasius*, in hac parte se frustratum intuens, ad Sedem Apostolicam „ mittit, cui magnus tunc decessor vester „ præsidebat Papa Nicolaus, quatenùs illa, „ sicuti ipse sperabat, approbante vel decernente, mox omnium ora resistentium obstructa silerent, & aditus sibi progrediendi

qua

„ qua vellet omnes omninò patefcerent. *Hæc ille*. Sed de hac Legatione in fequ. Capite,

CAPUT III.

De Photii Legatione ad Apoftolicam Sedem, & Nicolai Papæ Legatione ad Michaelem Imperatorem, & Ecclefiam Conftantinopolitanam.

27 IN hoc rerum ftatu conftitutâ Ecclefiâ Conftantinopolitanâ, Photius, ut præfati fumus, Legatos ad Nicolaum Pontificem mittere decrevit, feu potiùs fuafit Principi, ut Legatos mitteret; & felecti funt ad hoc munus obeundum duo fuæ fchifmaticæ factionis Epifcopi, Theophylus Amorii Epifcopus, & Samuel Chonarum Epifcopus à Photio ad Archiepifcopale faftigium evectus. Miffi ergo funt, datis mandatis, ut à Romano Pontifice peterent, ut Legatos Conftantinopolim mitteret, fpecie emendandi collapfam Ecclefiæ difciplinam, & reliquias Iconomachorum fectæ extinguendi, fimulque ut Ignatii caufam cognofcerent, & Apoftolicâ auctoritate controverfiæ omnes dirimerentur. Datis etiam literis adversùs Ignatium, mendaciis undique refertis, ut hac via extorquere poffet Pontificiam fuæ promotionis confirmationem. *Sic Nicetas*, inquiens: „ Legationem ergò & ille Romam veterem „ deftinat, & à Nicolao Papa Legatos petit, „ qui in fpeciem quidem collapfam Ecclefiæ „ difciplinam emendent, & damnatæ Iconomachorum fectæ reliquias penitùs extinguant; reverà autem, ut Romanæ Ecclefiæ auctoritate Ignatii exauctorationem „ firmaret, teftatioremque redderet. Legat „ ergò Theophilum Amorii Epifcopum, & „ Samuelem, qui ad illum diem Chonarum „ Antiftes Laodiceno fubjectis, Archiepifcopi honore dignatus eft à Photio. Per „ quos egregius ille non veritus eft ad Pontificem Maximum mendacia perfcribere; „ Ignatium fenio & morbo confectum, corporifque invaletudine laborantem, fe munere abdicaffe, fuaque in Infula & Cœnobio commorari, & à Principibus, populoque, & tota Ecclefia omni honore & officiis coli. *Hæc ille*.

28 Ejufmodi Legationem, licèt fuadente Photio, Bardâ quoque follicitante, nomine tamen Michaelis Imperatoris miffam, teftatur ipfe Nicolaus Papa in Epiftola prima, data ad univerfos Catholicos, in qua fic fcribit: „ Tunc inito confilio Imperator Mi„ chael, qui & ipfæ Bardæ Patritii verfutiis „ fuafus, Photii parti favebat, ad Apoftolatum noftrum Legatis cum Epiftolis deftinatis,accufationes quafdam adversùs Ignatium deferentibus, petiit, ut à Sede Apo„ ftolica Miffos daremus, qui fcandala illa „ fedarent, & fchifmata diffiparent. *Hæc ille*, qui & in Epiftola x. data ad Clerum Conftantinopolitanum, hæc alia fcribit: „ Sed „ dum quod hinc à nobis fieri deberet, vel „ qualiter tanti rumoris certitudinem noffe „ poffemus,inceffanter & anxiè cogitaremus: „ Ecce repente cùm Epiftola Regia quidam „ Epifcoporum, quorum unus erat Gangrenfium Metropolitanus, cum Arfa viro glo„ riofo Spathario, Auguftalem ferentes Le„ gationem, ad Sedem Apoftolicam perve„ nerunt, accufationes quafdam in fcriptis „ adversùs jam fatum Confacerdotem no„ ftrum deferentes, & ut à Sede Apoftolica „ Miffos daremus, qui fcandala illa fedarent, „ & fchifmata diffiparent magnoperè poftu„ lantes.

29 Ex iis liquet,non duos dumtaxat Legatos miffos Romam ab Imperatore, fed plures, quoniam præfatus Pontifex Nicolaus præter Theophilum & Samuelem, quos recenfet Nicetas, nominat Metropolitanum Gangrenfem, & Arfam Spatharium: Hinc Apoftolicæ Sedis Legati in VIII. Synodo Act. I. interrogantibus magnificentiffimis Principibus, de ejufmodi à Michaele & Photio miffis Legatis, refponderunt, miffum primitùs fuiffe Arfabir Legatum Imperatoris, & cum eo Epifcopos quatuor: *Primitùs miffus eft*, inquiunt, *Arfabir Legatus Michaelis Imperatoris, & cum eo miffi funt quatuor Epifcopi*. Quorum nomina Anaftafius in notis ad hanc Actionem recenfet, inquiens: *Quibus nomina erant Methodius Metropolita Gangrenfium, Samuel Chonorum Epifcopus, atque Theophilus Iconii, & Zacharias Tauromenæ Pfeudoepifcopi, qui Legationem & Epiftolas à Photio Sedi Apoftolicæ detulerunt*.

30 Sufcepit itaque Pontifex Legationem, verùm Acta Photii adversùs Ignatium minimè probavit, fed potiùs repulit: Legationem tamen expoftulatam mittere non renuit, felectis ad hoc Rodoaldo Epifcopo Portuenfi, & Zacharia Anagnino. *Ita Anaftafius* in præfatione ad VIII. Synodum, *inquiens*: „ Cujus Legationem præfatus Sum„ mus Pontifex fufcipiens & pertractans, fi„ cèt hucufque verfutiarum ejus atque gefto„ rum ignarus, penè cuncta, quæ ab eo acta „ fuerant, fagaci deprehendit acumine; & „ non Ignatium, ut Photius poftulaverat, „ fed potiùs ipfum Photium repulit: verùm „ tramitem juftitiæ fequens, mifit Conftan„ tinopolim Miffos, Radoaldum fcilicet Por„ tuenfem,& Zachariam Anagninum Epifco„ pos, atque literas, quarum tenorem, qui „ legerit, faciliùs noffe poterit. *Compendio„ fius Nicetas*. Pontifex, *inquit*, Legatis „ exceptis, rerum Conftantinopoli geftarum „ ignarus, duos Legatos, Zachariam, & Ro„ doaldum Epifcopos ablegat.

31 Sufcepit itaque antefatos Michaelis, & Photii Legatos, & in Bafilica S.Mariæ ad

Præ-

Præſepe audivit, ad communionem tamen cum cæteris Epiſcopis nequaquam admiſit, receptis tantùm, præmiſsâ ſatisfactione Libelli & juramenti, ut loquitur Marinus Diaconus Apoſtolicę Sedis Vicarius in IV. Actione VIII. Synodi, inquiens: „ Quando iſti „ venerunt Romam cum Arſabir, ego mini„ ſtrabam in Eccleſia Romana Sanctæ Dei „ Genetricis Mariæ, quæ dicitur Præſepis. „ Illic eos ſuſcepit Sanctiſſimus Papa Nico„ laus per ſatisfactionem Libelli & juramen„ ti, & non contulit eis communionem in „ loco Epiſcoporum. *Hæc Marinus*.

32 Sed audiamus Nicolaum ipſum, quid de hac delectâ à ſe referat Legatione. In Epiſtola enim data ad Clerum Conſtantinopolitanum, hæc ſcribit: „ Et quia inter cætera, „ quæ de Schiſmate jam fatæ Conſtantino„ politanæ Eccleſiæ, hi, qui miſſi fuerant, „ teſtabantur, maximè eandem Eccleſiam „ ab Iconomachis recidivam contemptio„ nem excitantibus aſſerehant vexari, Chri„ ſtumque per ſingula conventicula blaſphe„ mari: id circo duos Epiſcopos, qui nobiſ„ cum erant, quique ad hoc tantùm perfi„ ciendum opus idonei nobis eſſe videbantur, „ Rhadoaldum ſcilicet & Zachariam unà „ cum Eccleſia, quæ apud nos eſt, datis li„ teris, tàm ad Auguſtum, quàm ad Pho„ tium ſcriptis Conſtantinopolim, idem ni„ mirum piaculum execrantes, e latere no„ ſtro direximus, nihil eis penitùs injungen„ tes, niſi ut tantummodò cauſas Ignatii „ Patriarchæ, qui antea de Eccleſia pulſus, „ quàm ab aliquo accuſatus extiterat, dili„ genter inveſtigarent, & Sedi Apoſtolicæ „ plenis & veracibus referrent indiciis: „ quemadmodum Job Beatiſſimus edocens: „ *Cauſam*, inquit, *quam neſciebam, diligen„ tiſſimè inveſtigabam*. Photii verò conſecra„ tionem, non ſolùm minimè interim admit„ tendam eſſe credidimus, verùm etiam ipſis „ Legatis noſtris, nè cum illo, niſi quæ cum „ Laico, uſque ad notitiam noſtram commu„ nicarent, frequenti ac omnimoda juſſione „ præcipimus. *Hæc Nicolaus*.

33 Antefatis itaque Legatis Rhadoaldo & Zachariæ ad proficiſcendum paratis, Nicolaus geminas contradendas literas dedit, quarum una Photio, altera Michaeli Auguſto, directa erat. Quæ verò ad Photium, ita ſe habebat.

34 „ Omnis utilitas & profectus anima„ rum catholica fide munitur, & dilectione „ Evangelii tuetur; quæ omnes intrà ſe con„ cluſos ſalvat, & extra ſe poſitos, ſuos non „ exiſtimat. Undè dilectionis veſtræ ſumptis „ apicibus, lætificati ſumus, quia vos catho„ licum in eis cognovimus; nam ibi pruden„ tiæ veſtræ utilitatem intelleximus; ideóq; „ multas gratias Deo omnipotenti retulimus, „ quia veſtrum ſcire de catholico fonte ma„ nare, experti ſumus. Sed rectum vos ordi„ nem minimè continuiſſe doluimus, eò „ quòd non per gradus Eccleſiæ ductus ad „ tantum honorem de Laici habitu vos pro„ ſiluiſtis, cùm oporteret veſtram pruden„ tiam ita canonicè vixiſſe in clericali ordi„ ne, ut nihil extrà canonica inſtituta agen„ tes, tempore congruo, aſcenſu legitimo „ conſtitueritis Eccleſiæ Paſtorem.

35 „ Vos itaque hoc permittentes, con„ tra ſtatuta Patrum egiſſe, manifeſtum exi„ ſtit; nam Sardicenſe Concilium per om„ nia tantæ temeritatis præſumptionem ve„ tuit, pariter & Sanctorum Pontificum Ro„ manæ Sedis, Cœleſtini Doctoris egregii, „ Leonis ſanctiſſimi, cujus laus in IV. Syno„ do clara exiſtit; ſeù Gelaſii doctrina, & „ meritis æquè beatiſſimi, horum videlicet „ inſtituta, hoc prohibuerunt, ut talis or„ dinatio fieri non præſumeretur. Quapro„ pter veſtræ conſecrationi conſentire mo„ dò non poſſumus, donec noſtri, qui à no„ bis Conſtantinopolim ſunt directi, rever„ tantur, qualiter per eos cognoſcamus ve„ ſtræ obſervationis actus, & Eccleſiaſticæ „ utilitatis conſtantiam, & quo ſtudio circà „ catholicæ fidei defenſionem voſmet exer„ ceatis. Et tunc, ſi dignum fuerit, ut tantæ „ Sedis Præſulem, ceù convenit honorabi„ mus, & fraternâ dilectione amplectemur. „ Datâ menſe Septembrio, die XXV. Indictio„ ne IX. *Hactenus ad Photium Nicolai Epiſtola*. Quæ verò data eſt ad Michaelem Imperatorem, ut infra concepta eſt.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Michaeli glorioſo Imperatori Græcorum.

36 „ Principatum itaque divinæ pote„ ſtatis, quod omnium Conditor electis ſuis „ Apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem „ Apoſtolorum Principis, Petri videlicet, „ ſoliditatem conſtituens, egregium, imò pri„ mam Sedem deliberavit; nam voce Domi„ nicâ ipſi dictum fuerat: *Tu es Petrus*, & „ *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meâ*; „ & *portæ Inferi non prævalebunt adverſùs* „ *eam*. Petrus denique à firmitate Petræ, „ quæ Chriſtus eſt, ſtructuram univerſalis „ Eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſoli„ datam, ità precibus ſuis munire non ceſſat, „ ut errantium veſaniam rectæ fidei norma „ reformare feſtinet, non intrepidè eam con„ ſolidantes remunerare procuret, quatenùs „ portæ Inferi, malignorum utique ſpirituum „ ſuggeſtiones, atque hæreticorum impetus, „ non prævaleant ejuſdem Eccleſiæ unitatem „ refringere.

37 „ Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus gratias, qui veſtro pe„ ctori hoc infundere dignatus eſt, ut fauto„ res Eccleſiæ Dei effecti, cõcordiæ Ipſius de„ ſideretis favere, nè quavis rubigine erroris con-

„ consumetur pulchritudo fidei, & frangatur
„ intellectus Apostolicæ traditionis. Ad cu-
„ jus etenim (sicuti ipsi scitis) integritatem
„ observationis multoties conventus factus
„ fuerit Sanctorum Patrum, à quibus & de-
„ liberatum, & observatum existit, qualiter
„ absque Romanæ Sedis, Romanique Ponti-
„ ficis consensu, nullius insurgentis delibera-
„ tionis terminus daretur.

38 „ Igitur à vobis Constantinopoli con-
„ gregatum Concilium (ut vestris apicibus
„ nostris intimatum est auribus) hujus teno-
„ ris seriem parvipendens, ab institutis su-
„ pradictis manum considerationis suæ reflе-
„ ctere non trepidavit, adeòut Ignatium su-
„ pra jam nominatæ Urbis Patriarcham, sinè
„ Romani consultu Pontificis, ibidem cœtus
„ conveniens, proprio privasset honore. Quòd
„ quàm sit reprehensione dignum, testes illi,
„ qui ei oppositi fuerant, manifestant; quia
„ tales, quos in Epistola vestra legimus, ca-
„ nonica institutio prohibet, & invidiosè da-
„ tos manifestè claret, quoniam nec ipse pro-
„ prio ore manifestavit (ut dilectionis vestræ
„ asserunt literæ) illa, quæ ei objiciebantur,
„ neque accusatores illius secundùm sacro-
„ rum Canonum instituta probaverunt.

39 „ Cæterum, his etiam sic injustè per-
„ actis, ad detestabiliora inconsiderationis
„ suæ votum, supradictam populi catervam
„ dirigendo, de Laicorum habitu, qui præ-
„ esset, elegit Pastorem. Oh quàm præsum-
„ ptuosa temeritas! Ille preponitur ovili di-
„ vino, qui nescit adhùc dominari spiritui
„ suo; nam qui ignorat disponere vitam suam,
„ per gradus Ecclesiæ minimè ductus, quo-
„ modò corrigere quibit vitam alienam subi-
„ tò electus? Latuisse vos non credimus
„ quid Apostolorum egerit cœtus post acce-
„ ptum donum Sancti Spiritus. Ecce etenim
„ ipsi visione Domini & locutione illius assi-
„ duâ, ejusdemque resurrectione lætificati,
„ atque gratiâ spiritalis descensus consolida-
„ ti, non præsumpserunt de electis LXXII.
„ eligere tàm audacter duodecimum, qui Ju-
„ dæ prævaricatoris suppleret locum; sed per
„ gradus quosdam (ut ita dicatur) de septua-
„ genario, binarioq; numero elegerunt duos,
„ Joseph, qui vocabatur justus, & Mathiam.
„ Et sic ex his, quem alteri præponerent in-
„ terim ignorantes, divinum examen postu-
„ lavère, electioneque datâ, qui humanis ob-
„ tutibus justior videbatur, coràm Divinita-
„ tis conspectu inferior est inventus.

40 „ Igitur illius Congregationis cona-
„ tus, nihil horum studentes exercere, visi
„ sunt à recto itineris tramite declinasse,
„ cùm in custodiam Dominici Gregis, non
„ taliter, ut decuit, studuerunt Pastorem
„ præponere. In notitia siquidèm sæcularium
„ literarum nemo Magistri nomine meritò
„ censetur, nisi per gradus disciplinarum
„ procedens fuerit doctus. Verùm iste Pho-
„ tius, videlicet antea Doctor, prorupit;
„ quàm doctus extiterit, priùs Magister vi-
„ deri cupit, quàm Discipulus audiri; priùs
„ auditor esse debuit, ac deindè institutor.
„ Sed hic Doctoris è contrario Cathedram
„ eligens, docere priùs elegit, ac deinde cœ-
„ pit doceri; priùs sanctificare curavit, ac
„ demùm sanctificari; priùs illuminare vo-
„ luit, & postmodùm illuminari.

41 „ Hæc itaque catholicus ordo prohi-
„ bet, & sancta nostra Romana Ecclesia ta-
„ lem electionem semper prohibuit per ante-
„ cessores nostros Catholicæ Fidei Doctores,
„ quorum nos tenorem observantes, Institu-
„ ta ipsorum esse inviolabilia censemus. Sar-
„ dicense denique Concilium, ut de Laicis
„ non eligeretur Antistes, in XIII. Capite
„ per omnia prohibuit, ita inquiens: *Si for-*
„ *tè aut dives, aut scholasticus de foro, aut*
„ *ex administratione Episcopus fuerit postula-*
„ *tus, ut non priùs ordinetur, nisi ante Lectoris*
„ *munere, & officio Diaconii, aut Presbyterii*
„ *fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si*
„ *dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.*

42 Ad hæc porrò subnectit testimonia Cœlestini, Leonis Magni, atq; Gelasii Summ. Pontificum, addit quoq; & Hadriani decessoris sui, signanter pro Ecclesia Constantinopolitana decretum de Laicis ad Patriarchale Thronum non promovendis; indeque concludit, inquiens: „ His itaque paulisper prælibatis
„ in supradicti Viri consecratione consensum
„ Apostolatus nostri præbere non possumus,
„ donec per Missos nostros, quos ad vos de-
„ stinavimus, cuncta, quæ in jam prænomi-
„ nata sæpiùs Urbe de Ecclesiasticis causis,
„ seù ordinibus peracta sunt, vel aguntur,
„ nostris intimata fuerint auribus.

43 „ Et ut in omnibus rectus ordo ser-
„ vari queat, volumus, ò clemens Auguste,
„ ut Ignatius, quem Sedis supradictæ guber-
„ nacula, propriâ, spontaneâque voluntate
„ deseruisse, & totius plebis congregato con-
„ cilio depositum esse, vestris apicibus nobis
„ intimare curastis, in conspectu veniat no-
„ strorum Missorum, & universi Concilii,
„ vestris quidem Imperialibus Institutis, qua-
„ tenùs perquiratur; quamobrèm spreverit
„ traditam sibi plebem, & instituta anteces-
„ sorum nostrorum, Sanctorumque Pontifi-
„ cum, Leonis videlicet Papæ, atque Bene-
„ dicti, parvipendendo contempserit, & in
„ hoc agendum subtili examine à nostræ jus-
„ sionis Legatis depositionis ejus censura
„ perquiratur, quatenùs inquirentes inveni-
„ re queant, utrùm canonicus tenor in ea-
„ dem observatus fuerit, vel non manifestum
„ existat; ac deindè cum nostro Præsulatui
„ significatum fuerit quid de eo agendum sit,
„ Apostolicâ sanctione definiemus, ut vestra
„ Ecclesia, quæ tantis quotidiè quatitur an-
„ xietatibus, inviolabilis deinceps & incon-
„ cussa permaneat.

44 De-

44 Deindè nonnulla subjungit de cultu sanctarum Imaginum, & ad extremum commendans Legatos suos, ità concludit: „ Destinavimus autem vestræ Serenitati Reverendissimos & Sanctissimos Episcopos, Rhadoaldum videlicèt Sanctæ Portuensis Ecclesiæ, atq; Zachariam Anagninæ Sanctæ Ecclesiæ, fungentes legatione Apostolatus nostri, quos ut honorificè suscipiatis, vestram Amplitudinem deprecamur: quibus etiam frequens colloquium tribuatis; & eis quæ de Ecclesiastico statu irreprehensibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et cùm in conventu Ecclesiæ federint pro Ecclesiasticis diffinitionibus, nihil à vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant. Et cùm fas illis fuerit revertendi, vestros concedite Missos: & tales, qui in dromonibus congruis eos Romam incolumes, favente Deo, Apostolorum precibus studeant referre, quatenus pro omnibus vestris bonis devotionibus gratias Deo omnipotenti Patri, atque ejus unigenito filio Domino nostro Jesu Christo, & Spiritui Sancto, devotiùs agere valeamus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Datâ Mense Septembrio die xxv., Indictione ix. *Hactenus Epistola Nicolai*.

CAPUT IV.

De gestis Apostolicæ Sedis Legatorum in Regia Constantinopolis Urbe.

45 Itaque his muniti literis Rhadoaldus & Zacharias profecti sunt Constantinopolim Anno Domini DCCCLX. Imperii Michaelis III. Anno XIX., Ludovici II. Imperatoris Anno V., Nicolai I. Pontificatus Anno III., inchoatâ à mense Septembris Indictione ix. Sed in antefatam Regiam Urbem venientes, minùs honorificè suscepti sunt: Delatâ enim famâ, Romanum Pontificem minimè depositionem Ignatii, & Photii probasse promotionem, quinimmò & denegatam Legatis cum eo communionem, egit Photius irâ percitus, nè tunc reciperentur Legati, nec nisi post centum dies, & jam corrupti admissi sunt ad audientiam. Hæc ex eodem Nicolao Papa in Epistola vi. data ad Photium, in cujus fine sic scribit.

46 „ De Missis siquidem nostris, quos petitos in servitio Beati Petri Principis Apostolorum pro utilitate Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ contra depositorea Imaginum, vel alias necessitates ingruentes, necnon & pro causa solummodò depositionis sæpefati viri Ignatii inquirenda, illuc in partes direximus, silendum non est: qui cum eis, sicut dicunt, per centum dierum spatia, omnium nisi suorum alloquendi facultas fuisset denegata, ut Apostolicæ Sedis missi non dignè suscepti sunt, atque, ut decuerat, retenti. Quod non pro alia gestum putamus re, nisi ut inquirendi locum, de depositione præfati viri, non invenirent.

47 Elapso itaque centum dierum temporis spatio à Legatorum adventu, ut ex Nicolao I. fatî sumus, aut tædio pertæsi, aut minis territi, aut muneribus corrupti præfati Legati, Photio, & Imperatori adhærentes, contradictis Pontificiis literis, antequam ad audientiam reciperentur, pro Schismaticorum libito universa agere sinerunt, actia quoque, etsi violentis & injustis, adhærescentes. Coactâ est ergo à Photio, Imperatore favente, magnæ catervæ Episcoporum Synodo, vocato Ignatio, lectis Apostolicis literis jam corruptis, atque auditis septuaginta duobus & perjuris falsis testibus, iterum damnatur, & solemni ritu Ignatius deponitur, Apostolicæ Sedis Legatis consentientibus. Hæc brevi excursu Anastasius, inquiens: „ Pervenientibus igitur Missis Apostolicæ Sedis Constantinopolim, & Concilio congregato, Græci Epistolas suscipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio, vel contra Photium, inverterunt, subtraxerunt, & in Concilio legi minimè pertulerunt: Missis Romanis, quid legerent, quidvè non legerent, nullatenus intelligentibus, vel etiam advertentibus, quin potiùs præ vi, ac timore jam, jamque deficientibus. Quid plura? Ignatius in medium trahitur, coram Missis Apostolicæ Sedis jam senio fessus statuitur, & denuò damnationi submittitur, quia & Sacerdotalibus infulis expoliatur, quasi validior fieret depositio, ubi Sedis Apostolicæ per Vicarios suos auctoritas adfuisset, cùm in his nec illius interfuerit auctoritas, nec Missi illi Vicariorum more, ut Epistolæ dant intelligi, fuerint destinati: *Hæc Anastasius*.

48 At fusiùs Nicetas in Ignatii vita rem describit, inquiens: „ Photius autem cum sua factione, & missis ab Urbe Pontificia Legatis, sacram Apostolorum ædem occuparat. Aderant Imperatores, aderant & Principes cuncti, totaque prope Civitas confluxerat. Frequentes ergo cùm adessent, primùm Baanem præpositum, cognomento Angoram, aliosque nonnullos ex vilioribus Romanis, Apocrisarios ad Ignatium destinant. Qui coràm Ignatio: *magna*, inquiunt, *& sacra Synodus te citat. Quamprimùm ergo ades, causam de objectis tibi, sive veris, sive falsis criminibus dicturus*. Hic Beatus: *Agite*, inquit, *obsecro, quomodò veniam? An ut Episcopus, an Sacerdos, an Monachus?* Illi hærentes: *nunc*, inquiunt, *abimus, cras ad te certa relaturi*. Postridie igitur iidem reversi: *Legati*, inquiunt, *veteris Romæ, Rhodoaldus & Za-*

„ ebarias per nos indignos hac nuntiant tibi: „ uti fine mora, ad fanctam œcumenicam Sy„ nodum adfis, ut tua conſcientia tibi dictat.

49 „ Ergo Ignatius extemplò Sacrum Pa„ triarchæ ornatum indutus, cum Epiſcopis „ & Clero, magnaque Religioſorum frequen„ tia, civiumque concurſu & comitatu, viam „ pedes ingreſſus, cùm ad Ædem Sancti Gre„ gorii Theologi, ubi crux in media publica „ via marmoreæ Columnæ impoſita eſt, ve„ niſſet, Joannes Patricius, Coxes nuncu„ patus, illi occurrit, ſeque ab Imperato„ re miſſum dicit; ac niſi privata & uſitata „ Monachi veſte prodiret, ei cápitis pericu„ lum, ac ſupplicium imminère. Paret Vir „ Sanctus, Synodoque ſiſtitur. Apponunt „ duos ſupra ſeptuaginta perjuros teſtes, quos „ jam olim impios omnes ſubornarant, gre„ garios juxta ac Senatorios; quorum dux „ erat Leo Patricius cognomento creticus, & „ ſecundùm illum Theodoctius item Patri„ cius, cui & perjurii precum, Magiſtri di„ gnitas delata eſt. His reliquos ex unoquo„ que gradu, ſorteque vel deterrimos adjun„ xerunt. Neque hos tantum, ſed quos Di„ baptiſtas appellitant hæreticos. Atque, ut „ ita dicam, ex omni hominum fæce & col„ luvie, turpiſſimos quoſque, nequiſſimoſ„ que, auro, dignitatumque pollicitationi„ bus inductos, ſigillatim produxerunt, qui „ jurati teſtarentur. Ignatium, qui Patriar„ cha jam fuerat annos propè duodecim, non „ ritè & ordine creatum, Cathedram Eccle„ ſiæ occupaſſe.

50 „ Quid verò ſtolidi horum Judices, „ *in quorum manibus iniquitates ſunt, & dex„ tra eorum repleta eſt muneribus?* Quid con„ tra perjurium hoc decreverunt? Triceſi„ mum Subito Canonem ſubiiciunt, qui ſic „ ſe habet: *Si quis Epiſcopus ſæcularibus po„ teſtatibus uſus, per ipſos Eccleſiam obtineat, „ deponatur.* Quod autem ſequitur in eodem „ capite: ut & omnes communicantes cum „ illo &c. fraudolenti, malitiosè tacuerunt. „ Oportebat enim, ſi quidem pro Sanctione „ Apoſtolica propugnabant, non partem, ſed „ totum Canonem obſervare: & ſi accuſa„ tionem admiſiſſent, ut ignatium, ità ab „ illo initiatos, & cum illo communicantes „ exauctorare: ſicque in operibus manuum „ ſuarum peccatores manifeſtè deprehenſi eſ„ ſent.

51 „ Contra jus autem faſque decernen„ tes, hoc pronuntiarunt tantum, quod pro „ ipſis ad evertendum Ignatium ab illis ſine „ cauſa læſum, faciebat. Quòd autem ſe„ quitur in Canone, quo illi ipſi eidem ſubji„ ciuntur cenſuræ, diſſimularunt: id quod „ illis tacentibus, opportunè Patriarcha ipſe „ ſubclamavit. O' improbitatem, ò ſtupo„ rem! Quis enim ignorat. ignatium Epiſ„ coporum omnium calculis, & totius popu„ li applauſu legitimè, canoniceque creatum „ fuiſſe: ipſum autem Photium potius ab „ execrato Barda, & ſæcularibus armatum „ principibus, contra leges, magisque per „ tyrannidem, quàm Eccleſiaſticum ritum, „ thronum invaſiſſe? Sed non cognoverunt „ neque intellexerunt, qui in avaritiæ & am„ bitionis tenebris ambulant, ſe iiſdem con„ ſiliorum laqueis, quos aliis paraverant „ comprehendi.

52 „ Poſt longam ergo verborum alter„ cationem laborem & cunctationem, ſola „ impotenti freti potentia, præter jus faſque „ omne, pontificali cultu pannoſo & forden„ ti primò induunt, rurſusque poſtea à tergo „ exuunt. Erat autem Hypodiaconus quidam „ Procopius nomine, ab Eccleſia ejectus; „ quippe quem mente inſanum, moribuſque „ profanum Patriarcha, non ita pridem, gradu „ moverat. Hic primus ablato à Patriarcha „ pallio, veſteque Reliqua Sacra, iſtud ſo„ lemne proclamabat: *Indignus*: Zacharias & „ Rhodoaldus, nonnullique nefarii homines „ idem vociferantes, impio decreto ſuffra„ gabantur. *Hic exitus hujus Latrocinii ma„ gis, quam Synodi.*

53 De hac porrò pſeudoſynodo in Libello ſynodico, ſub titulo: *Synodus Conſtantinopolitana in Templo Apoſtolorum*, ſimilia prænarratis recenſentur: „ Præterea, *inquit*, „ verò ad Romanum Papam bonæ memoriæ „ Nicolaum Photius miſit, cùm quidem oſten„ deret, Ignatium propter ingraveſcentem „ ætatem, & corporis infirmitatem ultrò ab„ dicaſſe, & ad dejectionem abſolutam hæ„ reſeos Eiconomachorum, locum tenentes, „ ab illo mitti plurimum rogavit: ignatio „ interim fraudolenter condemnationem ma„ chinans. Poſteaquam verò Rhadoaldus & „ Zacharias Romani Epiſcopi locum tenen„ tes Conſtantinopolin appuliſſent, Photius „ in templo Sanctorum, & clariſſimorum „ Apoſtolorum Chriſti, Synodo eorum, qui „ Ignatium depoſuerant, convocata, addu„ ci ad eam Sacrum Antiſtitem Ignatium „ curavit: & ſeptuaginta duobus è plebis fæ„ ce falſis teſtibus productis: jiſque qui lai„ ci eſſent, minas promiſſionibus innecten„ do perſuaſis, ut per Omnipotentiam Dei „ jurarent, ignatium, qui annos undecim, „ menſes quatuor, dies viginti, thronum „ Patriarchæ occupaſſet, electum nunquam „ fuiſſe: recitata etiam Conventui reciſa cu„ juſdam Canonis improbatæ auctoritatis „ particula, quæ ſic ſe habet: *Si quis Epiſ„ copus Mundanorum Principum uſus opera, „ per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur*, „ diſſimulato interim eo, quod in Canone „ proximè ſequitur: Propter iſtam ſolam cau„ ſam, depoſitionem ei decrevit. *Hactenus „ ex Libello ſynodico.*

54 Sed & quæ poſtea abſoluto hoc malignantium Concilio acta ſunt adversùs Sanctiſſimum Ignatium, ubi ab eo decreti ſubſcriptio-

ptionem, atque confirmationem extorqueri possent, idem Nicætas subnectit, *inquiens*: „ Itaque tunc, ut cœperant, exauctoratum, „ publicoque præconio damnatum. immanissimis, , sceleftissimisque hominibus ex- „ cruciandum tradidere, quoad sua manu, „ suæ ipsius abdicationi subscriberet. Ergo „ illum colaphis plectunt, misereque divexant: „ & cum frigore prope contabesceret, unica „ tautum tunicula indutum macerant, uruut, „ atque discruciant. Cùmque binas illum „ hebdomadas in carcere tenuissent, extre- „ ma quoque fame conficiebant. Imò & Co- „ pronymi Sepulchrum, seu Archam conscen- „ dere cogebant, in eaque collocato, ingen- „ tia à pedibus saxa suspendebant, sæpeque „ marmoris acumine sedem concussam atterebant.

55 Et paulò post subjungit: „ Ergo post „ cruciamenta, quibus Christi confessorem „ afflixerant, post comminationes, post ca- „ teuas & compedes venerandis pedibus in- „ jectas, post alapas, & postquam eum ad „ formam Crucis in faciem in marmore pro- „ stratum ac distentum, tota nocte vinctum „ insuper torsissent, atque tumbæ impositum „ totam insequentem noctem cruciassent, „ tandemque solutum humi projecissent fœ- „ dicassentque, ut sanguine etiam terram „ purpuraret: Post hæc, inquam, omnia, „ cùm adhuc modicè spiraret (urgehatur enim „ & alui solutioris profluvio) tum insanus „ Theodorus Sacra Viri manu per vim arre- „ pta, chartaque subjecta, quasi per illum „ Crucem impressit, allatamque Photio por- „ rexit. Qui signo accepto, sua ipse manu „ subscripsit: *Ignatius indignus Constantino- „ politanus confiteor, me non lege & Suffragiis „ creatum Ecclesiæ thronum invasisse, neque „ bis annis ritè & Sanctè Ecclesiam rexisse, sed „ tyrannidem exercuisse*. Hoc pseudochiro- „ grapho Imperatori misso, Vir Sanctus è „ Custodia est dimissus, maternisque in ædi- „ bus Poseos paululum à tot ærumnis respira- „ bat. *Hæc Nicætas*.

56 Cùmque porrò insatiabilis Photii crudelitas majora mala in Sanctum Virum meditaretur, usque ad effossionem luminum, quinimmò usque ad necem, satellitesque mitteret, ut iterum captum in carcerem conjiceret, vili mentito habitu, geminasque sportas ab humeris unâ à pertica suspensas, bajuli ritu gestans, aufugit: ut idem Nicætas refert, & conscenso Navigio, per varias aberrando & alias Insulas, ignotus mansit, quamvis diligenter ubique quæsitus, Deo illum tegeute, donec Regia Civitas horribili terremotu per dies quadraginta quassata, timorem in Principes, cæterosque Ignatii persecutores non modicum incusserit, qui rectè cogitantes, ea ob injustam Ignatii depositionem evenisse, & quidem in vindictam offensi Numinis, Ignatium inquirere jusserunt, promisso solemni non lædendi juramento, iuventum postea suo Monasterio reddiderunt. Verùm universa supra enarrata, atque nonnulla à præcitatis Scriptoribus omissa, habeutur in libello nomine Ignatii à Theognosto Monacho. & Archimandrita veteris Romæ, & Exarcho Constantinopolitano, scripto, atque ad Nicolaum Papam misso, apud Labeum tom. VIII, Concil. pag. 1263. Qui ad huuc modum se habet.

Libellus de tota Ignatii causa missus ad Nicolaum Papam Romanum, Ignatii Patriarchæ nomine à Theognosto Monacho, & Archimandrita veteris Romæ & Exarcho Constantinopolitano scriptus.

57 „ *Quis dabit capiti meo*, ut est iu sa- „ cris literis, *aquam, & oculis meis fontem „ lacrymarum*; & deplorabo mala, quæ ac- „ ciderunt mihi, & eorum qui me persecuun- „ tur, barbaricam immanitatem? Frigore „ euim & nuditate, fameque & extremis ma- „ lis omnibus infesti, me hostes, & alastores „ exagitarunt. Quindecim ipsos dies acer- „ rimo frigore, locoque gelidissimo, erga- „ stulo me occulto, teuebricosoque, rebus de- „ stitutum omnibus incluserunt, vinculisque „ constrinxerunt; itaut ad me adire, nemi- „ ni visendi causa liceret, morbo jam aliàs „ gravi laborantem; crudelem insuper iu mo- „ dum ceciderunt, omnesque artus meos ver- „ beribus afflixerunt. Causam porrò, ex qua „ hæc in me mala redundaruut, ecce jam to- „ tam expono.

58 „ Versabatur in palestra & lucta cum „ Imperatoria Avuuculo tyranuidem exer- „ cente Barda, quem ego gladio spiritus, seu „ verbo Dei everberare non desinebam: qui „ contra me minis, insidiisque appetebat Ar- „ gumentum & causa reprehensionis erat He- „ rodianum iu Barda exemplum & incæstus. „ Eum coutumacem, neque resipiscentem ab „ Ecclesia rejeci. Deinde Imperator ipse mo- „ dò pro illo deprecabatur, modò atrociter „ minabatur, nisi Avuuculum in gratiam re- „ ciperem. Postquam verò impulsus à Barda „ statuit Matrem cum Sororibus à Palatio „ submovere, præcepit mihi ut illas atton- „ derem: quas ego invitas tondendas nou exi- „ stimavi. Has ergo ob causas à throno de- „ turbatus sum, & pulsatus, atque eliminatus, „ & in custodia viuculisque, cum iis, qui „ mecum fuere, senseruntque, eadem passis, „ detentus ante Judicium Vestrorum adven- „ tum. Cùm autem ad vos literas, quibus „ Episcopos statum rerum omnium doceba- „ mus, per Laurentium Presbyterum, & „ duos Stephanos dedidissemus (quorum alter „ Subdiaconus, alter Laicus) illos etiam „ Sacramento adegimus, ut eas ipsi manu sua,

„ ſua, tuæ Sanctitati porrigerent, nihil egere,

59 „ Nos verò, ut juſſi ſumus ad Tribunal, Caiphano non abſimile, comparere, ad Sanctitatia veſtræ judicium magno clamore provocavimua. Sed non erat qui nos audiret. Deinde rurſum citati, rogavimus: Quomodo nos, ò Patres, jubetis comparere? Ut Monachos, & damnatos, an ut judicandos? Qui renuntiarunt: Perinde, ut digni eſtis. Sacro igitur ornatu induti ad Concilium, imò Latrocinium, perreximus. Cùmque jam propè eſſemus, ſubmiſit Tyrannus in publicam viam, qui ſacris nos veſtibus exuerent. Cùmque jam ad Templum protruſi eſſemus, tres prædicti Judicum viatores, Laurentius & duo Stephani ad nos mittuntur: qui ad me: *Quid tu*, inquinnt, *tot ob crimina damnatus, exauctoratuſque, ſacram tamen ſtolam auſus es induere?* Ergo me per vim à meis avulſum ſolùm ad Imperatorem ſiſtunt, qui me contumeliis extemplò onerat. Reſpondente porrò me, convicia paulò mitiora eſſe tormentis, paululum repreſſit furorem, juſſitque in lingneo ſcamno me ſedère.

60 „ Interim cùm verba ultrò, citroque fierent, rogavi, ut Rhadoaldum & Zachariam Legatos tuos liceret mihi ſalutare: Factaque poteſtate eos conſalutavi, atque interrogavi, quid adeſſent: *Legati*, inquiunt, *ſumus Nicolai Papæ Romani, cauſæ tuæ cognoſcendæ gratiâ miſſi*. Quærenti rurſum, an à Sanctitate tua literas ad me haberent, reſponderunt, nullas ſe habere; eo quod ajebant, non ad Patriarcham, ſed ad eum, qui in Provinciali Concilio ſuo damnatus eſſet, veniremus, parati omnia ex Canonum Decretia definire: *Ergo*, inquam, *prius adulterum removere: quod ſi facere non poteſtis, ne Judices quidem eſtis*. Qui manu Imperatorem indicanets: *Ita imperat*, inquiunt ille.

61 „ Deinde Palatini ad me converſi hortantur, exiguntque, nunc conſulendo, nunc minitando, abdicationem; ſed fruſtrà; Ergo ad Metropolitanos verſi, alios aliis calumnis, & criminationibus inſectantur, cur ſcilicèt, qui jam depoſitioni meæ non repugnaſſent, nunc denuò me Patriarcham peterent? Quibua Metropolitæ. *Duobus*, inquiunt, *malis propoſitis, ira nempe Imperatoris, ac populi ſeditione, minus ſcilicèt elegimus. At vos Palatini proceres, reddite nunc Patriarchæ noſtro dignitatem ſuam, & de nobis nihil laborate*. Hic rurſum regia factio me impellit, uti mea ſpontè, me palàm Patriarchatu abdicem, atque ità ſecurus adulter Eccleſiam teneat. Recuſante me, cùm dies abiiſſet, conventus eſt dimiſſus. Idem poſtea cum ſæpiua fruſtra tentaſſent, ad alias artes ſe convertunt, ſupraque nominatos Judicum miniſtros ad me ablegant, atque ad Conciliabolum citant. *Ego verò*, inquam, *non compareo, neque video vos Judices quidquam ex præſcripto Eccleſiæ agentes, Photio tyranno non ejectio, ad cujus etiam menſam accumbitis, & cujus munera procul etiam ſtantes accepiſtis. Ad Rhædeſtum enim Urbem vobis miſſæ veſtes, planetæ, ornamenta ad ſinum, pendentia. Hujuſcemodi ego Judices non agnoſco; ad Papam provoco; lubens judicium illius ſubibo*.

62 „ Hoc idem qui mecum erant, magna voce clamitarunt. Deinde ut dictæ Epiſtolæ legerentur, poſtulavimus, quæ Canonicas Innocentii Papæ pro Sancto Joanne Chryſoſtomo ſanctiones continebant, Joanni Concilium Judicum non prius eſſe ſubeundum, quam is loco ſuo, thronoque eſſet reſtitutus. Et in Sardicenſi Concilio Canon quartua: *Si quis Epiſcopus fuerit depoſitus, dicatque ſe habere defenſionem; non prius ſufficiatur in ejus locum alius, quàm de eo Romanæ Eccleſiæ Pontifex decernat*. Hæc & alia id genus multa illis Epiſtolis continebantur, quæ uti quæras, legaſque, Te Patrum & Antiſtitum Reverendiſſime, Fratrumque amantiſſime, rogamus.

63 „ Cum verò nihilominus adhuc nos urgerent, uti ad ſe veniremus, ita teſtati ſumus: *ut apparet, Patres mei, neque Canones legiſtis, neque Decretum Eccleſiaſticum noſtis. Lex enim eſt hæc: ut citatus à Synodo Epiſcopus, per duos Epiſcopos vocetur, & hoc iterum ac tertio. Vos autem per duos me accerſiſtis, Diaconum alterum, alterum Laicum*. Et nos quidem hæc excuſabamus, Illi verò teſtes produxere, qui dicerent, ſe paratos eſſe jure jurando confirmare, me non ritè & lege creatum, conſecratumque eſſe. Hic ego, *Qui ſunt*, inquam, *illi? Quis illis credat? Quis verò Canon decernit, ut Imperator teſtes producat? Ergò, ſi ego Archiepiſcopus non ſum, ne tu quidem Imperator es, neque iſti Epiſcopi, ſed neque Mœchus. Omnes enim vos indignis manibus meis, precibuſque eſtis conſecrati*. Si adulter membrum eſſet Eccleſiæ, vel mea ſpontè annuerem: nunc verò alienum, quomodo paſtorem ovium Chriſti conſtituam?

64 „ Multa huic adverſantur, Primùm, ex iis quod ſit, qui ab Eccleſia damnati, & anathemate præciſi: qui quidèm id non à nobis dumtaxat paſſi ſunt, & aliis quoque Patriarchis, ſed & ab ipſa veſtra poteſtate, cum illis per nefarium Zachariam interdictum eſſet, ne ſacris operarentur, nevè communicarent, aut ſacris quenquam initiarent: qui tamen his contraria omnia, priuſquam cenſurâ ſolverentur, factitarunt. Alterum eſt, Photium forenſem ſeu militarem & laicum, prius creatum eſſe paſtorem quàm fuiſſet ovis. Præterea, eundem

ab

„ ab excommunicato & exauctorato consecratum. Quin etiam, quandò Metropolitanis persuasit, ut suas partes sequerentur, „ dedit postulantibus Chirographum de me, „ & juratus scripsit, nihil se, præter mea dicta, veluti germani patris esse facturum. „ Nec omninò dies quadraginta ab ejus inauguratione fluxerant, cùm ille me publicè, quamvis absentem, deposuit, & anathemate damnavit. Archiepiscopo quoque „ Cyziceno mandato Photii, digiti fracti, „ exemplumque, ut is putavit (sibi satis esse) „ Chirographi surreptum, & ipse de Throno dejectus est. Alios verò vexando, alios „ donis placando adduxit, ut Chirographum, „ quod de me scripserant, pessum darent. Ad „ quæ Tyrannus respondit nihil, sed subornatos ad jusjurandum edendum contra „ me, perinde quasi non ritè, sanctèque promotus, & consecratus essem, testes produxit.

65 „ Hic ego præsentes Episcopos magnâ voce appellavi: *Admittite, Patres, abjectissimi Senis unicam hanc petitionem, atque huc ad nos venite*. Ergo sevocatum „ me à reliquis, tùm Judices, tùm tyranni „ rogarunt denuò, ut juri meo renuntiarem, „ atque cederem. Recusanti minitari cœperunt. Tunc Carnifices illi Episcopos mecum reliquerunt, & se subduxerunt. Episcopi verò rursùm agere mecum instituerunt (de Libello nempè renuntiationis) „ quibus ego respondebam, oportere illos „ statum causæ meæ cognoscere, ac tùm demùm à me exigere quod postularent; nec „ illos aliunde, nisi à me uno res meas posse „ dicere, quod aliorum nemo de tanta multitudine Hegumenorum, Sacerdotum, Monachorum, & Laicorum auderet liberè loqui. Viderant enim Ancyranum Metropolitanum, quòd in Concilio liberiùs pro „ veritate locutus esset, à nefario ipso parricida vagina gladii secundùm caput ità „ vulneratum, ut ejus vestem sanguine perfunderet. Viderant quæ item in alios immaniter idem ausus esset. Hæc ergo cùm „ commemorassem, illi conventum in sequentem diem indixerunt; & separati, domum petivimus.

66 „ Post decimum verò diem me ad „ Caiphanum Tribunal raptatum abduxerunt, testesque qui me non legitimè creatum dicerent, apposuere. Quid hìc dicam me tot plagis afflictum? Septemdiali „ inediâ, vigiliâ, stationeque perpetuâ cruciarunt. Hæç summa causæ compendio exposita. Tu, Sanctissime Domine, ostende „ in me viscera miserationum, & eum magno Apostolo & ipse dicas: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Intuere majores „ tuos Patriarchas, Fabianum, inquam, Julium, Innocentium, Leonem, & omnes denique, qui pro fide & veritate viriliter decertarunt, illosque æmulare, & vindex pro „ nobis tàm indigna passis exurge. *Hactenus Libellus*.

CAPUT V.

De Romana Synodo, atque Nicolai Papæ gestis adversùs acta Photii in Pseudosynodo Constantinopolitana.

67 Absolutâ pseudo, sive latrocinali Constantinopolitanâ in Templo Sanctorum Apostolorum, ut antefati sumus, Synodo, Michael Imperator missâ ad Nicolaum Legatione, & selecto ad hoc munus obeundum Leone, qui tàm sibi, quàm Photio erat à Secretis, datis pariter literis, certiorem reddit de gestis adversùs Ignatium, rogatque, ut suâ auctoritate tàm ejusdem Ignatii depositionem, quàm Photii promotionem confirmare dignaretur. Photius quoque per Apostolicæ Sedis Legatos Romam revertentes, & alias fecit ad eundem Nicolaum literas, quibus, argumentis adversùs suam promotionem adductis, occurrere conabatur. De Imperiali Legatione idem Nicolaus I. Epistolâ VI. datâ ad Michaelem Imperatorem; hæc habet: „ Post aliquot autem „ dierum, vestrarum partium prudens & fidelis Legatus, nomine Leo à Secretis, Apostolatui nostro Imperialem cum actis apud „ vos gestis detulit Epistolam, quam legi „ jubentes, cognovimus de memorati viri „ Ignatii Patriarchæ negotio, contrà præceptum nostrum improvidè illatam sententiam, & nihil omninò nostris jussionibus saltèm similem, sed magis contrariè „ perpetratam. *Hæc ibi*. Et in Epistola X. data ad Clerum Constantinopolitanum, hæc alia repetit, inquiens: „ Detulit præterea „ idem Leo Imperialis Legatus augustales literas deprecantes, quatenus & in depositione Ignatii, & in confirmatione Photii „ consensum præberemus, & subscriberemus. *Sic Nicolaus*; id quod & in Epistola prima, data ad universos Catholicos similiter recenset.

68 Igitur Nicolaus, tùm ex receptis Epistolis, tùm ex multorum Orientalium Photisnam declinantium persecutionem, atque Romam confugientium, relatione, ut ipsemet indicat in Epistola VII. data ad Michaelem, certior de rebus gestis adversùs Ignatium factus, Apostolico zelo indutus, convocatâ in Lateranensi Basilica Synodo, eodem Leone Imperiali Legato præsente, acta omnia in pseudosynodo, vel Photiano magis latrocinio adversùs Ignatium, & in favorem Photii habitâ, rescidit, cassavit, & annullavit, Photium deposuit, Ignatium restituit; damnatos à Photio, in pristinum gradum habendos voluit, promotos verò ab eodem Photio ejecit, eique

que adhærentes, Ignatio verò contradicentes anathemati subjecit, Zachariam olim Legatum ob non ritè functum Legationis officio, Episcopali dignitate privatum, ab Ecclesia pariter semovit.

69 Cujus Synodi meminerunt plures, & primò Anastasius in Præfatione ad VIII. Synodum, ubi relatis quæ gesta fuerant in Photiano Conciliabolo, statim subnectit: „ Quod „ Sedes Apostolica discens, tantam injustitiam impunè deseri minimè passa est, sed „ scribit a tali præsumptione cessandum, suoque decreto, Photium non obedientem cum „ complicibus sacrâ dignitate nudat, & cum „ omnibus fautoribus anathema fore decernit, jam dictis Missis suis primitùs sententiam secundùm exempla reverendæ memoriæ Felicis Papæ in Vitalem & Misenum „ Episcopos similiter excedentes synodaliter „ inferens, & quàm sibi fratris dejectio esset „ gravis, etiam filiis suis non parcens, palàm cunctis dedit intelligi. *Hactenus Anastasius.*

70 Nicetas inde in vita Ignatii similia tradit, inquiens: „ Legati quoque Pontificii „ à Photio donis blandè corrupti, Romam redierunt. Quos Nicolaus Pontifex de Patriarcha Ignatio interrogatos, & severè „ inquisitos, cum suis illos verbis captos „ convicisset, illos sicariæ potiùs factionis, „ quàm legitimæ Synodi Præsides egisse, perpetuâ exauctoratione damnatos, anathemate percussit. Nec Legatos tantùm, sed „ ipsum quoque Photium tyrannum & adulterum pronuntiat, & legitimæ Synodi sententia totius Ecclesiæ suæ anathemate ferit, deponitque, ipsumque à Maximo Cynico, qui Gregorio Theologo insultans, „ Ecclesiam turbis omnibus permiscuit, nihil differre declarat. Quare illum, ut scandalorum auctorem, & ab illo consecratos, „ Apostolicâ auctoritate, veluti conjuratos, „ eidem sententiæ subiicit: Nec his contentus, asseclas illius, ipsumque Imperatorem „ cum Senatu ejus, omni per literas à cœtu „ fidelium excludit. *Hæc Nicetas.*

71 Sed & Libellus Synodicus sub titulo: *Synodus Romana Nicolai*, habet: „ Quod „ cùm Sanctus Papa Nicolaus percepisset: „ neque enim latère poterat Orbem tantum „ maleficium publicè commissum; in locum „ tenentes suos, accuratâ inquisitione factâ, „ cùm ex propria eorum confessione reperisset, munera ipsos accepisse, perpetuæ depositioni Rhodoaldum & Zachariam subjecit: Divinâque & sacrâ congregatâ Synodo, Photium, ut adulterum & invasorem anathemate notavit, quæque ab eo, & „ sub eo acta essent, minimè recipienda esse „ definivit; quin & omnibus, qui ei communicarent, Michaeli ipsi Imperatori, Subditis, Principibus, & reliquis Sanctis Patriarchis, depositionem denunciavit.

72 Cæterum ab eodem Nicolao non semèl suis in literis hujus Synodi mentio fit; & quidèm in Epistola VII. data ad Michaelem, & in x. data ad Clerum Constantinopolitanum, quæ in præfata Synodo sancita fuerant, per diversa capita distinctè, prout in eadem Synodo definita fuere, & in propriis terminis recenset. Quare cap. I. recensitis nefandis Photii gestis, adversùs eum sic pronuntiatur: „ Hæc, & his similia, contrà Evangelica, „ Apostolica, Prophetica, atque Canonica „ instituta asserens, sit Dei omnipotentis, & „ Beatorum Apostolorum Principum Petri „ & Pauli, & omnium simùl sanctorum atque venerandorum sex universalium Conciliorum auctoritate, necnon & Spiritus „ Sancti per nos judicio, omni sacerdotali „ honore, & nomine alienus, & omni Clericatus officio prorsùs exutus; itaut, si post „ notitiam hujus sanctionis, quam divinâ „ inspiratione depromptam esse credimus, „ cum unanimitate & concordia sanctæ Synodi sit proculdubiò promulgata, tentaverit in Constantinopolitano Throno præsidere, aut sæpefato venerabili Coepiscopo nostro Ignatio, quominùs Ecclesiam „ sibi commissam sine quavis inquietitudine „ regere possit, impedierit; vel si ulteriùs „ ausus fuerit aliquid de sacro ministerio, „ more Sacerdotis contingere, juxtà præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat „ ei communionis spem, aut locum habere „ satisfactionis; sed anathematis vinculis innodatus, unà cum communicatoribus suis, „ atque fautoribus suis, perpetuò Dei per „ nostram mediocritatem judicio, ac sententiâ sacrum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, nonnisi vicino „ mortis periculo, omninò percipiat.

73 In secundo verò Capitulo decernitur adversùs Gregorium Episcopum Syracusanum Photii ordinatorem, hoc videlicet modo: „ Gregorium sanè, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto „ præest, eò quod & ipse ex parte schismaticorum sit, & postquàm à Synodo Episcopatus officio privatus, & à decessore meo „ sanctæ memoriæ Papa Benedicto obligatus „ est, & Photium Laicum subitò consecrare „ in Episcopatu non formidavit, & de sacro „ ministerio ausus est multa contingere, juxtà præcedentem consuetudinem sancimus, & „ juxtà canonicam deliberationem Apostolicâ auctoritate definimus, atq; statuimus, „ omni sacerdotali carere, atque privatum „ fore ministerio, itaut nullo modo liceat ei „ in qualibet Synodo restitutionis spem, aut „ locum habere satisfactionis; quòd si de reliquo præsumpserit in sacro officio, more „ Sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit; Sed & si contra fratrem & Coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles avertere,

„ tere, anathema sit; Et omnes communi„ cantes ei ab Ecclesia abjiciantur, sed & ipsi „ anathema sint.

74 Deinde in tertio Capitulo statuitur adversùs promotos à Photio, his verbis: „ Eos „ verò, quos Photius Neophitus & Constan„ tinopolitanæ Sedis invasor, in quolibet „ Ecclesiastico ordine provexit, quoniam „ manifestum est, eos in omnibus consecra„ toris sui pravitatibus consensisse, atque ei „ post invasionem communicare, omni cleri„ cali officio privamus, & Apostolicâ atque „ Canonicâ auctoritate, & Synodali De„ creto, eos penitùs sequestramus.

75 In quarto item Capitulo in Ignatii „ favorem taliter diffinitur: „ Reverendis„ simum & sanctissimum fratrem & Coepisco„ pum nostrum Ignatium Sanctæ Constanti„ nopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham, qui „ primò quidem Imperiali violentiâ,ac terro„ re, proprio Throno privatus est, & postea „ à Photio adultero prævaricatore, ac per„ vasore Sedis Constantinopolitanæ, & ab „ ejus complicibus(excommunicatis videli„ cet, & anathematizatis, atque damnatis, „ & sinè Episcopalibus Sedibus, & à decesso„ re meo sanctæ recordationis Benedicto Pa„ pa, obligatis hominibus) anathematizatus „ est, & postremò ab Apostolicæ Sedis Mis„ so contra nostram perceptionem (ut sanctę „ Synodo Spiritus Sanctus revelavit, & du„ dùm Zacharias Episcopus, qui unus de eis„ dem duobus Legatis existit, propriâ con„ fessione manifestavit) infulis est Sacerdo„ talibus despoliatus, auctoritate summi Ju„ dicis Domini nostri Jesu Christi, promul„ gamus, sancimus, atque decernimus, un„ quam nec fuisse, nec esse depositum, vel „ anathematizatum, tanquam qui ab Impe„ riali potentia sit absque ulla Canonica au„ ctoritate pulsus Ecclesiâ, & tanquam qui „ ab alligatis nullo possit haberi vinculo col„ ligatus, & ab eis, qui nullam cum judican„ di potestatem, vel ab Apostolica Sede au„ ctoritatem habuerint, & nullum sui hono„ ris discrimen pati debuerit. Et ideo illum „ (idest eundem fratrem, & Consacerdotem „ nostrum Ignatium Patriarcham) omni „ vinculo anathematis ab eo remoto, per „ potestatem Divinâ voce in Beatissimo Pe„ tro collatam, & per auctoritates sacrorum „ Canonum, & decretalium constitutionum „ more Sanctorum Patrum prolatarum, pri„ stino honori, pristinæ dignitati, & sedi, „ pristino gradui & patriarchio, ac pristinis „ & pontificalibus infulis, atque officiis re„ stituimus, statuimus, & confirmamus. *Hæc ibi*; sequuntur postea anathemata adversùs eos, qui ejusmodi decreto ausi fuissent contradicere.

76 Denique in quinto Capitulo restituuntur in pristinum quotquot à Photio per tyrannidem depositi, exauctorati, & damnati fuere, ad hunc modum sanciendo: „ Eos autem Episcopos, seu cujuslibet or„ dinis Clericos, qui post injustam dejectio„ nem fratris & Coepiscopi nostri Ignatii, „ vel in exilio relegati, vel ministerio, aut „ gradu invidiosè privati sunt, statuimus, ut „ exilio dissoluto,proprias Sedes, atque gra„ dus recipiant. Quòd si quisquam huic De„ creto nostro contraìre præsumpserit, & ut „ Sedes, vel gradus resumant impedierit, „ quousque non obtemperaverit, anathema „ sit. Sanè si qui ex eis ab aliis criminantur, „ decernimus eos antea Sedes quidem & pro„ prios gradus recipere, judicari autem nisi „ à Sede Romana non patimur. Sed si quę, „ præter regulam fortè egisse dicuntur, no„ stro eos decreto judicandos reservari statui„ mus, juxtà quod & sacri præcipiunt Cano„ nes, *Hæc de Decretis*, & sanctionibus conditis In antefata Synodo pro causa Ignatii. Extat quoque & sextum caput de cultu & veneratione sanctarum Imaginum.

77 Scripserat jam Nicolaus, tùm Imperatori tùm Photio responsorias literas, quas ferendas & contradendas Leoni Imperiali Legato dederat: Et quibus protestatus est, nullo modo consentire depositioni Ignatii, & Photii promotioni. Etenim in ea, quæ data est ad Michaelem, cujus est initium: *Serenissimi Imperii vestri gloria*, inter plura ait: „ Qua propter, ut diximus, nullo modo „ prudentis viri Ignatii Patriarchæ deposi„ tioni, vel Photii subrogationi assensum „ præbemus, quousque veritas omni falsita„ tis fuco nudatâ,in præsentia nostra eluceat, *Hæc ibi*. Et quoniam Imperator in literis datis ad Nicolaum promotionem Photii ex Laico ad Sedem Patriarchalem, conatus est approbare exemplo Nectarii, & Ambrosii, respondit Pontifex, non esse parilem rationem, causam discriminis afferens. Id quod pariter repetit in ea, quam scripsit ad Photium, incipiente: *Postquàm B. Petro Principi Apostolorum*, nam & Photius quoque ratam suam promotionem esse contendebat, etsi ex laicali militia assumptus, exemplo pariformiter Nectarii, Tharasii, & Divi Ambrosii.

78 At reverso Leone cum Pontificiis literis, contraditisque Michaeli & Photio, cùm ex eis comperissent noluisse Nicolaum confirmare pseudosynodalia Acta, nec Ignatii approbare depositionem, Photiique promotionem, decrevit Imperator novam ad Nicolaum Legationem, selecto quodam Michaele Protospathario, ut omni viâ, datis in mandatis, conaretur flectere Pontificis animum ad approbanda antefata gesta: datis insuper literis, sed adversùs Nicolaum injuriis plenis. Hoc recenset idem Nicolaus in Epistola LXX. data ad Hincmarum, & cæteros Episcopos in Regno Caroli constitutos, ubi causam exponens odii & Græcorum invidiæ adversùs Ecclesiam Latinam, enarratis priùs

quæ in Ecclesia Constantinopolitana acta fuerant, postea subjungit: „ Undè nos Ecclesiam nostram sinè omni macula volentes, „ sicut semper, subsistere, nè videlicet in eâ „ illis impunitis remanentibus,vel tenuis subsannandi oriretur occasio, aut nos eorum „ pravitati consensisse videremus, utrumque „ damnavimus, & excommunicationi submisimus: Damnationem verò Ignatii, vel „ promotionem Photii penitùs respuimus & „ condemnavimus. Reverso autem Leone à „ Secretis Constantinopolim, Michael Imperator comperiens per Epistolam nostram, „ quam per ipsum transmisimus, quòd nec „ depositionem Ignatii, nec promotionem „ Photii suscepissemus; mox quendam Legatum suum, nomine Michaelem Protospatharium cum Epistola injuriis plena ad „ nos direxit, & ut sententiam nostram ad „ votum ipsius commutaremus, vehementer „ hortatus est.

79 Cæterum Nicolaus non destitit per alias literas Imperatorem reprehendere de superbo & arroganti stylo, quo ausus est ad Romanum scribere Pontificem: Fecit ergò literas satis copiosas, quarum initium est: *Proposueramus quidem*; in eis namque ab initio corripit Imperatorem, quòd suas literas ab injuriis inchoasset, inquiens: „ Putas, Imperator, non benè facimus? quòd vos ab „ injuriis scribentes inchoaveritis, nos ab „ orationibus? Vos à convitiis in nos, imò „ contra primam & magistram Ecclesiarum „ omnium loquentes exordium feceritis; „ nos in laudibus, & in nomine Domini ad „ potentiam vestram sermonem habituri os „ aperuerimus? *Hæc ille*, qui postea tradit, Sacerdotes modò Deos, modò Angelos appellatos, omni fore dignos veneratione; cujus rei causâ Constantinum Magnum oblatos sibi adversùs Episcopos libellos, igni tradidisse; Paganos quoque Deos ligneos & argenteos venerantes, suis tamen Sacerdotibus debitum tribuisse honorem.

80 Reprehendit inde in eo quod scripserit, nullum Romanorum Pontificum à sexta Synodo meruisse ab eo, quod ipse Pontifici tribuerat, inquiens: „ Dixistis enim, quòd „ nullus antecessorum nostrorum à sexta Synodo meruerit à vobis, quod nos meruisse „ dignoscimur: quid tamen meruimus evidenter, nullatenus indicastis, nisi fortè literas prædicatorias hoc dicto velitis intelligi, nos à vobis nunc tantum meruisse suscipere à sexta Synodo propter aliquod „ dogma, vel disciplinam quamlibet Ecclesiasticam. Et hoc dicitis,quasi nostrum fuerit opprobrium, eò quòd Sedem Apostolicam in nullo quærere antecessores vestri dignati sunt, cùm magis eorum fuerit dedecus; quia per tot annorum curricula „ diversarum hæreseon morbis languentes, „ medicinale remedium non quæsierint. *Et* „ *paulò post*. Denique, *ait*, à sexta Synodo „ Imperatores, aut hæretici, aut, licèt per„ pauci, catholici, fuerunt & hæretici quidem, si mittere ad nos dedignati sunt, „ non est mirum; noverant enim per gratiam Dei se nos nunquam sociaturos. „ Fuit autem quandò nos sibi sæpè sociari tentantes, cum magno sunt dedecore & opprobrio repulsi, & dignâ constantiâ, à nobis, & non à Constantinopolitana „ Ecclesia crebrò retusi. Quandò verò catholici fuerunt, & pium dogma, vel Ecclesiasticam correctionem defendere voluerunt, nostrum præsidium quæsierunt, sicut „ Synodus sub Constantino & Irene facta „ indicat.

81 Et quoniam Imperator in præfatis literis ausus est jubere Pontifici quosdam sibi subjectos ad eum mittere, ait Nicolaus: „ Præstereà scripsistis, jussisse vos quosdam, „ qui sub nobis existunt, mitti ad vos, quod „ longè est à piorum Imperatorum affectu, „ quorum sicut locum tenetis, utinam ita & „ pietatem sectemini, quod longè, inquam, „ est à Principibus Sedis Apostolicæ reverentiam observantibus. *Hæc Nicolaus*, subnectens inde piorum Imperatorum modestiam in suis ad Romanos Pontifices servatam literis, qui magis rogando, quàm jubendo scribere consueverant; quemadmodùm se gesserant Honorius Imperator cum Bonifacio Papa, Valentinianus & Marcianus cum Leone, Constantinus Magnus cum Dono, alter Constantinus & Irene cum Hadriano.

82 Progreditur postea ad retundendam Imperatoris audaciam, Latinam linguam ut barbaram & scythicam calumniantis: „ In „ tantam, *inquiens*, verò furoris abundantiam prorupistis, ut linguæ Latinæ injuriam irrogaretis, hanc in Epistola vestra „ barbaram & scythicam appellantes ad injuriam ejus, qui fecit eam. Omnis enim „ operis derogatio ad Opificis redundat injuriam. *Hæc ille*, probans insuper non esse ejusmodi linguam contemnendam, in qua crucis titulum expressum quoque fuit; & cùm sit lingua, qua Romani utuntur, indignum esse,eum appellari Romanorum Imperatorem ejusmodi linguam ignorantem fatetur. Et inde concludit dicens: „ Istius enim dictione „ linguæ Constantinopolitana Ecclesia lectionem Apostolicam & Evangelicam in „ stationibus fertur primitùs recitare: sicq; „ demùm græco sermone, propter Græcos, „ utique ipsas lectiones pronuntiare. Sed „ tantùm hæc impletas Ecclesiæ Constantinopolitanæ hactenus defuisse putatur, ut „ tota ibidem nequitia suppleatur: Hoc restat à vobis solummodò perficiendum.

83 Deinde ad causam Ignatii stylum vertens, probat Sanctissimi Patriarchæ depositionem prorsùs nullam, cassam, & irritam fuisse; & quia ab excommunicatis, depositis & schis-

& schismaticis Judicibus decretam fuisse constabat: & quia ab inferioribus, atque subditis, cùm aliunde constet per sacros Canones, & Summorum Pontificum, atque universalium Conciliorum decreta, quæ per extensum recitat; nec excommunicatum, aut depositum, aut Schismaticum, munus Judicis exercère posse, quinimmò nec inimicus in inimicum sententiam ferre, nec inferiores & subditos in suum superiorem.

84 Et quoniam Imperator plurimùm faciebat, quòd Ignatius in Synodo trecentorum Episcoporum fuisset depositus, æquans pseudo illam Synodum, propter Episcoporum numerositatem sacrosanctæ œcumenicæ Synodi Nicænæ primæ, Pontifex, ut hanc retundat jactantiam, sic rescribit: „ Quid autem „ proficit, *ait*, solo numero convenientium „ personarum sanctam Synodum vos fuisse „ secutos, & moribus hanc esse crudeliter „ persecutos? Utinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meritis, quales erant, quibus Christus ajebat: *nolite* „ *timere pusillus grex, quia complacuit Patri* „ *meo dare vobis regnum*. Non ergo totidem „ Præsules, sed merita non minora Synodum „ Synodo Nicænę possunt facere parilem, „ magisque illud advertendum est, quia ibi „ contra unius nuncupati Presbyteri vesaniam, non solùm multarum regionum Presbyteri, verùm etiam & Patriarchæ præsedisse referuntur. Hic autem in Patriarchæ „ negotio, non solùm ullus Patriarcharum, „ sed nec ullus alterius Diœceseos inventus „ est quisquam Episcopus, sicut jam significavimus. Numerus igitur pusillus nec obest, ubi abundat pietas; nec multiplex „ prodest, ubi regnat impietas. *Hæc & alia Nicolaus*.

85 Denique plura subnectit de Ecclesiæ Romanæ privilegiis, & in fine ejusmodi clausulam apponit: „ Quisquis autem hanc Epistolam nostram Constantinopoli legerit, & „ augustissimo filio nostro Imperatori Michaeli quidquam ex his, quæ in ea scripta „ sunt occultaverit, si locum apud illum potest invenire sufficientem, anathema sit. „ Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, „ & ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit, præter illud „ quod idioma græcæ dictionis exigit, vel „ interpretantis scientia, intelligendi non „ tribuit anathema sit.

86 Prælibatæ porrò Epistolæ aliam subnectit, quæ incipit: *Quanto majora sunt beneficia Dei*, qua repetit, quæ in aliis Epistolis de Ignatio & Photio, ac de Rhadoaldo & Zacharia scripserat: innuit, Epistolam per antefatos Legatos in causa Ignatii missam, corruptam fuisse, atque loca depravata restituit. Demonstrat insuper Photii promotionem ea de causa reiiciendam, quia à Gregorio Syracusano damnato fuerat consecratus, atque ipsum Imperatorem Photii defensorem reprehendit. Petit inde, ut Epistolam contumeliarum plenam, de qua præfati sumus, eam nempe, quam Imperator miserat, jubeat comburi: sin minùs dictatores ejus, dispositores, atque præceptores minatur se excommunicaturum, & ut Epistola ad illius dedecus in Episcoporum Concilio coràm omnibus comburatur, præcepturum. Addit etiam plurimùm conducere causæ Ignatii & Photii, ut uterque Romam veniat. Cùmque ejusmodi Epistola cum antecedenti & consequentibus, per Donatum Episcopum, Leonem Presbyterum, & Marinum Diaconum selectos, in Apostolicæ Sedis Legatos mittere decrevisset, in exordio ejusdem Epistolæ commendat Legatos, quatenùs benignè recipiantur.

87 Itaq; per eosdem Legatos fecit literas ad Clerum Constantinopolitanum incipientes: *Ea, quæ nuper*, quibus ea omnia recenset, quæ à die, quo Constantinopolim missi sunt Rhodoaldus & Zacharias, acta fuere. Romanæ Synodi, suprarecensita decreta subnectit; cæteraque quæ in superioribus datis ad Imperatorem Epistolis, circa Photii promotionem, repetit; & ut contumeliosam Imperatoris ad eum datam Epistolam comburant, præcipit. Alias scripsit ad Photium, quarum initium: *Innumerabilium repertis prævaricationum abnoxiis*, quibus complura exprobrat Photio crimina, in occupanda Ignatii Sede commissa; probatque divinum atque humanum jus violasse; suam in Synodo Romana decretam depositionem denuntiat; ac si sententiæ parere renuat, minatur illi perpetuam usque ad obitum excommunicationem. Ad Bardam quoque jam Cæsarem creatum scripsit alteram Epistolam, quæ incipit: *Postquàm Dei omnipotentis*, ac per eam dolet, se depulsum fuisse de spe, quam de ejus pietate ob multa à principio audita, in ipso collocaverat. Ut resipiscat admonet, causamque Ignatii apud Imperatorem agat, Apostolicæq; Sedis Legatis faveat.

88 Item non omisit rescribere ad ipsum Patriarcham Ignatium, deditque literas incipientes: *Dici non potest, frater charissime*, ac per eas ipsum certiorat de omnibus, quæ in ejus causa à Legatorum Zachariæ & Rhodoaldi reditu Romæ acta fuere, & qualiter Photius fuerit in Romana Synodo depositus, & unà cum suis sectatoribus anathematizatus; ipse verò & Sui in propriis Ecclesiis restituti. Consolatoriam inde Epistolam fecit ad Theodoram Augustam, cujus initium: *Virtutes vestræ*, qua eandem Augustam multis laudibus exornat, atque ad patientiam, spemque suam in Deo collocandam, admonet; Et ostendit se in Ignatii restitutione omnem suam ponere operam. Denique scripsit ad Eudoxiam Augustam, rogans, ut Ignatii partes apud Imperatorem agat: Epistola verò incipit: *Nihil in Regia sublimitate*. Datæ

sunt prærecensitæ literæ Idibus Novembris, Indictione xv. ut ad calcem earundem literarum palàm fit. Sed videamus quid Constantinopoli post receptas priores Nicolai literas actum sit, & post Romanam Synodum.

CAPUT VI.

De Photii, aliorumque Schismaticorum gestis, receptis prioribus Nicolai literis, & post Romanam Synodum.

89 PHotius ergo, compertâ Nicolai & Romanæ Synodi definitione & sententiâ, tantum absuit ut parere voluerit, quòd ad deteriora conversus, ira fremens diram in Ignatium, ejusque adhærentes persecutionem excitaverit, eò magis furens, quò sacrorum fidelium cœtum à se divelli conspiciebat. Hinc Anastasius, ait: „ Cujus censuræ Photio minimè parente, sacratus fidelium Catalogus magis inflammatur, & ab „ ejus se communione catervatim sequestrat, „ horrescens, quod nec à tanta Sede perculsus „ corrigi consenserit, quippe cùm durior silice, etiam verbera dura impudenti fronte „ contempserit. Quod Photius molestissimè „ ferens acriter indignatur. *Hæc ille*. Quæ postea subnectit post necem Bardæ evenisse, idem indicare videtur. Sed dum crudelitates in Sanctos Photius exercere non verebatur, pietatem simulans, quasi tantis malis compatiens, scripsit ad Bardam sequentem Epistolam,

Photius Bardæ, Patricio, & Curopalatæ.

90 „ Sciebam equidem, vel antequam „ experirer, indignum esse me Pontificali gra- „ du, & pastorali munere, ideoque cum du- „ cerer, ac traherer, retinebar, ac ægerri- „ mæ ferebam. Atque utinam me mors an- „ tequam comprehenderer ac circumvenirer, „ vel potius ante illam intolerabilem vim, ra- „ puisset. Non enim tot, tantorumque ma- „ lorum fluctus miserrimam animam quo- „ tidie inundantes opprimerent; quorum „ spes, & expectatio (facilè enim natura ho- „ minum impendentes prospicit difficultates, „ cùm præsertim in eas infesta via ingruit) „ tum me valde perturbabat. Itaque percul- „ sus, & acerbo dolore confectus flebam, de- „ precabar, omnia potius faciebam, quàm „ iis qui eligebant, & vim afferebant, assen- „ tiebar, transire ad me poculum multarum, „ variarumque curarum, & tentationum exo- „ ptans. Nunc verò ipsæ me res docent, meam- „ que arguunt indignitatem; nec jam metus „ expectationis est, sed dolor fixus in præ- „ cordiis & gemitus, & in præsentibus malis „ inopia Consilii, summæque difficultates.

91 „ Cum enim Sacerdotes, qualescum- „ que tamen sint, unius casû affligi video, „ verberari, proscribi, duci in carcerem, iis- „ que linguam præcidi (ignosce Domine pec- „ catis nostris) quomodo non præ me beatos „ judicabo mortuos? Quomodo non onus „ hoc impositum existimabo ad redarguenda „ peccata mea? Homo agens, ab omni ope, „ auxilioque desertus, cuique ne mens qui- „ dèm sana & integra est (quæ res misericor- „ diam potiùs, quàm indignationem movent) „ tot simul mala perpessus est, venditus est, „ cæsus, in carcerem inclusus, acci (quod in- „ consolabile est) abscissa lingua, idque cùm „ Sacerdotio præditus esset, pro quo sæpè „ precatus sum, pro quo sæpè vanus ego. „ verba feci, quasi nihil paterer: quippe vi- „ derunt, sciunt; si verò obliti sunt, Deus „ non est oblitus.

92 „ Quæ spes incertis rebus superest, „ cùm in certis, iisque quæ sub oculis positæ „ sunt, adeò nihil proficio, adeò illudor? „ quomodo pro peccatis populi, ac nostris „ deprecans exorabo, & placabo, cùm voa „ pro uno precatus, ita decidi, ita repulsus „ sum? Hæc scripsi sanguine lacrymarum. In „ te uno situm est, ut aut primam, aut po- „ stremam hanc Epistolam accipias. Ego enim „ coram Deo dico. Si hoc decretum est, in „ rationabilibus supplicationibus, ac precibus „ meis, repellere nos, ac dimittere: si nulla, „ neque misero mihi consolatio erit, & ex- „ hortatio, nec scribam, nec ullo modo mo- „ lestus ero: sed quiescam, me ipsum con- „ siderans, resque meas lamentans. Nam si „ unâ cum iis, quæ quotidiè in nos constan- „ tur, tentationibus & incommodis, miseram „ quoque perdidero animam, omnium ho- „ minum sum miserrimus. *Hæc in sua Epistola Lupus in ovili pelle*. Extat apud Baronium ad annum Domini 863. sub numero 16.

93 Interea verò suggerit Imperatori, ut sancita lege jubeat testamentarias eleæmosynas, nonnisi per Patriarchæ manus pauperibus erogandas, ut hac via, aliena dispensando, benignus, atque in pauperes misericors, quasi sua largiendo appareret, plebemque pariter sibi conciliaret, & qui ei communicare detrectabant, indigentiâ pressi, & spe levaminis eidem communicare cogerentur. Hæc ex Anastasio, scribente: „ Cæterùm construit & „ aliam technam hic perversorum dogmatum „ cultor, & persuadet Imperatori præcipere, „ neminem testamentum facere, vel per al- „ terius, nisi per Photii manus suas eleæmo- „ sinas erogare; quod non ob allud adinvenit „ inventor malorum, nisi ut cùm acciperet, „ & erogaret substantias Divitum, proprias „ à minus curiosis erogasse putaretur: ac per „ hoc à cunctis quasi dapsilis & munificus „ amaretur: simùl etiam, ut saltem per hoc „ omnes ei coacti communicarent, quando- „ quidem conspicerent, nec ipse se animarum

sua-

„ suarum remedia posse, nisi per manus ejus, „ saltem in ipso mortis articulo positos operari. *Ita Anastasius*.

94 Aliud porrò æque iniquum excogitavit. Etenim quot quot ad eum instruendi veniebant, jurare cogebat, non aliter de cætero se credituros, quàm secundùm Photii fidem: & hoc quoque, ut sibi communicare etiam juramento obstricti tenerentur: unde subnectit Anastasius: „ Præterea & aliud iniquitatis suæ retiaculum, quo mentes simplicium „ caperet, texens, quot quot ad exteriorem ab eo disciplinam instruendi veniebant, „ proprio scripto spondere cogebat, se secundùm fidem Photii de cætero credituros: „ quasi duæ fides essent, una scilicèt Christi, „ & altera Photii: Et hoc nihilominus callidè molitus, ut communionis suæ quoscunque, vel quomodocumque laqueis irretiret: & esset impossibile se unquam evelli, „ quem nimirum constaret tot fixis hærere „ radicibus, dum his, nec aliam fidem, nisi „ quam ipse teneret, habere quoquomodo licuisset.

95 Et certè alia erat fides Christi, alia Photii: Illa namque Christi unam tantùm in quolibet homine animam adstruit: Photii verò fides, duas inesse docebat: cujus rei causa non modicum mortalibus scandalum antefatum excitavit juramentum: Optimè enim norant viri eruditi, talem fuisse Photii fidem, atque à Constantino Philosopho magnæ pietatis viro, de tanta impietate olim reprehensum & correptum: „ Quod maximum scandalum mortalibus excitavit, *subjungit Anastasius*, dicentibus: *Ita nè, si Photius hæresiarcha fuerit, debent filii nostri, aut fidei Catholicæ desertores esse, aut juramenti vel sui Chirographi transgressores?* Erant „ enim inter eos nonnulli Clarissimis Natalibus oriundi: nam & ante annos aliquot „ idem Photius duarum unumquemque hominem animarum consistere prædicabat. „ Qui cùm à Constantino Philosopho magnæ „ sanctitatis viro fortissimo ejus amico, increpatus fuisset, dicente; *Cur tantum errorem in populum spargens, tot animas interfecisti?* Respondit: *Non studio quemquam lædendi, talia*, inquit, *dicta proposui, sed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tempore qualibet hæresis per Syllogismos Philosophorum exorta pulluleret, qui scilicèt viros exterioris sapientiæ repulisset. Verùm ignoravi me sub hujus fomite propositionis tot animas fore læsurum*. „ Ad quod ille: *O' sapientia mundi, quæ infatuatur & destruitur, lollasti sagittas in multitudinem copiosæ turbæ, & ignorasti quemlibet ex his omnibus vulnerandum*.

96 Quævè inde molitus sit Photius ad perdendum Ignatium à Nicæta discimus: „ Die „ quapiam, *inquit*, advena quidam prius „ ignotus omnibus, Monachi habitu indutus, Eustratius nomine, rectà ad Patriarchium properabat, ingressusque, binas literas fictas palàm promptas porrigebat; „ quas quidem sapientissimus iste Photius per „ dolum excogitarat, ut postmodum manifestè patuit: Alteras Ignatii nomine ad Nicolaum Pontificem datas: quibus statum „ Patriarchatus sui immutatum, & injurias „ Imperatoris exponebat; quas ajebat Pontificē ne aspicere quidèm voluisse, ac proinde à se reportatas: Alteras, quasi à Nicolao ad ipsum Photium missas, quibus purgabat priorem inter Photium & Pontificem „ dissensionem, & charitatem, amicitiamque in omne reliquum tempus stabiliebat.

97 „ Has ille turbarum artifex arreptas „ è vestigio Imperatori & Cæsari tradit (*erat enim Bardas ab Imperatore Cæsar denunciatus*) contraque innocentem egregiè mentiendo principes accendit: *Vestram*, inquit, *Majestatem Ignatius ad exteras etiam gentes traducit, vestrique Imperii potentiam improbissimus calumniator in crimen vocat. Qui tametsi justam haberet causam, tamen vita illi jure adimeretur, dum hæc in vestram serenitatem machinatur*. Hæc & alia producta literis proloeutus est Sycophanta Photius. Quare Imperator ad iram concitatus, Barda item Cæsare fremente, in arctam custodiam jussit detineri Ignatium: & facta inquisitione, repertum est, per calumniam cuncta acta esse, proinde dimittitur Ignatius, loris verò multatur Tabellarius, qui postmodum, Photio interpellante ac pro eo supplicante, in mercedem peractæ impietatis, lictorum præfectus creatus est.

98 Deinde quidam Ignatius nomine, olim Sanctissimi Patriarchæ Discipulus, qui ad Photii castra confugerat: alteram querelam adversùs detulit Ignatium, quod videlicèt in media Insulæ platea ædem sacram quadraginta Martyribus, unà cum Beatæ Virginis Oratorium, construxerit: & quasi quod grande esset piaculum, Photius hujus rei Ignatium rerum Imperatori denunciat: „ Atque Consilio cum factione sua communicato, *inquit*, „ *Nicætas*, Amphilochium Cyzici, & Theodorum Pasrarum, Archiepiscopos, quin „ & Pantaleonem Senatorem cognomento „ Bothrum in Insulam ablegat, qui sacrilegia manibus sanctam illam arulam disturbent. Mandarat insuper Photius, ut ara „ ad littus maris deportata, quadragies unda „ tingeretur, atque ità demum reducta reponeretur. *Hæc Nicætas*.

99 Interea contigit, ut Bardas Cæsar funestum videret somnium, quòd perterritus, Philotheo amico, quondam genicorum Logothetæ, his verbis enarravit: „ Videbar tanquam in publica pompa cum Imperatore ad „ magnam Basilicam prodire, videreque Archangelorum effigies per fenestras omnes „ superiores & inferiores in Templum respicere:



„ cere : & cùm ad ambonem venissemus, spe-
„ ctati sunt veluti duo à cubiculis severi &
„ truces : quorum alter ipsum Imperatorem
„ vinctum capiens, ad dextrum latus tra-
„ ctum, è pavimento cancellis proximo, ve-
„ lut noxium damnatumque pellebat : alter
„ verò, me pari modo ad sinistram partem ab-
„ ducebat. Et dum repente circumspicio,
„ animadverto in Throno Patriarchali in
„ aditis virum principi Apostolorum Petro
„ forma simillimum, geminosque illi assisten-
„ tes, sanè formidabiles, qui præpositorum
„ dignitatem præseferebant. Ad sedentis por-
„ rò genua procumbentem cerno Ignatium
„ supplicem, multisque lacrymis perfusum ;
„ adeout ipse quoque Petrus Ignatii vocem
„ miseratus ingemuerit.

100 „ Porrò Ignatius clamitabat : *Cla-*
„ *viger Cœlestis Regni, & petra super quam*
„ *Christus Deus Ecclesiam suam firmavit, si*
„ *quidem tibi ignotum non est, quàm iniquè*
„ *mecum actum sit, solare afflictissimam senc-*
„ *ctam meam*. Cui Beatus Petrus : *Ostende*
„ *vexatorem tuum, & Deus faciet cum tenta-*
„ *tione proventum*. Et conversus Ignatius,
„ manu me indicabat, & : *Hic*, inquit, *plus*
„ *omnibus me afflixit, ut quem nulla satietas*
„ *mei cruciandi ceperit*. Tum qui in Throno
„ considebat, cùm annuisset illi, qui ad dex-
„ teram assistebat, educta sicula, palàm om-
„ nibus audientibus sententiam pronuncia-
„ vit. *Hunc*, inquit, *invisum Deo Bardam*
„ *prehende, & foris in atrio frustratim concide.*
„ Ex templo ergo ad supplicium arreptus, vi-
„ di quòd & Imperatori minaci manu diceret:
„ *Expecta impie fili*. Atque ita mihi visus sum
„ revera concidi. *Hactenus Bardæ somnium*
„ *ex Nicæta*, quod & Curopalata pariter re-
„ censet.

101 Sed Barda, licèt perterritus, & quamvis à Philotheo admonitus, ut seni parceret Ignatio, atque Dei tribunal ante oculos habens, neque justè, neque injustè quidquam mali illi faceret, nihilo melior factus, contemptis amici monitis, ad vexandum Sanctissimum Patriarcham iterum animum adjecit : quare in initio Quadragesimalis Jejunii, ut idem Nicætas subjungit, Leonem cognomento Ptaolemen, cognatum Photii, cum satellitio in Insulam mittit, adeoque arctè custodiri præcipit Ignatium, ut ne sacris quidem operari posset, neque cuiquam copia fieret illius conveniendi, nec illi exeundi. Elapsis porrò tribus mensibus, somnii prædictio effectum sortita est, Barda ut proditore, jubente ipso Imperatore occiso, ac membratim dissecto : „ Michaele namque, *ait Nicætas*,
„ expeditionem in Cretam suscipiente, Bardas
„ cum illo jam ad Hortorum locum, qui dici-
„ tur progressus, quòd insidias Imperatori
„ struere diceretur (Cœlesti nempe vindicta
„ illum prosequente) ultimas Deo pœnas
„ exolvit, gladiisque miserandum in modum
„ membratim est dissectus. *Hactenus ille*,
Curopalatas verò scribit; nedum antefatum somnium, verùm & crinitæ stellæ exortum, miserrimum Bardæ prænnnciasse fatum: qui & Bardæ necem his verbis recenset.

102 „ Nuper, *inquit*, contra Cretenses
„ Bardas omnibus copiis cum Michaele Im-
„ peratore instructus erat. Cùmque ad Dei
„ Genitricis templum viatorum accessisset, in-
„ gressus est cum facibus, ut Syntacterium
„ (est genus quoddam precum) absolveret.
„ Ubi igitur adytis appropinquavit, repen-
„ tè ab ipsius humeris dilapsa clamys, effecit,
„ ut iste graviora pericula præsentiret. Et
„ pridie quàm ab Urbe profecturus esset, si-
„ ve per se, sive futuro rei eventu impulsus :
„ coactis in unum amicis, convivioque ex-
„ ceptis, ut suæ amicitiæ memores essent, pe-
„ tebat : & legata, tanquam è vita jam jam
„ discessurus, præbuit. Postquam igitur ad
„ Cretam profecti sunt, & regionem Thra-
„ ciensium invasere, & occupato quodam lo-
„ co, qui Topos dicebatur, ejus ministri
„ contentione, studioque adhibito, castra
„ posuere. Hinc nescio quomodo, sive con-
„ sultu, sive inscitia, Imperatoris tentoria
„ locaverunt in loco plano, & in superemi-
„ nente colle Cæsaris tabernaculum teten-
„ dère. Quod ut lucrum eam occasionem
„ rati qui Michaeli addicti pro eo propugna-
„ bant, Cæsari factum obiiciebant, & contra
„ ipsum consilia excitabant. Attamen illos
„ perturbabat, & Segniores ad incœpta fa-
„ cienda reddebat Cæsaris potentior vis, cu-
„ jus filius Antigonus, domestici Scholarum
„ Imperium obtinebat, reliquique duces ipsi
„ obtemperabant, & Sabbatius Logotheta
„ Dromi, ejus gener ob filiam quam duxerat
„ uxorem, sine ulla controversia ei favere
„ credebatur.

103 „ Verùm Sabbatius ab Imperatore
„ deceptus, imprudens Soceri necem patra-
„ vit, quippe cui & non alii signum cædis
„ commissum fuit. Nuper enim exierat co-
„ gnitis causis, & signum necis dedit, cruce
„ in ore suo impressa. Verumtamen conjura-
„ ti distulere, cùm præsentea cernerent Cæ-
„ saris sodales. Quod veritus Michael, ne
„ aliqua ratione deprehensus, in se ipsum
„ gladium attraheret, per fidelem quemdam
„ pollicitationibus homines confidere jube-
„ bat. Et periculum certè evitasset, & pro-
„ pulsasset Cæsar ob conjuratos metu percul-
„ sos, atque perterritos, nisi Basilius, qui
„ mox Imperator fuit, quique præfectus re-
„ gii cubiculi tunc erat, ad facinus sese ac-
„ cinxisset. Hinc enim metum abiicere con-
„ juratos persuadens, ad rem confirmabat.

104 „ Igitur homines gladiis strictis in
„ se confertim invadentes conspicatus Bardas,
„ sibi moriendum sensit; sicque ad Imperato-
„ ris pedes se abjecit. Verùm ipsum inde ab-
„ stractum frustratim concidunt. Deinde ge-
nita-

„ nitalia ipsius membra, hastâ appensâ, per „ exercitum traducunt. Ingens autem turba concitata est, quæ Imperatori periculum intentaret; quam quidem vigilantissimus præfectus Constantinus cum multis in medium confestim accurrens, sedavit, cum laudibus Imperatorem celebrans, „ justâ nece occisum Bardam pronunciasset. „ Atque ita Bardas periit. Et hac ratione „ illa contra Cretenses suscepta Provincia „ dissoluta est. *Hactenus Curopalates*.

105 Perlatâ hujus necis ad Photium notitiâ, in amicum & protectorem non est veritus convintia inferre, probavit cædem, conjuratos laudavit, cæsum verò vituperavit: unde Nicætas subnectit: „ Sed hunc ille (*scilicèt Photius*) vivum quidèm mirificè colebat, suumque quasi vitæ præsidem omnibus præconiis efferebat: perempto verò palinodiam cecinit, ac velut execrandum quoddam piaculum dignum tali morte dictitabat. *Hæc Nicætas*. Nec quicquam remisit de sua in Sanctum Ignatium, illiusque adhærentes crudelitate: Etenim post antefatam Bardæ necem, sævius persecutus est Sanctos Dei. Id quod optimè notat Anastasius, inquiens. „ Et licèt Bardas, Cæsar „ postmodum factus, cujus auxilio fulciebatur, digna retributione ab Imperatore Michaele fuerit interfectus, nihil tamen sævitiæ suæ minuit: sed alios quidem privatione honorum ac dignitatum, alios verò „ proscriptione facultatum damnat, hos exilio longo & carceribus relegat, illos tormentis diversis afficit: atque ut breviter „ omnia comprehendantur, nulla professio, „ sexus, vel ætas ab eo impunita deseritur, „ nisi consors suæ communionis inventa. *Hæc* „ *& alia Anastasius*.

106 Accidit Bardæ exitium decimaquinta Indictione, Domini anno DCCCLXVII. Pontificatus Nicolai anno X. Michaelis Imperatoris anno XXVI. Ludovici II. Imperii anno XII. Et ideo corrigendus est Curopalataa, qui necem Bardę consignat sub Indictione XIV. Constat enim ex literis Nicolai Papæ ad ipsum Bardam datis Idibus Novembris Indictione XV. eundem Bardam supervixisse ad eam usque Indictionem: cùm porrò, teste Nicæta, erga Sacrum Pentecostes festum, Bardam occisum constet, sequitur, eadem XV. Indictione, inchoata jam à mense Septembrio Bardam occisum: licèt probabile sit Pontificiorum Legatorum adventum Constantinopolim cum literis à Nobis Superiori capite adnotatis, tum ad Bardã, tũ ad Michaelem, ad Clerũ, ad Photium, & alios datis, accidisse post Bardæ necem: quo tamen sublato, non proinde Pontificia Legatio suum sortita est effectum, ut ex eodem Nicolao in Epistola LXX. data ad Nincmarum & cæteros In regno Caroli Episcopos constitutos, atque Anastasio perspicuum sit.

107 Nicolaus itaque de ejusmodi Legatione sic in prælibata scribit Epistola: „ Quærere cœpimus opportunitatem, qua freti, „ Missos Apostolicæ Sedis etiam adhuc Constantinopolim cum exorthatoriis Epistolis „ destinaremus. *Et paulò post*. Videbatur „ enim Nobis iter Navale satis difficile, & propter eorundem Græcorum expertas insidias „ valde cavendum. Cùm his itaque anxietatibus undique coarctaremur, & ingentibus „ premeremur angustiis. Ecce subito Legati jam facti Regis Bulgarorum nobis adesse „ nuntiantur. Unde qui est qui dicere possit, „ quanto gaudio, vel quanta exultatione simus repleti? Eo quod & eorum salubrem „ conversionem per divitias bonitatis Dei cognovimus; & quia illos doctrinam Beati „ Petri Apostoli, seu Sedis ejus, exquisisse „ comperimus, qui licèt longè positi corpore, „ nobis tamen facti sunt fide præsentes: sed & „ quia per eorum regnum facilem, ac terrenum „ Missis nostris ad terram Græcorum accessum patere perspeximus. Ordinatis igitur „ tàm quæ Bulgarum Gentis congrua fidei „ rudimentis agnovimus, quam quæ Constantinopolim mittere disposueramus, Missos quoque nostros cum Legatis jam nominati regis, per ipsius transituros regionem, „ direximus. Quos Imperatores Græcorum, „ non solùm recipere minimè consenserunt: „ verùm etiam vehementer adversùs Bulgares animos commoverunt, eo quod per suam „ eos terram transire permiserant.

108 Anastasius verò vita Nicolai de hac eadem Legatione, ejusque exitu ita scribit: „ Rex Bulgarorum Michael Christianitatis „ & fidei sanctæ doctrinam agnoscens meruit „ baptizari, & qui priùs creaturæ serviens „ sæviebat crudelitate, hujus temporibus „ Creatori colla submittens ampla cœpit religione jubere, magnaque usus est pietate. „ Tunc ad hunc Catholicum & verè Præsulem orthodoxum Legatos suos mense Augusto Indictione XV. destinavit, donaque „ non parva, tàm sanctis locis, quàm eidem „ Summo Pontifici contulit, suggerens ejus „ Apostolatui quid facere salubriùs oportetret, vel quid erga reliquum Bulgaricum „ adhuc Baptismo Sacro carentem populum, „ ut fidei Sacramenta perciperet, agi deberet.

109 „ Quod Beatissimus audiens Papa „ magna repletus lætitia, laudes Christo reddidit amplas: & cùm omni sibi divinitùs „ commissa Ecclesia gratulans, infinita præconia Deo nostro, qui novissimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota „ mente, supplici quoque voto persolvit. „ Porrò Legatis ejusdem jam nomine Michaelis Bulgarici Regis à Sancto Papa receptis, „ honorificè apud se eos retinuit. Et interim Sedis Apostolicæ missos, Paulum scilicèt Populoniensem, & Formosum Portuensem magnæ Sanctitatis Episcopos statuens,

,, tuena, hoſque monitis mellifluis, atque
,, doctrinis inſtruens, ad prædicandum Gen-
,, ti illi eos ire decrevit. Cum quibus quo-
,, niam per Bulgaricum regnum iter uſque
,, Conſtantinopolim terra tenus tenditur, ut
,, quidquid de Sancta Conſtantinopolitana
,, Eccleſia (licèt jam per Orientem, hoc ip-
,, ſum idem Papa ſemel & bis Apoſtolicis li-
,, teris divulgatum habuerit) apud ſe decre-
,, tum exiſteret, eidem per ſuos Legatos Ec-
,, cleſiæ notum faceret, Donatum Epiſco-
,, pum Hoſtienſem, Leonemque Presbyterum
,, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non Mari-
,, num Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Diaconum
,, miſſos idoneos æque direxit, ut illi Bul-
,, gariæ populum ad fidem converterent, &
,, iſte, quid, vel qualiter Apoſtolica Sedes de
,, eadem Conſtantinopolitana deliberatum
,, habuiſſet Eccleſia, modis omnibus nuntia-
,, ret. Quod in nomine Domini cum adjuto-
,, rio Sancti Petri factum eſt.

110 ,, Sed præfatis Paulo, & Formoſo
,, Venerabilibus Epiſcopis in Bulgaria moran-
,, tibus, Donatus reverendus Epiſcopus,
,, Leoque Presbyter, & Marinus Apoſtolicæ
,, Sedis miniſter, dum Conſtantinopolim ire
,, vellent; Ecce inter fines Bulgariæ Con-
,, ſtantinopolitanorumque quemdam Theo-
,, dorum Marcham illam cuſtodientem inve-
,, nerunt, qui eos ultra non dimiſit abire, quin
,, potius innumeris eos denotans injuriis, adeò
,, tantæ Sedis Legatis abuſus eſt, ut etiam
,, equorum, in quibus ſedebant capita per-
,, cuteret, diceretque: *Imperator noſter vos*
,, *neceſſarios ſane non habet*. Sed idem Impe-
,, rator Legatis Regis Bulgarorum, ita fer-
,, tur dixiſſe: *Niſi per Bulgariam Miſſi Sedis*
,, *Apoſtolicæ veniſſent, nec faciem meam, nec*
,, *Romam diebus vitæ ſuæ viderent*. illi verò
,, per quadragiata dies illic reſidentes, ut co-
,, gnoverunt quia hoc Imperator Græcorum
,, fieri juſſerat, terga verterunt, & Romam
,, hæc eadem nuntiantes coacti reverſi ſunt.
,, *Hactenus de hac Legatione Anaſtaſius*.

111 Addit Nicolaus Papa in prælaudata LXX. ad Hincmarum Epiſtola voluiſſe Imperatorem Græcorum unà cum Photio ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, antequam reciperentur, libellum exigere fidei, in quo nonnulla capita latinis à Photio objecta (de quibus nos infra) anathematizarent: ,, Et adhuc,
,, quod eſt gravius & inſanius, *inquit*, à Miſ-
,, ſis noſtris, contra omnem regulam, & præ-
,, ter omnem conſuetudinem, libellum fidei,
,, ſi ſe ab illis recipi vellent, exigere molieban-
,, tur, in quo tam iſta Capitula; quàm ea te-
,, nentes anathematizarent: necnon & Epiſto-
,, las Canonicas ab his ci, quem ſuum œcume-
,, nicum Patriarcham appellant, dandas im-
,, probè requirebant. *Hæc Nicolaus*.

CAPUT VII.

De altera Photiana Synodo. & adversùs Sanctam Sedem Photianis calumniis.

112 INterfecto Barda, prout antefati ſumus, Imperator Conſtantinopolim reverſus, Baſilium Macedonem Patricium, atque Cubiculi ſacri præfectum Cæſarem creat: Photius verò multis adversùs Nicolaum conſarcinatis mendaciis, ut magis Imperatorem ad iram provocaret, ſuiſque meditatis adhæreſceret, ſuggerit, de nova cogenda Synodo, ut in Patrum conſenſu, latâ ſententiâ, jure cuncta definita viderentur. Annuente Principe coacta eſt Synodus: ac in ea confirmatur in Throno Photius, & adverſùs Romani Pontificis decreta, iterum execratur Ignatius: neque hoc ſolo contentus Photius, anathema dicit Nicolao, & ut jure videretur ſe ab Eccleſia Romana disjungi, ei plura obiicit contra rectam fidem, & Eccleſiaſticas regulas, quaſi Sancta Romana Eccleſia à rectæ fidei & morum tramite declinaverit. *Hæc ex Niceta*.

113 ,, Imperator tùm repente, *ait*, con-
,, verſo itinere Conſtantinopolim repetit. Erat
,, autem Pentecoſte, & Baſilium Patricium
,, Cubiculi ſacri præfectum, Cæſarem, im-
,, poſito ſtemmate renunciat. Sed verſutus
,, Photius plurima in Nicolaum Pontificem
,, moliens, cùm operam luſiſſet, Imperatori
,, multis verbis incitato, fit auctor cogendæ
,, Synodi, qua Nicolaus Pontifex (ea ſen-
,, tentia in illum lata, quam nuper ille in Pho-
,, tium tulerat) Exauctoretur. Evocat er-
,, go præclarus ille Photius Epiſcopos omnes
,, ſibi ſubjectos, alioſque nonnullos fœdos &
,, ſordidos homunciones, quaſi Patriarcha-
,, rum Orientis Legatos, pſeudoque Syno-
,, dum inſtituit, & exauctorationem, ut pu-
,, tabat, atque anathema nullam ob rationem
,, in Nicolaum Papam pronunciat.

114 Deinde ſubnectit: ,, Regem quoque
,, Franciæ Lodoechum (ſeu Ludovicum) &
,, Ingelbertam Reginam conjugem ſolicitat,
,, & Imperatores Conſtantinopoli creatum iri
,, pollicetur, ſi operam navarent ad impium
,, ſuum conatum exequendum, & virum ju-
,, ſtum ex Eccleſia ſua exigendum. Jis verò
,, dictis citiùs pollicentibus, fruſtra ſtultus
,, ſuam ſtultitiam oſtentabat. Hinc ſubſcri-
,, ptiones, & vota hominum Sacrorum & Pro-
,, fanorum, Archiepiſcoporum, & Patricio-
,, rũ: vana omnia, õnia theatralibus fabulis ine-
,, ptiora. *Hæc Nicetas*. Qui, ſubjungit. Acta hujus pſeudoſynodi per Zachariam Cophum à Photio Chalcedonenſem Metropolitam creatũ, & Theodorum translatum à Caria ad Laodicenſem Epiſcopatum, in Italiam tranſmiſſa.

115 At quænam in præfato Conciliabolo objecta fuerint Ecclesiæ Romanæ, ut ex eis justam ab illa secessionem ostenderent, ex Epistola LXX. ejusdem Nicolai Papæ ad Hincmarum Rhemensem, satis colligi possunt, quæ ad decem capita reducuntur.

I. Quòd Ecclesia Romana contra Ecclesiasticas Regulas servet jejunium in Sabbatis.

II. Quòd credat Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, cùm à solo Patre procedat.

III. Quòd nuptias abominetur, eò quòd Presbyteros sortiri conjuges prohibeat.

IV. Quòd contrà Ecclesiasticam Regulam inhibeat Presbyteros Chrismate linire Baptizatorum frontes.

V. Quòd Chrisma contrà Sanctorum Patrum instituta ex aqua fluminis conficiat.

VI. Quòd Quadragesimali tempore ab ovis & caseo, cæterisque lacticiniis non se abstineat.

VII. Quòd Agnum in Pascha more Judæorum super Altare cum Dominico Corpore offerat, & benedicat.

VIII. Quòd Clerico contrà Ecclesiasticam disciplinam barbas radere permittat.

IX. Quòd Diaconos, non suscepto Presbyteratus ordine, Episcopos ordinare concedat.

X. Denique pro decimo Capite enumeratur animositas illa Photii, qua exigere conatus est ab Apostolicæ Sedis Legatis Libellum Fidei.

116 „ Conantur enim, *ait Nicolaus*, tàm „ nostram specialiter, quàm omnem generali- „ ter, quæ lingua Latina utitur, Ecclesiam „ reprehendere, quòd jejunamus in Sabba- „ tis. Quòd Spiritum Sanctum ex Patre, „ Filioque procedere dicamus, cùm ipsi hunc „ tantùm ex Patre procedere fateantur. Di- „ cunt præterea nos abominari nuptias, quia „ Presbyteros sortiri conjuges prohibemus; „ & insimulare tentant, quoniam eosdem „ Presbyteros Chrismate linire Baptizato- „ rum frontes inhibemus: quod tamen Chris- „ ma, nos ex aqua fluminis conficere, fallaci- „ ter arbitrantur. Reprehendere nihilomi- „ nùs moliuntur, eò quòd octo hebdomadi- „ bus ante Pascha à carnium, & septem heb- „ domadibus à caseo & ovorum esu more suo „ non cessamus. Mentiuntur quoque nos, „ sicut per alia ipsorum conscripta indica- „ tur, Agnum in Pascha, more Judæorum, „ super Altare pariter cum Dominico Cor- „ pore benedicere, & offerre. Quin & repre- „ hendere satagunt, quia penès nos Clerici „ barbas radere suas non abnuunt, & quia „ Diaconus, non suscepto Presbyteratus offi- „ cio, apud nos Episcopus ordinatur; cùm „ ipsi etiam illum, quem Patriarcham suum „ nominant, ex Laico subitò tonsuratum, ac „ Monachum factum, saltu ad Episcopatus „ apicem, imperiali favore ac brachio pro- „ vehere, ut ipsi putant, minimè formidave- „ rint. Et adhùc, quod est graviùs & infa- „ niùs à Missis nostris, contrà omnem regu- „ lam, & præter omnem consuetudinem, „ libellum Fidei, si se ab illis recipere vel- „ lent, exigere moliebantur, in quo tàm ista „ Capitula, quàm ea tenentes, anathemati- „ zarent. *Hactenus Nicolaus*.

117 Antedicta Acta cum præfatis Capibus, summa cum astutia, ad Bulgarorum Regem noviter ad Catholicam Fidem conversum, ut in initio susceptæ fidei in suum schisma traheret Photius, misisse, idem Nicolaus in antesata Epistola testatur, inquiens: „ Prætereà cum Bulgarorum Rege demoran- „ tibus, & ad Urbem Constantinopolita- „ nam eisdem nostris accedere Missis conan- „ tibus, iidem Imperatores Epistolam suam „ ipsi Regi Bulgarorũ transmisère; quam ille „ accipiens, Nobis per Legatos nostros de- „ ferri devotâ mente decrevit. Accipienti- „ bus itaque nobis, & perscrutantibus ean- „ dem cum aliis scriptis Epistolam, non hanc „ sæpè memorati Principes dictantes, nisi in „ lacu blasphemiæ tinxisse calamum, & luto „ erroris usi pro atramento fuisse, proculdu- „ bio patuère.

118 Et circà ejusdem Epistolæ finem indicat eadem Acta à Photio, & suis, etiam transmissa ad Hierosolymitanum & Alexandrinum Patriarchas: „ Fieri potest, *inquit*, ut „ hæc sua venenosi graminis semina per aliaa „ Mundi partes dispergant, & simplicio- „ rum, piorumque fidelium corda suis illi- „ citis votis incurvent. Adeout, sicut ipsi „ gloriantur, ad Alexandrinum & Hierosoly- „ mitanum Patriarchas jàm miserint, eos vi- „ delicet, ut in dejectione Ignatii Patriarchę, „ & in promotione invasoris Photii, sibi „ consentiant, adhortantes. In quo non nos „ eorum concordiam, fortasse contra statuta, „ seù traditiones Apostolicæ Sedis, impro- „ vidè conglutinatam, Deo adjuvante, pa- „ vemus; sed nè suasionibus illectos pravo- „ rum eos ad suum ipsorum discrimen, con- „ tingat ab æquitate decidere, condolemus.

119 Scripsit ergò Nicolaus prælaudatam ad Hincmarum Epistolam, in qua compendiosè totam historiam de gestis Græcorum in Photii & Ignatii causa recenset, eumque tanquam virum doctum hortatur, ut calumniosa objecta contrà universam Ecclesiam Latinam, tàm per se, quàm per alios Episcopos refutet, cùm & ipse idem pariter se acturum profitetur: „ Quapropter, *inquit*, necesse est, ut „ eorum conatibus resistamus, & falsis illo- „ rum jaculis veritatis clypeum opponamus. „ Quod nos quidèm, opitulante supernâ po- „ tentiâ, prout valemus, agere non omitte- „ mus. Nec, cùm opportunitas cœlitùs da- „ tur contra illos pro Ecclesia Christi tace- „ bimus. Sed magnoperè convenit, ut &

„ vestra quoque fraternitas, morem secuta „ majorum, concertans nobis, & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Si „ quidèm, nisi mente recessit, nunquam Hesperiæ regiones (ut de aliis Mundi plagis „ interim taceamus) à Sede Beati Petri in „ hujusmodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt. *Hæc ille*; subnectit postea, ut habito cum Metropolitanis consilio, quidquid dictum, scriptumvè fuerit adversùs prædicta objecta, ad ipsum remittere non negligant: „ Undè unusquisque vestrum, *subjungit*, qui Metropolitana jura sortitus est, „ junctis sibi fratribus & Coepiscopis suis, „ qui sub se sunt, de his diligentem curam „ suscipiat. Et quid invidis eorum detractionibus opponi necesse sit, rimari studeat; & invenire summoperè gestiat, atque „ inventum nobis ociùs transmittere minimè „ parvipendat: quatenus id nos quoque adversùs eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus.

120 Denique in fine ejusdem Epistolæ jubens & monens, ait: „ Tua vero, frater Hincmare, charitas cùm Epistolam legerit, „ mox ut etiam ad alios Archiepiscopos, qui „ in Regno filii nostri Caroli gloriosi Regis „ consistunt, deferatur, summoperè agere studeat; ut de his singuli in Diœcesibus suis, „ unà cum suffraganeis suis, in cujuscumque „ Regno sint constituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint, suggerere curent, eos incitare non negligat. Itaut eorum omnium, quæ præsentis Epistolæ circumstantia continet, tu & strenuus executor illis existas, & apud nos verax & prudens scriptorum tuorum serie relator inveniaris. *Hactenus Nicolaus*. Data est Epistola x. Kal. Novembris, Indictione prima.

121 Qua Epistola recepta, paruit Hincmarus mandatis, & in regali Caroli Regis palatio, ipsomet præsente Rege, coràm pluribus relegit Episcopis, prout testatur Flodoardus lib. 3. cap. 17. inquiens: „ Quam „ Epistolam Hincmarus suscipiens, in Carbonaco Palatio, consistenti Regi Carolo „ cum pluribus Episcopis relegit, & ad alios „ Archiepiscopos, sicut in mandatis acceperat, dirigere studuit. *Hæc ille*. Excitavit porrò & suffraganeos suos, ut Græcorum objectis responderent, præcipuèque sollicitavit ad hoc Odonem Episcopum Belluacensem, ad quem pro hoc argumento scripsit Epistolam, quæ inter Hincmari Epistolas quarta est in ordine: Qui porrò Odo librum composuit adversùs antefata capita, & eidem Hincmaro misit, ut idem Flodoardus refert, inquiens: „ Item de responsionibus ad objecta Græcorum, quæ Odo Belluacensis Episcopus colligens descripserat, & Domino „ Hincmaro miserat. Undè gratias Deo Rex „ egit, quia seipsum instructum sensit ab eis, „ quos uno spiritu potatos invenit, & quid „ de his videatur, sibi simul conferendum esse „ significat. *Hæc Flodoardus*. Scripsit quoque & ipse Hincmarus, licèt ejus non extent hac de re lucubrationes. Æneas quoque Episcopus Parisiensis opusculum adversùs eadem objecta composuit, cujus sola præfatio extat apud Labeum tom. VIII. Conciliorum pagin. 476.

122 Ceterùm Nicolaus Papa ea in Epistola tria tantùm objecta refutat, & quidèm breviter, cætera fortassè, ut manifestè calumniosa omittit. Primùm ad illud de Sabbati jejunio servato in Ecclesia Latina, ait: „ De „ jejunio Sabbati tempore S. Silvestri Confessoris Christi satis discussum & disputatum est, atque, ut celebraretur, per omnia „ definitum, nullusque post hæc ausu temerario contrà illud statutum venire, aut saltèm mutire præsumpsit; cùm potiùs è diverso Sedis Apostolicæ institutio, & Ecclesiæ Romanæ sequens observantia, ejusdem salutiferi constituti executrix fuisse, „ hucusquè reperiatur.

123 Ad objectum verò de Spiritus Sancti processione à Patre, Filioque, sic ait Nicolaus: „ Præterea de processione Spiritus „ Sancti, quia nesciat illustres Viros, & præcipuè Latinos, nonnulla scripsisse, quorum „ fulti auctoritatibus, illorum oppidò sanè „ respondere possemus insaniæ, si vel illis „ nos reprehendendi, vel nobis eis contentiosa fauce gannientibus, rationem reddendi consuetudo qualibet extitisset? Sed „ quid mirum, si hoc isti prætendunt, cùm „ etiam glorientur, atque perhibeant, quandò de Romana Urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc & Primatum Romanæ Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus regiis, etiam Ecclesiæ Romanæ „ privilegia translata fuisse? Itaut ejusdem „ invasor Ecclesiæ Photius, etiam ipse se in „ scriptis suis Archiepiscopum, atque universalem Patriarcham appellet.

124 Ad illud porrò de fidei libello ab Apostolicæ Sedis Legatis exigendo, sic declamat: „ Si hujusmodi mos in Ecclesia „ Christi fuerit exortus, videlicet, ut Legati, seù Literæ singularum Ecclesiarum, vel „ personarum ab his, quibus mittuntur, minimè suscipiantur, quis locus restet saluti, „ nos penitùs ignoramus. *Et infrà*. Perpendite nihilominùs, si à Legatis nostris libellus exigi debuit, aut quæ hinc exempla „ præcesserint; cùm nec scripto insertum, „ nec memoriæ commendatum, tale quid inveniri credatur. Numquid nos alicujus „ novitatis inventores existimus? Numquid „ alia, nisi quæ ad salutem ipsorum, & ad „ commune Ecclesiæ statum pertinebant, „ transmisimus? *Et paulò post*. Libellos autem nos, *inquit*, ab illis & exigere & suscipere, non autem illos à nostris requirere

„ re Tolère, confuetudo hucufquè cuftodita „ demonftrat. Cùm enim Chrifti munere, „ propter primatum Ecclefiæ Romanæ in „ Beato Petro conceffum, nemini fit de Se„ dis Apoftolicæ judicio judicare, aut illius „ fententiam retractare permiffum: conftat „ nimirum, eos ab his nullum jus poffidere „ libellos exigendi, quos habere fas indican„ di, nullo jubentur Canone, nullo proban„ tur exemplo. Potiorum enim eft ab infe„ rioribus, non inferiorum à potioribus, „ violenter exigere rationem, aut extortam „ elicere fatisfactionem. *Hæc Nicolaus*.

125 Sed apud Baronium ad Annum Domini DCCCLXVII. fub num.64. adfunt prędicta objecta cum fuis ad fingula refponfionibus, ad hunc nimirum modum.

I. Quòd ad Sabbati jejunium vetus fuit ifta inter Latinos atque Græcos controverfia, ab ipfo fermè exordio nafcentis Ecclefiæ, poft obitum videlicet Apoftolorum, tu verò confulas quæ fufiùs primo Tomo Annalium fcripta funt.

II. Quòd Spiritum Sanctum à Patre procedere negarit omninò Latina Ecclefia, apertiffimum mendacium eft. Quòd autem dixerit à Patre & Filio procedere, finceriffima veritas, à majoribus omnibus, à Damafo incipiendo, Romanis Pontificibus, & aliis afferta.

III. Quòd cuftodiens in Sacris Ordinibus cœlibatum Occidentalis Ecclefia damnet nuptias, manifefta calumnia; nam Clericorum cœlibatum antiquiffimum fuiffe in Ecclefia, tàm Occidentali, quàm Orientali, à temporibus Apoftolorum fervatum, fuo loco fuperiùs evidentiffimè demonftratum eft, ac pariter declaratum, quàm defipuerint Grgci à tempore fextæ Synodi commentitiis appofitis Canonibus, conjugium facrorum Miniftrorum admittentes.

IV. Quòd alicubi conceffum Presbyteris, ut baptizatorum frontes liniant Chrifmate ex magna caufa fit difpenfatum, in contrarium planè effe ufum oftenditur.

V. Quòd utatur Ecclefia Occidentalis aquâ pro Chrifmate, omnium teftificatione eft manifefta calumnia.

VI. Quòd in Quadragefima cafeo, vel ovis Occidentales utantur Ecclefiæ,calumnia eft, cùm in Italia nunquam in ufu fuerit; trans montes tamen,id ex magna caufa alicubi appareat effe conceffum. Sed in his diverfarum Ecclefiarum tàm in Oriente, quàm in Occidente, abfque fcrupulo læfæ catholicæ Fidei, diverfas fuiffe confuetudines, ex antiquis Theologis fuperiùs eft fufiùs difputatum.

VII. Quòd fuper Altare unà cum corpore Chrifti offeratur Agnus tempore Pafchatis, eft manifefta calumnia.

VIII. Quòd Clerici Occidentales barbas radant, ridenda potiùs, quàm confutanda Schifmaticorum infania, de quo priftino ufu ab exordio Ecclefiæ nafcentis Romæ recepto, fuo loco fuperiùs pluribus eft pertractatum.

IX. Quòd Diaconi non fufcepto Presbyteratu, tranfeant ad Epifcopatum, calumniam effe, Canones Occidentalis Ecclefiæ manifeftant.

X. Quòd Libellus Fidei exigeretur ab illis à Legatis Apoftolicæ Sedis; quod cùm nunquam antea ufurpatum fit, pro monftro haberi debet, ficut ut ab eorum Patriarcha ad Chriftifideles decretales fcriberentur Epiftolæ. *Hæc ex Baronio*. Sed nos infrà diffufiori difcurfu eadem refutabimus objecta.

CAPUT VIII.

De Jejunio Sabbati.

126 HOc primum eft Photii objectum infimulantis Ecclefiam Romanam, quòd jejunet in Sabbato, quandò apud Orientales nefas eft Sabbato jejunare; & nedùm Græci abhorrent à Sabbati jejunio, verùm & cæteræ Nationes Orientales, Armeni, Surisni, Gofti, Neftoriani, & fi quæ alterius nominis exiftant; Undè & Maronitæ communicantes cum Sancta Catholica & Apoftolica Romana Ecclefia, nequaquàm retinent Sabbati jejuuium, fubftituto magis gis ejus loco jejunio diei Mercuril; & adeò in hoc ritu tenaces funt, ut neque devotionis caufa hujufmodl Sabbati jejunium introductum volunt. Id quod accepi a Domino Jacobo, ollm Maronitarum Patriarcha Antiocheno, afferente mihi, fe prohibuiffe cuidam Miffionario Ordinis Carmelitarum Excalceato, nè causâ devotionis in Beatam Virginem de Carmelo, jejunium Sabbati fidelibus Maronitis fuaderet. Itaque ad hoc objectum refutandum, noftrum eft videre, undè, quandò, & à quo in Ecclefia Occidentali, & præcipuè Romana,introductum fit jejunium Sabbati, ut conftet, nefas non effe Sabbato jejunare.

127 Itaque à quo jejunium Sabbati fit in Ecclefia Occidentali primitùs inftitutum, fatis certum non eft, etfi ferè ab initio nafcentis Ecclefiæ fervatum conftet. Nonnulli in fententia fuere, indictum à Beato Petro Apoftolo Romæ, occafione concertationis habendæ cum Simone Mago die Dominico, indicente fidelibus Sabbati antecedentis diei jejunium, indeque poftea pro qualibet Sabbati retentum die. Sed hanc opinionem neque Romæ fuiffe communiter receptam fcribit S.Auguftinus in Epift.86. data ad Cafulanum, inquiens: „ Eft quidèm & hæc opinio „ plurimorum, quamvis eam perhibeant effe „ falfam plerique Romani, quòd Apoftolus „ Petrus cum Simone Mago die Dominico

„ certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit, & consequuto tam prospero, gloriosoque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.

128 Alii porrò à Silvestro Sanctissimo Papa institutum volunt propter Nicolai I. verba in Epistola antefata, data ad Hincmarum; & alii ab Innocentio I. propterea, quæ scribit in Epistola prima, data ad Decentium Episcopum Eugubinum: Verùm nec ex uno, aut altero ex his duobus Romanis Pontificibus colligi potest prima hujus jejunii institutio: Etenim Nicolaus in prælaudata Epistola scribit, tempore Silvestri Papæ de jejunio Sabbati satis fuisse discussum & disputatum, atque inde definitum fore retinendum: „ De jejunio Sabbati, *inquit*, tempore Sancti Silvestri Confessoris Christi satis discussum est & disputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum; nullusque post hæc ausu temerario contrà istud statutum venire, aut saltèm mutire præsumpsit. *Hæc ille*. Quæ verba exortam indicant Sancti Silvestri Papæ tempore controversiam de ejusmodi jejunio, quæ controversia jam supponit usum illud servandi in Romana Ecclesia, atque inde definitum, esse retinendum, quamvis nullum appareat hac de re Silvestri decretum.

129 Certè opus non fuit scripto decreto, quoniam hujusmodi controversiam non legimus ortam sub Silvestro Papa inter Latinos & Latinos, sed magis inter Græcos aliam servantes consuetudinem,& Latinos: id quod non obscurè indicare videtur Eusebius apud Mendozam in notis ad Canonem XXVI. Concilii Illiberitani, ubi, Græcis quærentibus ex Latinis, cùr Sabbato jejunarent, respondisse Sylvestrum asserit: „ Cùm omnis Dominicus dies colendus sit in gaudium Christianorum, ergò omnis dies Sabbati deputandus est sepulturæ ad execrationem Judæorum: Omnes enim discipuli die Sabbati fletum habuerunt, sepultum suspirantes, & Judæis epulantibus lætitia inerat; Apostolis autem jejunantibus tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura, si volumus cum eisdem de Resurrectione Domini gaudere. *Hæc ex Eusebio*.

130 Nec porrò Innocentium Primum ex Epistola ad Decentium data, constat primùm Sabbati jejunium indixisse, sed magis illud jam usitatum commendasse; ait namque in antefata Epistola cap. 4. „ Sabbato verò jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat; nam si diem Dominicum, ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sextâ feriâ propter Passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quòd inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum; Nam utique constat, Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, intantùm eos jejunansse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari; quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. *Hæc ille*.

131 Non ergò ex allegatis verbis evinci potest, Innocentium decrevisse, primùm servandum Sabbati jejunium, benè verò, Decentio sciscitanti de hoc jejunio, causam introducti jejunii Sabbatici allegasse; & ideò ad rationem ab aliquibus allegatam, atque à Decentio Pontifici expositam, sufficere videlicet ad imitandum Apostolorum jejunium, exprimendamque eorundem mœstitiam, unius Sabbati ante festum Paschæ jejunium, respondit: „ Quòd si putant semèl atque uno Sabbato jejunandum, ergò & Dominica, & sexta feria, semel in Pascha erit utique celebranda; Si autem Dominici diei, & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudinem, Sabbato prætermisso, cùm non disparem habeat causam, à sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quandò & ad Inferos fuit, ut tertiâ die resurgens, redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem.

132 Deniq; non aliquod decretum novum edens, sed solam receptam firmans consuetudinem, subnectit: „ Non ergo nos negamus sextâ feriâ jejunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum sequuti sunt, indixerunt, qui die Dominico exhilarati, non solùm ipsum festivissimum esse voluerunt, verùm etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse dixerunt. *Hactenus Innocentius*. Et licet in ejus vita ex libro Pontificali dicatur: *Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in Sepulchro positus est, & discipuli jejunaverunt*, non est sic intelligendum, ut Innocentius hujus decreti auctoritate, primus jejunium Sabbati instituerit; Sed quod de his ad Decentium Episcopum Eugubinum rescripserit, qui datis ad eum literis, causam, ut præfati sumus, hujus jejunii, expostulatam quidem ab eodem Decentio, edocuit: constat utique ex fine ejusdem Epistolæ, mentem Pontificis non aliam fuisse, nisi, ut in Ecclesia Eugubina, Romanæ Ecclesiæ consuetudines servarentur, quarum una erat de jejunio Sabbati, de qua Decentius interrogaverat: undè ait

ait Innocentius in antedicto Epistolæ fine: „ His ergo, frater cariſſime, omnibus, quæ tua „ dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus, respondère curavimus, ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem, à qua „ originem ducit, servare valeat, atque custodire.

133 Cùm ergo non constet aliquo Pontificio Decreto inductum in Romana Ecclesia Sabbati jejunium, constet verò ante Innocentium, atque Sylvestrum Romæ servatum, fit evidens, ab Apostolis Domini Petro, & Paulo, atque eorum traditum Discipulis, aut verbo, aut exemplo; nam fortè illis jejunantibus fidelium nascentis Ecclesiæ fervor, atque pietas potuit eos imitasse, præcipuèque attentâ ratione Domini Sepulturæ, & Apostolorum, Discipulorumque Domini mœstitiâ. Et hæc sanè, & non alia præcisa causa fuit recipiendi Sabbati jejunium: unde & Balsamon in notis ad sextam Synodum Trullanam cap. 55. utpote Græcus, & Sabbati jejunio adversarius, hanc rationem fatetur à Latinis accepisse, quam inanem appellat: „ Ego „ autem, *inquit*, vidi quosdam Latinos, qui „ cùm propterea reprehenderentur, inanem- „ que excusationem afferebant, ad Sanctum „ Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi „ Sepulchrum aditionem, & eâ gratiâ ex lon- „ ga consuetudine invaluisse, servatumque es- „ se jejunium. *Hæc ille*. Ita & Numbertus Cardinalis, Episcopus Sylvæ Candidiæ in libro de Azimo adversùs calumnias Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani, inquiens: „ Latina autem Ecclesia compatiens passo, & „ sepulto Domino, & gaudet resurgenti in „ die Dominica, quandò Judæos nimia occu- „ pavit mæstitia, & Custodes Sepulchri co- „ nati sunt corrumpere pecuniâ. Unde nos „ traditionem usque in finem retinere cu- „ pientes &c.

134 Cæterum pervetustam hanc consuetudinem Ecclesiæ Romanæ colendi Sabbati jejunium, ex D. Hieronymo pariter habemus in Epistola XXVIII. data ad Licinium Boetium, quo de Sabbati jejunio postulante, respondit S.Hieronymus: „ De Sabbato, quod „ quæris, utrum jejunandum sit: & de Eu- „ charistia, an accipienda quotidiè, quod „ Romanæ Ecclesiæ & Hispaniæ observare „ perhibentur: scripsit quidem & Hyppoli- „ tus vir disertissimus, & carptim diversi „ scriptores è variis auctoribus edidère: sed „ ego illud te breviter admonendum puto, „ traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ „ fidei non officiant, ita observandas, ut à „ Majoribus traditæ sunt; nec aliorum con- „ suetudinem, aliorum contrario more sub- „ verti. Atque utinam omni tempore jeju- „ nare possimus. *Et paulò post subjungit*. „ Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus je- „ junandum putem, cùm contextas quin- „ quaginta diebus ferias auferam, sed una- „ quæque Provincia abundet in suo sensu, & „ præcepta Majorum leges Apostolicas arbi- „ tretur. *Hactenus D.Hieronymus*.

135 Sanctus inde Augustinus in prælaudata ad Casulanum Epistola pluriès meminit Romanæ consuetudinis circa Sabbati jejunium, aitque, nec eos damnandos Christianos, qui Sabbato jejunant, nec eos, qui prandent, sed servandam esse suæ Ecclesiæ consuetudinem: „ Verumtamen, *inquit*, in „ hujus Sabbati jejunio, sivè prandio, ni- „ hil mihi videtur tutiùs, pacatiùsque ser- „ vari, quàm, ut qui manducat non man- „ ducantem non spernat, & qui non man- „ ducat manducantem non judicet; quia ne- „ que si manducaverimus, abundabimus; ne- „ que si non manducaverimus, egebimus: „ custodita scilicet eorum, inter quos vivi- „ mus, in his rebus, inoffensa societate. *Et* „ *paulò post*. Et de die, *inquit*, quidem Sab- „ bati facilior causa est, quia & Romana je- „ junat Ecclesia, & aliæ nonnullæ, sivè illi „ proximæ sint, sivè longinquæ. *Hæc ille*. Utinam Græci, & Photius monita tanti Patris advertissent, & paruissent. Hoc fortassè observavit Theorianus, cognomento Philosophus, Græcus genere, qui in Epistola data ad Sacerdotes de Sabbati jejunio, inter alia „ scripsit: Neque Latinorum Ecclesiastica „ consuetudo, neque nostra, quidquam, quod „ honesto fine, ac decentiâ careat, accepit, „ aut tenet: quin potiùs utriusque consue- „ tudinis divinum propositum, & mens est. „ Prudentibus; ergò rectè omnia: contrà „ verò imprudentibus omnia sunt periculo „ & ruina.

136 Proinde Sanctus Ambrosius, apud eundem Augustinum in antefata Epistola erga finem, sciscitante Augustino, ad Matris preces, an Mediolani ad Jejunium Sabbati servandum, secundùm Romanorum morem, teneretur, an verò sequendo ritum Ecclesiæ Mediolanensis posset licitè à jejunio cessare: respondit: „ Quid possum hinc docere ampliùs „ quam ipse facio? Quando hic sum, non „ jejuno Sabbato: quando Romæ sum, je- „ juno Sabbato: & ad quamcumque Eccle- „ siam veneritis, ejus morem servate, si pati „ scandalum non vultis, aut facere. *Hæc ille* „ Et Sanctus ipse Augustinus in eadem pariter Epistola refert primùm locum Apostoli I. ad Corinth. Cap. 10. vers. 31. *Sive manducamus, sive bibimus, sive quodcumque facimus, omnia in gloriam faciamus, & quantum in nobis est, sine offensione simus Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei*: & inde subnectit: „ Quod „ parùm cogitant qui cum offensione mandu- „ cant, vel cum offensione jejunat, & per „ utramlibet intemperantiam scandala con- „ citant, quibus non superatur Diabolus, „ sed lætatur. Quod si respondetur, hoc do- „ cuisse Jacobum Hierosolymis, Ephesi Joan- „ nem, cæterosque aliis locis, quod docuit

Ro-

" Romæ Petrus, ideſt, ut Sabbato jejunetur, " ſed ab hac doctrina terras cæteras deviaſſe: " atque in ea Romam ſtetiſſe: è contrario " refertur. Occidentis potiùs aliqua loca, in " quibus Roma eſt, non ſervaſſe quod Apo- " ſtoli tradiderunt: Orientis verò terras, un- " de cœpit ipſum Evangelium prædicari, in " eo quod ab omnibus ſimul cum ipſo Petro " Apoſtolis traditum eſt, ne Sabbato jejune- " tur, ſine aliqua varietate manſiſſe. Inter- " minabilia eſt iſta contentio generans lites, " non finiens quæſtiones. Sit ergo una fides " univerſæ, quæ ubique dilatatur, Eccleſiæ, " tanquam intus in membris; etiamſi ipſa fidei " unitas quibuſdam diverſis obſervationibus " celebratur, quibus nullo modo, quod in fide " verum eſt, impeditur.

137 Non loquitur ut Photius Auguſtinus, neque ut Schſmatici loquuntur Græci: non damnat Sanctus iſte morem Eccleſiæ Orientalis, & ſi approbet quoque Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem: imò in Epiſtola XIX. data ad Hieronymum, non poſſe ſine temeritate, docet, reprehendi Eccleſiam Orientalem, eo quia ceſſat à Jejunio Sabbati: nec damnandam eſſe Eccleſiam Romanam, quæ ſervat Sabbati Jejunium: " Vellem me doceret, *inquit*, benigna ſynceritas tua, utrum ſimu- " latè quiſquam Sanctus Orientalis, cum Ro- " mam venerit Jejunet Sabbato, excepto illo " die Paſchalis Vigiliæ? Quòd ſi malum eſſe " dixerimus, non ſolùm Romanam Eccle- " ſiam, ſed etiam multa ei vicina, & aliquan- " to remotiora damnabimus, ubi mos idem " tenetur & manet. Si autem non jejunare " Sabbato malum putaverimus; tot Eccleſias " Orientis, & multò majorem Orbis Chri- " ſtiani partem, qua temeritate criminabimur. " *Hactenus Sanctus Auguſtinus.*

138 Et in Epiſtola CXVIII. ad Januarium, Jejunium Sabbati inter eas recenſet obſervationes, quibus fideles conformari debent ſecundùm propriæ Eccleſiæ receptam conſuetudinem: " Alia verò, *inquit*, quæ per loca " Terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt " quod alii Jejunant Sabbato, alii verò non; " alii quotidiè communicant Corpori & San- " guini Dominico, alii certis diebus acci- " piunt: alibi nullus dies intermittitur, quo " non offeratur, alibi Sabbatò tantùm, aut " Dominico: alibi tantùm Dominico: Et ſi " aliquid aliud hujuſmodi adverti poteſt, to- " tum hoc genus rerum liberas habet obſerva- " tiones: nec diſciplina ulla eſt in his melior " gravi, prudentique Chriſtiano, quàm ut " eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam " ad quamcumque forte devenerit. Quod " enim neque contra fidem, neque contra " bonos mores injungitur, indifferenter eſt " habendum, & pro eorum, inter quos vi- " vitur ſocietate ſervandum eſt. *Hæc ille.* Qui & in Epiſtola CXIX. ad eundem pariter Januarium data, miratur quod Januarius ab eo poſtulaverit aliqua ediſcere de iis, quæ variè per diverſa obſervantur loca, unde & antefatam regulam repetit, inquiens: " Una " in his ſaluberrima regula retinenda eſt: ut " quæ non ſunt contra fidem, neque contra " bonos mores, & habent aliquid ad exhor- " tationem vitæ melioris, ubicumque inſti- " tui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, " non ſolùm non improbemus, ſed etiam lau- " dando, & imitando ſectemur. *Ita Sanctus Doctor.* Et utinam hanc regulam mente retinuiſſet Photius, & Græci attenderent, non in calumniam Eccleſiæ Romanę verterent Sabbati Jejunium: quemadmodum Latini Græcos non exprobant, quod non jejunent Sabbato. Romana Eccleſia, ferè à ſui exordio, tale ſuſcepit Jejunium, quam diverſæ occidentales Eccleſiæ imitatę, eandem piam obſervantiam receperunt: Et quoniam in Eccleſiis Hiſpaniæ fortaſſe in deſuetudinem abjerat, placuit Eliberitanæ Synodi Patribus, edito Canone, eandem reaſſumere obſervantiam: quare Can. XXVI. dicitur. *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbato die Jejunii ſuperpoſitionem celebremus.*

139 At ſecundùm Græcorum ſcientiam huic conſuetudini de Jejunio Sabbati plura obſtare videntur: & primo loco pugnare videtur cum iis, quæ Sanctus Ignatius ſcribit in Epiſtola ad Philippenſ. ubi ait: *Quicumque Dominicam, aut Sabbatum Jejunaverit, præter unum Sabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector.* Secundo loco pugnare videtur cum Apoſtolica doctrina, definientibus Sanctis Apoſtolis Can. LXVI. *Si quis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare, vel Sabbato, præterquam uno ſolo, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur:* Conformiter ad hæc ſcriptum eſt in lib. 7. Apoſtolic. Conſtit. Capite 24. *Sabbatum tamen, & Dominicum Feſtos dies agitate: quod ille quidem dies recordatio ſit fabricationis Mundi, hic verò reſurrectionis. Unum verò tantummodò Sabbatum nobis toto anno obſervandum eſt; Sabbatum ſcilicèt ſepulturæ Chriſti, quo quidem jejunare decent.* Unde & Petrus Alexandrinus Can. XV. ſtatuit jejunium ſervandum Feria dumtaxat quarta & ſexta. Sed & in ſexta Synodo in Trullo Can. LV. ſancitum pariter legitur. *Quoniam intelleximus in Romanorum Civitate, in Sanctis Quadrageſimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare præter Eccleſiaſticam traditam obſervationem: Sanctæ Synodo viſum eſt, ut in Romanorum quoque Eccleſia inconcuſſè vires habeat Canon, qui dicit. Si quis Clericus inventus fuerit in ſancto die Dominico vel Sabbato jejunare, præter unum & ſolum, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur.*

140 Nos verò allegata teſtimonia pro modo admittentes, Canone ſextæ Synodi excepto, dicimus &, fatemur ab Ignatio Martyre interdictum utique Sabbati jejunium, id quod etiam ſcriptum reperitur apud Gre-

go-

gorium Nyſſenum orat. contra eos qui ægrè ferunt reprehenſiones: & apud Anaſtaſium Nicænum lib. quæſtionum, quæſt. 77. Et hoc propter enatas in Oriente hæreſes Simonis videlicèt Magi, Saturnini, Baſilidis, Cerinthi, Carpocratis, illorumque Sectatorum. Ut enim ex Irenæo habetur lib. 1. adverſ. hæreſes Cap. 20. uſq; ad Cap. 25. & ex Epiphanio in Panario hæreſ. 21., 22., 23. & 24. item hæreſ. 27. & 28. antefati hæretici docebant, Deū Mundi auctorem eum omnibus à ſe creatis rebus, malum eſſe, cujus rei causâ à carnis eſu, atque à nuptiis abſtinendum, die verò Sabbati jejunandum eſſe, ne Mundi creator, qui die ſeptima requievit, honorari videretur, docebant & obſervabant: Hinc quod tales catholicæ fidei cultores, ne cum præfatis viderentur convenire hæreticis, ac ut dictam Deo illatam vindicarent contumeliam, Deique Univerſi Creatoris honorem defenderent, communi conſenſu jejunium Sabbati ſuſtulerunt, quam diem cum hilaritate, ad inſtar diei Dominicæ tranſigendam eſſe voluère. Unde Ignatius Chriſti interfectorem appellat eum, qui Sabbati jejunium ſervat, quia perfidos illos imitando hæreticos, debitum honorem & gloriam Deo adimere conatur. Cùmque antedicta hæreſis, non adeo in Occidente ſerperat; alia de cauſa jejunium Sabbati retentum fuit, ad exemplum ſcilicèt Apoſtolorum, qui biduo ante Paſcha in mœrore & jejunio ſteterunt, ut ſuperiùs fati ſumus, in memoriam quoque Dominicæ ſepulturæ: ac denique, ut etiam in hoc Eccleſia ſecerneretur à Synagoga Judæorum, Sabbato feſtum diem cum hilaritate & gaudio celebrantium.

141 Per id quod ſpectat ad Canonem Apoſtolorum commonis eſt eruditorum ſententia, prælibatos, qui ſub nomine Apoſtolorum evulgantur Canones, nequaquam eſſe ab Apoſtolis conditos, eſſe bene diverſa primitivæ Eccleſiæ decreta, in peculiaribus Conventibus & Synodis edita, à Firmiliano poſtea, qui ætate Cypriani vixit, Cappadociæ Epiſcopo in unum volumen collecta: ſed non adeo omni cum ſynceritate, quoniam Canonem XLV. de reiiciendo hæreticorum Baptiſmo, ab eodem Firmiliano ſuperadditum, eruditi exiſtimant: cùm ipſe hujus extiterit opinionis, ſecutus Martyrem Cyprianum. Neque univerſi enumerati Canones numero LXXXIV. recepti ſunt, ſed tantum quinquaginta priores, à Dionyſio Exiguo in latinum tranſlatos, cæteros Gelaſius Papa in Romana Synodo inter Apocrifos repoſuit: Cùmque antefatus Canon à Græcis productus ſit de Apocriphorum numero, non eſt valde attendendus. De Apoſtolicis quoque Conſtitutionibus, quæ à Clemente Romano feruntur collectæ, pariter idem Judicium ſit, ac de Canonibus Apoſtolorum, eſſe nimirum primitivæ Orientalis Eccleſiæ decreta: ſed non ſic fideliter aſſervatæ fuere, prout à Patribus illis conditæ: adulteratas, & à Græcis prorsùs corruptas, adnotant, Baronius, Bellarminus, Perronius, Sirmundus, Petavius, & alii Viri eruditi: Id quod negare ſunt auſi, quamvis Græci, Zonaras, & Balſamon, prout obſervat Labeus, tom. 1. Conciliorum Generalium, pag. 192. proindeque teſtimonia ex eis deprompta, non ſunt adeo magni facienda, & rigoroſo indigent examine.

142 Attamen ad rem præſentem, nihil facit, ſi allegata recipiamus teſtimonia: Quoniam ſicut Beatus Ignatius, allegatis de cauſis, Sabbati jejunium interdixit, iiſdem cauſis exiſtentibus, poterant & Patres illi Orientales Eccleſiæ primitivæ idem ſancire: eo magis, quod antedictæ hæreſes in dies reviviſcebant, renovantibus illas Cerdone, & Marcione, de quo Marcione, ſcribit Epiphanius in hereſi XLII. *Sabbatum verò jejunat ob hanc cauſam, quoniam Dei, inquiunt, Judæorum eſt requies, qui Mundum fecit, & in ſeptima die quievit: nos jejunamus hanc, ut ne officium Dei Judæorum faciamus.* Itaque & poſt Sanctum Ignatium, eâdem reviviſcente hæreſi, poterant Patres, & ſimilia cum Ignatio decernere.

143 Sed inſtare poſſunt, qua de cauſa, propter eandem rationem, Eccleſia quoque Romana non eſt imitata Eccleſiam Orientalem? Si enim, ut adverſarentur hæreticorum moribus in odium Creatoris Sabbaticum jejunium cuſtodientium, ceſſandum eo die à jejunio, decreverunt Orientales; multò magis hoc idem præſtare debuerat Eccleſia Romana, quæ eſt omnium magiſtra, & ubi Catholica fides thronum tenet.

144 Ad hoc dicimus, Eccleſiam Romanam non opus habuiſſe decernendi ceſſandum à Sabbati jejunio, quoniam præfatæ hæreſes Romanam non offenderant Eccleſiam: Erantque in Oriente enatæ, atque ibi evulgatæ; In ſolo Oriente radicem fixerant, ubi & ipſarum auctores Cathedram tenebant: Quod ſi aliquis ex ipſis, uſque Romam, auſus fuit accedere, nihil profeciſſe conſtat, coactum citò Orientem repetere. Nec novum eſt, quod in una Eccleſia, occaſione accepta ab hæreticis, aliquis immutatus fuerit ritus, eodem tamen in alia retento Eccleſia, ubi immutandi cauſa illa non fuit. Quoniam verò in Hiſpaniam quidam hæretici Trinitatem dividentes, per trinam baptizantes immerſionem, & per eam diviſionem trium perſonarum ſignificantes, placuit Beato Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi, annuente Magno Gregorio, in Synodo Toletana IV. decernere, ut per unicam tantum immerſionem baptiſmus daretur, ne conferendo per trinam, viderentur approbare falſum hæreticorum dogma: unde S. Gregorius in Epiſtola 41. lib. 1. ad ipſum Leandrum data, inter alia, inquit: & habetur Can. V. ejuſdem Synodi. „ Neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemèl in aquas mergere, quia dum

„ dum in tribus subsistentiis una substantia „ est: reprehensibile esse nullatenus potest, „ infantem in baptismate in aquam vel ter, „ vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed „ si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud „ vos esse non censeo, nedum mersiones numerant, Divinitatem dividant: dumque „ quod factis faciebant, morem vestrum se vicisse glorientur. *Hactenus Magnus Gregorius*. Inde Patres Synodi antefatæ, eâdem de causâ condito Canone dixerunt: „ Propter „ vitandum autem schismatis scandalum, vel „ hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur „ apud nos, qui tertium mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. *Hactenus ibi*. Cur ergo hic ritus in universa non est immutatus Ecclesia? Cur adhuc in toto Oriente servatur? Quia nimirum eadem causa ubique non vigebat: non hæretici, qui in Hispania talem præbuerunt occasionem, in Oriente fuerant.

145 Tradit insuper S. Augustinus in Epistola ad Casulanum supra relata, omninò abstinendum à jejunio Dominica die, nedum propter memoriam Dominicæ Resurrectionis, verùm & quia ea die Manichæi hæretici, qui maximè in occidente prævalebant, ea die jejunare consueverant, unde ne cum illis convenire viderentur fideles, cessandum omninò ea à jejunio die docet, non obstante quod legatur quadam occasione Paulum Apostolum toto Dominico die jejunium servasse. „ Sed „ tunc quamvis, *inquit*, Dominico die solita illis jejunia non fuissent, non erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio, si aliqua „ tali necessitate, qualem Apostolus Paulus „ habuit, die toto Dominico, usque ad medium noctis, vel etiam usque ad diluculum reficere corpora non curarent. Nunc „ verò posteaquam hæretici, maximè impiissimi Manichæi, jejunia diei Dominici, non „ aliqua necessitate occurrenti peragere, sed „ quasi Sacra Solemnitate statuta, dogmatizare cœperunt, & innotuerunt populis Christianis, profectò nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit, existimo faciendum „ esse quod fecit: nè majus malum incurratur in scandalo, quàm bonum percipiatur „ ex verbo. *Hactenus S. Augustinus*. Et Sanctus Leo Magnus serm. 4. in Quadragesima, tradit eosdem Manichæos consuevisse, nedum die Dominico jejunium custodire, verùm & Lunæ, in Solis scilicèt, & Lunæ honorem: *Qui in honore*, inquit, *Solis & Lunæ, die Dominica, & secunda Feria deprehensi fuerint jejunare. Uno enim perversitatis suæ opere bis impii, bis profani, qui jejunium suum, & ad Syderum cultum, & ad Resurrectionis Christi instituêre contemptum*.

146 Deinde: fuit primitivæ Ecclesiæ vetus disciplina, fideles ad Orientem versos preces fundere. Testatur Tertullianus in Apologetico Cap. 16. Et confirmat Justinus Martyr quæst. 118. inquiens: „ Quandoquidem „ apud nos præstantissima quæque ad honorem, & venerationem Dei destinamus, opinione autem hominum præstabilior est Oriēs „ aliis creaturæ partibus: eam ob rem, „ Orationis tempore, vultu ad Orientem „ omnes convertimur: perinde atque dextera manu in nomine Christi eos signamus, „ qui sigillo tali indigent, eo quod præstare „ sinistrè putetur, quamvis positura & non „ natura illa differat. *Hæc & alia ibi*. Justinus, qui postea subjungit, hunc ritum ex Apostolica traditione dimanatum, inquiens: *Porrò à quibus Orationem Ecclesia accepit, ab eisdem quoque, ubi orare solerent, consuetudinem accepit, à Sanctis nimirum Apostolis*. Origenes quoque hujus meminit instituti, homil. 5. in lib. num. inquiens: *Quod ex omnibus Cœli plagis ad solam Orientis partem conversi Orationem fundimus, non facilè cuique puto ratione compertum*. Subjungit postea, sic à Christo magno Pontifice, ejusque filiis, traditum fuisse. Eundem pariter morem servatum ab antiquis fidelibus testantur Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Damascenus lib. 4. orthod. fidei capite 13. & ante omnes Dionysius Areopagita lib. 2. de Eccles. Hierarch. Par. 2. Cap. 2. & alii Patres post ipsum. Et talem consuetudinem adhuc servatam in Oriente hisce nostris temporibus, ego ipse propriis oculis expertus sum.

147 Verùm in Ecclesia Occidentali, & si ab initio probabiliter servaretur, sub Sancto & Magno Leone Papa, ipso prohibente, antiquata fuit: & quidem non alia de causa, nisi quia pestiferi Manichæi, & Priscillianistæ hæretici, conversi pariter ad Orientem orabant, ipsum solem, non omnium Creatorem adorantes. Ne ergo fideles orantes conversi ad Orientem viderentur imitari Manichæos, & Priscillianistas, sedulâ prudentiâ, sanctèque jussit, ne sic conversi, preces ad Deum ipsum funderent. Unde ser. VII. in Natali Domini ità concionatur: „ De talibus institutis illa „ generatur impietas, ut Sol inchoatione Divinæ lucis à quibusdam insipientibus, de „ locis eminentibus adoretur: quod nonnulli „ etiam Christiani, adeò se religiosè facere „ putant, ut priusquam ad Beati Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo & uno dicata „ est, perveniant, superatis gradibus, quibus „ ad suggestum aræ Superioris ascenditur, „ converso corpore, ad nascentem se Solem „ reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem se splendidissimi Orbis inclinent: „ quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim „ paganitatis spiritu, multum tabescimus & „ dolemus. Quæ, & si quidam fortè Creatorem pulchri luminis, per ipsam lucem,

quæ

„ quæ est creatura, venerantur: abstinendum „ tamen est ab hujusmodi specie officii, quam „ cum in nostris invenit, qui Deorum cul- „ tum reliquit, nonnè hanc secum partem „ opinionis vetustæ, tanquam probabilem re- „ tinebit, quam Christianis & impiis, vi- „ dit esse communem? Abiiciatur ergo à con- „ suetudine fidelium damnanda perversitas: „ nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus, „ qui creaturæ deserviunt, misceatur. *Hæc Sanctus Leo*. Itaque non est mirum, si aliqua Ecclesiastica traditio, quamvis ab Apostolis trahat Origenem, in aliqua Ecclesia immutata sit, nequaquam in alia, quia non utrique eadem occurrit immutandi causa. Et hæc est ratio cur in Oriente jejunium Sabbati interdictum fuit, in Occidente verò diversis in Ecclesiis, (præcipuèque Romana retentum. Utraque Ecclesia justas habuit causas, una interdicendi, altera servandi, neutra damnari debet, sed ambæ in suis ritibus, quæ fidem orthodoxam non offendunt, laudandæ.

148 Ad allegatum sextæ Synodi Canonem, dicimus, Canonem nullam vim habuisse, aut habere, utpotè non conditum in sexta Synodo œcumenica coram Apostolicæ Sedis Legatis, sed ipsis solis Episcopis Græcis, jam absoluta sexta Synodo, in Palatio, quod dicitur Trullum, ad Solos Canones condendos congregatis tempore Justiniani Junioris; nec Sancta Romana Ecclesia, Canones in Trullo conditos recepit, nec Trullana confirmavit Acta. Id verò quod Theorianus affirmat, prædictum Canonem cum aliis conditis in Trullo Vigilium Papam recepisse, & confirmasse, abest à verò, cum constet editos post Vigilii Papæ obitum. Apparet primò sextam œcumenicam Synodum inchoatam die VII. Novembris, Indictione IX. ut habetur consignatum in exordio primæ Actionis, sub anno XXVII. Imperii Constantini. Absolutam verò XVI. die Septembris, Indictione X. Imperii verò Constantini XXVIII. ut adnotatur in exordio extremæ Actionis: Ut porrò evincitur ex III. Trullano Canone, elapsa quarta Indictione, ac proinde Indictione V. præfati Canones in Trullo conditi fuere, ac proinde decennio post sextam absolutam Synodum, à multo tempore vita functo Vigilio, Sergio Pontificatum tenente, currente anno V. qui erat VIII. Imperii Justiniani Junioris, Domini verò DCXCII. Unde corrigendus est Tharasius, qui apud Surium Act. II. Synodi VII. enumerat à sexta Synodo ad præfatorum Canonum sanctionem, annos quatuor, vel quinque: eumque corrigit Theophanes, cujus tamen corrigenda est correctio, cùm annos XXIX. intercapedinis enumeret.

149 Cæterùm, ut dicebamus, hos Canones nequaquam fuisse ab Ecclesia Romana receptos, aut approbatos, testatur Anastasius, tum in Joannis Papæ VII. cùm Gregorii II. vita. Umbertus quoque Cardinalis & Episcopus Sylvæ Candidæ idem fatetur, tàm in libro edito adversùs calumnias Michaelis Constantinopolitani, quàm in alio adversùs Nicætam. Nec negare potuit Balsamon in notis ad Canonem LV. Trullani, scribens: „ Tum „ propter alia multa, tum etiam propter præ- „ sentem Canonem dicunt, qui veterem Ro- „ mam incolunt, non esse Sanctam hanc Sy- „ nodum œcumenicam, sicut in proœmio scri- „ psimus. *Hæc ille*. Itaque ex allegato Canone nullatenus ab Ecclesia Romana recepto, non infertur quidquam adversùs Jejunium Sabbati, quod Ecclesia Romana custodit. Denique obiter admoneo, Acta S. Sylvestri Papæ apud Metaphrastem, in quibus legitur, Sylvestrum Papam sustulisse Sabbati jejunium, esse certè à posterioribus Græcis depravata. Nam si ita fuisset, non ignorasset Innocentius I. nec D. Augustinus, & alii, qui de ejusmodi Sabbato jejunandi consuetudine in Ecclesia Romana, scribunt. Hinc satis ad primum Photii objectum.

CAPUT IX.

De Spiritus Sancti processione à Patre, Filioque.

150 Diù ante Photianum schisma fuere ex Græcis, qui à solo Patre, nequaquam à Filio, Spiritum Sanctum procedere profiterentur. Et sanè post Macedonium, qui Spiritum Sanctum à Patre prorsùs separatum, atque solius Filii facturam esse, non sine blasphemia mentiebatur: Theodoretus Cyri Episcopus, qui Coævus vixit Leoni Magno & Sancto Cyrillo Episcopo Alexandrino, tempore Concilii œcumenici Ephesini, V. currente sæculo, primus omnium posuit Filium à solo Patre procedere, dùm scribens adversùs IX. S. Cyrilli anathematismum, ait: „ Proprium autem Spiritum Fi- „ lii, si quidem, ut ejusdem cum eo naturæ, „ ex Patre procedentem dixit, simul confi- „ tebimur, & tanquam piam suscipiemus „ vocem. Si verò tanquam ex Filio, aut per „ Filium existentiam habeat, hoc ut blas- „ phemum & impium reiiciemus. Credimus „ enim Domino dicenti: *Spiritus qui ex Pa-* „ *tre procedit*. At & Nestoriani hoc idem professi sunt, ut ex illorum depravato Symbolo relecto Act. VI. Concilii Ephesini colligi licèt, cum in eo de Spiritu Sancto, hæc explicata legantur: „ Credimus & in Spiritum „ Sanctum, qui cum sit ex Dei substantia, „ Filius non est, sed substantialiter Deus; ut- „ potè ejus substantiæ existens, cujus est „ Deus & Pater: *& paucis interjectis subjun-* „ *git*: Sed nec Filium illum putamus, neque „ per Filium suam subsistentiam babentem. „ *Hæc ibi*.

151 Cùmq; eo tempore ageretur adversùs primariam Nestorii blasphemiam, talia obiter dicta visa fuere, & damnato Nestorio, reconciliatoque inde Theodoreto, de ea altum silentium, nemoque ansus est mutire, nec ad trutinam revocare, donec Theophilactus scripto prodiderit in commentariis ad cap. 3. Joannis, Latinos errare in eo, quod asserant, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere: id quod ansam præbuit Græcis rem subtiliùs investigandi, atque & in hoc dogmate certandi cum Latinis, qui more suo, translatis Dialogis Magni Gregorii in Græcam Linguam, eum locum, ubi Sanctus Pontifex docet Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, corrumpere, seu abradere veriti non sunt, teste Paulo Diacono in vita ejusdem Sancti Gregorii lib. 4. cap. 75. Postea Constantinus Capronymus blasphemus, ac sacrarum Imaginum impius contemptor, quoniam ab Occidentalibus de tanta reprehendebatur impietate, ipse cœpit Occidentales exprobrare, quòd dicerent, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, & quòd ad Symbolum, vocem illam, *Filioque*, adjecissent.

152 Cujus rei gratiâ sub Paulo I., sui Pontificatus X., Anno Domini verò DCCLXVII. qui erat Annus XVI. Pipini Francorum Regis, Caroli Magni parentis, in Synodo Gentiliacensi, præsentibus Imperatoris Orientis Legatis, de hac controversia, simùl & de alia pertinente ad Imaginum sacrarum cultū, certatum est, Adone Viennensi teste, qui in Chronico ad hunc annum scribit: „ Facta „ est Synodus Anno Incarnationis Domi- „ ni DCCLXVII. & quæstio ventilata inter „ Græcos & Romanos de Trinitate, & utrum „ Spiritus Sanctus, sicut procedit à Patre, „ ità procedat à Filio; & de Sanctorum Ima- „ ginibus, utrùm nè fingendæ, aut pingen- „ dæ erant in Ecclesiis. *Hactenus ille*. Cui adstipulatur Enginhardus, qui pariter in Chronico sub pralibato anno ait: „ Ortâ „ quæstione de Sancta Trinitate, & de San- „ ctorum Imaginibus, inter Orientalem & „ Occidentalem Ecclesiam, idest, Romanos „ & Græcos, Rex Pipinus conventum in „ Gentilico Villa congregato, Synodum de „ ipsa quæstione habuit. *Ità Enginhardus*. Sed quid in ea Synodo definitum fuerit, non est proditum literis, licèt dubitari minimè possit, quin secundùm rectam fidem cuncta sancita fuerint: Etenim ex eo tempore ad Photiana usque tempora, nemo ausus fuit, huiusmodi de Spiritus Sancti processione à Patre Filioque, excitare controversiam. Photius ergo, ad suum schisma fovendum, & ut justam secedendi ab Ecclesia Romana causam habuisse ostenderet (quoniam ab Ecclesia, quę deficit in fide, secedendum est) hunc lapsum, velut in fide, Romanæ tribuit Ecclesiæ, quòd scilicet crederet, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, cùm secundùm rectam fidem (ut ipse asserebat) à solo Patre procedat.

153 In qua quidem controversia videndum est quid antiqui Patres dixère, & quænam eorum fuerit de Spiritus Sancti processione sententia, nùm à solo Patre procederet, nùm verò ab utroque, Patre scilicet & Filio, quorum una est natura, una voluntas, unumque spirandi principium. Et sanè, si attendantur priora Generalia Concilia, in quibus fidei Symbolum conditum est, non est explicitè reperiri, quòd procedat, nec à solo Patre, nec quòd procedat à Patre simul & Filio, ut apparet, tùm in Nicænò Symbolo, cùm in Symbolo Synodi primæ Constantinopolitanæ: In illo namque, circa dogma de Spiritu Sancto, nihil aliud definitum habetur, nisi quòd credendum sit in Spiritum Sanctum: *Credimus & in Spiritum Sanctum*. In Constantinopolitano porrò dicitur: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum*. Non dicitur *ex solo Patre procedentem*, ut non sine aperto mendacio Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, in cap. 1. suæ censuræ, palàm fatetur.

154 In Concilio etenim Nicæno 1. nondùm aliqua mota fuerat cõtroversia de persona Spiritus Sancti, benè verò de persona Filii, quam impius Arius creaturam esse docebat, suumque aliquandò habuisse initium: ac proinde præcipuum Patrum illius Synodi intentum fuit, Divinitatem Filii constabilire, eumque Patri consubstantialem esse, semper fuisse, nec dari tempus, in quo non fuit. Qua de causa, de persona Filii, ità credendum definierunt: „ Credimus & in unum Dominum „ Jesum Christum Filium Dei, ex Patre na- „ tum unigenitum, idest, ex substantia Pa- „ tris: Deum verum ex Deo vero: natum „ non factum, consubstantialem Patri: per „ quem omnia facta sunt, & quæ in Cœlo, „ & quæ in Terra. *Et in fine*. Eos autem „ qui dicunt: Erat aliquandò, quandò non „ erat, & antequàm nasceretur, non erat; „ & quia ex iis, quæ non sunt, factus est; „ aut ex alia substantia, vel essentia dicunt „ esse, vel creatum vel mutabilem, vel con- „ vertibilem Filium Dei, anathematizat Ca- „ tholica, & Apostolica Ecclesia. *Hæc ibi*. Tàm ergò copiosa explicatio de natura & persona Filii Dei necessaria visa fuit, propter impium Arianorum dogma. At quia cùm de persona Spiritus Sancti nulla adhùc excitata erat controversia, satis visum fuit Patribus indicare, Spiritum Sanctum esse tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam, Ecclesiamque Catholicam sic credere: & ideò contenti fuerunt dicere in Symbolo hoc solum, nimirum: *Credimus & in Spiritum Sanctum*.

155 In Concilio posteà Constantinopolitano primo, propter à Macedonio excitatam de persona Spiritus Sancti controversiam, im-

impio ore blasphemante, ac docente, Spiritum Sanctum nihil ad Patris, & Filii divinitatem & gloriam pertinere, esseque puram creaturam, ut ait Augustinus in libro de hæresibus, necesse fuit, ut in Symbolo, circà Spiritus Sancti personam, majori cum explicatione se gererent ad refellendum falsum Macedonii dogma, ac actum fuerat in Synodo Nicæna; ideòque dixerunt: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas*. Et quoniam nondùm exorta fuerat controversia de processione Spiritus Sancti à Filio, ideò non fuit à Patribus expressa; sed satis eis visum fuit, ut Divinitatem Spiritus Sancti, contra enatam Macedonii hæresim constabilirent, dicere, *ex Patre procedentem*, omissâ processione à Filio, utpotè tunc non necessariò exprimenda; nam quemadmodùm in Nicæna Synodo, ut antefati sumus, nulla tunc extorta de Spiritus Sancti Persona controversia, nec à Patre, nec à Filio procedere explicitè dixerunt, omninò omisso dogmate, à quo procedat; ità in Synodo Constantinopolitana, à Patre procedere explicitè dixerunt Patres ad illius confirmandam Divinitatem, à Filio autem procedere, explicitè non dixerunt, quoniam in hoc articulo nulla erat controversia; & ideò nec in eo se explicandi necessitas.

156 In Concilio porrò Toletano III. celebrato Anno Domini DLXXXIX., mense Maii, VIII. Iduum ejusdem, præsente Reccaredo Rege, & convenientibus in eo LXVII. Patribus, occasione refutandæ Arianæ hæresis in fidei expositione, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere dixère Patres: „ Spiritus, *inquiunt*, æquè Sanctus confitendus „ à nobis, & prædicandus est à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio unius „ esse substantiæ, tertiam verò in Trinitate „ Spiritus Sancti esse personam, qui tamen „ communem habeat cum Patre & Filio Divinitatis essentiam. *Hactenus illi*; qui & recitato posteà Symbolo Nicæno, indeque expositione fidei pariter recitatâ, quæ habetur in Symbolo Synodi Constantinopolitanæ, in ea quoque dixerunt, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere: *Credimus*, ajunt, *& in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem*.

157 Iterùm posteà convenientibus Episcopis LXII. in Synodo IV. Toletana, celebrata sub Honorio Papa Anno Domini DCXXXIII., regnante Sisenando Hispaniarum Rege, cap. I. in fidei expositione dictum pariter est, Spiritum Sanctum, à Patre & Filio procedere: *Spiritum verò Sanctum*, ajunt Patres, *nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur*. Ad hæc verò conformiter, in VIII. Toletana Synodo sub Receesvintho Rege, tempore Martini I. celebratâ, Anno Domini DCLIII. idem habetur, quoniam §. I. in Symbolo à Patribus recitato, dictum est: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, Vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem*.

158 A Synodo ergò XI. Toletana ferè in omnibus subsequentibus Synodis ibidem celebratis, in quibus aut Symbolum recitatum, aut fidei expositio facta est, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, dictum est. Sic in expositione Fidei Synodi XI. Toletanæ sub Adeodato Papa, & Vvambaro Rege, Anno Domini DCLXXV., in qua habetur: „ Hic etiam Spiritus Sanctus, nec in„ genitus, nec genitus creditur; nè aut si „ ingenitum dixerimus, duos Patres dica„ mus; aut si genitum, duos filios prædicare „ monstremur; qui tamen nec Patris tantùm, „ sed simùl Patris & Filii Spiritus dicitur. „ Nec enim de Patre procedit in Filium, vel „ de Filio procedit ad sanctificandam creatu„ ram; sed simùl ab utrisque processisse mon„ stratur. *Hæc & alia ibi*.

159 Ita & in Synodo Toletana XII. sub Agathone celebrata, & Ervigio Rege Anno DCLXXXI., ubi in Symbolo recitato cap. I. dixerunt Patres: *Credimus & in Spiritum Sanctum, Dominum, & Vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum*. In Symbolo pariter recitato in Synodo Toletana XIII., celebrata sub eodem Rege, & Leone II. Papa Anno Domini DCLXXXIII. sub iisdem verbis, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, expressum habetur. Idem legitur in Symbolo recitato in XV. Toletana Synodo, tempore Sergii Papæ, & Egicanis Regis, Anno Domini DCLXXXVIII. Et in altero relecto in XVII. Toletana Synodo sub iisdem Rege, & Pontifice, celebrata Anno Domini DCXCLV.

160 Itaque in Ecclesia Occidentali, additionem processionis Spiritus Sancti à Filio ad Symbolum, primùm in Hispania factam legimus. Et quandò nondùm Latinos inter & Græcos ejusmodi orta fuerat contentio. Et quidèm ad auferendam occasionem novæ hæresis, nè fortè, aut in fide debiles, aut in Ecclesiæ doctrina parùm instructi, aut de ejusdem fidei dogmatibus prava sentientes, audientes in Symbolo Constantinopolitano, Spiritum Sanctum ex Patre procedentem, nullâ factâ mentione de illius à Filio processione, arreptâ occasione (mali autem homines mente perversi, ad subvertendum quavis, vel levi utuntur occasione) crederent, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, nequaquàm à Filio. Id quod postea Græci, ut suum schisma foverent, obstinatâ pervicaciâ sustinere, atque defendere sunt conati.

161 Ceterùm, ut præfati sumus, sub Capronymo impio Principe inter Græcos & Latinos

tinus hujus cœpit contentio, quæ primùm in Gallia agitata est, instantibus Legatis Orientalibus, qui causâ ineundi fœdus, cum Pipino Rege missi fuerant ab Iconomacho Imperatore; undè & pro hac causâ discutienda, Gentilica Synodus coràm ipso habita fuit, prout superiùs fati sumus. Indeque sub Carolo Magno, & Leone III. Romano Pontifice, Anno Domini DCCCIX., movente eandem controversiam Joanne quodam Monacho Hierosolymitano, ad eam dirimendam, jussu Caroli, eoque præsente, celebrata est Aquisgrani Synodus: Cujus Synodi meminit Ado Viennensis in Chronico ad præcitatum Annum, his nimirum verbis: „ Synodus magna Graniaquis congregatur Anno Incarnationis Domini DCCCIX. In qua Synodo de processione Spiritus Sancti quæstio agitatur, utrum sicut procedit à Patre, ita procedat à Filio. Hanc quæstionem Joannes Monachus Hierosolymitanus moverat.

162 Ità etiam refert Regino Abbas in Chronico, inquiens: „ Anno DCCCIX. Imperator de Arduenna Aquas reversus, mense Novembrio, Concilium de processione Spiritus Sancti habuit. Quam quæstionem Joannes quidam Monachus Hierosolymis primò commòvit. *Hæc ille*. Et in Annalibus Francorum ad prædictum annum pariter exaratum legitur: *Imperator de Arduenna Aquisgranum reversus, mense Novembri Concilium habuit de processione Spiritus Sancti*. In eo itaque Concilio, refutato Græcorum errore, definitum fuit, Spiritum Sanctum æquè à Patre, Filioque procedere; undè Ado Viennensis, post verba suprà relata, immediate subjungit: „ Cùm regula & fidea Ecclesiastica firmet, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, non creatum, non genitum, sed Patri & Filio coæternum & consubstantialem. Nomen autem processionis à Patre & Filio, in Apocalypsi, ità apertè est positum: *Et ostendit* (haud dubium quin Angelus) *flumen aquæ vitæ, splendidum tanquàm chrystallum, procedens de Sede Dei & Agni*. Hæc ille.

163 Mandatum pariter fuit in eadem Synodo, ut in Symbolo, quod in Ecclesiis canere consueverant, adderetur, sivè inferetur particula illa, *Filioque*; in hoc fortè imitati Ecclesias Hispaniæ, ubi, ut præfati sumus, à tempore jam IV. Toletanæ Synodi adjecta fuerat. Neque hoc solo contenti illius Synodi Patres & Carolus, missis Romam ad Pontificem Legatis, Bernario Episcopo Warmatiensi, & Adalardo Monasterii Corbejæ Abbate, postularunt, ut quæ de Spiritus Sancti processione, à Filio quoque, definita fuère, & quæ ad adjectionem factam illius particulæ Symbolo, & præceptum, illud cum ea additione canendum in Ecclesiis, pertinebant, suâ Apostolicâ auctoritate confirmaret. Sed Pontifex fidem de Spiritus Sancti processione à Filio, æquè, ac à Patre probavit & commendavit. Adjectionem insertam Symbolo illius particulæ non probavit; præceptum verò canendi Symbolum, eâ cum adjectione, magis reprobavit, quàm probaverit. Ita colligitur ex colloquio Pontificis habito cum antefatis Legatis apud Labæum tom. 7. Concilor. pag. 1194. Qui relectis Concilii Actis, atque testimoniis de Spiritus Sancti processione à Patre & Filio, & diligentissimè à Pontifice auditis, respondit: *Ita sentio, ita teneo cum bis Auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis autem de hac re aliter sentire, vel docere voluerit, defendo; & nisi conversus fuerit, & secundùm hunc sensum tenère voluerit, contraria sentientem funditùs abjicio*. Cæterùm de insertione facta illius vocis in Symbolo, non licuisse fatetur; minùsque Symbolum canere in Ecclesiis cum tali adjectione: Hinc in colloquii fine ità concludit: „ Si priusquàm ita cantaretur, interrogatus essem, nè insereretur, utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri; ut paulatim in palatio, quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur: Sicque fiat, ut quod idipsum, ut cantaretur, non qualibet imperantis auctoritas, sed potiùs audiendi id faceret novitas; si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. *Hactenus ille*.

164 Eam porrò additionem ante prælibatam Synodum ab Hispanis primitùs factam creditur, introductamque per eosdem canendi, eâ cum adjectione, Symbolum in Ecclesiis consuetudinem; undè antefati Legati contestati sunt, non ab Ecclesia Gallicana usum ipsum incœpisse, sed secutam tantùm nonnullarum Ecclesiarum consuetudinem: *Numquid à nobis*, inquiunt, *hùc usus ille cantandi processit? Hinc etenim illùc mos idem cantandi, non à nobis, hùc advènit; & quomodò illum usque modò cantamus?* Quibus Leo Papa: *Ego licentiam dedi cantandi; non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi*. Et post pauca subjungit: *Quod verò asseritis, ideò vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo, addere quippiam eidem Symbolo inserendo, præsumimus*. Hæc Leo Pontifex Romanus.

165 Verùm ante hanc Aquisgranensem Synodum, etiam apud Forum Julii celebrata est à Paulino Episcopo Aquilejensi Synodus, sub Hadriano Papa I. & eodem Carolo Magno Rege, Anno Domini DCCXCI. occasione subortæ Elipandi Archiepiscopi Toletani hæresis,

refis, & Felicis Episcopi Urgelitani, docentium, Christum secundùm humanam naturam esse Dei Filium adoptivum, naturalem verò tantùm secundùm Divinam naturam. Et quoniam adhùc vertebatur controversia illa de Spiritus Sancti processione à Patre & Filio: De utraque controversia, ea in Synodo actum est, definitumvè, Spiritum Sanctum æquè ab utroque, Patre scilicet & Filio procedere: Etenim post habitam dogmaticam, & de sancta fide per ipsum Paulinum orationem, recitatum est Symbolum cum ea adjectione: *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit*. Inde in expositione fidei subnecta Symbolo, dictum est: *Spiritus namque Sanctus verus Deus, verè & propriè Spiritus Sanctus est, non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter, & inseparabiliter procedens*.

166 Dicitur porrò in eadem Synodo à Paulino in præmemorata Oratione, jàm verba illa, *Filioque*, adjecta Nicæno Symbolo fuisse: *Sed*, & postmodùm, *propter eos, videlicet hereticos*, inquit, *qui susurrant, Spiritum Sanctum solius esse Patris, & à solo procedere Patre, additum est: Qui ex Patre, Filioque procedit*. Sed quandò, ubi, & à quo additum altum silentium. Hinc eruditi in varias abière opiniones, investigantes, ubi & quandò facta fuerit ejusmodi additio, & à quo. Nec desunt qui afferant, ejusmodi additionem factam fuisse à Damaso Papa in Romana Synodo, quoniam in Damasi Symbolo inter Divi Hieronymi opera legitur, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere. Alii verò altiùs repetentes, fatentur in ipso Concilio Nicæno I. Symbolum conditum cum illius particulæ additione: Et ita refert Abraham Ecchellensis in suis ad Canones Nicæni notis; fateturque sic legi in Editione Cophitarum, & Maronitarum. Jacobus Zanzalus in suo Catechismo tradit, eam expositionem factam fuisse sub Theodosio juniore, non tamen in Ephesina Synodo, judicio Ecchellensis, sed magis in Romana Synodo coràm Theodosio juniore habita. Verùm fides sit penès Auctores ipsos; quoniàm certa & indubitata monumenta, ad confirmandas antesatas opiniones desunt; immò ex posterioribus Ecclesiasticis gestis, potiùs contrarium evincitur.

167 Id porrò, quod in Synodo Florentina à Cardinali Juliano sess. v., & ab Andrea Colossensi sess. VII. dictum fuit, ostendit non ante VII. Synodum hujusmodi factam additionem: In ipsa namque Synodo recitatum Symbolum cum ea particula, *Filioque*, ex vetustissimo Codice Actorum Illius Synodi, necnon ex Historicis conati sunt comprobare; & in Codicibus, quæ modò apud Latinos circumferuntur, in definitione fidei ad calcem VII. Synodi apposita, recitatur Symbolum ea cum additione: *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*. Sed quoniam non in universis Codicibus sic legebatur, res suspensa mansit. Et quidèm, si locus dubitandi de genultate ostensi à Cardinali Juliano Codicis, quoad illam particulam, certè Leo III. non reprobasset additionem illam factam ab Episcopis Gallicanis, & Germanis in Aquisgranensi Synodo: Id verò, quod constat primò actum in generali Synodo, reprehendi minimè potest, si & in Provinciali repetatur Concilio.

168 Itaque duo sunt, unum, fides de Spiritus Sancti processione à Filio æquè, ac à Patre, alterum de facta hujus dogmatis Symbolo additione: De primo, ut infrà ostendemus, dicimus, hanc semper fuisse Ecclesiæ fidem: De secundo asserimus, præfatam additionem Symbolo factam post excitatam à Græcis de ejusmodi processione controversiam; & putarem, juxtà supra allegata, primùm appositam particulam illam ab Episcopis Hispanis in Synodo Toletana III. tempore Pelagii II. Romani Pontificis, receptam posteà à Gallis in Synodo Gentiliacensi, tempore Pauli Papæ I., approbatam à Paulino Aquilejensi, cæterisque Patribus in Synodo Foro-Juliensi, tempore Hadriani Papæ I., ac à Germanis posteà, iterùmque à Gallis, pariter receptam in Synodo Aquisgranensi tempore Leonis III. Pontificis; Et denique ab Ecclesia Romana sub Nicolao I. ad refutandam hæresim Photianam, qua asserebatur, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Nondùm enim, ut præfati sumus, auctoritate Romani Pontificis facta fuerat ea Symbolo adjectio. Accessit posteà prælibati Pontificis auctoritas, ac inde universaliter, tàm in particulari Ecclesia Romana, quàm in cunctis ejusdem communionis Ecclesiis cœptum est, & recitari, atque in Ecclesiis cani Symbolum cum ea particula. Cujus rei causâ Photius in Epistola data ad primarias Sedes Orientales, ita adversùs Nicolaum I. declamat: „ Præter illa, quæ commemoravimus absurda, sacrum etiam & sanctum Symbolum, „ cui Synodica omnia & œcumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus, non sine incredibili audacia falsare aggressi sunt. Oh mali Dæmonis machinamenta, Spiritum Sanctum, „ non ex Patre solùm, sed etiam ex Filio „ procedere, vanissimè prædicantes! *Hac ille*.

169 Cæterùm non audeo certam firmare conclusionem, ut à Nicolao I. talis Symbolo facta fuerit adjectio, sed tantùm probabiliter, quoniam ante ejus tempora, etsi, ut vidimus, discussa fuerit controversia de processione Spiritus Sancti à Filio, non tamen adeò hostiliter fuit propugnata, quàm sub hoc Pontifice, Photio Pseudopatriarcha adversùs dogma antesatum, contrà Romanam Ecclesiam acriter certante, ipsoque suâ impiâ blasphemiâ occasionem præbente. Qui po-

posteà ex ejusmodi additione majorem ansam accepit calumniandi Ecclesiam Romanam, quòd ansa fuisset Patrum Symbolo aliqua addere, contrà eorundem Sanctorum Patrum decreta. Et hoc est, quòd universi Græci, à sanctæ Romanæ Ecclesiæ communione sejuncti, decantant.

170 Allegant sacrosancti Concilii Ephesini decretum, à Patribus editum in fine Actionis VI., ubi dicitur: „ Statuit sancta Synodus, alteram fidem nemini licère proferre, „ aut conscribere, aut componere, præter definitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæa „ cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. „ Qui verò ausi fuerint, aut componere fidem „ alteram, aut proferre, aut offerre, converti volentibus ad agnitionem veritatis, sivè „ ex Gentilitate, sivè ex Judaismo, sivè ex „ qualicumque hæresi, hos quidèm, si sunt „ Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit: Si verò Laici fuerint, anathemati subjici. *Hactenus Decretum*, ex quo inferunt, nemini licère quidquam addere Symbolo, quoniam addens, novam fidem condit, præter illam, quam præscripserunt Nicæni Patres.

171 Atquì particula illa, *Filioque*, Symbolo adjecta, non exprimit novam fidem, tantum veterem explicat: non ergò ejusmodi adjectio adversatur decreto Synodi Ephesinæ, quo solùm inhibetur, nè nova fides, quæ Nicænæ Synodò, aut Symbolo in ea condito adversetur, addatur. Et quidèm in terminis, Paulinus Aquilejensis in Oratione habita coràm Patribus in Synodo Forojuliensi, ostendit ejusmodi particulæ, *Filioque*, additionem, non novam importare fidem, veteremque tantùm explicare; hocvè nõ cadere sub prohibitione. Ait ergò primò: „ Scio namque „ quibusdam in Synodalibus foliis esse sancitum, ad refellendas siquidem novas & „ multiplices hæreses, præsertim propter „ fraudolentam, fictamque Nestorii vel Eutychetis falsidicorum, pestilentiorumque „ Virorum, non fidem dicam, sed potiùs perfidiam, non licère cuiquam alterius fidei „ Symbolum docere vel componere. Sed „ absit à nobis, procùlque sit ab omni corde „ fideli, alterum, vel aliter quàm illi instituerunt, Symbolum, vel fidem componere, „ vel docere.

172 Secundò palàm fatetur, licère exponere ea, quæ in Symbolo Nicæno brevitatis gratiâ sunt omissa, retento textu illibato & integro; undè subjungit: „ Sed juxtà eorum sensum ea fortasse, quæ propter brevitatis compendium, minùs quàm decet, à „ simplicibus, vel indoctis intelliguntur, exponendum decrevimus tradere, ac memoria mandavimus eam, ipsumque textum „ Symboli retinere; quatenùs juxtà Apostolum, idoneus sit homo Dei ad omne „ opus bonum, paratus ad resistendum non „ sanæ fidei. *Et paulò post subdit*: Enimverò non est in argumento fidei addere, vel „ minuere ea, quæ à Sanctis Patribus benè, „ salubriterque sunt promulgata; secundùm „ eorum sensum rectè sentire, & exponendum eorum subtile supplere ingenium; „ Sed addere, vel minuere, est subdolè contrà sacrosanctum eorum sensum, aliter quàm „ illi, callidâ tergiversatione diversa sentire, „ & confuso stylo perversum dogma componere, ac per hoc, impio ore potiùs jactanter garrire, quàm docere præsumere.

173 Deindè licitam ejusmodi expositionem probat exemplo ejusdem Nicæni Symboli expositi in Synodo Constantinopolitana I. per adjectionem plurium verborum, quę in Symbolo Nicęno desiderantur: „ Plurimorum, *inquit*, etenim catholicorum Virorum, Ecclesiarumque Dei cultorum, sacræ fidei compositum venerabile legitur „ opus, aliis quidèm verbis, dissimilique calamo resonante, sed eundem sensum, eundemque ingenii intellectum, concorditer „ inviolatæ fidei uno assertionis redolere „ probantur documento; nam si recenseatur „ Nicęni Symboli series veneranda, nihil „ aliud de Spiritu Sancto in ea, nisi hoc modo reperiri poterit promulgatum: *Et in* „ *Sanctum*, inquiunt, *Spiritum*. Quid est „ ergò dicere: *& in Spiritum Sanctum?* Quomodò accipienda est tàm brevissima eorum „ professio, nisi, ut patenter detur intelligi, „ mentium eorum integræ fidei religiosa devotio: *& in Sanctum Spiritum*, sicut & in „ Patrem, & in Filium probabiliter credidisse, quemadmodùm posteà à Sanctis Patribus centum quinquaginta, qui congregati sunt, Symboli fidem Nicæni Concilii inviolatam perenniter permanere. Supplevérunt tamen, quasi exponendo eorum „ sensum, & in *Spiritum Sanctum* confitentur se credere, *Dominum*, *& vivificatorem*, *ex Patre procedentem*, *cum Patre &* „ *Filio adorandum & conglorificandum*. Hæc „ enim, & cætera, quæ sequuntur, in Nicæni Symboli sacro dogmate non habentur.

174 Denìq; concludit pari modo factam à Patribus adjectionem Symbolo, illorum verborum, *Filioque*, asserit, solius expositionis gratiâ, non verò animo novam fidem condendi: Et quidèm propter hæreticos contraria docentes: „ Sed & postmodùm, *subjungit*, propter eos videlicet hæreticos, qui „ susurrant, Spiritum Sanctum solius esse „ Patris, & à solo procedere Patre, additum „ est: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Et „ tamen non sunt hi Sancti Patres culpandi, „ quasi addidissent aliquid, vel minuissent de „ fide trecentorum decem & octo Patrum, „ quia non contrà eorum sensum diversa senserunt, sed immaculatum eorum intelle-

ctum

„ ctum sanis moribus supplere studuerunt. *Hactenus Paulinus.*

175 Et sanè non alia Ephesinæ Synodi Patrum mens fuit, quòd nulli liceat proferre fidem contrariam, atque dissonantem, seù alienam, vel contrariam à veritate & vera fide in Nicæno expressa Symbolo; non verò, quòd non liceat aliam facere expositionem ejusdem fidei consonantem veritati & rectæ fidei. Hinc Cœlestinus Papa in Epistola ad Nestorium data, cujus initium est: *Aliquantis diebus*, ipsum reprehendit, quòd ausus fuerit novam fidem doctrinę Apostolicæ contrariam componere. Id quod nunquàm licuisse testatur: „ Non debent, *inquit*, vete- „ ria fidei puritatem blasphema in Deum „ verba turbare. Quis unquam non dignus „ est anathemate judicatus, vel adjiciens, „ vel detrahens fidei? Planè etenim ac ma- „ nifestè tradita ab Apostolis nobis, nec au- „ gumentum, nec imminutionem requirunt. *Hactenus Cælestinus.* Quibus verbis indicat, non licuisse exponere ea, quæ latent in Apostolica doctrina, vel, ut ita loquar, implicitè in eodem Symbolo continentur, quæ non adversantur, nec adversari possunt veritati fidei in Symbolo contentæ. Expositio namque fidei, non est alia fides; aliam fidem condi non licèt, conditam & traditam à Sanctis Apostolis & Patribus exponi, semper licuit, licebitque.

176 Proinde non culpatur à Græcis Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, qui in sua fidei professione exhibita, & recitata, atque recepta in VII. Synodo sive in Nicæna II. Act. III. dixit Spiritum Sanctum per Filium à Patre procedere: „ Credo, *inquit*, „ in unum Deum Patrem Omnipotentem, & „ in unum Dominum Jesum Christum Filium „ Dei, & Deum Nostrum, genitum ex Pa- „ tre extra tempora & ante sæcula: Et in „ Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, „ qui ex Patre per Filium procesfit, & ipsum „ esse definimus. *Hæc Tharasius.* Certè non „ legitur, nec in Nicæno, nec in Symbolo Constantinopolitano, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, ut Tharasius exponit in Symbolo suæ fidei professionis. Vel si foret error, vel contra fidem, aliter de Spiritu Sancto proferri, ac scriptum habetur in Symbolo Nicæno, vel Constantinopolitano, ab errore in fide non posset excusari Tharasius, qui Symbolo ab eo recitato, addit *per Filium*. Patres quoque VII. Synodi eam approbantes professionem, errorem in fide approbasse dicendum foret.

177 Et Hadrianus Papa, cui primùm missa fuit ejusmodi fidei professio, plurimùm eam commendat, & Symbolum fidei in ea insertum cum ea additione *per Filium* recipit: unde in Epistola ad ipsum Tharasium data, quæ incipit: *Pastoralibus curis*: ait: „ Et „ nisi vestram synceram, & orthodoxam fi- „ dem in prædictis Synodicis Sacri Symboli, „ secundùm ritum Sanctarum sex universa- „ lium Synodorum, & de venerabilibus Ima- „ ginibus, bene se invenissemus habere, nul- „ latenus auderemus hujuscemodi audire „ synodica. *Et paulò post.* Invenimus autem „ in prædicta synodica Epistola Sanctitatis „ vestræ post plenitudinem fidei, & confes- „ sionis Sac. Symboli, & omnium Sanctarum sex „ Synodorum, & de Sacris, ac venerabilibus „ Characteribus miraculum, laude, ac venera- „ tione dignissimum contineri. *Hæc ille.* Ex quibus manifestè apparet Hadrianum Papam approbasse fidei professionem Tharasii, atque Symbolum fidei in ea contentum, cum prædicta additione *per Filium*. De qua re, an scilicèt, confessio fidei Tharasii possit dici Symbolum, nec nè, certatum fuit in Synodo Florentina Collat. XII. inter Cardinalem Julianum, & Marcum Ephesium, ut ibi videre est.

178 Producunt inde Græci, de nihil addendo Symbolo, testimonium Cyrilli Alexandrini in Epistola data ad Joanuem Antiochenum, cujus initium est. *Lætentur Cæli, & exultet terra*, in cujus fine. vel prope finem, ait: „ nullo autem modo patimur, ut ab ali- „ quo fides illa, sive fidei Symbolum concu- „ tiatur, quod à Sanctis quondam Patribus „ Nicænis editum est: Neque enim aut no- „ bis, aut ulli omninò alteri, vel unam vo- „ culam ibi positam immutare, aut unam „ etiam Syllabam præterire permittimus. „ *Hæc ille.* Item & in Synodo Chalcedonensi Act. II. post initium Senatu, & Judicibus dicentibus: „ Scire enim vos volumus, quia „ tàm divinissimus, & piissimus Orbis Terræ „ Dominus, quam nos catholicam fidem à san- „ ctis trecentis decem & octo, & à sanctis „ centum & quinquaginta, nec non etiam & „ à Cæteris Sanctissimis & Gloriosissimis Pa- „ tribus traditam, custodimus, & secundùm „ ipsam eredimus. Reverendissimi Episcopi „ clamaverunt: *Expositionem alteram nullus* „ *facit: neque tentamus, neque audemus ex-* „ *ponere. Docuerunt enim Patres, & in scri-* „ *ptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita,* „ *& citra ea dicere non possumus.* Et paulò „ post, inquiunt: *Sufficiunt quæ exposita sunt: alteram expositionem non licèt fieri.* Et item subjungunt: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita, Regula vult, aliam expositionem non fieri.*

179 Sed hæc & similia Patrum sive Conciliorum testimonia, de non addendo, nec minuendo Symbolo Nicæno, planè intelligi oportet, de additione, aut diminutione, quæ fidem per Sanctos definitam Patres immùtat: quæ illi adversatur, quæve novum impium introducit dogma: non tamen, ut antefati sumus, de vocum additione, quæ dogma in Symbolo contento explicant, nec quid no-

vum

vum introducunt. Hoc sanè non fuit prohibitum, imò contrarium demonstravimus ex actis Synodi Constantinopolitani & Symbolo in ea condito, ubi plures voces adjectæ Symbolo Nicæno leguntur. Et quoniam in professione fidei Eutychetis recitata Act. 11. Synodi Chalcedonensis, omissa fuerunt ea, quæ ad explicandam fidem Symboli Niceni in Constantinopolitana Synodo adjecta fuere: præcipuèque verba illa: *Qui descendit de Cælo, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*. Eusebius Episcopus Dorylæi, clamavit, illam non esse regulam fidei. Et notavit Diogenes Episcopus Cyzici, Eutychetem dolosè recitasse Symbolum Nicænum, sine adjectione illorum verborum, quæ facta fuerat à Patribus Synodi Constantinopolitanæ, propter errores & falsum intellectum Valentini, Apollinaris, & Macedonii: dicens, etiam Apollinarem suscepisse Sanctam Nicænam Synodum, verba tamen secundùm perversum sensum explicans; omisisse autem verba illa *de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*, ut ne omninò unionem carnis confiteretur. Hinc Eutyches damnatus in Synodo fuit: posteaque in Chalcedonensi Synodo, & Dioscorus similia cum Eutychete sentiens. Hinc est quod Patres decernentes nihil addendum Nicænæ fidei, minuendumque, adhuc eam fidem tenendam voluerunt secundùm explicationem factã in Synodo Constantinopolitano, quæ expositio à Patribus non erat considerata ut nova fides, nec quod novum dogma introduxisset; sed ut eadem omninò à Patribus Nicænis definita, & credita: solum propter falsum & impium hæreticorum intellectum, per quasdam superadditas voces explicata.

180 Licuit ergo Patribus Græcis ad refutandas novas enascentes hæreses, aliquas Symbolo Nicæno voces superaddere, non inductivas novi dogmatis, sed expressivas ejusdem fidei definitæ in Nicæna Synodo, & contentæ implicitè & virtualiter in Synodo: licebit quoque eàdem de causa, propter scilicet enascentes hæreses, Latinis, præcipuèque Romano Pontifici, aliam vocem eidem Symbolo superaddere, diversam, aut novam fidem non importantem, sed ad solius fidei in eo contentæ implicitè, & virtualiter explicationem. Est enim Romanus Pontifex supremus Ecclesiæ caput, & Doctor Ecclesiæ universalis, sine cujus assensu & approbatione, nulla definitio, etiam Generalium Conciliorum, vigorem ullum habet. Ergo quod licuit Græcis coram Legatis Apostolicæ Sedis, in eorum Synodo, licuisse haud dubium est Pontifici Romano, aut per se solo, aut in Latinorum Synodo. Cæterùm ad hoc Græcorum objectum optimè responderunt in Synodo Florentina Latini Patres, præcipuèque Julianus Cardinalis sess. x1. Diffusè etiam scripsit Ratramnus Monachus Corbejensis lib. 2. contra apposita Græcorum, Cap. 2. Hugo quoque Eterianus in lib. de hæresibus, quas Græci in Latinos revoluunt, ejusdem argumenti plura dixit, Cap. 3. & Cap. 17. Item & Manuel Caleças copiosissimè lib. 4. contra Græcos, & alii plures, quos lector consulere poterit.

181 Et sanè hoc argumentum Græcorum satis discussum, atque examinatum fuit in Concilio Florentino, ut ex Actis liquet, & inde refert Cardinalis Bessarion in Epistola data ad Alexium Lascari Philanthropitum de successu Synodi Florentiæ, ubi Cap. 3. recenset ea omnia, quæ Latini produxerunt adversus hanc oppositionem, & quomodo palàm ostenderunt, prohibitionem illam in Synodo Ephesina factam, de nihil addendo aut minuendo iis, quæ definita fuerant in Sacra Nicæna Synodo, intelligendam de additione, aut diminutione, quæ contraria sit fidei Nicænæ: id quod probatum asserit, primo exemplo Synodi Constantinopolitanæ (prout etiam nos suprà prænotavimus) ubi Symbolo Nicæno facta est additio plurium verborum, retentis tamen ejusdem Symboli sententiis: cujus rei causâ Symbolum Constantinopolitanum censetur idem cum Nicæno: & ideo concludit: „ Quare „ omne Symbolum quibuscumque composi- „ tum verbis, eandem sententiam, quam & „ Nicænum continens, idem est illi, nihil- „ que contra hoc facit, cùm dicitur, non au- „ dere tradere aliud Symbolum: aliud enim „ intelligendum est, quod contrariam veri- „ tatis sententiam continet. Siquidem se- „ cundi Concilii Symbolum, tantum à Ni- „ cæno differens quoad verba, idem tamen „ cum primo, non aliud judicatum est à Pa- „ tribus.

182 Deinde subjungit, in unoquoque Concilio post lectionem sui decreti, non solius Symboli, sed totius Decreti, dictum esse, *nulli licere aliam fidem proferre*, hoc est ab ea quæ in toto Decreto de fide edito continentur: & tamen quoad verba, aliud quartum Concilium, quam tertium, aliud quintum, quam quartum, & sic de cæteris, conscripsisse constat: ac proinde concludit, inhibitionem præfatam, esse de tota fide, & de sententiis fidem stabilientibus, intelligendam, minimè de verbis, quæ eandem retinent fidem. Et post plura alia, concludit Bessarion, inquiens: „ Per hæc itaque om- „ nia, clementissime, luce clariùs probatum „ est, non esse prohibitum veritatem addere „ fidei Symbolo, imò verò declarare. Nul- „ lum enim veritatis dogma est, quod vel „ explicitè non contineatur Symbolo & sim- „ plici Apostolorum traditione: Declarare „ autem, & replicare, ac Symbolo addere, „ non semper videlicet, nec omnem volen- „ tem, sed magna necessitate cogente, & cùm „ Ecclesiæ judicium, & auctoritas Summi Pon- „ tificia accesserit, non modò non esse pro- „ hibitum, sed etiam necessarium esse. *Ha- „ ctenus ille*.

183

183 His itaque elucidatis, probandum restat, suppositâ antefatâ adjectione, *Filioque*, ut ostendatur meritò facta, nec fidem contrariam, in Symbolo Nicæno, aut Constantinopolitano importare, aut aliquod adversum doctrinæ Ecclesiæ, per Sanctos traditæ Apostolos, an reverà Spiritus Sanctus æque à Filio, ac à Patre procedat: in quo Latinos inter & Græcos dogmatica potissimum consistit controversia, illi affirmativam, velut de fide, tenendam sententiam prædicantes, isti verò contrarium mordicùs sustinentes: adeout post Photium, ejusmodi controversia fit una ex præcipuis continuati Græcorum Schismatis causis. Hinc & nostrum erit probare testimoniis Sacræ Scripturæ secundùm Sanctorum Patrum, tùm Græcorum, tùm Latinorum intellectum, primum: inde per alia eorundem Sanctorum Patrum testimonia, Spiritum Sanctum æque à Patre & Filio procedere: ac denique argumento ducto à ratione.

184 Et per id quod spectat ad Sacræ Scripturæ testimonia, ejusmodi processionem clarè dant intelligi verba illa Christi Domini relata à Joanne Cap. XVI. vers. 6. *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abjero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abjero, mittam eum ad vos*. Et vers. 13. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis: Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Et Cap. XV. vers. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. At qui hæc omnia secundùm intellectum Sanctorum Patrum declarant processionem Spiritus Sancti à Patre æque & Filio, ut modo ostendam.

185 In eo namque quod appellat Spiritum Sanctum, veritatis Spiritum, concludit S. Cyrillus Alexandrinus, procedere à Filio æque, ac à Patre: Ità in Epistola ex Synodo Alexandrina cum duodecim anathematismis data ad Nestorium, quæ incipit: *Cum Salvator Noster*. §. 10. ubi ait: „ Nam & si spiritus in propria persona subsistat, eatenus„ que in se ipso consideretur, quatenus Spi„ ritus est, & non Filius: non est tamen ab „ eo alienus: quandoquidem spiritus veri„ tatis nominatur: Christus autem veritas est; „ & proinde quoque ab illo, atque à Deo „ Patre procedit. *Hæc ille*. Sive ut hæc ultima verba vertit Dionysius exiguus. *Unde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit*. Et lib. 10. in Joannem: „ Cum venturum, „ *inquit*, ad eos Paracletum antea dixisset, „ spiritum veritatis eum nominavit, idest, „ suum; ipse enim est veritas. Nàm ut sci„ rent discipuli, non alienæ, ae peregrinæ vir„ tutis illapsum, sed semetipsum tradendum „ polliceri. Spiritum veritatis, idest suum, „ Paracletum appellat. Spiritus enim San„ ctus nullo modo ab unigeniti substantia „ alienus intelligitur. Sed ex ea naturaliter „ procedit: licèt in propria persona subsiste„ re intelligatur.

186 Deinde per illa verba: *quia de meo accipiet*, idem S. Cyrillus lib. XI. in Joannem probat, seu infert, Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere, ait namque: „ Quo„ niam consubstantialis est Filio, & modo „ Deo congruenti per ipsum procedit, om„ nem ejus perfectissimam in omnibus ope„ randi vim, atque efficacitatem habens: id„ circò dicens: *Quia de meo accipiet*. Ipsum „ enim subsistere per se Spiritum Sanctum, „ & esse reverá id quod est, ac dicitur: in exi„ stere tamen in substantia Dei, & ex ea pro„ cedere, omnia quæ ejus sunt, in se haben„ tem naturaliter. Nec enim per participa„ tionem, neque per modum habitudinis, „ neque tanquam aliud quiddam sit ab ea, „ quia proprius est ejus. *Et post aliqua subjungit*: Citra reprehensionem igitur om„ nem dici potest, ab unigenito quiddam ac„ cipere Spiritum ejus. Nam cùm per ipsum „ procedat naturaliter, utpotè cùm sit ejus „ proprius, unà cum omnibus quæ perfectè „ habet, accipere dicitur, quæ ejus sunt.

187 Item & in eodem libro hæc alia habet: „ At proprius quoque unigeniti est hic „ spiritus, consubstantialis enim est Patri. „ Quia ergo proprium esse videtur Deo, ac „ Patri in suo Spiritu dignis revelari, & per „ ipsum quæcumque libuerit, operari, mi„ hique illud naturaliter inest: eam ob cau„ sam dixi, *cum de meo accipere & annuntiaturum vobis*. Nemo verò turbetur, cùm „ hic audiet *accipiendi* vocabulum: sed illud „ priùs in animum inducat, nostro more re„ nuntiari quidem res Divinas, non sic ta„ men intelligi, sed modo nostrum captum ex„ cedente: atque ita nos dicere: *Spiritum* ac„ cipere à Patre & Filio, quæ eorum sunt, „ non quod cognitionem & virtutem, quæ „ in eis est, aliquando non haberet. ac vix „ tum habeat, cùm habere censetur: imò „ verò ipsissima sapientia, ac virtus, non ex „ participatione, sed natura sua. *Hæc & alia ibi*.

188 Epiphanius quoque in Ancorato, eandem Processionem Spiritus Sancti à Filio, ex iisdem Christi Domini verbis deducit, cùm sub num. 72. scribat: „ Igitur si à Patre pro„ cedit, & *de meo*, ut ait Dominus, *accipiet*, quemadmodùm, *nemo novit Patrem* „ *nisi Filius, neque Filium nisi Pater*: ita „ dicere audeo: neque Spiritum nisi Pater „ & Filius à quo procedit, & à quo accipit: „ & neque Filium ac Patrem, nisi Spiritus „ Sanctus; qui verè glorificat, qui do-

„ cet omnia, qui testatur de Filio, qui à „ Patre & ex Filio.

189 Consona sunt quæ scribit Didymus in lib. 2. de Spiritu Sancto, ubi, allegatis Christi verbis: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, subjungit, inquiens: „ Rursum hic accipere, ut divinæ naturæ conve„ niat intelligendum, Quomodo ergo Filius „ dans non privatur his, quæ tribuit, neque „ cum Domino suo impertit aliis, sic & Spi„ ritus non accipit quod antea non habuit, „ Si enim quod prius non habebat, accepit, „ translato in alium munere, vacuus largi„ tor factus est, cessans habere quod tribuit, „ Quomodo igitur supra de naturis incorpo„ ralibus disputantes intelleximus, sic & nunc „ Spiritum Sanctum à Filio accipere id, quod „ suæ naturæ fuerat, cognoscendum est; & „ non dantem, & accipientem, sed unam si„ gnificare substantiam. Siquidem & Fi„ lius eadem à Patre accipere dicitur, quibus „ ipse subsistit, Neque enim quid aliud est „ Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre: „ neque alia substantia est Spiritus Sancti, „ præter id, quod datur ei à Filio.

190 Ex Latinis verò interpretantibus eadem Christi verba de Processione Spiritus Sancti à Filio, luculenter exponit S. Hilarius lib. VIII. de Trinitate, ità loquens; „ A' Fi„ lio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & „ à Patre procedit: Et interrogo, utrum id „ ipsum à Filio accipere, quod à Patre pro„ cedere. Quòd si nihil differre credatur in„ ter accipere à Filio, & à Patre procedere; „ certè idipsum, atque unum esse existimabi„ tur, à Filio accipere, quod sit accipere à Pa„ tre: Ipse enim Dominus, ait; *Quoniam* „ *de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Hoc „ quod accipiet, sive potestas est, sive vir„ tus, sive doctrina est, Filius à se accipien„ dum dixit &c.

191 Porrò S. Augustinus expendens verba Christi Domini Joannis Cap. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur*, in Tract. 99. in Joannem concludit, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio; Etenim post multa ad rem producta, ait; „ Hic aliquis forsitan quærat, utrum & à Fi„ lio procedat Spiritus Sanctus. Filius enim „ solius Patris est Filius, & Pater solius Filii „ est Pater: Spiritus autem Sanctus, non „ est unius eorum Spiritus, sed amborum, „ Habes ipsum Dominum dicentem: *Non* „ *enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus* „ *Patris vestri qui loquitur in vobis*. Habes & „ Apostolum: *misit Deus*, inquit, *Spiritum* „ *Filii sui in corda vestra*. Numquid duo sunt, „ alius Patris, alius Filii? Absit. *Et paucis interiectis subdit*: Cum ergo sicut unus „ Pater, & unus Dominus, idest Filius, ita „ sit & unus Spiritus, profectò amborum „ est; sicut ipse Christus dixit: *Spiritus Pa*„ *tris vestri qui loquitur in vobis*. Et dicit „ Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui* „ *in corda vestra*. *Et paulò post, ait*: Cur „ ergò non credamus, quod etiam de Filio „ procedat Spiritus Sanctus, cùm Filii quo„ que ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo „ procederet, non post resurrectionem se re„ præsentans discipulis suis insufflasset, dicens: „ *Accipite Spiritum Sanctum*. Quid enim „ aliud significavit illa insufflatio, nisi quod „ procedat Spiritus Sanctus & de ipso? *Hæc* „ *Sanctus Doctor*.

192 Deinde quærit, si Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, cur Christus dixit, *Spiritus qui à Patre procedit?* Objicit S. Doctor illud idem, quod postea Græci objecerunt, & modo obiiciunt, jactantes, Christum Dominum ore suo fassum Spiritum Sanctum à Patre procedere, nec fateri à Filio, nec in Evangelio, aut in Apostolicis Scripturis scriptum esse; ejusmodi à Filio Spiritus Sancti Processionem. Sed audiant Græci quid tantus Doctor, talia sibi obiicienti, respondeat: „ Cur putas, *inquit*, nisi quemadmodùm ad „ eum solet referre, & quod ipsius est, de quo „ & ipse est? Unde illud est quod, ait; *mea* „ *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*, „ Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, „ quam tamen dixit non suam, sed Patris: „ quanto magis illic intelligendus est, & de „ ipso procedere Spiritus, ubi sic ait: *de Pa*„ *tre procedit*, ut non diceret, de me non „ procedit? A' quo autem habet Filius, ut sit „ Deus, est enim de Deo Deus, ab illo ha„ bet utique, ut etiam de illo procedat Spi„ ritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus „ ut etiam de Filio procedat, sicut procedit „ de Patre, ab ipso habet Patre. *Et in fine* „ *concludens ait*: Spiritus autem Sanctus non „ de Patre procedit in Filium, & de Filio „ procedit ad Sanctificandam Creaturam, sed „ simùl de utroque procedit, quamvis hoc „ Filio Pater dederit, ut quemadmodum de „ se, ita de illo quoque procedat. Neque „ enim possumus dicere, quod non sit vita „ Spiritus Sanctus, cùm vita sit Pater, vita „ sit Filius. Ac per hoc sicut Pater cùm ha„ beat vitam in semetipso, dedit & Filio vi„ tam habere in semetipso: sic ei dedit vi„ tam procedere de illo, sicut & procedit & „ de ipso. *Hactenus S. Augustinus*.

193 Qui & in lib. XV. de Trinitate non dissimiliter loquens Cap. 16. ait: „ Non fru„ strà in hac Trinitate non dicitur Verbum „ Dei, nisi Filius, nec donum, nisi Spiritus „ Sanctus, nec de quo genitum est Verbum, „ nec de quo procedit principaliter Spiritus, „ nisi Deus Pater. Ideo autem addidi, prin„ cipaliter, quia & de Filio Spiritus Sanctus „ procedere reperitur. Sed hoc quoque illi „ Pater dedit, non jam existenti, & non„ dum habenti, sed quidquid unigenito ver„ bo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum „ genuit, ut etiam de illo donum commune

pro-

„ procederet, & Spiritus Sanctus, spiritus „ esset amborum. *Et cap.27. subjungit*: Qui „ potest intelligere sinè tēpore generationem „ Filii de Patre, intelligat sine tempore pro„ cessionem Spiritus Sancti de utroq;. Et qui „ potest intelligere in eo, quod ait Filius: „ *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic de„ dit Filio vitam habere in semetipso*. Non „ sinè vita, existenti jam Filio vitam Patrem „ dedisse, sed ita eum sinè tempore genuisse, „ ut vitam, quam Pater Filio gignendo de„ dit, coæterna sit vitæ Patris qui dedit. In„ telligat: *Sicut habet Pater in semetipso*, ut „ de illo procedat Spiritus Sanctus, sic de„ disse Filio, ut de illo procedat idem Spiri„ tus Sanctus, & utrumque sinè tempore, „ atque ita dictum Spiritum Sanctum de Pa„ tre procedere, ut intelligatur, quòd etiam „ procedit de Filio, de Patre esse & Filio. Si „ enim quidquid habet, de Patre habet Filius, „ de Patre utiq; habet, ut de illo procedat Spi„ ritus Sanctus. *Hæc, & alia ad rem S.Doctor*.

194 Patet ergò qualis fuerit Ecclesiæ fides de Spiritus Sancti processione, ætate Sancti Augustini longè ante Photium: Non enim Sanctus Doctor agens de Trinitate, diversam ab Ecclesia traditam docuit doctrinam; aliter autem excogitare de tantæ sanctitatis & pietatis Doctore nefas est, eandem tradidit doctrinam, quam sancta Catholica & Apostolica profitebatur Ecclesia. Procedit igitur Spiritus Sanctus, ut exponit S.Doctor, à Patre secundùm ea, quæ ait Salvator: *Spiritus, qui à Patre procedit*, sed principaliter; procedit utique & à Filio; quoniam per hoc, quod dicatur à Patre procedere, non excluditur processio quoque à Filio; immò per hoc, quod procedat à Patre, infertur, quòd etiam procedat à Filio, & per naturalem consequentiam, cum hoc, quòd sicut omnia, quæ habet Filius, habeat à Patre, ita quòd Spiritus procedat à Filio, Filius ipse habet à Patre: Pater omnia communicat Filio, præter paternitatem; nec paternitas est principium processionis Spiritus Sancti, sed voluntas Divina communicata Filio. Hinc est, quòd Patres Constantinopolitanæ Synodi, exprimentes in Symbolo processionem Spiritus Sancti à Patre, nullâ factâ de processione à Filio mentione, non excluserunt eam, & dicendo à Patre procedere, satis eis visum fuit occurrere Macedonio hæretico, omissâ explicatione, quòd procedat à Filio, utpotè tunc non necessaria, quoniam subintelligi poterat, procedere à Filio etiam, semèl quòd à Patre procedat, attentâ identitate principii, à quo procedit, communis & Patri & Filio: Propter inde quorundam falsum intellectum, visum fuit Latinæ Ecclesiæ addere in Symbolo explicitè processionem Spiritus Sancti à Filio, implicitè contentam in Symbolo Constantinopolitano, immò & Nicæno, ut superiùs fati sumus.

195 Et hæc est ipsissima doctrina in Ecclesia Romana, explicata à S.Leone Magno, serm.2. de Pentecoste, ubi exponens verba illa Salvatoris: *Adhùc multa habeo vobis dicere*, cum iis, quæ sequuntur, ait: „ Numquid sese Dominus inferioris scientiæ vo„ lebat intelligi, aut minùs aliquid, quàm „ Spiritum Sanctum à Patre didicisse, cùm „ ipse sit veritas, & nihil Pater dicere, nihil „ docere possit sinè Verbo, ideòque dictum „ sit: *De meo accipiet*; quoniam quod accipit „ Spiritus, Patre dante, dat Filius.

196 Ambrosium quoque ita docuisse Ecclesiam Mediolanensem, satis ostendunt ea, quæ tradit lib.2. de Spiritu Sancto cap. 12., inquiens: „ Omnia Patris habet Filius, quia „ ait: omnia, quæ habet Pater, mea sunt, „ & quæ accepit ipse per unitatem naturæ, „ ex ipso per eandem unitatem accepit Spi„ ritus, sicut ipse Dominus de suo spiritu „ declarans, declarat, dicens: Profectò di„ xi, quia de meo accipiet. *Et clariùs in lib.* „ *de Symbolo*: Spiritus autem Sanctus, *in„ quit*, verè Spiritus est, procedens quidèm „ à Patre, & Filio; sed non est ipse Filius, „ quia non generatur, neque Pater, quia pro„ cedit ab utroque, non genitus, non inge„ nitus, non factus. *Hæc ille*, qui inde ejusdem argumenti plura habet lib. 8. in Lucam cap.28.

197 Idem innuit S. Hieronymus Epist. 150. data ad Edibiam, respondens ad IX. sibi ab Edibia, propositam quæstionem, in cujus fine ait: „ Nec sine Spiritu Sancto prophe„ taverunt Prophetæ: *Et verbo Domini Cœli* „ *firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis vir„ tus eorum*. Et quicquid Patris & Filii est, „ hoc idem & Spiritus Sancti est; & ipse Spi„ ritus Sanctus, cùm mittitur, à Patre & Fi„ lio mittitur: In alio, atque alio loco, Spi„ ritus Dei Patris, & Christi spiritus appel„ latur. *Ita S.Hieronymus*. Consentiunt & alii Latini Patres: Gennadius Massiliensis in lib. de Eccles. dogm. cap. 1. *Spiritus Sanctus ex Deo Patre, & Deo Filio, Deus procedens*. Magnus Gregorius Hom. 26. in Evangelia: *Spiritus Sancti missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio*. Fulgentius porrò in lib. de Fide ad Petrum inter opera S.Augustini cap.XI. velut dogma, firmat Spiritus Sancti à Filio processionem, dum ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum Sanctum, qui Patris & Filii unus est Spiritus, de Patre & Filio procedere*.

198 Et si placet duos Testes ex Latinis antiquiores audire, accipe Martialem Martyrem, qui in Epistola 1. ad Burdigalenses data, cap.10., ubi scribit: „ Spiritus San„ ctus in Divina æqualitate gloriosus pro„ cessit ineffabiliter ab eo, qui genuit, & „ ab eo qui genitus est; Itaque Spiritus Do„ minus Domini procedens est à Patre & „ verbo. *Hæc ille*. Si porrò dubites de hu-

jus Epistolæ genuitate, nolisque tribuere Martiali: dubitare tamen minimè poteris de illius antiquitate, & quin ab antiquissimo fuerit scripta Doctore. Sed & alium accipe antiquitatis testem, Tertullianum, qui adversùs Praxeam scribens sub cap. VIII. ait: *Tertius est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex fructice, & tertius ex fonte rivus & flumine, & tertius à Sole apex ex radio*.

199 Neq; quicquam officit Græculorum quorundam petulantia, testimonia Latinorum Patrum parvifacientium: Etenim eorum pervicaciam retundit sua ipsorum Synodus œcumenica V. & Constantinopolitana II., ubi collatione III. illius Synodi Patres, etsi Græci majori ex parte, professi sunt, nedùm Græcos Patres recipere, verùm & Latinos, quos ibidem recensent, dicendo: „ Super „ hæc sequimur per omnia & Sanctos Patres „ & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hila„ rium, Basilium, Gregorium Theologum, „ & Gregorium Nissenum, Ambrosium, Au„ gustinum, Theophylum, Joannem Con„ stantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, „ Proculum; & suscipimus omnia, quæ de „ de recta fide, & condemnatione hæretico„ rum exposuerunt. Suscipimus autem & „ alios sanctos & orthodoxos Patres, qui in „ sancta Dei Ecclesia rectam fidem irrepre„ hensibiliter, usque ad finem suæ vitæ, præ„ dicaverunt. *Hactenus illi*. Ergò si nominatim profitentur recipere Hilarium, Ambrosium, Augustinum, & Leonem Latinos Patres, tenentur & illorum dictis à nobis de processione Spiritus Sancti à Filio, superiùs allegatis, assensum præstare, atque unà cum eis idem sentire.

200 Si porrò pluris faciant Patrum Græcorum testimonia, cùr non confitentur cum Cyrillo Alexandrino, Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere, prout suprà demonstravimus? Ipse enim sanctissimus Archiepiscopus, alibi quoque, eandem doctrinam ex professo tradit; nam in libro de Recta Fide ad Theodosium Augustum cap. 36. inter alia ait: „ Atqui Virum illum, qui mox affatu„ rus, ac videndus erat, Spiritu Sancto & „ igne baptizaturum prædicat; quippè cùm „ immittat spiritum baptizatis, non alienum, „ ut servus & minister, sed ut Deus secun„ dùm naturam eum summa potestate & au„ ctoritate, eum, qui ex illo est, & ipsius „ est proprius. *Et in lib. de Recta Fide ad* „ *Reginas* §. 3. Credimus similiter & in San„ ctum quoque Spiritum, quem à divina „ natura alienum minimè reputamus: Si„ quidèm naturaliter à Patre est, per Filium „ in creaturam dimanans. *Et in altero opu*„ *sculo ad Reginas* §. 34. *inquit*: Spiritus „ enim æquè proprius est illius, atque Dei „ Patris. *Et lib. 35. Thesaur. cap. Ex substan*„ *tia Patris & Filii esse Spiritum Sanctum*, „ inquit: Cùm ergò Spiritus Sanctus in no„ bis existens, conformes nos efficiat Deo, „ procedat autem ex Patre & Filio, perspi„ cuum est, Divinæ ipsum esse substantiæ, „ substantialiter in ipsa, & ex ipsa proceden„ tem. *Hæc, & alia plura in suis opusculis tradit B. Cyrillus*, cujus opera, nedùm à Græcis, verùm & à Latinis in eo habita sunt pretio, ut digna fuerint, quòd in Synodo Romana à Gelasio Papa reponerentur in Canone eorum librorum, quos sancta Ecclesia Romana absque hæsitatione suscipit.

201 Addo & Sanctum Athanasium, nedùm in Symbolo, quem Græci esse Athanasii negant, licèt aliter deduci possit ex Gregorio Nanzianzeno, in Orat. de Laudibus Athanasii, verùm & in aliis suis opusculis, præcipuèque Orat. 4. contra Arianos, ubi ait: „ Non enim tria principia, aut tres Patres „ introducimus, quemadmodùm Marcioni„ stæ, cùm non tres Soles ad comparationem „ adducamus, sed unicum Solem, ejusque „ splendorem, unicamque ex ambabus lu„ cem. *Et in Epistola ad Serapionem*: Man„ dat Apostolus, *inquit*, hæreticum hominem „ post unam & alteram correptionem de vita, „ etiam si quos videas cum Elia volantes „ per aera, & cum Petro & Moyse, sicco pede, „ calcantes mària, nisi Spiritum Sanctum „ profiteantur Deum essentialiter ex Deo „ Filio existentem, sicut & Filium natura„ liter genitum, essentialiter ex Deo Patre „ existentem, ut nos profitemur, eos non re„ cipias. *Et in lib. de Virginitate, apud Ha*„ *drianum I. Papam in Epistola ad Carolum* „ *Regem*: Et in Spiritum Sanctum, *inquit*, „ qui in Patre & Filio existens, qui à Patre „ emittitur, & per Filium datur.

202 Addo item Sanctum Basilium, lib. 3. contra Eunomium, dicentem: „ Cùr necesse „ est, si dignitate & ordine tertius est Spiri„ tus, naturâ quoque ipsum tertium esse, „ dignitate namque ipsum secundùm à Filio, „ cùm ab ipso esse habeat, & omninò ab illa „ causa dependeat, pietatis ratio tradit. „ Naturâ verò tertium, uti neque ex san„ ctis Scriptoribus didicimus, neq; ex præ„ dictis colligere possibile est. *Hactenus ille*. Et hoc Basilii testimonium, allegatum collat. XVI. Conc. Florentini, satis examinatum fuit etiã collat. XVII., XVIII., & XIX., ut videre est in Actis prælibatæ Synodi. Ubi & plura ejusdem argumenti testimonia relegi possunt, quæ nos omittimus, quoniam auctoritate sanctorum Patrum, dogma nostrum satis probatum censemus.

203 Doctor Subtilis in 1. Sent. dist. XI. quæst. 1. probat Spiritus Sancti à Filio processionem hac ratione; quoniam videlicet, habens principium perfectum productivum, priusquàm intelligatur habere productum, potest eo principio producere, quandò tale principium est ità perfectum, quòd non de-

pen-

pendeat à passivo, nec per aliquod impediri potest: Cùmque Filius habeat voluntatem, quæ est principium productivum amoris adæquati, habeatque etiam, ut præintelligatur producto actui voluntatis; quia generatio & spiratio habent aliquem ordinem inter se, ita quòd aliquo modo generatio est spiratione prior; & in illo priori genito communicatur omnis Divina perfectio, quæ sibi non repugnat, & ita communicatur voluntas, quæ est principium productivum Spiritus Sancti, & antequàm intelligatur exiisse, aut produxisse aliquem actum: Si ergò exit in actum, dùm intelligitur communicata Filio, non minùs actus productus dici debet, quòd procedat à Patre, quàm à Filio, si procedit à principio existente in Patre & Filio.

204 Sed quoniam aliqui Patres dicunt, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium; alii verò ex Patre & Filio, examinanda est particula, *per*, quid nempè importet; quidvè Sancti Patres intelligant, dùm fatentur, Spiritum Sanctum à Patre procedere per Filium. Et certè Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in sua Fidei professione, recitata in secunda Nicæna Synodo, Act. III., & à Synodo recepta, ait: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre per Filium procedentem*. Cyrillus quoque Alexandrinus in lib. I. de Spiritu & cultura, ait: *Sicuti est Dei & Patris, simùl & Filii substantialiter, ex utroque videlicet ex Patre per Filium procedente Spiritu*. Et simili phrasi usi sunt aliquandò diversi Patres: Proinde de sensu & intellectu hujus particulæ, modò agendum est, nè videantur Patres, aut inter se discordare, aut sibimet ipsis contradicere.

205 Doctissimus Bessarion Cardinalis Nicænus in Oratione Dogmata, exposita in Synodo Florentina, & habetur sess. 25. inter Acta præfatæ Synodi, idem per Filium significare ostendit, ac ex Filio, cap. enim v. demonstrat; primò vim istius præpositionis, *per*, & ait, quòd in omnibus locutionibus, in quibus dicitur, aliquis per aliquem operari, hæc præpositio, *per*, designat in causali aliquam causam, seù principium illius actus; sed cùm actio sit media inter faciens & factum, quandòque illud causale, cui adjungitur hæc præpositio, *per*, est causa actionis, secundùm quòd exit ab agente; & tunc est causa agenti, quòd agat, sivè sit causa finalis, sivè formalis, sivè effectiva, sivè motiva; quoniam in materiali causa accipi in usu non est, sed loco, *per*, dicitur, *ex*, sicut dicitur, non *per* lapides, sed, *ex* lapidibus domus composita: Dùm porrò dicimus, *per* lucrum artificem operari, finalem significamus causam; formalem verò, cùm dicitur operari per artem suam; & motivam, si dicatur operari per imperium alterius. Quandòque verò dictio causalis, cui adjungitur præpositio, *per*, est causa actionis, secundùm quòd terminatur ad effectum, ut cùm dicitur, artifex operatur per malleum; ubi non significatur, quòd malleus sit causa artifici, quòd agat, sed quòd sit causa artificiato, ut ab artifice procedat, & quòd hoc ipsum habeat ab artifice.

206 Quibus præsuppositis, considerandum, inquit, quid velit, Sanctos dicere, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ubi particula, sivè præpositio, *per*, quandam causam significare debet: Non tamen significare potest causam finalem, sivè formalem, quoniam Filius non est causa Patri, ut ex eo procedat, sivè exeat Spiritus Sanctus; neque est causa effectiva Spiritus Sancti, cùm causa effectiva ad creaturam potiùs referatur, nec conveniat Spiritui Sancto, Et ita restat, ut illa præpositio, *per*, sumatur, prout est causa actionis, secundùm quòd terminatur ad effectum, non prout importat causam propriè instrumentalem, quoniam Pater non operatur per Filium, tanquàm per instrumentum agendi, ut artifex operatur per malleum, aut securim; sivè ut dicitur, aliquem operari per locum, aut per tempus. Hæc summæ atque infinitæ Dei perfectioni minimè congruunt; & ita ea præpositio, *per* Filium, significat actionem effectivam Filii per ordinem ad Patrem, à quo Filius accipit omnia, & accipit, ut ex eo procedat Spiritus Sanctus.

207 Scribit enim Evangelista Joannes, agens de Verbo Æterno, & rerum creatione, cap. I. *Omnia per ipsum facta sunt*: ubi Epiphanius & Cyprianus legunt: *Per hunc fecit omnia*; Syriaca lectio, & Persica vertunt: *Omnia per manum ejus facta fuère*. Non est tamen præpositio illa, *per*, accipienda, prout importat aut causam finalem, aut motivam, aut formalem, aut materialem, aut instrumentalem, sed benè ut importat personam operantem, cum ordine ad aliam principaliorem causam operantem. Etenim quidquid facit Pater, facit Filius, facit Spiritus Sanctus, quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; sed diverso modo operantur, Pater à se, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio: Et ita apparet, operari per Filium, nihil aliud esse, quàm Filium operari cum ordine ad Patrem, à quo accipit esse & operari. Id quod notat Sanctus Basilius v. II. ad Amphilochium, ubi tradit, Patrem creare per Filium, nec imperfectam Patris creationem, nec imbecillem Filii actionem significare, sed unitatem voluntatis eorum manifestare, atque: *Non enim imbecillem ostendit Filii actionem, sed causam cum ordine; ad principalem enim causam nos refert*; Et ita concludit Bessarion, inquiens, : Ex Patre etenim omnia, „ quæ Patris sunt, accipit Filius & habet: „ Postque Patrem, & simùl cum eo, & subitò & immediatè intelligitur Filius. Cùm „ enim Filium dicimus, subitò in Patrem, cujus Filius est, mente reducimur: Et cùm Patrem dicimus, Filium statim intelligimus.

Hæc

„ Hæc autem maximè præpositio *per*, potest „ ad principalem causam, teste Beato Basi„ lio, nos reducere. Per Filium enim dicen„ tes Spiritum Sanctum procedere, Patrem, „ ex quo Filius hoc habet, concipimus: & „ quod ad aliud refert quæ sua sunt. *Hactenus ille*. Et ut uno Verbo dicam, nihil aliud importat præpositio *per*, quam cooperatione Filii cum Patre, adeout sensus sit, Spiritus Sanctus procedit ex Patre cooperante Filio: ut idem sit, ac procedere, ex Patre & Filio.

208 At Photiani, & qui ex Græcis schisma sequuntur, contra ejusmodi Spiritus Sancti Processionem à Filio æque ac à Patre, sua in medium producunt adversùs Latinos argumenta: quorum primum, pro ineluctabili ab ipsis habitum, desumunt ex Actis Concilii œcumenici Ephesini. In eo namque, inquiunt Act. VI. relecta est depravata Symboli Nestoriani expositio: ubi apertè recitatum est, Spiritum Sanctum nec ex Filio, neque per Filium procedere: *Sed nec Filium illum putamus*, dicitur in ea expositione, *neque per Filium suam subsistentiam habentem*: & tamen, inquiunt, illius Synodi Patres silvère, nec contradixerunt præfato articulo, adeout dubitari minimè possit, saltem tacitè à Patribus approbatum. Deinde Beatus Cyrillus duodecim anathematismos ex Synodo Alexandrina contra Doctrinam Nestorii pronunciavit: Quibus Theodoretus, aliàs Vir doctus, se oppofuit: & adversùs nonum Anathematismum, inter alia dicit, blasphemiam esse, asserere Spiritum Sanctum procedere ex Filio, aut per Filium: *Proprium*, inquit, *Spiritum Filii, si quidem ut ejusdem cum eo natura, & ex Patre procedentem dixit, simùl confitebimur, & tanquam piam suscipiemus vocem. Si verò tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium reiiciemus*. Et tamen, inquiunt, ad hanc Theodoreti factam reprehensionem, nihil clarè respondit Cyrillus, eamque apertis minimè verbis refutavit: Id quod palàm ostendit, adhæsisse hac in parte Theodoreti sententiæ: alias non tacuisset.

209 Ad primum ergò desumptum ex Symbolo Nestoriano à Charisio in Synodo Ephesina exhibito: respondent Orthodoxi & Latini Patres non valere argumentum, nihilque ab auctoritate negativa desumptum concludere: & eò fortiùs in proposito, ubi Ephesina Synodus contrà Nestorium congregata unicè intendebat Nestorii errorem, de duplici persona in Christo refutare, atque dogma Catholicum firmare, quo docetur unicam in Christo esse personam, & hanc Divinam, proindeque & Beatam Virginem meritò Deiparam esse appellandam. Omisit pro tunc eam quæstionem examinare supra Spiritus Sancti Processione à Patre & Filio: quoniam erat Principale & controversum dogma, de quo agebatur adversùs Nestorium: more periti Medici, ut Manuel Glicas lib. 2. contra Græcos, ait; qui cum infirmum gemino morbo laborare animadverterit, adversùs eum, qui magis perturbat, & sectione indiget, etsi in suo genere minor esse videatur, priùs armatur. Et more quoque Judicum, qui majora crimina, cæteris omissis, Reo obiicere solent. Et multò magis poterant in casu Synodi Patres quæstionem illam præterire, quæ & rectum sensum habere poterat: quasi diceretur per Filium non esse factum, nec creatum, cum dicitur, *neque per Filium suam subsistentiam habentem*.

210 Cæterùm si attendatur Ephesinæ Synodi decretum, post recitatam Nestorii Symboli expositionem, & post pronunciata anathematismata ab Episcopis à Nestorio deceptis, dici non poterit eam approbasse dictum Nestorii, de Spiritus Sancti à Filio, aut per Filium Processione, etsi explicitè de hoc dogmate minimè actum fuerit: Damnatur namque eo Decreto dogma falsum Nestorii, damnantur omnia, quæ ea expositione impiè afferta sunt à Nestorio de Filii Dei incarnatione, & quæ subnexa sunt: „ Simili etiam mo„ do, *inquiunt Patres*, si qui inventi fuerint „ vel Episcopi, vel Clerici, vel Laici, sive „ sentire, sive docere ea quæ continentur in „ oblata expositione à Charisio Presbytero de „ Unigeniti Filii Dei Incarnatione, sive sce„ lerata & perversa Nestorii dogmata, quæ „ & subnexa sunt, subjaceant sententiæ san„ ctæ hujus & universalis Synodi. Et ita ap„ paret, quod si quid præter rectam fidem „ continebatur in expositione, vi hujus de„ creti, damnationi subjecit.

211 De reprehensione porrò Theodoreti ad IX. Cyrilli Anathematismum, certè non tacuit Cyrillus, suamque suscepit defensionem, & se defendendo, probavit Spiritum Sanctum à Patre procedere & Filio, licèt non cum hac expressione verborum: ait namque in defensione ad objecta Theodoreti contra IX. Anathematismum: „ Factus est necessariò „ anathematismus, non adversùs eos, qui „ dicunt clarificatum à Spiritu Sancto Jesum, „ hoc est, inhumanatum Dei Verbum; sed „ potius contra illos, qui impudenter eum „ virtute per Spiritum, tanquam aliena usum „ dicunt: Meminimus enim eum apertè di„ xisse de Sancto Spiritu: *Ille me clarificabit*. „ Novimus ad hæc Sancti Spiritus operatio„ ne conterentem nequissimas, immundasque „ virtutes: sed non ita dicimus eum, sicut „ unumquemque scilicèt Sanctorum, virtute „ Spiritus Sancti, tanquam aliena usum. Erat „ enim & est ejus Spiritus, sicut certè & Pa„ tris. Et hoc nobis bene satis explanabit „ Divinus Paulus scribens. *Qui autem in* „ *carne sunt, Deo placere non possunt. Vos* „ *autem non estis in carne, sed in Spiritu: si* „ *tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. *Si quis*

au-

„ *autem Spiritum Christi non habet, hic non* „ *est ejus*. Procedit enim ex Deo & Patre „ Spiritus Sanctus secundùm Salvatoris vocem: sed non est alienus à Filio: omnia „ enim habet cum Patre: & hoc ipse edocuit, „ dicens de Spiritu Sancto: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*; *Propterea dixi* „ *vobis, quia de meo accipiet & annuntiabit* „ *vobis*. Ergò clarificavit quidem Jesum Spiritus Sanctus mirabilia operantem: verumtamen ut Spiritus ejus, & non aliena virtus & eo præstantior, secundùm quod intelligitur Deus. Non blasphemavimus igitur in Sanctos Angelos, nec in Prophetas, „ sicut dicere præsumpsit, qui solummodò „ accusare novit. *Hactenus Cyrillus*. Et in explicatione ejusdem Anathematismi exhibita Synodo, ait: „ Etsi Unigenitum Dei Verbum, homo factum est, mansit tamen Deus, „ omnia, præter solam paternitatem cum Patre „ communia habens: Spiritumque Sanctum, „ qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, „ proprium habens, Divinæ potentiæ signa „ operabatur. *Hæc ille*. Ubi apertè dicit Spiritum Sanctum ex Filio quoque esse, cum dicat, *ex ipso est*; esse autem ex Filio nil aliud est, quàm procedere à Filio. Et in defensione ad objecta Orientalium, pariter ad IX. Anathematismum similia docet: inquiens: „ Propriusest enim ejus Spiritus Sanctus, quemadmodùm scilicèt est Dei Patris: operatur autem sicut Pater per Spiritum, ità & „ ipse. Itaque quamvis diceret Judæis: *multa bona opera ostendi vobis à Patre meo*. Et „ *à me ipso non loquor*: *Pater autem in me* „ *manens, ipse facit opera*; rursus tamen alicubi dicebat: *Si autem ego in Spiritu Dei* „ *ejicio Dæmonia*: operationem per Spiritum „ referens in se & Patrem, propter identitatem substantiæ. *Hæc & alia ibi*.

212 At inquiunt Græci, Theodoreti reprehensiones ad Cyrilli Anathematismos recitatæ fuere in plena Ephesina Synodo, & audientes Patres Theodoretum dicentem, Spiritum Sanctum, neque ex Filio, neque per Filium habere existentiam, tacuerunt, nihil dignum fortè rehepræensione in eo Theodoreti dicto dignoscentes: quoniam verosimilè non est eos siluisse, si quid contra fidei dogma in verbis Theodoreti deprehendissent. Eorum ergò silentium approbatio dogmatis fuit.

213 Respondet Bassarion in præcitata oratione Dogmata Cap. 6. ex silentio Patrum Ephesinæ Synodi non rectè inferri eos approbasse dogma Theodoreti: quoniam Theodoretus, duo dixit: Spiritum Sanctum videlicèt, nec ex Filio esse, & nec per Filium subsistere: Atqui per Filium subsistere doctrina est complurium Sanctorum Patrum; & tamen Concilium quoad utramque partem tacuit: si ergo ex ejusmodi silentio, inferri liceret, Synodum dogma Theodoreti approbasse, sequeretur, quod Concilium approbasset, non solùm Spiritum Sanctum non esse ex Filio, verùm nec quod subsistentiam haberet per Filium; & ita reprobasset dicta omnium illorum Patrum, qui asserunt Spiritum Sanctum per Filium subsistere, quod nec Græci ipsi prætendunt, cum etiam multi Patres Græci etiam post Synodum Ephesinam scripserunt, Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium, quod idem est, etiam juxta Græcorum Phrasim, ac subsistere per Filium, uti sunt Sanctus Maximus, Tharasius, & Joannes Damascenus: & hic præcipuè, qui licèt fateatur Spiritum Sanctum non procedere ex Filio, apertis tamen verbis dicit, ex Patre procedere per Filium. Non est ergo verosimile, hos & alios Patres dicere voluisse, Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere & subsistere, si Sacra Ephesina Synodus tacendo, dicta Theodoreti comprobasset.

214 Sed quis nescit in v. Synodo œcumenica, ab ipsis Græcis Patribus damnata esse Theodoreti scripta adversùs XII. Capitula S. Cyrilli? In Anathematismo namque XIII. hæc leguntur: „ Si quis defendit impia Theodoreti scripta, quæ contra rectam fidem & „ contra primam Ephesinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum & duodecim „ ejus Capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, „ & pro aliis, qui eadem prædictis Theodoro „ & Nestorio sapuerunt, defendens eos, & „ eorum impietatem, & propter hoc impios „ vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem „ secundùm subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea, „ & eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, „ insuper autem & omnes, qui scripserunt „ contra rectam fidem, & Sanctum Cyrillum, „ & duodecim ejus Capitula, & usque ad „ mortem in tali impietate permanserunt, talis, anathema sit. *Hæc ibi*. Constat ergò in hac Generali Synodo approbatam & receptam esse Cyrilli traditam in duodecim Anathematismis doctrinam, damnata verò, quæ adversùs eandem doctrinam scripserat Theodoretus, tunc temporis Nestorii Fautor, atque Defensor.

215 Deinde eundem ipsum Theodoretum sua adversùs rectam fidem & duodecim S. Cyrilli Capitula, retractasse scripta, testatur Pelagius II. Papa in Epistola data ad Eliam Aquilejensem, aliosque Istriæ Episcopos, ubi Capitolo xx., ita scribit: „ Neque enim omnia Theodoreti scripta damnamus, sed sola „ quæ contra duodecim Cyrilli Capitula, „ sola quæ contra rectam fidem, aliquando „ scripsisse monstratur. Quæ tamen & ipse „ damnasse cognoscitur, qui in Sancta Chalcedonensi Synodo, vera confessus invenitur; nam quomodo post errorem rectè sapiat, & ea quæ prius scripserat, & ea quæ „ in Chalcedonensi Synodo ab illo sunt gesta, „ manifestant. *Et post plura subjungit*. Quia

non

„ non videat quanta temeritate plenum sit, „ Theodoreti scripta superbiendo defendere, „ quæ eundem ipsum constat, recta post profitendo, damnasse. *Hactenus Pelagius.*

216 Deinde in Romana Synodo sub Gelasio Papa celebrata Anno Domini CDXCIV. quadraginta & tres annos post œcumenicam Chalcedonensem Synodum, in Decreto de Canonicis & Apocryphis Scripturis, recepta sunt, absque ulla exceptione & indifferenter omnia opuscula Beati Cyrilli Alexandrini: *Item*, inquit, *opuscula Beati Cyrilli Alexandrini Episcopi*: idest, suscipit & veneratur Sancta Romana Ecclesia. Et ex hoc sequitur profiteri se recipere etiam duodecim Capitula, quæ Beatus Cyrillus scripsit adversùs Nestorium. Non tamen sic recepit Theodoreti, adversùs eadem Capitula scripta, damnata postea in v. Synodo, & à Pelagio Romano Pontifice pro damnatis habita, ut antefati sumus: & denique à Magno quoque Gregorio rejecta, ut ex ejus Epistola data ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum lib. 1. Epistola 24. perspicuum fit, scribente: *Scripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur*. Videant ergo Græci qualem vim habeat argumentum desumptum ex scriptis Theodoreti adversùs Cyrillum, & ex silentio Ephesinæ Synodi.

217 Instant Græci, nonnulla Sanctorum Patrum testimonia in medium producentia: Et primò loco afferunt illud Dionysii Areopagitæ in lib. de Divinis Nominibus Cap. 2. dicentis: *Solus fons consubstantialis Deitatis est Pater*. Secundò citant Basilium Magnum in Epistola 43. scribentem: *Nullam secundùm propriam rationem communionem habet Filius cum Patre*. Tertiò loco proferunt S. Gregorium Nazianzenum in Oratione 24. ad Episcopos, qui venerant ex Ægypto, ubi ait: *omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate*. Quartò denique loco adducunt S. Joannis Damasceni testimonia, deprompta, ex lib. 1. de Fide Cap. 7. & 8. ubi primò ait: *Spiritus Sanctus à Patre procedit, & in Filio quiescit*. Secundò dùm infra dicit: *Spiritum Sanctum dicimus ex Patre, ex Filio non dicimus*. Tertiò cum ait: *Spiritus Sanctus ex Patre quidem est, non autem ex Filio*. Et denique lib. 1. Cap. XI. inquiens: *Spiritum per Filium esse dicimus, ex Filio non dicimus*. Adduntetiam & illud Theophilacti in Cap. 3. Joannis ajentis: *Sane Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelligentes, dicunt, quod Spiritus etiam ex Filio procedat*. Sed hoc testimonium parùm attendimus, utpotè Doctoris scribentis tempore Schismatis, ac Græcis in hoc dogmate adhærentis: unde & prioribus dumtaxat testimoniis nostrum est satisfacere.

218 Ad primùm ergo testimonium depromptum ex verbis Deiferi Dionysii Areopagitæ, dicimus utique verum esse solum Patrem fontem esse super substantialis Deitatis, quia à Patre accipit esse Filius, & à Patre quoque principaliter Spiritus Sanctus. Non enim excluditur, quin Pater sit fons totius Deitatis, quamvis Spiritus Sanctus procedat quoque à Filio, quoniam, ut supra fati sumus, quod Spiritus Sanctus à Filio procedat, à se nnon habet Filius, sed à Patre, qui omnia dedit Filio, sola excepta Paternitate: & ideo optimè salvatur, quod Pater fons sit totius Deitatis, licèt Spiritus Sanctus, à Filio quoque simul & à Patre procedat. Et S. Athanasius in lib. de humana natura suscepta, ex sacris literis, præcipuèque Joannis Cap. IV. & Cap. VII. Deum comparat Fonti, aquæ verò ex Fonte dimananti, Spiritum Sanctum: & tamen non negat Filium quoque esse Fontem Spiritus Sancti: unde adducens illa psalmistæ verba psal. 35. *Quoniam apud te est Fons vitæ*, concludit dicens: *Noverat enim apud Patrem Filium esse Fontem Spiritus Sancti*. Et S. Epiphanius in Panario hæresi 69. non abnuit asserere, Patrem esse Fontem Filii, Filium Fontem Spiritus Sancti, Fontem ex Fonte: *Quo ostendat*, inquit, *Fontem ex Fonte, ex Patre & Unigenitum Spiritum Sanctum*.

219 Deinde Leontius Episcopus, ut habetur in historia Concilii Nicæni primi apud Gelasium Cyzicenum Cap. 22. explicans Philosopho Trinitatis mysterium, utique Deū Patrem Fontem vitæ appellat, juxta illud psal. 35. *apud te est Fons vitæ*, Fontemque luminis esse fatetur, addens psalmista: *& in lumine tuo videbimus lumen*, sed lumen quoque esse Filium dicit, lumen Spiritum Sanctum ex eodem lumine. Unde recitatis psalmistæ verbis, ait: „ Fontem vitæ Deum & „ Patrem appellans: ad Filium verò loquens: „ siquidem Pater est in Filio, & Filius in Patre: „ lumen autem ipsum Filium nominat, in quo „ lumine testatur videndum esse lumen, Spi„ritum Sanctum: *In lumine*, inquit, *tuo* „ *videbimus lumen*. Fons enim vitæ ac lumi„ nis verè est Pater; lumen etiam est Filius „ ex Patre lumine; Lumen etiam est Spiritus „ ex eodem lumine. *Hæc ille*. Est ergo Filius lumen ex Patris lumine, qui Fons est totius luminis, est quoque & Spiritus Sanctus lumen ex eodem lumine Patris emanato jam in Filio, & ita tertium lumen ex lumine Patris & Filii, licèt principaliter dicatur de Patre, à quo & Filius accipit esse lumen. Clariùs tamen Epiphanius in Anchorato, secundùm eandem luminis metaphoram, Trinitatem explicans, ait: „ Audi ò bone, quod Pater ve„ ri Filii est Pater, totus lux, & Filius veri „ Patris, lux de luce, non sicut facturæ, „ aut creaturæ nomine solum, & Spiritus „ Sanctus, Spiritus veritatis est, lux tertia „ à Patre & Filio. *Et infra*. Spiritus Sanctus, „ *ait*, ex Patre & ex Filio solus est lux veritatis.

220.

220 Ad secundum, dicendum, Basilium eo in loco optimè fateri, Filium, secundùm propriam notionem, nullam habere communionem cum Patre, quoniam notio propria Filii, ipsamet filiatio est, quæ nullam cum Patre communionem habet, nec per eam Filius cum Patre: quemadmodùm nec Pater, secundùm paternitatem, quæ est propria Patris notio, nullam habet cum Filio communionem. Alitèr enim locutum esse Basilium, quoad Spiritus Sancti processionem, lib. 3. contrà Eunomium, satis suprà demonstravimus: Non est ergò, ut diutiùs in explicanda hujus sanctissimi Doctoris mente immoremur.

221 Ad testimonium porrò desumptum ex Oratione 24. Sancti Gregorii Nazianzeni, dicentis: omnia, quæ habet Pater, habere & Filium, caussalitate exceptâ, dicimus, Sanctum Gregorium loqui de caussalitate, respectu ejusdem Filii, quæ est ipsius Patris proprietas, Filio prorsùs incommunicabilis, ac si diceret: omnia, quæ Patris sunt, Filius habet, præter esse Patrem. Undè posteà idem Sanctus Doctor, conferens Spiritum Sanctum cum Filio, subjungit: *Omnia, quæ habet Filius, habet Spiritus Sanctus, exceptâ filiatione*, idest, exceptâ proprietate personæ Filii. Et certè alibi, puta Orat. 37., magis astruit, quàm destruat Spiritus Sancti processionem à Filio: Comparat enim ibi Sanctissimam Trinitatem cum tribus humanis Personis: Patrem nimirùm Adæ comparat, quoniam, sicut Adam à nulla creata persona originem traxit, sic Æternus Pater à nulla neque increata persona accipit esse. Filium porrò Evæ comparat; quoniam, sicut Eva ex sola Adami substantia processit, sic Filius à sollus Patris substantia emanavit. Spiritum denique Sanctum Seth comparat, ex Adamo, & Eva producto; adeòut inferri liceat, Spiritum Sanctum, de hujus sanctissimi Doctoris mente, à Patre, & Filio suum esse accipere, sicut Seth ab Adamo acceperat & Eva.

222 Ad illud denique Damasceni, diversimodè ipsum locutum dicimus; lib. enim 1. de Orthodoxa Fide, cap. 18., asserit, Spiritum Sanctum Filii esse imaginem, quemadmodùm Filius est Patris imago; ait ergò: *Imago Patris est Filius, & Filii Spiritus, per quem Christus habitans in homine, dat ipsi, ut ad imaginem sit*. Ex quo loco, Sanctus Gregorius Nazianzenus posset rectè inferre, Spiritum Sanctum esse ex Filio; quoniam idem Sanctus Doctor infert, Filium ex Patre esse, quia Patris est imago; scribit namque Oratione 26. *Imago dicitur Filius Patris, tanquàm consubstantialis Patri, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater*. Ergò, si Spiritus Sanctus est imago Filii, erit talis, quia Filio consubstantialis, & quia ex Filio est, licèt non ex hoc sit & ipse Filius. In eâdem porrò Orat., cap. 13., asserit apertè, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium: *Sed & Filii Spiritus est*, inquit, *non tanquàm ex ipso, sed quòd per ipsum ex Patre procedat. Solus enim Pater principium est*. Et ideò, cùm cap. XI. dixerat: *Ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus*, non voluit omninò adimere à Spiritu Sancto processionem à Filio, semèl quòd posteà fateatur à Patre procedere per Filium, sed solùm excludere voluit à Filio rationem caussæ principalis; designans per præpositionem, *ex*, caussam principalem; per præpositionem, *per*, caussam minùs principalem; & quoniam Pater est principalis caussa processionis Spiritus Sancti, cùm sit fons, & origo totius Trinitatis, ideò dixit: *Ex Patre esse profitemur. Ex Filio autem Spiritum non dicimus*. Et cùm Filius sit etiam caussa, seù principium Spiritus Sancti, habeatque in eum actionem productivam, licèt non principaliter, quia omnia, quæ habet Filius, habet à Patre, & hoc idem, quòd est spirare Spiritum Sanctum, à Patre pariter habet: Ideò idem Doctor cap. XIII. dixit, Spiritum esse Filii, non tamen ex Filio, sed ex Patre per Filium, idest, per actionem productivam Filii terminatam ad Spiritum Sanctum, non tamen exclusâ actione productivâ Patris, veluti principaliori, explicatâ per præpositionem illam, *ex*, scilicet, *ex Patre*.

223 Denique idem Damascenus, cap. xv. ejusdem libri, loquens de Patre, ait: *Et productor per Verbum explanantis Spiritus*, quæ verba explicant Spiritus Sancti processionem à Filio, ex sententia Joannis Bechi Patriarchæ Constantinopolitani, viri catholici, qui in Pseudosynodo Constantinopolitana, jussu Andronici senioris, schismaticorum fautoris, celebratâ Anno Domini DCCLXXXIV., interpellatus in Synodo, ut sententiam suam de Spiritus Sancti processione proferret, respondisse inter alia, refert Pachymeras lib. 7. Hist. Græc. „ Si eam quoquè, quæ Patrum est, „ exposcis, nullo modo fidei Symbolo ad- „ versariam, sed explicationem, & declara- „ tionem potiùs eorum, quæ in Symbolo „ sunt, profitemur. Invenimus in sacris li- „ teris, Spiritum Sanctum exhiberi, dari, „ mitti, provenire eum ex Patre per Filium, „ in nonnullis etiam Patribus habetur pro- „ cedere; ait verò & magnus Damascenus „ Joannes: *Et productor per Verbum Spiritus*, „ agnoscimus autem idem esse, & producto- „ rem, & caussam. *Et infrà subjungit*: Patrem „ caussam per Filium Spiritus dicimus, cùm „ productor in locum caussæ accipiatur.

224 Arguunt indè Græci à ratione, quarum prima est: quòd est ejusdem, ac unius Spiritus, una tantùm caussa, unumque principium esse debet: semèl autem, quòd dicatur, Spiritum Sanctum æquè à Filio ac à Patre subsistentiam recipere, & procedere: duæ essent ejusdem Spiritus caussæ, duaque prin-

cipia. Secunda ratio est: quoniam aut Pater est sufficiens Spiritus Sancti causa, vel principium, aut non: secundùm, dici non potest, nè cogamur asserere, Patrem à Filio accipere aliquid, aut in Patre sine consortio Filii impotentiam aliquam ponere. Si primùm: ergò poterit ipse solus producere Spiritum Sanctum sine consortio operationis Filii, & sic se solo eum producere profitendum erit. Tertia illorum ratio est; quia si Spiritus Sanctus procedit à Filio, ipse Filius proximior erit Patri, quàm Spiritus Sanctus, quoniam Spiritus Sanctus duplici proprietate distingueretur à Patre, Filius verò una dumtaxat; & ità Spiritus Sanctus videretur quoquè minor Filio, atque impotentior, cùm nullius sit causa, aut principium, quandò Filius esset causa, & principium Spiritus Sancti.

225 Ad primam rationem respondemus, nos non admittere duo principia productiva Spiritus Sancti, & si profiteamur à Patre, & Filio procedere Spiritum Sanctum, prout Gregorius X. in Synodo generali Lugdunensi se declaravit, inquiens: „ Fideli, ac „ devotâ professione fatemur, quòd Spiritus „ Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non „ tanquàm ex duobus principiis, sed tanquàm ex uno principio, non duabus spi„rationibus, sed unicâ spiratione procedit. „ Hoc professa est hactenùs, prædicavit, & „ docuit: Hoc firmiter tenet, prædicat, pro„fitetur, & docet sacrosancta Romana Ec„clesia, Mater omnium Fidelium, & Magi„stra. *Et infrà*. Sacro approbante Conci„lio, damnamus & reprobamus omnes, qui „ negare præsumpserint, æternaliter Spiri„tum Sanctum ex Patre, & Filio procedere; „ sivè etiam temerario ausu asserere, quòd „ Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tan„quàm ex duobus principiis, & non tan„quàm ex uno procedat. *Hactenus Gregorius*.

226 Itaque fatemur, Patrem, & Filium, etsi æquè spirent, & producant Spiritum Sanctum, non esse duo principia, duos utique spirantes, unum tamen principium; quoniam nec Pater spirat per id, per quod distinguitur à Filio, & proprium solius est Patris, nec Filius spirat per id, quod est proprium Filii, & per quod à Patre secernitur, sed uterque producunt Spiritum Sanctum per id, quod est ipsis commune: Certè non est in Patre paternitas principium spirandi, nec in Filio filiatio, per quas proprietates adinvicem secernuntur Pater & Filius, sed est divina & fœcunda voluntas, quæ cùm sit una & eadem, cum & eadem Divina essentia in Patre & Filio, indè fit, quòd sit unum & idem principium, in duobus tamen distinctis suppositis. Et hoc apparet etiam in operibus Dei ad extra, ubi non solus Pater Mundum condidit, sed simùl Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quoniam, ut Theologi loquuntur, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; & tamen Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non dicuntur tres causæ, aut tria principia Mundi conditi, qui unus est, sed una causa, unumque principium Deus unus in tribus suppositis distinctis, qui per suam omnipotentem voluntatem universa condidit; quæ omnipotens voluntas, cùm sit in tribus Divinis suppositis, quamvis supposita sint tria, unicum tamen est creandi principium, unicavè causa. Sicut ergò propter unitatem essentiæ, & voluntatis in tribus unicâ actione Mundus creatur, & unum est conditi Orbis principium, ità quoquè propter eandem essentiam & voluntatem in Patre & Filio, Pater & Filius unum tantùm sunt Spiritus Sancti principium, cùm & unâ actione, sivè spiratione utrique communi, propter unitatem potentiæ spirativæ, scilicet voluntatis, spirent Spiritum Sanctum. Et hoc pacto loquitur S. Anselmus in lib. de processione Spiritus Sancti, cap. 9., ubi ait: „ Sicut „ non credimus, Spiritum Sanctum esse de „ hoc, undè duo sunt Pater & Filius, sed „ de hoc, in quo unum sunt; ità non dicimus „ duo ejus principia, sed unum principium. „ Quippè, cùm dicimus, Deum principium „ Creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, „ & Spiritum Sanctum unum principium, „ non tria principia, sicut unum Creatorem, „ non tres Creatores, quamvis tres sint, Pa„ter, & Filius, & Spiritus Sanctus; quo„niam per hoc, in quo unum sunt, non per „ hoc, in quo tres sunt, est Pater, & Filius, „ & Spiritus Sanctus, Principium, sivè Crea„tor. Sic igitur, quamvis Pater sit princi„pium, & Filius sit principium, & Spiritus „ Sanctus sit principium, non tamen sunt „ tria principia, sed unum: Ità cùm Spiri„tus Sanctus dicitur esse de Patre, & Filio, „ non est de duobus principiis, sed de uno, „ quod est Pater & Filius. *Ità Anselmus*.

227 Ad secundam rationem concedimus, Patrem esse sufficiens principium producendi Spiritus Sancti, nec indigere auxilio Filii ad spirandum, quasi accipiat à Filio vim spirandi, vel quasi sine Filii auxilio esset impotens, hæc fateri blasphemum esset: Non ergò ex Patris insufficientia oritur, quòd cum Filio producat Spiritum Sanctum, sed ex naturali ordine Divinarum Personarum, quoniam priùs ordine & origine intelligitur Filius, quàm Spiritus Sanctus, qui est origine posterior Filio, etsi in æternitate semper fuerint: sicut enim operatio intellectus naturaliter præcedit operationem voluntatis, sic in Divinis priùs intelligimus, Deum operari per intellectum, quàm per voluntatem; & cùm Filius procedat à memoria fœcunda Patris, ab intellectu scilicet per essentiam fœcundato, & Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, ideò præintelligitur, secundùm nostrum modum

dum

dum intelligendi, generatio Filii ad Spiritus Sancti processionem: Et ita esse in Filio omnia, quæ Patris sunt, paternitate exceptâ, antequàm Pater intelligatur operari per voluntatem; ac inde fit, quòd cùm exit in actum per voluntatem, intelligitur jam voluntas in Filio, & sic infertur, quòd actus ille procedat à Patre & Filio: Non ergò ex Patris imbecillitate oritur, quòd Spiritus procedat ab utrôque, sed ex naturali ordine Divinarum Personarum, qui facit, ut dùm spiratur Spiritus Sanctus, eadem vis spirandi sit in utroque, Patre scilicet & Filio. Et eàdem de causa dicuntur tres Personæ Mūdum creare, licèt unum principium creandi sit, quoniam eadem vis creandi est in tribus. Nemo certè dicere audebit, Patrem non esse sufficiens ptincipium creandi Orbem, & quòd indigeat auxilio Filii & Spiritus Sancti, quia simùl cum eis universa creavit: Ergò neque in casu de processione Spiritus Sancti idem fateri licebit; eadem namque est ratio, quæ refertur ad unitatem principii creandi communis tribus, dum creat; & ad unitatem principii spirandi communis duobus, dum spirat.

228 Ad tertiam verò rationem dicimus, Spiritum Sanctum non plùs distare, ac differre à Patre, quàm Filius, quoniam solâ passivâ spiratione, per quam constituitur in esse Personæ distinctæ, secernitur æquè à Patre & Filio, sicut Filius à Patre solâ secernitur Filiatione: constitutiva enim Divinarum Personarum sunt illarum distinctiva. Sic Pater constitutus per paternitatem, per eam à Filio secernitur, Filius à Patre per Filiationem, qua in esse Filii constituitur: Spiritus verò Sanctus constitutus in esse Spiritus Sancti per spirationem passivam, per eam distinguitur à Patre & Filio. Nec Paternæ substantiæ est una Persona alterâ proximior, cùm ambæ à Patre immediatè procedant, ab eoque Divinitatem totam accipiant, licèt una nascendo, alia producendo; una scilicet per generationem, altera per spirationem, sivè processionem. Spectato tamen ordine Personarum, non tàm immediatè se habere ad Patrem videtur Spiritus Sanctus, ac Filius, sed hujusmodi ordo naturarum non facit differentiam. Si porrò quis dicat in eo sisti discrimen, quod Filius spirat cum Patre spirante, & Spiritus Sanctus non generat cum Patre generante, concedimus hoc discrimen, quod oritur, ut præfati sumus, ex naturali ordine Divinarum Personarum: Sed hoc nullam imperfectionem ponit in Spiritu Sancto, nec majorem perfectionem dat Filio, quam non habeat Spiritus Sanctus. Si enim Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, non majorem perfectionem haberet, ac habeat procedendo à Patre, & Filio; sicut nec ex eo, quod Pater solus generaret, & spiraret, esset majoris perfectionis, ac si solus non generet, & solus non spiret: ergò nec Filius est majoris perfectionis per hoc quòd spiret, ac esset, si non spiraret.

229 Instant insuper Græci: Si spiratio Spiritus Sancti communis est Patri & Filio, cùm Personæ proprietatibus distinguantur, una erit Patris & Filii Persona. Tùm quia procedens Spiritus Sanctus à Patre & Filio, duplici relatione referri necesse est ad Patrem & Filium, & proindè compositionem non evitabit. Item si perfecta est processio Spiritus Sancti à Patre, superfluum est, ut quoquè à Filio procedat. Item, si quia naturâ unum sunt Pater & Filius, ideò, ut ex Patre, ità ex Filio concedendum est procedere Spiritum Sanctum, sequitur, quòd cùm Spiritus Sanctus sit naturâ idem cum Patre, & ambo sint unum naturâ, idem Spiritus Sanctus cum Patre generet Filium. Deniquè, si Spiritus Sanctus procederet à Patre & Filio, sequeretur, ipsum Spiritum Sanctum Nepotem esse Æterni Patris. Sic arguunt cum suo Photio, & post Photium Græci schismatici; sed meo judicio in doctrina de Sancta Trinitate parùm instructi, minùsvè versati.

230 Itaque ad primum respondendo dicimus, Græcos, sic arguentes, nescire veram Sanctorum Patrum Theologiam, docentium, Divinas Personas distingui per hypostaticas proprietates, per quas & constituuntur. Non enim, ut antefati sumus, Filius à Patre distinguitur per spirationem activam, quæ notionalis est, non personalis proprietas: benè verò per filiationem proprietatem personalem, & ejusdem Filii constitutivam; sicut & Pater à Filio secernitur per paternitatem, quæ est proprietas Patris constitutiva: Spiritus Sanctus verò à Patre & Filio per spirationem passivam, qua in esse Spiritus Sancti constituitur, pariter & distinguitur. Spiratio autem activa non est proprietas personalis Patris & Filii, undè etsi utrique communis, non perindè una persona, cùm per eam nec Pater constituatur, nec Filius; quoniam per eam, nec Pater subsistit, nec Filius: Pater enim & Filius præintelliguntur subsistere ad spirationem activam, prout Theologi omnes fatentur.

231 Ad secundum, negamus ex ejusmodi à Patre & Filio processione sequi in Spiritu Sancto compositionem aliquam, quoniam nec duplicem existentiam accipit Spiritus Sanctus procedendo à duobus, nec duplicem subsistentiam; non enim duplici realatione refertur ad Patrem & Filium, sed unicâ tantùm: eâdem enim passivâ spiratione numero, qua refertur ad Patrem, refertur ad Filium, quoniam ratio formalis terminandi eandem relationem, una, atque eadem in Patre est, ac in Filio. Et sicut unica est spiratio activa, qua procedit Spiritus Sanctus, licèt in duobus, ita una est spiratio passiva, qua Spiritus Sanctus refertur ad Patrem & Filium, ex quo

quo ratio terminandi, ut fati sumus, una sit, quamvis in duobus. Quòd si velint fortassè in Filio reponere aliquam compositionem propter dualitatem relationum in Filio existentium, putà activæ spirationis & filiationis, cùr non in Patre asseritur eadem compositio, eàdem militante ratione? Et si à solo Patre procederet, in Patre fateri deberentur præfatæ duæ relationes, & tamen non auderent asserere aliquam in Patre compositionem, ità nec in Filio asserenda est, licèt in eo duplex ista ponatur relatio. Militat ergò ratio illa generalis, non omnem pluralitatem facere compositionem, sed eam, quæ est eorum tantùm se habentium per modum actus, & potentiæ: Qua de causa, etsi in Divinis admittantur plura distincta, cùm non se habeant per modum actus, & potentiæ, nullam Theologi in Deo compositionem agnoscunt.

232 Ad tertium, non negamus perfectam esse processionem à Patre, sed asserimus perfectam esse quoquè à Filio, quoniam nec vis spirandi, quæ est in Patre, nec ipsa spiratio, aut processio, diversa est à vi spirandi, sivè spiratione, aut processione, quæ est in Filio, & à Filio; sicut enim vis creandi, quæ est in Patre, perfecta est, & in Filio quoquè & Spiritu Sancto pariter perfecta, ità & vis spirandi; & sicut non rectè concluditur in Patre, est perfecta vis creandi universum, ergò superfluum est, ut cum Filio & Spiritu Sancto creet; sic pariter non sequitur in casu de processione, quoniam, ut supra fati sumus, non ex imbecillitate virtutis spirativæ in Patre oritur, ut Spiritus Sanctus à Flio quoq; procedat, sed ex naturali ordine Divinarum Personarum.

233 Ad quartum dicimus, non eò præcisè, quia Pater & Filius unum sunt, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio; nam hac ratione utique, cùm Spiritus Sanctus unum sit cum Patre & Filio, diei posset, Spiritum Sanctum generare Filium, immò & producere seipsum: Procedit ergò Spiritus Sanctus à Patre & Filio, quia vis spirandi, quæ est in Patre, non intelligitur exire in actum, nisi postquàm intelligitur communicata Filio. Cæterùm de Sancta Trinitate orthodoxa doctrina est, quòd Pater per intellectum & memoriam fœcundam generat Filium, & quòd Filius sit terminus adæquatus intellectus Patris operantis, ac per hoc, licèt ex Filio, unà cum essentia communicetur intellectus, non proindè Filius eodem intellectu alium Filium generat, ex quo ipse sit adæquatus terminus potentiæ intellectivæ: Spiritus indè Sanctus est terminus adæquatus potentiæ volitivæ, Divinæ scilicet voluntatis; & ità quamvis voluntas cum essentia communicetur Spiritui Sancto, ut est in eo, utpotè in suo adæquato termino, non potest ulteriùs ad intra in alium actum exire, & alium Spiritum producere, sicut nec alium Filium intellectus, ut est in Filio. Licèt ergò Spiritus Sanctus & Pater unum sint natura, non proindè sequitur, Spiritum Sanctum posse generare Filium, quia vis generandi, antequàm intelligatur in Spiritu Sancto, præintelligitur in suo termino adæquato.

234 Ad ultimum denique dicimus, non convenire Spiritui Sancto, procedenti à Patre & Filio, rationem Nepotis: Nepos enim generatur à Filio, & diversà generatione, qua ipse à Patre generatur. Sempronius generat Cajum, Cajus Titium, qui est Nepos Sempronii; sed Titius generatur à Cajo diversâ generatione ab illa, qua Sempronius genuit Cajum, & in Titium nullam proximam actionem habet. Atqui Spiritus Sanctus in primis non generatur à Filio, & dùm procedit à Filio, æquè & eàdem actione procedit quoquè proximè, & immediatè à Patre: Nepos ergò Patris dici non potest, & quia non generatur, & quia in eum Filius non habet specialem actionem, quam non habeat & Pater.

CAPUT X.

De Nuptiis, & Clericorum cœlibatu.

235 Ecclesiam Latinam damnare Nuptias, est mera Photii calumnia, quam posteà Lutherus, Calvinus, & alii de illorum Schola renovarunt: Prohibet utique, nè in Sacris constituti Clerici uxorem ducant: hoc autem non est damnare nuptias; non enim prohibet ex eo quod censeat, malas esse nuptias, ut Marcion, & quidam alii hæretici antiqui fatebantur, sed propter excellentiam Sacerdotii, Sacrorumque Ordinum, & ministerii, ad quod in Sacris constituti, sunt deputati; & hoc ex antiquissima Patrum traditione, prout infrà ostendemus. Si enim Ecclesia Latina benedicit nuptias, quomodò damnat nuptias? Si Matrimonium, ut unum ex septem à Christo Domino institutis Sacramentis, recipit, & veneratur, qua fronte Photiani, aliique hæretici audent asserere, Latinam Ecclesiam damnare nuptias? Apparet ergò manifesta calumnia.

236 Sancta itaque Romana Ecclesia nuptias, ut bonas, approbat, Virginitatem verò, ut meliorem, juxtà Apostoli sententiam, in 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit*. Non comparat nuptias Virginitati, ut malum bono, sed ut bonum meliori bono, bonæ sunt nuptiæ, quas Christus Dominus suà præsentià in Cana Galilææ honorare dignatus est. Bona quoquè est virginitas, & nuptiis melior, & ideò de Virgine, non de corrupta, nasci voluit. Et hæc est Sanctorum Patrum doctrina: Sic S. Ambro-

broſius lib. 1. de Virginibus inter multa, ait: „ Quid eſt caſtitas Virginalis, niſi expers „ contagionis integritas? Atque ejus auctorem quem poſſumus exiſtimare, niſi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit „ corruptionem, Divinitas non eſt experta „ contagionem? Videte igitur quanta Virginitatis merita ſint. Chriſtus ante Virginem, „ Chriſtus ex Virgine: à Patre quidem natus ante ſecula, ſed ex Virgine natus ob „ ſæcula. Spectate aliud Virginitatis meritum: Chriſtus virgo Virginis Sponſus, & „ ſi dici poteſt, Chriſtus Virgineæ caſtitatis. „ Virginitas enim Chriſti, non Virginitatis „ eſt Chriſtus. *Hactenus Ambroſius*.

237 Item Beatus Hieronymus, ex eo quod Chriſtus de Virgine elegit naſci, probat Virginitatem nuptiis omninò præferendam: Etenim lib. 1. adversùs Jovinianum Cap. 18. ſcribit: „ Si non præfertur nuptiis Virginitas, Spiritus Sanctus, cur maritatam, „ cur viduam non elègit? Nam illo tempore „ erat Anna filia Phanuelis de Tribu Aſer, „ inſignis pudicitiæ & ſemper vacans orationibus, & jejuniis in Templo Dei. Si converſatio tantùm, & bona opera & jejunia „ abſque Virginitate, Spiritus Sancti ad ſe „ mererentur adventum: potuit & iſta Mater eſſe Domini. *Et in fine Capituli*: Non „ nego, *ait*, Beatas eſſe Viduas, quæ ita „ poſt baptiſmum manſerint: nec illarum „ detraho merito, quæ cum viris in caſtitate „ perdùrant: ſed ſicuti hæ majoris apud Deum „ præmii ſunt, quàm nuptæ conjugali officio „ ſervientes: ita & ipſæ æquo animo patiantur Virginitatem ſibi præferri.

238 Hinc eſt Cap. 7. ejuſdem libri: attendens Apoſtoli verba in 1. ad Corinthios Capite 7. *Si autem acceperis uxorem non peccaſti: Et ſi nupſerit Virgo, non peccavit*. Et item. *Igitur qui matrimonio jungit Virginem ſuam benè facit: Et qui non jungit meliùs facit*: probat de Pauli mente præferendam nuptiis Virginitatem, præmiumque majus dandum Virginibus, quàm Nuptis: „ Signanter, *inquit*, „ & propriè ſupra dixerat: Qui ducit uxorem non peccat: hic, *qui ſervat Virginem* „ *ſuam benè facit*. Aliud eſt autem non peccare: aliud bene facere: *Declina*, inquit, „ *à malo & fac bonum*. Illum declinamus, hoc „ ſequimur: In altero initium, in altero perfectio eſt. Verùm ne in eo quod dixit: *Et* „ *qui matrimonio jungit Virginem ſuam, benè* „ *facit*: exiſtimet aliquis obſervationem noſtram non ſtare, protinus hoc ipſum bonum extenuat, & obumbrat comparatione „ melioris, & dicit: *Et qui non jungit meliùs* „ *facit*: Niſi illa turpa eſſet, *meliùs facit*, nunquam præmiſiſſet, *bene facit*: Ubi autem „ bonum, & melius eſt: ubi boni, & melioris, non, non eſt unum præmium: & ubi „ non unum præmium, ibi utique dona diverſa. Tantum eſt igitur inter nuptias, & „ Virginitatem, quantum inter non peccare, „ & bene facere: imò, ut leviùs dicam, quantum inter bonum & meliùs.

239 Porrò in eodem Cap. 7. obſervat Chriſti Domini verba Matthæi Cap. XIX. *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum Cælorum*: quæ nectit cum his quæ habet Iſaias Cap. LVI. verſ. 3. *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum: Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen meliùs à Filiis, & Filiabus*: indeque infert majora præmia in Cœleſti beatitudine eſſe Virginibus repromiſſa, ac ideo Virginitatem majoris eſſe meriti: „ Si caſtrati, *inquit*, mercedem habent regnum Cœlorum: ergò, qui ſe non caſtraverunt locum non poſſunt accipere caſtratorum. *Qui poteſt*, inquit, *capere, capiat*. „ Grandis fidei eſt, grandiſque virtutis Dei „ Templum eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre Domino: & juxta eundem „ Apoſtolum eſſe Sanctum & corpore, & ſpiritu. Hi ſunt Eunuchi, qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, audiunt per „ Iſaiam, quod præ Filiis & Filiabus, locum in „ Cœlis habeant paratum.

240 Et Sanctus Auguſtinus in libro de Sancta Virginitate Cap. 23. eundem Prophetæ locum expendens, arguit eos, qui non rectè prophetica verba interpretantes, exponunt intelligenda de abſciſſis in carne: reprebenditque pariter & illos qui de mercede in hac temporali vita danda Eunuchis, fatentur locutum Iſaiam: „ Contendat ſanè, *inquit*, „ qui voluerint de his Prophetam Spadonibus „ hoc prænunciaſſe, qui corpore abſciſſi ſunt: „ iſte quoque error cauſæ, quam ſuſcepimus „ ſuffragatur: neque enim Spadones iſtos, „ eis, qui in Domo ejus nul'um locum habent, prætulit Deus, ſed eis utique, qui „ in filiis generandis conjugalis vitæ meritum ſervant. Nam cùm dicit: *Dabo eis lo-* „ *cum multò meliorem*, oſtendit & conjugatis dari, ſed multò inferiorem. Ut ergo „ concedamus in Domo Dei prædictos futuros Eunuchos ſecundùm carnem, qui in „ populo Iſrael non fuerunt: quia & ipſos videmus, cum Judæi non fiant, tamen fieri „ Chriſtianos, nec de illis dixiſſe Prophetam, „ qui propoſito continentiæ conjugia non „ quærentes, ſe ipſos caſtrant propter regnum „ Cœlorum: Ita nè tantâ dementiâ quiſquam „ eſt contrarius veritati, ut in carne factos Eunuchos, meliorem quàm conjugatos locum in Domo Dei habere credat, & „ pio propoſito continentes, corpus uſque „ ad contemptas nuptias caſtigantes, ſe ipſo „ non in corpore, ſed in ipſa concupiſcentiæ „ radice caſtrantes, Cœleſtem & Angelicam „ Vitam in terrena mortalitate meditantes, „ conjugatorum meritis pares eſſe contendat:

Et

„ Et Christo laudanti eos, qui se ipsos castraverunt, non propter hoc sæculum, sed „ propter regnum Cœlorum, Christianus „ contradicat, affirmans, hoc præsentis vitæ esse utile, non futuræ? Quid aliud istis „ restat, nisi ut ipsum regnum Cœlorum ad „ hanc temporalem vitam, in qua nunc sumus, afferant pertinere? Cur enim non & „ in hanc insaniam progrediatur cœca præsumptio. Et quid hac assertione furiosiùs!

241 Deinde Cap. 24. subjungit, inqiens: „ Nec sanè Spiritus Sanctus tacuit, quod „ contra istos impudentissimè, ac dementissimè pervicaces apertum, atque inconcussum valeret, eorumque belluinum impetum „ ab ovibus suis inexpugnabili munitione, „ repelleret. Cùm enim dixisset de Spadonibus: *Dabo eis in Domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem multò quàm Filiorum, atque Filiarum*: neque quis „ nimium carnalis existimaret, in his verbis „ aliquid temporale sperandum continuò subiecit: *nomen æternum dabo eis, nec unquam deerit*. Tanquam diceret: Quid tergiversaris impia Cæcitas? Quid tergiversaris? Quid serenitati veritatis nebulas tuę „ perversitatis offundis? Quid in tanta scripturarum luce tenebras unde insidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodò „ utilitatem promittis continentibus? *Nomen æternum dabo eis*. Quid ab omni concubitu immunes, & eo quoque ipso, quo hinc „ sese abstinent, ea quæ sunt Domini cogitantes, quomodo placeant Domino, ad „ terrenam commoditatem referre conaris? „ *Nomen æternum dabo eis*. Quid regnum „ Cœlorum, propter quod se ipsos castraverunt Sancti Spadones, in hac tantum vita „ intelligendam esse contendis? Et si fortè „ hìc, ipsum æternum pro diuturno conaris „ accipere, addo, accumulo, inculco: *Nec unquam deerit*. Quid quæris amplius? „ Æternum hoc nomen, quidquid illud est, „ Spadonibus Dei, quod utique gloriam „ quandam propriam, excellentemque significat, non erit commune cum multia, quamvis in eodem Regno, & in eadem Domo „ constitutis. *Hactenus Sanctus Augustinus*.

242 Sed & iterum Hieronymus in eodem lib. 1. adversùs Jovinianum Cap. 1. Exemplum illud Salvatoris apud Matthæum Capite XIII. de optimo semine cadente in Terram bonam, diversimodè tamen fructificante, dante scilicèt fructum centesimum, sexagesimum, & trigesimum, exponendum censet de præmio conferendo trino personarum Statui, Virginibus, scilicèt, Viduis, & Nuptis: referens præmium centesimum ad Virgines, ad Viduas verò sexagesimum, trigesimum denique ad Nuptas: „ Ut poma ex arbore, *inquit*, frumentum è stipula, ita Virginitas è Nuptiis. „ centesimus, & sexagesimus, & trigesimus „ fructus, quanquam de una terra, & de „ una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad „ Nuptas: Nam & ipsa digitorum conjunctio, quasi molli se complexans osculo, & „ fœderans, maritum pingit, & conjugem. „ Sexaginta verò ad Viduas, eo quod in angustia & tribulatione sunt positæ. Unde „ & Superiori digito deprimuntur. Quantoque major est difficultas expertæ quondam „ voluptatis illecebris abstinere, tantò majus est præmium. Porrò centesimus numerus, diligenter, quæso, lector attende, „ de sinistra transfertur ad dextram, & eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, „ quibus læva Nuptæ significantur, & Viduæ „ circulum faciens, exprimit Virginitatis „ coronam. *Ita S. Hieronymus*. Similia observat & S. Augustinus in prælaudato lib. de de Sancta Virginitate Cap. 45.

243 Ante Hieronymum verò, atque Augustinum idem adnotavit S. Cyprianus in lib. de disciplina & habitu Virginum, licèt fructum centesimum Martyribus tribuat, sexagesimum verò Virginibus, cæteris verò trigesimum: „ Primus enim, *ait*, centenariua, „ Martyrum fructus est: secundus sexagenarius vester est. Ut apud Martyres non „ est carnis & sæculi cogitatio, nec parva & „ & lævis, & delicata congressio: sic & in „ vobis, quarum ad gloriam merces secunda „ est, sit & virtus ad tolerantiam proxima. *Hæc ille*. Tribuens Virginibus majus, quàm Nuptis in cœlestis beatitudine præmium, figuratum per fructum sexagesimum: & primum post Martyres eis locum designans. Hinc & in lib. Apocal. Cap. XIV. scriptum est, stetisse cum agno centum quadraginta quatuor milia, qui & novum canticum ante Sedem, & ante quatuor animalia, & Seniores cantabant, quem nemo alius cantare poterat: Hos porrò centum quadraginta millia, Virgines fuisse testatur Joannes, inquiens: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt*; Hi *sequuntur agnum quocumque ierit*. Ad quem locum S. Augustinus in eodem lib. de Sancta Virginitate Cap. XXVII. ait: „ Ipse vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum Citharædorum illibatæ Virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in „ corde; & quia *sequimini* agnum *quocumque* „ *jerit*, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc agnum, quò nemo eum sequi, „ vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? In quos saltus, & prata? „ Ubi credo sunt grandia gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniæ mendaces, „ nec gaudia, qualia in ipso Regno Dei, cæteris non Virginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. „ Gaudium Virginum Christi, de Christo, „ in Christo, cum Christo, post Christum,

per

„ per Christum, propter Christum. Gaudia „ propria Virginum Christi, non sunt eadem „ non Virginum, quamvis Christi. Nam sunt „ aliis alia, sed nullis talia. *Hæc Sanctus* „ *Doctor*.

244 Plura alia apud Sanctos Patres exarata leguntur de Sancta Virginitate, de illius merito, illiusque præmio, quæ recensere non est præsentis negotii: Non enim controvertitur nos inter & Græcos, an Virginitas præferenda sit nuptiis, sed an nuptiæ sicut & Laicis concedendæ sint & Sacerdotibus: affirmantibus Græcis, latinis verò negantibus: proinde pauca de Virginitatis excellentia præmisimus, ut ex iis liqueat Ecclesiam latinam denegantem Sacerdotibus nuptias, consuluisse quod perfectius est, præcepisse in Dei & Ecclesiæ Ministris, qui Sacrosancta Mysteria contractare debent, corporis, & cordis servandam munditiam: Hoc accepisse ab antiqua Sanctorum Patrum traditione ab initio nascentis Ecclesiæ: ante Jovinianum neminem ausum dicere, per hoc Latinam Ecclesiam dãnasse nuptias: post Jovinianum sanctè quievère cuncti, usque ad Photium, qui Joviniani calumniam ab inferis revocavit: Et post Photium & pertinaces Schismaticos, soli nostri temporis hæretici, ejusdem Photii calumniam in ore retinent.

245 Itaque apud Latinos lex scripta de Clericorum Majorum Cœlibatu legitur apud Clementem Romanum Epistola 2. Si reverà Clementis est, ubi ait: „ Ad Dominica au„ tem mysteria tales eligantur, qui ante or„ dinationem suam conjuges suas non nove„ rint. Quod si post ordinationem Ministro „ altaris contigerit proprium invadere cubile „ uxoris, sacrarii non intret limina, nec Sa„ crificii portitor fiat, nec altare contingat, „ nec ab offerentibus holocausti oblationem „ suscipiat, nec ad Dominici corporis por„ tationem accedat, nec aquam Sacerdotibus „ porrigat ad manus. Ostia forinsecùs clau„ dat, minora gerat officia, urceum sive ca„ licem ad altare non sufferat. *Hæc ille*. Similia his habentur in Decretis Lucii Papæ I. qui claruit Anno Domini CCLV. apud Gratianum in Decreto dist. 81. Capite Ministri.

246 Postea Patres Concilii Illiberitani circa Domini annum CCCV. celebrati, condito Canone XXXIII. eandem disciplinam servandam decreverunt, sancientes: „ Pla„ cuit in totum prohiberi Episcopis, Presby„ teris, Diaconibus, & Subdiaconibus po„ sitis in Ministerio, abstinere se à conjugi„ bus suis, & non generare filios: quicum„ que verò fecerit, ab honore Clericatus ex„ terminetur. *Ita Patres Illiberitani*. In Concilio quoque Ancyrano habito, circa annum Domini CCCXLV. Canone IX. ex Dionysii Exigui versione, pariter de Diaconorum continentia, decretum fuit: „ Diaconi quicum„ que ordinantur, si in ipsa ordinatione pro„ testati, & dixerunt velle se conjugio copu„ lari, quia sic manere non possunt: hi, si „ postmodum uxores duxerint, in Ministe„ rio maneant, propterea quod eis Episco„ pus licentiam dederit. Quicumque sanè „ tacuerint, & susceperint manus impositio„ nem, professi continentiam, & postea nu„ ptiis obligati sunt à ministerio cessare de„ bebunt.

247 Ex quo Can. evincitur in ipsa Sacri Diaconatus ordinatione, ac multo magis in ordinatione Sacerdotis, votum involui continentiæ, & ordinatum in ipsa Sacri Ordinis susceptione continentiam vovere: ac proinde in Canone dicitur, quòd si facta protestatione de nubendo, ordinetur adhuc ab Episcopo, poterit conjugio copulari, quoniam ab hac obligatione censetur ab Episcopo ordinante dispensatus: secus verò, si priùs non protestaverit, quoniam liberè suscipiendo ordinem, nulla facta protestatione, censetur se voto servandæ continentiæ obstrinxisse: ac ideò, utpotè voti sui contemptor, ministerii, cessatione punitur. Nec Canon in prima parte agit de liberè suscipientibus ordinem, sed magis de invitis, & de his, quos Episcopi ob Ecclesiarum necessitatem promovère curabant, ipsis magis quæsitis, quàm quærentibus: Et hac causa, si fatebantur se contineri non posse, cum eis ab Episcopis dispensabatur. Et propter eandem in suscipiendis Sacris Ordinibus obligationem. In Neocæsarea, eodem, quo supra anno, habita Synodo Can. I. decretum fuit: *Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur*.

248 Deinde Anno Domini CCCXXIV. de Subdiaconis, ut à nuptiis se abstineant, sancitum legitur Can. VIII. Romanæ Synodi II. sub Sylvestro Papa (si revera prælibatæ sint Synodi XX. Canones adjecti, de qua re dubitant complures eruditi) In quo quidem Canone decernitur: *Nullum autem Subdiaconorum ad Nuptias transire præcipimus, ne aliqua prævaricatione præsumpserit*. Quod si de Subdiaconis talia decreverunt illius Synodi Patres, non est ambigendum, quin & eandem disciplinam in Ecclesia Romana tunc temporis, in Sacerdotibus, atque Diaconibus servatam fuisse: sequitur namque à Fortiori.

249 In Ecclesia porrò Africana receptam non solùm, sed præceptam quoque antefatam disciplinam, in diversis ejusdem Ecclesiæ regulis scriptum legitur. Etenim in Synodo Carthaginensi, quæ notatur II. in Actis Conciliorum Can. II. Aurelium Episcopum, dixisse fertur: „ Cùm in præterito Concilio „ de continentiæ & castitatis moderamine „ tractaretur, gradus isti tres constrictione „ quadam castitatis, per consecrationes an„ nexi sunt (sive ut in Codice Vaticano le„ gitur: *Qui constrictione quadam castitatis*, „ *per consecrationes annexi sunt*) Episcopos, in-

„ inquam, Presbyteros & Diaconos, ità placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites, „ & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel „ qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in om nibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare, „ ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. „ *Hæc Aurelius: Et respondentes Synodi Patres:* Omnibus placet, *dixerunt*, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, „ etiam ab uxoribus se abstineant. *Et inde universi responderunt*. Placet, ut in omnibus: & ab omnibus pupicitia custodiatur, „ qui altari deserviunt.

250 Sunt autem tria in hoc adnotanda Canone I. quod dicat Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, per consecrationem obstringi ad continentiam servandam: Nam & in collectione Canonum Ecclesiæ Africanæ Canone II. legitur, sicut innuimus legi in Codice Vaticano, nimirum: *Gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis, per consecrationem adnexi sunt*. Ac proinde videtur de præfatorum Patrum mente, ex vi suæ consecrationis Episcopos, Presbyteros, & Diaconos teneri ad continentiam servandam II. Quod afferat ità Sanctos Apostolos docuisse. Et III. Quod ita servaverit antiquitas: Ac ideo satis se declarant, non novam aliquam regulam condere, aut novam introducere disciplinam, sed vetustam, & sub Apostolis ipsis introductam confirmare, eoque Canone roborare; & quoniam nulla contravenientibus statuta fuit pœna: ideo in v. Carthaginensi Synodo Can. III. eàdem præmissa regula subjuntum est: *Quod nisi fecerint ab Ecclesiastico removeantur officio*.

251 Labente sæculo IV. Siricius Papa Epist. I. quæ data est ad Himerium Episcopum Tarraconensem, acritèr reprehendit quosdam Sacerdotes, & Levitas, qui ab uxoribus minimè abstinentes sic in Sacris constituti, liberos procreabant, eo prætextu, quod in veteri lege licuerit Sacerdotibus & Levitis uxores ducere, ac Filios generare: „ Plurimos enim Sacerdotes Christi, *inquit*, §. 7. „ atque Levitas, post longa consecrationis suæ „ tempora, tàm de conjugibus propriis, quàm „ etiam de turpi coitu sobolem didicimus „ procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas „ legitur attributa. *Hæc ille*. Qui postea rationem allatam refellens, ex eo quod Sacerdotibus veteris testamenti eo anno, quo erant in ministerio, procul à Domibus, & in ipso templo habitare jussi fuerant, ne Domi commorantes uxoribus miscerentur, subjungit, de pudicitia & castitate servanda à Sacerdotibus Christi, inquiens: „ Quarum sanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ & „ corda nostra mancipemus & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ „ quotidie offerimus, Sacrificiis placeamus. „ *Qui autem in carne sunt*, dicente electionis „ Vase, *Deo placère non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis*. Et ubi „ poterit, nisi in corporibus (sicut legimus) „ Sanctis, Dei Spiritus habitare!

252 Deinde instruit quid agendum cum ejusmodi ex ignorantia lapsis, quidve cum iis, qui in futurum talia perpetrati fuerint, inquiens: „ Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, his hac conditione misericordiā dicimus non negandam, „ ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo „ detecti sunt, quamdiù vixerint, officio „ perseverent, si tamen post hæc continentes „ se studuerint exhibere. Hi verò, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi „ afferant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo „ indignè usi sunt; Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, ne unquam posse veneranda attrectare Mysteria, quibus se ipsi, dùm „ obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere „ nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter atque Diaconus (quod „ non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excitentur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam. *Hactenus Syricius*.

253 Ex quibus manifestum fit, non aliquam novam legem condidisse Syricium, sed vetustam Ecclesiæ disciplinam de Sacerdotum Cœlibatu, collapsam in Ecclesia Tarraconensi, restituisse. Si enim ante Syricii tempora disciplina hæc nondum viguisset, nulla affecisset pœna eos Sacerdotes, qui antehàc Cœlibatum minimè servaverant: Non enim contra aliquam legem, aut Ecclesiasticam egissent disciplinam: Cùm verò constet non ab omni pœna liberns dimisisse, neque eos, qui ex ignorantia talia perpetrasse, fatebantur, fit evidens, receptam jam in Ecclesia disciplinam, licet ab aliquibus ignoratam, violasse. Nec dicatur, Syricium loqui de iis tantùm, qui de turpi coitu Sobolem suscipiebant: quoniam expressè fatetur, neque ex conjugibus licuisse Sacerdotibus filios procreare: acriùs invehens adversùs eos, qui fatebantur hoc sibi veteri lege concessum: Nemo certè contendebat sibi jure veteris legis licère de turpi coitu liberos gignere: cùm & in veteri lege nefas quoque fuerit: sed uxoribus uti, Sacerdotum veteris legis exemplo, sibi licuisse fatebantur,

254 Sæ-

254 Sęculo postea v. ineunte in Synodo I. Toletana, Can. I. de eodem Cœlibato decernentes Patres dixerunt: „ Placuit, ut Diacones, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiam si uxores habeant, in ministerio constituantur: ita tamen, ut si qui etiam ante interdictum, quod per Lusitanos Episcopos (*sive ut altera lectio habet*, per priores ante nos Episcopos) constitutum est, incontinenter cum uxoribus suis vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis verò ex Presbyteris ante interdictum filios susceperit, de Presbyterio ad Episcopatum non permittatur: *sive* non admittatur.

255 Eodem ferè tempore, anno videlicèt Domini CCCCIV. Innocentius I. consultus à Victricio Episcopo Rothomagensi de nonnullis ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus dubiis, & præcipuè de Clericorum majorum servanda continentia, respondit Pontifex in Epistola ad eum data §. 9. inquiens: „ Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenère Ecclesia omninò debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim. Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus de Templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec Domum suam omninò tangebant, quibus utique propter Sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à Sacrificiis Divinis, vel à baptismatis officio vacent? Nam si Beatus Paulus ad Corinthios scribit. *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*; & hoc utique Laicis præcepit: multò magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi jugè officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. *Hæc ille*.

256 Et in Epistola data anno posteriori ad Exuperium Episcopum Tolosanum, requisitus quid de his observari deberetur, quos in Diaconii ministerio, aut in officio Presbyterii positos incontinentes esse, aut fuisse, generando filios, constabat: respondit §. I.: „ De his & Divinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis Viri Syricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad Ministerium, quod solâ continentiâ oportet impleri. *Hæc Innocentius*. Ex quibus permaximè notandum est, Beatum hunc Pontificem, non tantùm hujusmodi disciplinam referre ad Syricii literas, verùm & ad leges divinas: *De his*, inquit, *& Divinarum legum manifesta est disciplina*: non quod aliqua Divina lege præcipiente hoc caveatur: sed Divinam legem appellans, pręscriptum in veteri testamento, de Sacerdotum continentia pro anno vicis suæ: vel fortè Divinam legem dicens Apostolica instituta ad disciplinam spectantia. Quò verò ad pœnalitates statutas adversùs contemptores præfatæ disciplinæ, ad constituta Syricii se remittit: & ideo in fine ait: „ Nam si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Syricio ad Provincias commeavit, non probabitur pervenisse, iis ignorationis venia remittetur, itaùt de cætero penitùs incipiant abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere, quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem, scisse formam vivendi missam à Syricio derogentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi. *Hactenus Innocentius*.

257 Sed & in Canonibus Ecclesiæ Romanæ ad Gallos missis juxtà quæstiones ab eis propositas, de Sacerdotum continentia Canone III. inter plura hæc habentur: „ Id de Sacerdotibus primo in loco statutum est: de Episcopis Presbyteris, & Diaconibus, quos Sacrificiis Divinis necesse est interesse, per quorum manus & gratia baptismatis traditur, & corpus Christi conficitur, quos non solum nos, sed & Scriptura Divina compellit esse castissimos; & Patres quoque jusserunt, continentiam eos corporalem servare debere. *Hæc ibi*, ubi apparet, non novam aliquam disciplinam eo Canone sancitam, sed vetustam, & à Patribus constitutam, roborare.

258 Leo quoque I. hanc eandem Sacerdotum & Altaris Sacrorum Ministrorum continentiam inculcat, in Epistola LXXXIV. data ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, ubi Cap. 4. scribit: „ Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studère sit liberum, ad exhibendam tamen perfectę continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: *ut & qui habent, sint tanquam non habentes*: & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primò, aut secundò, vel tertiò servandum est, ne aut Levitico ministerio, aut presbyterali honori, aut Episcopali excellentiæ, quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria nec dum frenasse detegitur. *Hæc ille*, qui requisitus ab

ab Episcopo Narbonensi Rustico, ad Inquisitionem tertiam., *do his, qui Altari ministrant, & conjuges habent, utrùm eis licitè misceantur*, respondit Leo; ut habetur in Epistola XCII. ad præfatum Rusticum data: „ Lex continentiæ eadem est Ministris Altaris, quæ „ Episcopis, atque Presbyteris. Qui cùm „ essent Laici, sivè Lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. „ Sed cùm ad prædictos pervenerunt gradus, „ cœpit eis non licère, quod licuit. Undè ut „ de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non „ habeant sic habere, quo & salva sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum. *Hactenus S.Leo Magnus*.

259 Sub hoc porrò Pontifice, Anno II. sui Pontificatus, Domini verò CCCCXLI., celebrata est Arausicana Synodus, in qua diversi Canones leguntur æditi, ad eandem causam pertinentes: Etenim Can. 22. dicitur: „ Præterea, ut deinceps non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito, professi fuerint castitatem. „ *Can.*XXIII. Si quis autem, post acceptam „ benedictionem Leviticam, cum uxore sua „ incontinens invenitur, abjiciatur. *Canone* XXIV. De his autem, qui priùs ordinati, „ hoc ipsum inciderunt, Taurinatis Synodi „ sequendam esse sententiam, qua jubentur, „ non ulteriùs promoveri. *Hæc ibi*. In Concilio verò Taurinensi, celebrato tempore Siricii Papæ, Can. VIII. ità sancitum legitur: *Hi autem, qui contrà interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus Ordinum permittantur, Synodi decrevit auctoritas*.

260 Deindè in subsequentibus quoquè Synodis, variis in locis habitis, cautum fuit, nè Sacerdotes, aut Levitę cum uxoribus commiscerentur, aut uxores, jam in præfatis ordinibus constituti ducerent. Sic in Concilio Turonico I., circà tempora Hilarii Papæ celebrato, ut habetur Can.I., ubi dicitur: „ Si „ enim universis fidelibus, secundùm Apostolicam doctrinam castitas custodienda indicitur, ut, qui habent uxores, ità sint, „ quasi non habentes, quantò magis Sacerdotes Dèi, ac Levitæ, divino mancipati „ altario, custodire debent, ut non solùm „ cordis, verùm etiam corporis puritatem „ servantes, pro plebe supplicaturi, preces „ suas ad divinum introire mereantur auditum? *Et Can.*II. Decrevimus, ut Sacerdos, vel Levita, conjugali concupiscentiæ „ inhærens, vel à filiorum procreatione non „ desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. *Hæc ibi*.

261 Ità & Concilium Agathense, ineunte Sæculo VI., & Symmachi Papæ tempore celebratum, statuit Can.IX. „ Placuit etiam, „ ut si Diacones, aut Presbyteri conjugati, „ ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, & Siricii „ Episcopi auctoritas, quæ est his Canonibus inserta, conservetur. *Hactenus ibi*. In Concilio indè Toletano II., celebrato sub Bonifacio II. Papa, Can.I. decernitur, ut nemo ordinetur, aut ad Sacros promoveatur Ordines, nisi coràm Episcopo & Clero castimoniam servare spoponderit; & indè subjungitur: „ Cavendum tamen est his, nè „ quandò suæ sponsionis immemores, aut ad „ terrenas nuptias, aut furtivos concubitus „ ultrà recurrant. Quod si fortè fecerint, ut „ sacrilegii rei damnentur, & ab Ecclesia habeantur extranei.

262 Et quoniam hujusmodi disciplina, prout respicit Subdiaconos, collapsa fuerat in Ecclesiis Siciliæ, ideò S. Gregorius Magnus scribens ad Petrum Siciliæ Subdiaconum, lib.I. Epist. XLII., pręcipit omnibus Episcopis Siciliæ intimandum, *ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit*. Hinc in Epistola data ad Leonem Episcopum Catanensem, lib. 3. Epist.XXXIV., scribit, eandem prohibitionem factam fuisse à suo decessore, & indè concludens, ait: „ De cætero verò fraternitas tua „ sit omninò sollicita, ut quos ad hoc jam „ officium contigerit promoveri, hoc quàm „ maximè diligenter inspiciat; nè si uxores „ habent, miscendi se cum eis licentià potiantur, sed ad similitudinem Sedis Apostolicæ, eos cuncta observare, suà nihilominùs districtione constituat. *Hactenus Gregorius*.

263 Ad hæc verò addi possunt aliorum Conciliorum Canones, præcipuè Arelatensis II., Can. III., ubi dicitur: „ Si quis „ Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo „ mulierem, præter aviam, matrem, filiam, „ neptem, vel conversam secum uxorem, habere præsumpserit, à communione alienus „ habeatur. *Hæc ibi*, ubi apparet neque uxorem apud se retinere potuisse, in Sacris constitutos, nisi priùs conversa fuerit, idest, nisi votum castitatis emiserit. Item Can.II.Concilii Aurelianensis III. decernitur: „ Ut „ nullus Clericorum à Subdiacono, & suprà, „ qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si fortè jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, laicà communione contentus, juxtà priorum Canonum statuta, ab officio deponatur. *Hactenus ibi*. Item Can. VI. Concilii Toletani VIII. habitum sub Martino I. Papa, ubi decernitur: „ Relatum est nobis quosdam Subdiaconos, postquàm ad sacri hujus Ordinis pervenerint gradum, non solùm carnis „ immunditiæ sordidari, cùm scriptum sit: „ *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, sed „ etiam, quòd dictu quoquè nefas est, novis „ uxoribus copulari; asserentes, hoc ideò „ sibi licere, quia benedictionem à Pontifice

se

„ se nesciunt percepisse. Proindè omni excusationum discisso velamine, id præcipimus observari, ut cùm iidem Subdiacones ordinantur, cum vasis ministerii benedictio eis ab Episcopo detur (sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, & sacra dignoscitur consuetudo substare prolata) omni penitùs ab illis sorde mulierum, ac familiaritate remota. Quòd si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus usque ad extremum vitæ monasteriis relegandi.

264 Deindè celebratâ Aquisgrani Synodo sub Ludovico Pio Imperatore, & Stephano IV. Papa Anno Domini DCCCXVI., statutum est de Subdiaconibus, *ut, quia sacra mysteria contrectant* (ut habetur Can. VI.) *casti & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi*. Posteà sub Ludovico II. Imperatore, & Hadriano II. Papa, Anno Domini DCCCLXVIII. in Synodo Wormatiensi, Can. IX. dictum est: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi se abstineant à conjugibus, & non generent filios. Quòd si hoc decretum violaverint, ab honore Clericatus pellantur*.

265 Itaque ex tot, & talibus Patrum decretis, nedùm solius Ecclesiæ Romanæ, verùm & Africanæ, Hispanicæ, Gallicæ, ac Germanicæ, clarum fit, ejusmodi disciplinam ab initio nascentis Ecclesiæ, in Latina Ecclesia receptam, semperque roboratam, & juxtà temporum vicissitudines confirmatam, etsi alicubi, ob quorundam Clericorum intemperantiam collapsam, editis decretis restitutam. Numquid tot sanctissimos Patres, qui antefatis Conciliis interfuere, ac decretis de servanda Clericorum majorum continentia, subscripsere, nuptias damnasse dicendum erit? Qua ergò fronte Photius, & qui ei adhæserunt, tantam & talem calumniam audent eis inferre? Quomodò non verentur Græculi schismatici infamare sanctos Ecclesiæ Latinæ Patres de heresi, jam ab eâdem Ecclesia, immò & ab universali Ecclesia proscripta, & sæpè sæpiùs damnata, atque execrata. Laudat Ecclesia Latina virginitatem, eamque commendat, non tamen nuptias damnat: Ait namque Siricius Papa in Epistola II. data ad Ecclesiam Mediolanensem adversùs errores Joviniani: *Nos sanè nuptias non aspernenter accipimus, quibus velamine interfuimus, sed Virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas, majore honorificentia veneramur*. Sic quoquè Ecclesia Latina nuptias nequaquam contemnit, sed in Sacerdotibus, atque sacri Altaris Ministris, cordis & corporis munditiam exigit, & ab omni mulierum coinquinatione vult alienos, ut nonnisi sanctè & castè, sancta contrectent. Hinc Sanctus Ambrosius, in lib. I. de Officiis, cap. ultimo, ait: *Inoffensum exhibendum & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis*. Et Divus Hieronymus in Apologia ad Pammachium, cap. VIII. in fine, hanc disciplinam suo tempore servatam scribit, inquiens: *Apostoli, vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici*.

266 Et sanè hujusmodi disciplina, nedùm ex Latinæ Ecclesiæ Patribus, verùm etiam ex Patrum Ecclesiæ Grecæ monumentis eruitur. Extat Canon XXVII. ex iis, quæ Sanctis adscribuntur Apostolis, ab ipsa Ecclesia Græca in magna habitis veneratione, ubi dicitur: *Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodò*. Conceditur ergò solis Lectoribus, & Cantoribus de Clero posse nubere, cæteris verò, in majoribus constitutis Ordinibus, denegatur, per restrictivam illam, *tantummodò*. Nec hic Canon est contrarius VI. Canoni, in quo legitur: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam, nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat*. Loquitur enim de iis Episcopis, atque Presbyteris, qui propter Ecclesiarum tunc temporis exigentiam uxorati ordinabantur: iis ergò præceptum erat, nè suas abjicerent uxores, non quòd eas retinerent ad copulam habendam, & causâ generandi filios, sed ut curam haberent illarum, ipsisque de omnibus, quæ ad vitam honestè degendam, requiruntur, providerent; dicente Paulo, I. ad Timoth. cap. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Cæterùm quoad rem uxoriam, qui habent uxores, tanquàm non habentes esse debent, ut de Subdiaconis ipsis Leo Magnus in Epistola ad Anastasium supra relata scribit.

267 Sed audiamus quid dicat Origenes Homil. XXIII. in lib. Numer., ait namque ibi: *Certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt; undè videtur mihi, quòd illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati*. Audiamus & Eusebium, lib. I. Demonstrat. Evang. cap. IX. dicentem: *Verumtamèn eos, qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos à commercio uxoris decet*. Audiamus & Chrysostomum Homil. 2. de patientia Job, docentem, atque pariter dicentem: *Dixit*, unius uxoris virum, *non eà ratione, ut id nunc in Ecclesia observetur; oportet enim omni prorsùs castitate Sacerdotem ornatum esse*. Audiamus denique Gregorium Nyssenum, in lib. de Virginitate, cap. ultimo, scribentem: „ Quomodò Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, ut munus offerres, unctus es? Quomodò hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohiben-

„ ti, nè sacra impurus faciat? Ac si Deum „ tibi apparere expetis, quòd causa est, cùr „ Mosem cùm audiat, qui populo edicit, ut „ à nuptiis purus sit, quo Dei aspectum com„ prehendat?

268 Clarissimè porrò Sanctus Epiphanius, eandem duplici in loco disciplinam tradit, & in fine Panarii, & in Hæresi LIX., quæ est Catharorum; primo namque loco ait: „ Sanctum Sacerdotium ex Virginibus, ut„ plurimùm, aut ex solitariis, aut si hi ad „ ministerium non suffecerint, de his, qui „ se à propriis uxoribus continent; & si quis „ ab initio continens, viduus fuerit, habere „ potest locum Episcopi, Presbyteri, Dia„ coni, Hypodiaconi. *Alio verò loco scribit*: „ Et adhùc viventem, & liberos gignentem „ unius uxoris virum Ecclesia non suscipit, „ sed eum, qui se ab una continuit, aut in „ viduitate vixit, Diaconum, & Presbyte„ rum, & Episcopum, & Hypodiaconum, „ maximè,ubi sinceri sunt Canones Ecclesia„ stici. At dices mihi, *subjungit*, in quibus„ dam locis adhùc liberos gignere Presbyte„ ros, & Diaconos, & Hypodiaconos. *Re„ spondet*: At hoc non est juxtà Canonem, „ sed juxtà hominum mentem, quæ per tem„ pus elangult. *Hæc ille*. Undè clarum fit de mente hujus sanctissimi Patris, juxtà sinceros primevæ Ecclesiæ Canones, apud quoquè Græcos, disciplinam cœlibatus Clericorum majorum servatam fuisse, collapsam postea ex humanæ mentis malitia quibusdam in locis, etiam sua ætate; proindè ait, non esse secundùm Canones Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos uxores habere, filiosque ex eis generare, sed magis contrà Canones, & ad proprium libitum.

269 Cæterùm generaliter antefatam disciplinam in Orientali Ecclesia minimè receptam constat, nec ex eo Ecclesia Romana damnat Græcos, quia eorum Sacerdotes uxorem retinent, ac cum eis filios gignunt, quemadmodùm Græci Latinos, propter suorum Sacerdotum, & majorum Ministrorum cœlibatum contemnunt, & veluti de hæresi Encratitarum infectos reprehendunt. Habent Orientales suos Canones hac de re editos, præcipuèque à Patribus Trullanis, quos sub nomine sextæ Synodi evulgarunt, à Græcis quidèm receptos, minimè à Latinis, cùm constet, veram sextam Synodum generalem, cui præfuerunt Apostolicæ Sedis Legati, nullos condidisse Canones: Eos verò Canones, qui sub nomine sextæ Synodi in Trullo circumferuntur, à solis Patribus Græcis conditos Anno Domini DCXCII. sub Sergio Papa, & Justiniano Principe juniore ferè Anno XI. ab absoluta sexta Synodo, celebratâ sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato, nec approbatos unquam ab aliquo Romano Pontifice, ferunt, & notant communiter Latini Scriptores. Inter præfatos itaque Canones numeratur XIII., in quo sic legitur: „ Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Ca„ none traditum esse cognovimus, ut promo„ vendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum, „ profiteantur, se non ampliùs suis uxoribus „ conjungendos; nos antiquum Canonem „ Apostolicæ perfectionis, ordinisq; servan„ tes, hominum, qui sunt in Sacris, legiti„ ma conjugia deinceps quoquè, firma & sta„ bilia esse volumus, nequaquàm eorum cum „ uxoribus conjunctionem dissolventes, vel „ eos mutuâ tempore convenienti consuetu„ dine privantes. Quamobrèm si quis dignus „ inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel „ Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad „ talem gradum assumi nequaquàm prohi„ beatur, sed cum legitima uxore cohabitet. „ Sed neque ordinationis tempore ab eo po„ stuletur, ut profiteatur, se à legitima eum „ uxore consuetudine abstenturum; nè ex „ eo à Deo constitutas, & suâ præsentiâ be„ nedictas nuptias injuriâ afficere cogamur, „ evangelicâ voce exclamante: *Quæ Deus* „ *conjunxit, homo non separet*: Et Apostolo „ dicente: *honorabiles nuptias, & thorum im*„ *maculatum*; &: *Alligatus es uxori? nè quære* „ *solutionem*.

270 Et hoc Canone firmata est apud Græcos lex de Presbyterorum, Diaconorum, & Hypodiaconorum conjugio; quoniam anteà, ut ex ante allegatis Patrum testimoniis, non erat in Oriente universaliter recepta de ejusmodi conjugio consuetudo, aliis alicubi cœlibatum servantibus, aliis alibi in conjugio legitimè ante ordinationem contracto, etiam post ordinationem cum uxoria consuetudine remanentibus: Hoc porrò edito, & evulgato Canone, in universo Oriente recepto, prorsùs abrogata est quævis consuetudo de servanda in Sacris Ordinibus continentiâ. Hujusmodi tamen lex roborata nequaquàm fuit auctoritate Romani Pontificis, quoniàm editos in Trullo Canones, nullo pacto Romani Pontifices, aut approbari, aut confirmari consenserunt. Scribit namque Anastasius de Sergio Papa in ejus vita, agens de postulata eorundem Canonum confirmatione: *Compellebatur autem & ipse subscribere, sed nullatenùs acquievit, pro eo quod quædam Capitula extrà ritum Ecclesiasticum fuerant in eo annexa.* Et infrà. *Qui Beatissimus Pontifex*, inquit, *ut dictum est, penitùs eidem Justiniano Augusto, non acquievit, nec eosdem Tomos suscipere, aut lectione pandere passus est. Porrò eos, ut invalidos respuit, atque abjecit, eligens ante mori, quàm novitatum erroribus consentire*.

271 Suffragatur & Beda, in lib. de Sex Ætatibus, agens de Justiniano juniore, ubi ait: Hic beatæ memoriæ Pontificem Roma„ næ Ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ „ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, fa„ vere & subscribere noluisset, misso & Za„ charia Protospathario suo, jussit Constan-

tino-

„ tinopolim deportari; sed prævenit militia „ Ravennatis Urbis, vicinarumque partium, „ jussa Principis nefanda, & cundem Zacha- „ riam contumeliis & injuriis ab Urbe Ro- „ ma repulit. *Hæc Beda*. Id quod loco mox relato subjungit Anastasius, consentitque in omnibus Paulus Diaconus, lib. 6. de Gestis Longobardorum, cap. xi. Eandem inde confirmationem, instantibus Episcopis Orientalibus, à Sergii successoribus procurasse, sed frustrà, Justinianum, idem auctor est Anastasius in vita Joannis VII., Constantini, atque Gregorii II., post quem testati sunt alii Scriptores, videlicet Otho Frisigensis, lib. v. cap. xiii., Regino, lib. 1., Ado Viennensis, in Chron., Marianus Scotus, complure sq; alii Chronologi, & Historici.

272 Nec tamen ità ejusmodi Græcorum consuetudo accipienda est, quasi apud Græcos liceat Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis, post eorum ordinationem, uxores ducere, ut faciunt nostri temporis hæretici, qui hoc licère fatentur: nequaquàm hoc permissum est apud Græcos, & auctoritate Magni Basilii in Epistola secunda Canonica ad Amphilochium Episcopum Iconii, Canone xxvii. interdictum constat, ubi dicit: „ De „ Presbytero, qui per ignorantiam nefariis „ nuptiis implicatus est, definivi quæ oporteat: esse quidèm Cathedræ participem, à „ reliquis autem actionibus abstinere; ei „ enim sufficit, ut veniam consequatur. Ut „ is autem aliis benedicat, qui sua debet vul- „ nera curare, non est consentaneum. Be- „ nedictio enim est sanctificationis commu- „ nicatio: qui autem eam non habet propter „ ignorantiæ lapsum, quomodò aliis com- „ municabit? Nec ergò publicè, nec priva- „ tìm benedicat, nec Christi corpus aliis „ impertiat; nec aliquod aliud sacrum mi- „ nisterium obeat, sed quòd præsideat con- „ tentus, apud alios, & apud Dominum „ defleat, ut sibi ignorantiæ peccatum con- „ donetur.

273 Imperialibus item legibus ibidem vetitum legitur, nam in Auth. Collat. 4. tit. 1. Novella 21. de Nuptiis cap. 42. Imperator Justinianus scribit: „ Sed & si quis inter Re- „ verendissimos constitutus Clericos (ultrà „ Lectorem, aut Cantorem dicimus) om- „ ninò contraxerit nuptias, hunc ex nostra „ constitutione cadere à Sacerdotio consti- „ tuimus, atque volumus. *Et Novella 6. „ cap. 5. Collat. 1. tit. 6.* Si autem aliquis Pres- „ byter, vel Diaconus, aut Subdiaconus po- „ steà ducat uxorem, aut concubinam, aut „ palàm, aut occultè, sacro statim cadat or- „ dine, & deinceps idiota sit. *Et in Cod. de „ Episcopis, & Clericis lib. 1. tit. 3. leg. 45. Leo, „ & Anthemius Augusti decernunt*. Sacris „ Canonibus, neque Deo amantissimis Pres- „ byteris, neque Reverendissimis Diaconis, „ aut Subdiaconis nuptias contrahere post „ hujusmodi ordinationem permittentibus, „ sed solis Reverendissimis Psaltis, & Lecto- „ ribus id concedentibus. *Hactenus ibi*. Cæterùm uxorem, in laicali statu ductam, retinendam adhùc, dùm quis apud Græcos ad sacros Ordines promovetur, præter allegatum sextæ Synodi Trullanæ Canonem, cautum videtur Honorii, ac Theodosii Imperatorum lege lib. 1. tit. 3. Codice de Episcopis, & Clericis, leg. 19., ubi prohibito quovis mulierum consortio, & quavis cum eis cohabitatione, Clericis, & Sacerdotibus, cum matre excepto, filiis, atque germanis, subjungunt: „ Illas etiam non relinqui castitatis horta- „ tur affectio, quæ ante Sacerdotium Mari- „ torum legitimum meruère conjugium, ne- „ que enim Clericis incompetenter adjunctæ „ sunt, quę dignos sacerdotio Viros, suâ con- „ versatione fecerunt. *Hæc ibi*.

274 Verùm, an per ejusmodi Imperialem legem, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus usus maritalis consuetudinis concessus sit, sicut cum uxore concessa est cohabitatio, non tàm certè asserere; quoniam in Auth. Justiniani Collat. 1. tit. 6. Novella 6. cap. 5., ubi de Clericis ordinandis legem statuit Justinianus, ait: „ Ne- „ que autem secundas habentem, aut eum, „ qui habuerit nuptias, ordinari in Diaco- „ num, aut Presbyterum, neque si mulieri „ conjungatur sejunctæ, & proprium Virum „ derelinquenti, sed neque si concubinam „ habeat, sed & ipsam uxorem, si cum ca- „ stitate, & ex virginitate sit. Nihil enim „ sic in sacris Ordinationibus diligimus, „ quàm cum castitate viventes, aut cum uxo- „ ribus non cohabitantes, aut unius uxoris „ virum, qui vel fuerit, vel sit, & ipsam ca- „ stitatem eligentem, primum principium & „ fundamentum manifestum, secundùm Di- „ vinas regulas, & residuæ virtutis constitu- „ tum. *Hactenus ibi*. Vide Novellam 123. cap. 12. & cap. 14., ubi Photii redarguitur impudentiâ, asserentis, Latinos nuptias damnare, quoniam in Sacris constitutis, uxorem ducere prohibent. Idipsum cautum est in præcitata Novella, ubi Justinianus dicit: „ Si verò futurus ordinari Diaconus non „ habuerit uxorem, sicut priùs dictum est, „ conjunctam sibi, non aliter ordinetur, nisi „ priùs ab ordinante eum interrogatus pro- „ miserit, posse post ordinationem, & sinè „ legitima uxore honestè vivere: Non va- „ lente eo, qui ordinat in tempore ordina- „ tionis permittere, Diaconum, aut Subdia- „ conum, post ordinationem, uxorem accipe- „ re. Is autem, qui permittit Episcopus, ex- „ pellatur ab Episcopatu; Si verò post ordi- „ nationem Presbyter, aut Diaconus, aut „ Subdiaconus uxorem duxerit, expellatur „ à Clero, & Curiæ Civitatis illius, in „ qua Clericus erat, cum propriis rebus tra- „ datur.

275 Itaque firmum stat, non licuisse unquam, nec licere in Orientali Græcorum Ecclesia promotis ad sacros Ordines uxorem ducere, novisque nuptiis copulari; licuisse benè uxorem ductam, si virginem ante ordinationem, post ordinationem retinere: an porrò licuerit cum retenta uxore maritalem consuetudinem exercere, filiosque cum ea procreare, ante sextam Trullanam Synodum, nec Canone aliquo Ecclesiastico, nec jure Imperiali, expressè cautum legitur: Quòd si verum est, ut est verissimum, Græcam Orientalem Ecclesiam prohibere jam in Sacris ordinatis, post eorum ordinationem matrimonium contrahere: numquid & ipsa cum Encratitis nuptias, ut malas damnat? In hoc enim imitatur Ecclesiam Latinam, quæ Clericis majoribus prohibet nubere, nulli tamen alteri id idem interdicit. Ergò aut uterque Ecclesia Græca, & Latina nuptias damnat, aut certè, si non Græca, neque Latina. De Græca non fatebitur Photius, nè suæ Ecclesiæ injuriam talem inferre videatur: ergò solà calumniandi causà, id adversùs Ecclesiam Latinam pronunciat. In eo ergò inter utramque Ecclesiam discrimen vertitur, quò Græci post Trullanos Canones permittunt uxoratis ante ordinationem uxores retinere, & uxoriam cum eis consuetudinem exercère: Latini verò in hujusmodi uxoratis ante ordinationem, aliam servant disciplinam, prohibentes maritalem copulam; non dissolventes legitimè contractum matrimonium, sed thorum dumtaxat segregantes, præcipientes, ut ab omni maritali amplexu prorsùs se abstineant, ut sanctè & castè sancta contrectare valeant.

276 Id quoquè congruenti ratione demonstratur, quoniam etiamsi nulla lex lata esset de Clericorum majorum cœlibatu, adhùc expediret, eos vitam cœlibem ducere; liceret utiquè eis uxorem ducere, quoniam abstinentia à nuptiis sub consilio dumtaxàt caderet, non tamen expediret: multa enim licent, quæ tamen non expediunt: *Omnia mihi licent*, ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 6. *sed non omnia expediunt*. Et cap. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*. Licebat Apostolo pecunias, aut sustentationem pro suo Ecclesiastico & Evangelico sudore à Corinthiis accipere, ut docet cap. 9. ejusdem Epistolæ, sed non expediebat, nè offendiculum daret Evangelio; proindèque pecuniis Corinthiorum jure Divino, & naturali pro Evangelii prædicatione sibi debitis, parcebat: Et ità etsi aliqua fieri liceant, si tamen sequi possit Evangelii, aut Dei cultus jactura, expedit ab eis abstineri. Atqui secluso præcepto liceret utiquè Clericis majoribus nubere, non tamen expediret, nam sine Evangelii, & Divini cultus jacturà, Clericorum majorum nuptiæ non consistunt.

277 Etenim, quamvis nuptiæ considera- tæ secundùm rationem nuptiarum, earumque intrinsecam naturam, non repugnent Dei cultui, & ex consequenti nec Dei cultui, nec Evangelio aliquam faciant jacturam, cùm ipsum Evangelium eas approbet: Si tamen considerentur secundùm rationem propriam conjugum, & officia illorum, & consideremus ministerium & officium Clericorum majorum, ac cultus Divini Ministrorum, ex eorundem Ministrorum nuptiis sequitur magna Evangelii, & Divini cultus jactura: Ait namque Paulus in priori Epistola ad Corinthios, cap. 7. *Volo autem vos sine sollicitudine esse: Qui sinè uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt; qui autem cum uxore est sollicitus, est quæ sunt Mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est*. Si ergò Ministri Ecclesiæ uxores ducunt, certè divisi sunt à Deo, sollicitudine rerum humanarum & Mundi, quærentes uxoribus complacère, atque filiis, non sine Evangelii offendiculo, atque Divini cultus jactura. Evangelicum enim Ecclesiæ Ministrorum officium, est verbum Dei populo annunciare, & ad virtutes permaximè exhortari: Atqui nullà fronte ad continentiam exhortari Viduas, ad virginitatem sectandam ipsas Virgines poterunt, semèl quòd ipsi & uxores habent, & operam dant generandis filiis. Pro populo orare officium est Sacerdotis; atqui mentem ad Deum elevatam, ut exigit oratio fervida, non adeò perfectè habere potest, qui mundanis curis est implicatus, qui incontinens vivit; cujus rei causà Apostolus ipse in eadem Epistola 1. ad Corinth. cap. 7. admonet, Laicos uxoratos, ut ad tempus contineant, ut orationi vacare possint: *Nolite*, inquit, *fraudari invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*. Certè actus conjugii aciem mentis hebetat, & ad inferiora deprimit: „ Non solùm totum corpus, nec solùm extrinsecus, „ *ait Augustinus lib. 14. de Civitat. cap. 16.* „ *agens de libidinoso actu conjugali*, verùm „ etiam intrinsecus vendicat, totumq; com„ movet hominem, animi simùl affectu cum „ carnis appetitu conjuncto, atque permixto, „ ut ea voluptas sequatur, qua major in cor„ poris voluptatibus nulla est; itaut mo„ mento ipso temporis, quo ad ejus perve„ nitur extremum, penè omnis acies, & quasi „ vigilia cogitationis obruatur. *Hæc ille*. Sicut enim qui animum ad Cœlestia, ac Divina erectum habent, à corporis voluptate penitùs sunt abstracti; ità è contrario qui corporis voluptatibus sese involvunt, animum ad venerea prorsùs depressum habent, non sunt sui juris, ut ità loquar, & comparantur jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis; sicut equs & mulus, quibus non est intellectus.

278 Sed & Sacerdotes, quibus animarum cura commissa est, & ex præscripto Evangelii pro salute ovium suarum, vigiles esse oportet,

tet, animamque, si opus fuerit, pro eis ponere, huic Evangelico ministerio sibi debito, uxorati, & liberos gignentes, nequaquàm, ut expedit, operam dare poterunt; prævalente in eis carnali uxoris amore, & filiorum, spirituali ovium suarum; cùm secundùm rectam regulam, testante D. Ambrosio, lib. 1. de Officiis cap. 7. Spirituales filii plusquàm carnales diligendi sint. Neque poterunt pauperum ovium suarum subvenire indigentiis, juxtà regulas Ecclesiasticas, si uxori & filiis providere debent. Hinc illa hospitalitas & benignitas, quàm maximè in hujusmodi exigit Paulus, scribens ad Titum, cap. 1. non erit inveniri in uxoratis & filios habentibus Sacerdotibus; nec erunt alieni à turpi lucro, damnato in eis ab eodem Apostolo; quoniàm cùm Ecclesiastica beneficia, filiis nequaquàm relinquere possint, ùt benè provisos relinquant, prout optant ex carnali amore parentes, necesse est, ut per fas & nefas temporalia bona eis relinquenda sibi procurent, id quod in injuriam ministerii Evangelici maximè cedit; adeòut esset, sicut populus, sic Sacerdos; sicut Sacerdotes, sic & populus.

279 De Episcopis pauca addam, quoniam nec Græci Episcopis uxores in domibus retinere permittunt, vetantibus Regulis Ecclesiasticis Orientalis Ecclesiæ, immò & Imperialibus, ut in Cod. de Episcopis & Clericis lib. 1. tit. 3. leg. 48. *Sancimus, neminem ad Episcopatum ordinari, nisi & in aliis rebus utilis & optimus sit, & neque mulieri cohabitet, neque liberorum existat pater, sed loco uxoris adhæreat quidèm, & continens sit circà sanctissimam Ecclesiam*. Et leg. 42. *Oportet enim Episcopum, minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem. Hus igitur ob causas prohibemus, habentem natos, aut nepotes, ordinari Episcopum*. Et novella 6. Justiniani, cap. 1. §. 4. ubi agitur de Episcopi ordinatione, & præscribuntur ordinandi conditiones, dicitur: *Neque filios, aut nepotes habens*; sed propter recentiores hæreticos, qui indiscriminatim Ecclesiasticis omnibus, sivè Presbyteris, sivè Episcopis, uxores concedunt, filiosque procreare permittunt, afferam dumtaxat Pauli testimonium, in Epistola ad Titum, ubi describit, qualē Episcopum esse oporteat, cap. 1. inquiens: *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem*. Dixerat enim in priori ad Timotheum cap. 3. *Oportere Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum*. Nè videatur concedere ex hoc Episcopis uxoriam consuetudinem, & pudicitiam conjugalem tantùm in eis exigere, scribens ad Titum, se explicat magis, dicens: *oportere esse continentem*: continentia enim etiam conjugales amplexus prohibet; potest enim quis dici castè vivere, castitate scilicet conjugali, etiamsi ab amplexibus conjugalibus non se abstineat, non tamen hoc pacto dici potest, continentiam servare, atque continentem esse. Si ergò Paulus vult, Episcopum esse continentem, alienum planè vult ab omni conjugali voluptate.

280 At plura objiciunt contemptores continentiæ, sivè Græci, sivè recentiores hæretici: Primò ergò ajunt, Dominum nostrum Jesum Christum continentiam nequaquàm præcepisse, Apostolos sanctarum Ecclesiarum plantatores, consuluisse magis, quam præcepisse; undè Paulus in priori ad Corinthios, cap. 7. vers. 25. *De Virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus, ut sim fidelis*. Et vers. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit Virgo, non peccavit*. Et vers. 38. *Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit*. Itaquè non præcipiens, loquitur Paulus, sed tantùm consulens continentiam; & ratio hujus est: quoniam continentia donum Dei est; undè Sapiens, lib. Sap. cap. 8. vers. 21. *Et ut scivi*, inquit, *quoniàm aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset hoc donum*. Ipse quoquè Paulus ad Galatas, scribens, continentiam & castitatem Spiritus Sancti fructus esse docet: Atqui non omnes hoc Dei donum habent, eodem Apostolo teste, 1. ad Corinthios cap. 7. vers. 7., scribente: *Volo autem omnes vos esse, sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidèm sic, alius verò sic*. Ergò nemini præcipienda est continentia, nè præcipiatur illis, qui hoc à Deo donum non habent; & solius Apostoli doctrina sequenda est, qui scribens ad Corinth. loco cit., ubi admonens, non præcipiens, ait: *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*; subjungens indè: *Quòd si non se continent, nubant; meliùs est enim nubere, quàm uri*. Et in exordio ejusdem capitis: *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat; & unaqueque suum virum habeat*. Quod ergò justis de causis consuluit tantùm, non præcepit Paulus, nec debuit, nec potuit Ecclesia præcepisse, iisdem militantibus causis: Ergò nulli continentiam præcipere potuit, nec Laicis, nec Clericis in quovis ministerio Ecclesiastico constitutis.

281 Hoc sanè argumentum magis Lutheranorum est, quàm Græcorum, desumptum ex Lutero, in lib. de Votis Monasticis, afferentis, non potuisse Ecclesiam id sub præcepto statuere, atque præcipere, quod Christus tantùm consuluit, & noluit præcipere: Urget etiam Græcos, apud quos, saltèm in Episco-

scopis continentiam præcepisse, nec extat aliqua Scriptura Sacra adeò clara, ut ex ea, absque ambiguitate aliqua deduci possit præpræceptam esse Episcopis continentiam Divina auctoritate, licèt ab exordio nascentis Ecclesiæ, hæc in Episcopis disciplina, sive apud Græcos, sive apud Latinos servata fuerit, Sanctorum Apostolorum exemplo, de quibus D. Hieronymus supra relatus ait: *Apostoli, aut Virgines, aut certè post Nuptias continentes*.

282 Itaque respondens fateor, legem de servanda continentia, nec Christum Dominum dedisse, nec Apostolos, Christum verò illam consuluisse, dum dixit: *Et sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Cælorum*; certum est, Paulum quoque, non præceptum, sed consilium tantùm ea de re tradidisse, ipsius primâ ad Corinthios Epistolâ darè docet: At verò, quod in argumento ex hoc inferunt Luterani, nimirum, Ecclesiam ex consilio fecisse præceptum, ac præcepisse quod nec Christus, nec Apostoli præcipere voluerunt, falsum est, & apertum mendacium: nam continentia sub consilio, non sub præcepto ab Apostolis, & Christo Domino posita, sub consilio semper fuit, estque adhuc: neminem Ecclesia cogit ad servandam continentiam, qui enim vult esse continens, se ipsum constringit ad servandam continentiam, nec cogitur ab Ecclesia. Etenim, qui continentiam sub præcepto servare tenentur, aut Monachi sunt, aut Sacerdotes, & Majores Clerici: sed isti dùm talem sibi eligunt statum, sua spontè, non vi aliqua ad continentiam servandam se astringunt, dùm sua spontè statum talem eligunt, cui adjuncta est obligatio servandæ continentiæ: neminem cogit Ecclesia ut Monachalem statum eligat, neminem cogit ut promoveatur ad Sacros illos Ordines, quibus adjuncta est obligatio servandæ continentiæ: si enim cogeret, utique de consilio præceptum faceret, cumque neminem cogat, non facit de consilio præceptum.

283 Igitur lex Ecclesiæ est, ut qui Monachalem vitam amplecti cupit, qui statum Ecclesiasticum eligens, ad Sacros Ordines promoveri desiderat, se obliget vitam ducere cœlibem, servare scilicèt continentiam: cùm tamen nemo eum cogat ad statum illum eligendum, nemo certè cogit eundem ad vitam cœlibem ducendam: Et hoc pacto potuit Ecclesia legem condere de continentia servanda, attentâ præcipuè temporum circumstantiâ, quãdo scilicèt multiplicatis fidelibus, multiplicatus est Ministrorum numerus, & multi sunt, qui Sacerdotium appetunt: In hoc enim casu licuit Ecclesiæ promovendis hanc præscribere disciplinam, ut si velint promoveri, castè & continenter vivant, voveantque servare continentiam, vitamque imposterum ducere cœlibem. Certè Christianos habere omnia communia, nulla Divina lege tenebantur, tamen in ipso Ecclesiæ exordio, & sub ipsis Apostolis lex de rerum communione ab ipsis Sanctis Apostolis, ità exigentibus illius temporis circumstantiis, lata fuit; quæ postea sub aliis circumstantiis, & plurimùm dilatato Evangelio, ubique multiplicatis fidelibus abrogata fuit: si ergo hoc licuit Apostolis ad tempus, licèt nullum Divinum ad hoc urgeret præceptum, Domino solùm consulente bonorum temporalium abdicationem, perfectioris status eligendi causâ: licère etiam potuit Ecclesiæ, attenta temporum varietate legem condere de Ministrorum cœlibatu, modo jam supra explicato: quod non est de consilio præceptum facere: solumve sub præcepto cadit, in ordine ad eos, qui sua spontè, voto se ad continentiam servandam adstringunt.

284 Nec quidem negamus continentiam donum Dei esse, & quidem magnum: sed dicimus illius generis esse donorum, quæ volentibus dantur: Etenim diversa sunt donorum genera: quædam pendent à solius Dei liberalitate, quæ, nemine postulante, conferuntur, ut fuit Verbi Dei Incarnatio: quædam verò, quæ etiam postulata & volentibus denegantur, ut est Martyrii donum: Alia porrò quæ dumtaxat postulata, & solis volentibus dantur, tamen aliquando, justo Dei judicio adhuc denegantur, ut est donum perseverantiæ in bono gratiæ: Et alia sunt quæ volentibus nunquam denegantur, ut est ipsum donum continentiæ: Quod si hujus generis non esset, non rectè Paulus in priori ad Corinth. Cap. 7. loquens de parente sub cujus potestate filia existit virgo, diceret: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicat in corde suo servare Virginem suam, bene facit*. Certè non bene faceret; si non sciret donum continentiæ omnibus volentibus à Deo dari.

285 Atqui inquiunt: complures voventes continentiam, non continent inde, deficiente eis continentiæ dono, nec est verosimile, quod nolint continere, emisso jam continentiæ voto. Utique concedo complures, qui Deo continentiam voverunt, irrito facto voto, continentiam non servare, nego tamen hos velle, aut fortasse voluisse continere, etiam dum continentiam voverunt: quoniam non adhibitis Apostolicis circumstantiis se ejusmodi voto obstrinxerunt. Debet enim qui continentiam vovet, non ex aliqua levitate moveri, sed debet firmè in corde suo statuere se velle propter regnum Cœlorum continere: nec habens necessitatem, adeout non paupertas, aut aliquis mundanus finis inducant voventem ad habitum religionis suscipiendum, vel ad eligendum Ecclesiasticum institutum, velutì sibi ad corporis commoditates magis accommodatum: & habens potestatem suæ voluntatis, ut cum maturo consilio, non simplicis aliorum suasione, aut primo intuitu, &

magna cum deliberatione moveatur ad vovendum. Quot sunt, utinam non essent, ex Religiosorum, Religiosarumque, & cæterorum Ecclesiasticorum numero, qui aut coactè talem statum sibi elegerunt, jubentibus & cogentibus parentibus, aut necessitate pressi ex deficientia rerum ad honestam vitam in sæculo ducendam necessariarum, aut denique, ut eâ viâ ad potiores gradus, & dignitates conscendere valeant, quæ Laicis non sunt concessæ, ut itâ majus emolumentum sibi & Domui aquirant. Quot quot hujusmodi de causis & similibus moventur, non fiunt Eunuchi propter regnum Cœlorum, non habent firmum propositum, nec decernunt firmiter in corde suo continentiam servare, & hac de causa donum continentiæ non habent: & hoc quia nolunt; nolunt enim quia non eo fine continendi propter Christum, & propter Regnum Cœlorum, sed quovis alio prorsùs, continentiam vovent, illamque eo in statu servare, magis ore, quàm corde promittunt.

286 Deinde hoc donum petendum est, dicente Salvatore nostro Math. Cap. 7. vers. 7. *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur*. Non tamen satis est uteumque petere, sed ut oportet necesse est petatur, & prout Apostolicæ nos docent litteræ: Ait namque Beatus Jacobus in sua Epistola Catholica Cap. 1. vers. 5. *Si quis vestrum indiget sapientia*, fortè ut quis continere possit, *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*. Et ut indicet non quamcumque postulationem sufficere ad obtinendum donum expostulatum, subjungit statim inquiens: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Sequtus Magistri regulam dicentis apud Marcum Cap. XI. vers. 23. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic Monti: tollere & mittere in Mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei*. Hac ergo cum fide firma atque stabili petendum est continentiæ donum, ut mereatur sibi donari. Et Joannes Apostolus in sua prima Epistola Cap. 3. vers. 22. addit ad rectè petendum, & petitum impetrandum opus esse observantia mandatorum Dei. *Fiduciam habemus*, inquit, *ad Deum: & quid quid petierimus, accipiemus ab eo*, & inde rationem affert pro impetrata petitione, inquiens: *Quoniam mandata ejus custodimus: & ea quæ sunt placita coram eo, facimus*: ergo Dona Dei, utcumque petentibus non dantur, sed petentibus cum fiducia & absque hæsitatione: & petentibus simul, & quæ sunt Deo placita agentibus, atque Divina ejus mandata implentibus: Ergo quicumque firmus in corde suo decernit, non habens necessitatem, amore Christi & rerum Cœlestiarum, continentiam servare, & cum fiducia & absque ulla hæsitatione, ambulans in observantia mandatorum Dei, & agens quæ Deo sunt placita, postulat continentiæ donum, illud certissimè obtinet.

287 Instant perpetuò Græci, si Apostolorum regulæ tales sunt, ut præcipiant Episcopis & Presbyteris, ne uxores suas sub prætextu religionis abiiciant: quomodo potuit Ecclesia contra Apostolicos Canones quidquam decernere? Dicitur autem in VI. Apostolorum Canone: *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat*: & pœnam abiicientibus decernitur per ea quæ sequuntur: *Si verò rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit deiiciatur*: ergo tantùm abest, ut Apostoli continentiam Clericorum, aut præciperent, aut consulerent, quòd oppositum in Sacris eorum Regulis tradiderunt. Cujus rei gratia in sexta Synodo Generali cautum est, ne promovendi ad Sacros Ordines cogantur, aut uxores jam acceptas relinquere, aut profiteri se cum illis cœlibem vitam ducere, ut Canone XIII. ejusdem Synodi: ubi pariter decretum est, hujusmodi habentes uxores promotos, solùm abstinere ab uxoribus oportere tempore vicis suæ, maximèque orationis & jejuniorum tempore, secundùm Ecclesiæ Carthaginensis statuta, cùm Patres in antesato Canone dicant: „ Scimus autem sicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ ministrorum curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui Sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri secundùm proprios terminos à consortibus abstineant: ut & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, tempus in omni re scientes, & maximè in jejunio & oratione. *Hæc illi*. Subjungentes postea tanquam violatores Apostolorum Canonum puniendos eos, qui sic promoti, aut uxores abiiciunt, aut ab illarum se consuetudine abstinent: „ Si quis ergo, inquiunt, fuerit ausus præter Apostolicos Canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in Saeris Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore, & consuetudine privare deponatur. Similiter si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur, & si perseveret deponatur.

288 In hoc verò Græcorum argumento, plura sunt examinanda: & primo loco quid velint Apostolici Viri, qui, Canones qui sub Apostolorum nomine circumferuntur, condidere, dum in VI. Canone decernunt, non licère Clericis Majoribus sub religionis prætextu, uxores per eos legitimè ductas abjicere. Deinde videndum qualis sint auctoritatis Canones, qui sub nomine sextæ œcumenicæ Synodi conditi à Græcis fuere. Tertiò deniq; loco agi oportet de genuino sensu Cano-

num Ecclesiæ Carthaginensis, quos in suam sententiam trahere conati sunt Trullani Patres, antedicti Canonis conditores, ut plenè argumento satisfaciamus.

289 De primo, diximus jam sub numero 270. Mentem illius Apostolici Canonis conditorum, non eam fuisse, ut Clerici Majores post legitimam uxorem ductam, pro Ecclesiarum tunc temporis necessitate, urgente Ministrorum penuria, promoti, sive ordinati uxores retinerent, & uxoriam consuetudinem cum eis haberent, neque hoc velle verba illa, *uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat*; velle bene ut suarum uxorum curam haberent, quantum ad eis providendum de necessariis ad honestam vitam ducendam, ne sub prætextu religionis adeò abiicerent, ut imposterum nullam illarum curam haberent. Et quod hæc genuina sit præfati Canonis expositio, ex eo liquet, quod in eo non solùm præcipitur Presbyteris ne obtentu religionis proprias abiiciant uxores, verum & Episcopis: *Si quis Episcopus, aut Presbyteri*, inquit, Canon, & tamen Græci non consentiunt, ut Episcopi cum suis cohabitent uxoribus, ac cum eis uxoriam consuetudinem habeant: unde iidem Trullani Patres Can. XLVIII. decreverunt: „ Uxor ejus, „ qui ad Episcopalem dignitatem promove- „ tur, communi sui viri consensu priùs sepa- „ rata, postquam in Episcopum ordinatus „ est ac consecratus, Monasterium ingredia- „ tur procùl ab Episcopi habitatione extru- „ ctum, & Episcopi providentia fruatur. *Hæc ibi*. Cùm ergo Apostolicus ille Canon nedùm Presbyteris, verum & Episcopis prohibeat, ne sub Religionis prætextu uxores abiiciant, & tamen Trullani Patres, eo non obstante Canone non permittunt Episcopis, nec quidem cohabitare cum propriis uxoribus, licèt velint ut de earundem providentia in Monasterio sustententur, in hoc sensu explicato Apostolico Canone, ex ea parte quæ tangit Episcopos, palàm fit, ut rectè eodem planè modo, modò intelligi debeat, etiam ex altera parte, quæ respicit Presbyteros: æque de utrisque loquitur Canon, æqualis ergo de utroque erit expositio, & intelligentia.

290 De secundo plura diximus supra sub num. 279. & 280., adnotantes eos Canones non esse sextæ Synodi œcumenicæ, cùm in ea nullus conditus fuerit Canon, benè verò editos fuisse sub Justiniano Juniore in suo Palatio, & loco, Trullum nuncupato, à pluribus Episcopis Græcis sua sponte absque Sedis Apostolicæ auctoritate, & sine ejusdem Sedis Legatis, congregatis: ac nullo pacto à Romanis Pontificibus approbatos, sed magis perpetuò rejectos, ut loco citato vidimus: ac proinde argumentum depromptum ab auctoritate illius Canonis, nullius est roboris, nulliusque firmitatis.

291 De tertiò denique, prout Trullani Patres se eo in Canone referunt ad regulas traditas ab Ecclesia Carthaginensi, dicimus eos multum errare: quoniam alia fuit in Ecclesia Carthaginensi disciplina ab ea, quam ipsi prætendunt: In ea namque Ecclesia perpetuò continentiam majores Clericos servasse, tradit Beatus Augustinus, cui non erat ignota illius Ecclesiæ disciplina, utpotè & ipse in Africa Episcopus, lib. 2. de Adulterinis conjugiis Cap. XIX. & ultimo, ubi ad convincendum eos, qui sub prætextu, quod continere non poterant, Adulterinis se copulabantur conjugiis, Clericorum continentiam opponere illis consueverat: „ Unde istis, *inquit*, „ qui virilem excellentiam non putant, nisi „ peccandi licentiam, quando terremus ne „ Adulterinis conjugiis hærendo pereant in „ æternum, solemus eis proponere etiam „ continentiam Clericorum: qui plerumque „ ad eandem sarcinam subeundam capiuntur „ inviti, eamque susceptam usque ad debi- „ tum finem, Domino adjuvante, perdu- „ cunt.

292 Cæterùm Patres Trullani nisi sunt Can. 111. Synodi V. Carthaginensis, ubi Aurelius Episcopus dixit: *Placuit quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui Sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus se contineant*. Ubi verba illa in Latinum versa, *secundùm priora statuta*, Patres Trullani exposuerunt, *secundùm definitum tempus*, adeòut velint nil aliud definisse Carthaginenses Patres, nisi ut Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi se ab uxoribus abstinerent temporibus statutis, scilicèt tempore vicis suæ, quo nimirum Sacrificium offerre debent, aut sacra contrectare, prout & Balsamon, & Zonaras pariter explicant. Sed planè decipiuntur: primò, quià in eodem Canone etiam idem de Episcopis decernitur, & tamen nec quidem de Græcorum mente ita potest de Episcopis intelligi, quod scilicèt tempore dumtaxàt vicis suæ se abstineant ab uxoribus, quos perpetuò continentes esse volunt, ut in Superioribus adnotavimus. Deinde ex aliis Canonibus ejusdem Ecclesiæ Carthaginensis, constat verba illa, *secundùm priora statuta*, nil aliud importare, nisi secundùm ea, quæ decreta sunt in præteritis conciliis: unde in Concilio Carthaginensi nomine 1 t. ordine verò postremo, celebrato sub Cœlestino Papa Can. 11., Aurelius „ Episcopus dixit; cùm in præterito Conci- „ lio de continentiæ & castitatis moderamine „ tractaretur, gradus isti tres conscriptione „ quadam castitatis per consecrationes annexi „ sunt, Episcopos, inquam Presbyteros, & „ Diaconos, ita placuit, ut condecet Sacro- „ sanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec „ non & Levitas, vel qui Sacramentis Divi- „ nis inserviunt, continentes esse in omnibus,

quo

„ quò possint simpliciter, quod à Deo po-
„ stulant, impetrare, ut quod Apostoli do-
„ cuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos
„ quoquè custodiamus. Ab universis Epi-
„ scopis dictum est: Omnibus placet, ut
„ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui
„ Sacramenta contrectant, pudicitiæ custo-
„ des, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab
„ omnibus dictum est: placet, ut in omni-
„ bus, & ab omnibus pudicitia custodiatur,
„ qui Altari deserviunt.

293 De moderamine castitatis nonnulla leguntur decreta in prioribus Synodis Ecclesiæ Carthaginensis, ut in Conc. II. circà tempora Siricii, vulgò III., Can. XVII. *Ut cū omnibus omninò Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent.* Et Can. XXV. *Ut Clerici, vel continentes, ad Viduas, vel Virgines, nisi jussu, vel permissu Episcoporum, & Presbyterorum non accedant; Nec ipsi Episcopi, aut Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas.* Et in Concilio IV. Carthaginensi, Canon. XLVI. *Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.* Et Canon. CII. *Ad reatum Episcopi pertinet, vel Presbyteri, qui Parochiæ præest, si sustentandæ vitæ præsentis causâ, adolescentiores Viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subjiciantur.* Ad hoc fortasè Canones postremæ Carthaginensis Synodi Patres respexerunt, dùm in Canone supralaudato dixerunt: *Cùm in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur.* Veriùs tamen puto, Patres illius Concilii respexisse ad primam Synodum Carthaginen., sub Julio I. celebratam, sub Grato Episcopo Carthaginensi Anno CCCXLVIII., ubi Canon. III. definitum est, *ut Clerici cum Viduis, & Sanctimoniales fœminæ cum extraneis viris, vel fœminis non cohabitent.* Et Can. IV. *Ut Clerici cum viduis, vel aliis extraneis personis non commoreneur*, ut præscribitur in eorum titulis; quoniàm Concilium, ubi antefatus Canon conditus est, celebratū videtur Anno Domini CCCXC., ut in Appendice ad tomum 2. Conciliorum, ex Labæi collectione apparet, & inter hæc duo Concilia aliud interpositum non reperitur. Itaque, quod isti Patres dicunt, *in præterito Concilio*, illi dicunt, *secundùm* priora statuta, quod idem est, ac si dicant, secundùm statuta in prioribus Conciliis, vel in præteritis Conciliis.

294 Arguunt porrò producentes Canonem IV. Concilii Gangrensis, celebrati circà Annum Domini CCCXXIV. ergà tempora Nicænæ Synodi, magnæ propter vetustatem auctoritatis, in quo sancitur: *Si quis de Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportère, eo sacra celebrante, oblationi communicare, sit anathema.* Ex quo inferunt Canone, licuisse Presbyteris uxorem ducere, atque eos potiùs damnari, qui sub specie, aut prætextu, quòd eis non licuerit, ab illorum oblationibus, velut illicitis, se abstinebant.

295 At in pravum sensum quis non videt hunc Canonem interpretari à contemptoribus cœlibatus? Non enim legitur in eo: *de Presbytero qui uxorem ducit*, sed *duxit*, idest, qui uxorem habuit, ut rectè eum interpretatur Dionysius Exiguus, qui legit: *Quicumque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Et Isidorus Mercator: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblationibus ideò se abstineat, anathema sit.* Ut ergò non semèl diximus, in primitiva Ecclesia propter Ministrorum indigentiam aliqui ad Sacros Ordines promovebantur, qui jam duxerant uxores, quæ, si tempore ordinationis adhùc in vivis erant, continentiam servare impostèrùm profitebantur, & à maritali thoro prorsùs manebant segregatæ, quia nonnisi de illarum, & præmisso continentiæ voto, non ordinabantur viri. Si posteà viri, aut nunquàm habuerint uxores, vel si habuerint, è vivis excesserant, in ipsa ordinatione profitentibus continentiam, non licebat ampliùs nubere. Gangrenses ergò Patres loquuntur de Presbyteris, qui ante ordinationem uxorem duxerant, & quorum uxores, aut obierant, aut ad formam Regularum Ecclesiasticarum, si adhùc superstites erant, continentiam servare jam professæ erant. Et cùm quidam de Eustathii sectâ nuptias, ut malas, prorsùs damnantes, evulgabant, seù docebant, à Presbyteris, qui semèl uxores duxissent, vel habuissent, nequaquàm licère oblationes percipere, nec eorum interesse sacrificiis, ideò hujusmodi Eustathiani dogma damnantes Patres, anathemati subjecerunt talia jactantes.

296 Hæc porrò ità se habere ex Epistola Synodica ejusdem Concilii, datâ ad Episcopos Armeniæ, clarum fit, cùm in ea causam congregatæ Synodi nullam aliam fuisse asserant, præter impiam Eustathii, & suorum noviter promulgatam doctrinam: „ Quo-
„ niam, *inquiunt*, conveniens sancta Syno-
„ dus Episcoporum in Ecclesia Gangrensi,
„ propter quasdam Ecclesiasticas, & necessa-
„ rias causas inquirendas, ea, quæ secundùm
„ Eustathium gesta sunt, dignoscenda, in-
„ venit multa fieri indecenter ab his, qui
„ eundem Eustathium secuti sunt, necessa-
„ riò statuit, palàm omnibus actis, amputa-
„ re universa, quæ ab eodem mala commissa
„ sunt. Declaratum est enim, hos eosdem
„ nuptias accusare, & docère, quòd nullus
„ in conjugali positus gradu spem habeat
„ apud Deum. *Et infrà.* In domibus con-
„ jugatorum, nec orationes quidèm debere
„ celebrari, persuasisse intantùm, ut easdem
„ fieri vetent, & oblationibus, quæ in do-
„ mibus factæ fuerint, minimè communican-
„ dum esse decernant; Presbyteros verò, qui

„ matrimonia contraxerunt (*non dicunt,contrahunt*) sperni debere dicunt ; nec Sacra„ menta, quæ ab eis conficiuntur, attingi. *Hæc Patres illi*. Et ità apparet genuinus illius Canonis intellectus, & quomodò non faveat Clericorum continentiam aspernantibus.

297 Deindè objiciunt verba Pauli, 1. ad Corinth. cap. 7. *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat*. Et illud: *Dico autem non nuptis, & viduis bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego; quòd si non se continent, nubant; meliùs est enim nubere, quàm uri*. Ex quibus testimoniis ità arguunt, ad vitandam fornicationem vult Paulus, unúquemque suam habere uxorem; consulit nubere iis, qui se continere non possunt; Ergò, si Clerici majores continere se minimè possunt, licitè sequi possunt Pauli consilium, & nubere, nè cogantur fornicari & uri. Addunt & illud Genesis 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; & hoc præceptum esse naturalis juris fatentur, fundatum in naturali appetitu generandi; contrà quod nulla humana lex vim aliquam habere potest. Atqui & vota adversantia naturali legi irrita sunt & inania; nemo enim licitè vovere poste perpetuam à quocumque cibo, & potu abstinentiam; quoniàm talis abstinentia adversatur juri naturali, quo quis tenetur conservare suum individuum, ad cujus conservationem naturalem habet inclinationem.

298 Dicimus ad hæc, Paulum in primis non loqui de habentibus continentiæ votum, quasi post continentiæ votum liceat quoque propter vitandam fornicationem, uxorem ducere. Dicit infrà Paulus: *& si nupserit Virgo, non peccavit*. Non illa Virgo, ait Hieronymus, lib. 1. contrà Jovinianum, cap. 7., quæ semet Dei cultui dedicavit:*Harum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit*. Et Divus Augustinus in Psalm. 83. *Virgo*, inquit, *quæ si nuberet, non peccaret; Sanctimonialis, si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retrò de loco, quò accesserat*. Et idem adnotat Magnus Gregorius, lib. 6. in cap. 1. Regum. De iis enim scriptum est Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Et Psal. 49. *Redde Altissimo vota tua*. Undè in Proverbiis, cap. 20. scriptum est: *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare*. Ergò Paulus, dùm ait: *propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat*, non loquitur de iis, qui voto se consecrarunt, & continentiam servare promiserunt; hujusmodi enim non licet uxorem ducere.

299 Deinde eo in loco Paulus loquitur de iis, qui uxores jam habebant, non verò de iis, qui adhùc non duxerant, ut rectè observat Sanctus Hieronymus, lib. 1. adversùs Jovinianum, cap. 4. Fuit namque hoc & Joviniani contrà virginitatem argumentum: Corinthiis enim per literas petentibus, utrùm post susceptam Christi fidem cœlibes esse deberent, & continentiæ causâ, quas habebant uxores dimittere, ait Beatus Hieronymus, & an Virgines ad fidem conversæ licitè inire possent matrimonia, an potiùs tenerentur sic permanere, & virginitatem servare. Item, cùm unus ex duobus conjugibus in Christum credidisset, nequaquàm alter, credens, non credentem dimittere deberet, an verò retinere. Et deniquè, an credentes, tenerentur uxores tantùm christianas ducere, vel liceret quoquè etiam cum Ethnicis matrimonia inire, Beatus Apostolus respondit, illorum quæstionibus satisfaciens.

300 Ait ergò ad primam propositam difficultatem: *De his autem, quæ scripsisti mihi, bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationes autem unusquisque uxorem suam habeat*. Et vult dicere: licèt bonum sit, pulchrum, commodum, & honorificum christiano Viro castimoniam colère, & à mulierum consuetudine abstinere: attamèn ad vitandam fornicationem in illis, qui continere non possunt, nè scilicet propter eorum incontinentiam incidant, unusquisq; uxorem suam habeat: „ Non dixit, *ait Hieronymus*, unus„ quisque propter fornicationem ducat uxo„ rem; alioquin hac excusatione libidini „ frena laxasset, ut quotiescumque uxor mo„ ritur, totiès ducenda sit alia, nè fornice„ mur: *sed unusquisque uxorem suam habeat*; „ suam, inquit, habeat, suâ utatur, quam „ habebat antequàm crederet. *Hæc ille*. Cui expositioni conformatur Syriaca Versio, quæ legit: *Quisque uxori suæ adhæreat, & unaquæque viro suo adhæreat*. Et Ætiophica, vertens: *Et, ut non fornicemini, quisque homo habitet cum uxore sua, & quæque mulier habitet cum viro suo*. In quem pariter sensum eadem Apostoli verba explicare videtur Divus Augustinus, lib. 1. de Adulterinis Conjugiis, cap. 2. Si ergò Paulus eo in loco non dicit, quòd unusquisque ducat uxorem, vitandi causà fornicationem, sed benè, quòd habeat, seù retineat uxorem, quam habet, & illam non dimittat sub prætextu susceptæ christianæ Religionis, ineptè contemptores continentiæ sic interpretantur, quasi Paulus universis Christianis, sivè Laicis, sivè Clericis, Sacerdotibus, aut Monachis præceperit, sivè consulerit, ad vitandam fornicationem, uxores ducere.

301 Et hoc idem ex subsequentibus Apostoli verbis evincitur; nam, ut manifestè dignoscerent, se loqui de retinendis uxoribus, eisque, ad vitandam fornicationem, utendis ab habentibus illas, statim subjungit: *Uxori vir debitum reddat; similiter autem uxor viro: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare in-*

invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterùm revertimini in idipsum, nè tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram: „ Omnis hæc quæstio, *ait Hieronymus*, de his est, qui in matrimonio „ sunt deprehensi, an liceat eis uxores di„ mittere, quòd & Dominus in Evangelio „ prohibuit, undè & Apostolus; *Bonum est*, „ ait, *uxorem non tangere*; sed quia qui semel „ duxit uxorem, nisi ex consensu, non valet „ se abstinere, nec dare repudium non pec„ canti; reddat conjugi debitum; spontè „ quippè se alligavit, ut reddere cogeretur. *Hæc Hieronymus*. Et constat apertissimè, Paulum uxoriam consuetudinem concedere jam uxoratis ad evitandam incontinentiam; nam dato consilio de se abstinendo ad tempus, ut orationi vacare liberiùs possint, dùm potestatem dat redeundi in idipsum, propter illorum incontinentiam se indulgere fatetur: *Nè tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Et subjungit, se hoc non imperare, sed indulgère: *Hoc autem dico*, inquit, *secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*. Non imperat Paulus consuetudinem conjugalem, sed indulget ad vitandam fornicationem; nàm, secundùm imperium, vellet omnes continentes, sicut erat ipse: *Volo enim omnes, sicut meipsum*; Sed quoniam in Ecclesia diversa sunt dona, concedit nuptias, nè videatur damnare naturam: *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidèm sic, alius verò sic*.

302 Porrò, resolutâ primâ quæstione, quæ ad conjugatos in infidelitate pertinebat, & dato consilio de retinenda conjuge ad fornicationem vitandam, pergit Paulus ad consulendum eos, qui innupti, aut vidui ad fidem convertebantur, an scilicet, licèret eis uxores, vel maritos ducere; & ait Apostolus, de eis loquens, bonum esse, si sic permanerent: *Dico autem*, inquit, *non nuptis, & viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*. Non enim dicit Apostolus, quòd nubant, sed quòd meliùs est, consulit, abstinere videlicet à nuptiis, juxtà ea, quæ inferiùs ait: *Qui matrimonio jungit Virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit*. Ait ergò innuptis, Virginibus, & Viduis, sivè viris, sivè fœminis, bonum esse sic permanere, vivendo scilicet continenter, non quia malum sint nuptiæ, sed quoniam in statu naturæ corruptæ continentia præfertur nuptiis, & nuptiarum consuetudini. Subjungit indè: *Quòd si non se continent, nubant; meliùs est enim nubere, quàm uri*. Incontinentibus consulit nuptiarum remedium. Nuptiæ enim principaliter institutæ sunt ad prolem suscipiendam, & de secundario propter corruptionem naturæ, in remedium incontinentiæ. Et ità Paulus hoc in loco consulit nuptias in remedium incontinentium; & ideò dùm ad vitandam incontinentiam consulit nuptias, protestatur se non imperare, sed indulgere tantùm: *Hoc autem dico, secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*; undè sequitur, quòd eùm dicit: *qui non se continent, nubant*, secundùm indulgentiam sic dicere, nequaquàm secundùm imperium. Undè Syriaca legit: *Hoc autem dico, tanquàm infirmis, non ex præcepto*. Æthiopica verò vertit: *Et hoc, quod dico vobis, consilium do vobis, & non quòd præcipiam vobis*. Usus conjugii, præter finem gignendi prolem, propter incontinentiam, atque causâ satisfaciendi libidini, non caret veniali culpa, ut docet Sanctus Augustinus, in lib. de Bono conjugali, cap.x. & xi. Et hac de causa Paulus indulget tantùm incontinentibus, ut nuptiis copulentur, & non imperat, quoniàm hujusmodi non præcipuè causâ generandi prolem optant nuptias, sed ut satisfaciant libidini; & ideò subjungit: *meliùs est nubere, quàm uri*, idest, meliùs est uti nuptiarum remedio, quàm igne concupiscentiæ uri, idest, per consensum concupiscentiæ præstitum, lædi; nam ille propriè uri dicitur igne concupiscentiæ, ut Patres exponunt, qui carnis stimulo consensum præbet; undè Paulus, cui datus fuit stimulus carnis, non potuit dici uri, quoniàm nequaquàm ejus accessit consensus, rogans Deum, quatenùs auferret ab eo præfatum carnis stimulum.

303 Sed licèt Paulus indulgeat incontinentibus, sivè iis, qui non possunt continere, aut veriùs quibus continentia ardua videtur, & difficilis, nuptias, nubereque consulat; non tamen intelligitur, ut universis tàm viris, quàm fœminis, quibus perdifficilis continentia videtur, nuptias permittat. Liberis tantùm & ab omni promissione, voto, sivè continendi obligatione solutis, nuptias in remedium concedit incontinentiæ, nequaquàm iis, qui aut voto, aut consecratione obstricti, continentiam servare debent. Ità Magnus Gregorius, part.3. Curæ Pastoralis, admonit.28., inquiens: *Admonendi sunt cælibes, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant*. Et postcà subjungit: *Sinè culpa quippe ad conjugium veniunt, si tantùm necdùm meliora voverunt; nam quisquis bonum majùs subire proposuit, bonum minùs, quod licuit, sibi illicitum fecit*. Ità Sanctus Augustinus, lib.1. de Adulter. Conjugiis, cap.15., ubi ait: *Illis, qui se non continent, utiquè expedit nubere, & quod licet, expedit; quæ autem voverunt continentiam, nec licet, nec expedit*. Et in lib. de Bono Viduitatis, cap.VIII. diffusiùs, ubi ait: „ Proindèque non se continent, nubant an„ tequàm continentiam profiteantur, ante„ quàm Deo voveant; quod nisi reddant, „ jure damnantur. Alio quippè loco de tali„ bus dicit. *Cùm enim in deliciis egerint, in* „ *Christo nubere volunt, habentes damnatio*„ *nem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*,

„ *runt*, ideſt, voluntatem ad nuptias à pro-
„ poſito continentiæ deflexerunt. Irritam
„ quippè fecerunt fidem, quam priùs vove-
„ rant, quód perſeverantiâ implere nolue-
„ runt. *Hactenus S. Auguſtinus*; idem inculcans cap. IX. & X. ejuſdem libri. Sic quoquè tradit Sanctus Hieronymus, lib. I. adverſùs Jovinianum, cap. VI., & VII., & VIII. Sed & Sanctus Fulgentius Ruſpenſis, in lib. de Fide, ad Petrum Diaconum, cap. 3. in fine, eodem pacto loquitur, inquiens: „ Quiſ-
„ quis ſeipſum caſtraverit propter Regnum
„ Cœlorum, & in corde ſuo continentiam
„ voverit, non ſolùm, ſi mortifero fornica-
„ tionis crimine maculetur, verùm etiam ſi,
„ aut vir uxorem accipiat, aut mulier nu-
„ bere voluerit, ſecundùm Apoſtoli ſenten-
„ tiam, damnationem habebit, quia primam
„ fidem irritam fecit. Sicut ergò, ſecundùm
„ Apoſtoli ſententiam, dignum eſt, ut uxori
„ vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro;
„ quia ſi quis acceperit uxorem, non peccat,
„ & ſi nupſerit Virgo, non peccat: ità ſe-
„ cundùm ejuſdem Apoſtoli dictum, qui ſta-
„ tuit in corde ſuo firmus non habens ne-
„ ceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ
„ voluntatis, & voverit continentiam Deo,
„ debet eam uſque in finem totâ mentis ſol-
„ licitudine cuſtodire, nè damnationem ha-
„ beat, ſi primam fidem irritam fecerit. *Hæc ille*. Eadem tradunt Sedulius in Commentario, & Ambroſius, ſi ejus eſt liber ad Virginem lapſis. Ex Græcis porrò ſimilia docentibus, habemus. Epiphanium in hæreſi 61., & Chryſoſtomum in lib. de Virginitate, cap. 39. Et ità patet, allegata Pauli verba non concedere Sacerdotibus, aliiſque Clericis majoribus, qui in ipſa ſua ordinatione continentiam voverunt, facultatem nubendi, ſi ſe continere non poſſunt, aut veriùs, ſi dicunt, continere non poſſe, quoniam, ſi volunt, poſſunt; Quòd ſi ſtimulis carnis ſe premi ſentiant, cùm eis conceſſum non ſit nuptiarum remedium, emiſſo jam continentiæ voto, ad ſpiritualia currant remedia, ad orationem, jejunium, vigilias, & ſimilia; petantque humiliter à Deo continentiæ donum, & dabitur ei, juxtà ſuperiùs dicta. Quid porrò Paulus reſpondeat ad alia propoſita à Corinthiis dubia, cùm non pertineant ad præſentem difficultatem, omittimus poteritque quilibet relegere apud eundem Sanctum Apoſtolum, in antefato cap. 7. prioris Epiſtolæ ad Corinthios.

304 Ad illud deniquè, quod adducunt ex cap. I. Geneſ., ubi creatis primis hominibus, maſculo ſcilicet & fœminâ, Deus, eis benedicens, dixit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, dicimus primò, ſuſtineri poſſe, illud non fuiſſe præceptum, ſed dumtaxat benedictionem, qua iis collata fuit fœcunditas & naturalis propenſio ad opus generationis, quoniam & creatis beſtiis, pariter idem Dominus dixit; & cap. VIII. verſ. 17. poſt diluvium eadem verba protulit Deus ſimùl hominibus & beſtiis: *Cuncta animalia, quæ ſunt apud te*, inquit, *ex omni carne, tàm in volatilibus, quàm in beſtiis, & univerſis reptilibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredimini ſuper terram; creſcite & multiplicamini ſuper eam*. Atqui beſtiæ non ſunt præcepti capaces: ergò per illa verba nullum dedit hominibus præceptum, ſed magis poteſtatem dedit, liberamque facultatem generandi liberos, & replendi terram; Sicut & cap. 2., dùm ait: *Ex omni ligno Paradiſi comede*, non dedit præceptum, ut comederent de ligno, quaſi ex vi præcepti tenerentur de omni ligno comedere, ſed tantùm poteſtatem conceſſit comedendi de omni ligno, excepto ligno ſcientiæ boni & mali, ut, ſi vellent, poſſent comedere de omnibus Paradiſi fructibus, illis prohibitis dumtaxat, quæ pendebant de ligno ſcientiæ boni & mali. Hinc Sanctus Auguſtinus, in lib. de Geneſi ad literam imperfecto, cap. XV. ad illa verba: *Et benedixit ea, dicens: creſcite & multiplicamini, & replete aquas Maris, & volatilia multiplicentur ſuper terram*, ait: *benedictionem ad fœcunditatem valere voluit, quæ in ſucceſſione prolis apparet, ut eà benedictione, quæ infima & mortalia creata ſunt, genus ſuum naſcendo cuſtodiat*. Undè apparet, reverâ verba illa non importare vim præcepti de ineundo matrimonio.

305 Sed demus, eſſe præceptum fundatum in jure naturali propter ſpeciei conſervationem, non proindè ſequitur, hujuſmodi præceptum obligare univerſos & ſingulos homines, & quidèm uſque ad finem Mundi ad ineunda matrimonia; nam ſi ſic, certè complures ſanctiſſimi Viri, tùm novi, cùm veteris Teſtamenti, qui nunquàm uxores duxerunt, cenſendi forent hujus naturalis præcepti tranſgreſſores. Eſt enim præceptum affirmativum, quod non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed ſolùm in caſu neceſſitatis; quoniam finis hujus præcepti nil aliud eſt, niſi ut repleatur terra, ſicut in Textu ipſo explicatur: *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini, & replete terram*: Ergò exiſtente hominibus terrâ vacuâ, qualis fuit ab initio, & qualis poſt diluvium, potuit urgère nubendi præceptum. At repletâ jam terrâ, ceſſat præcepti vis, ſicut omnis lex ceſſat ceſſante fine. Optimè ergò Sanctus Hieronymus, lib. I. adverſùs Jovinianum, cap. 9., recitatis antedictis Scripturæ verbis, ſubjungit: *Neceſſe fuit priùs plantare ſylvam, & creſcere, ut eſſet, quòd poſteà poſſet excidi; ſimùlque conſervanda vis verbi*: & replete terram; *Nuptiæ terram replent, Virginitas Paradiſum*. Cohæret Beatus Auguſtinus, in lib. de Sancta Virginitate, cap. 9., ubi ait: Prioribus quippè tempori-
„ bus, venturo ſecundùm carnem Chriſto,
„ ipſum genus carnis in ampla quadam & pro-

„ prophetica gente necessarium fuit. Nunc „ autem cùm ex omni hominum genere, at- „ que omnibus gentibus ad Populum Dei, „ & Civitatem regni Cœlorum, membra „ Christi colligi possint; Sacram Virginita- „ tem, qui potest capere recapiat. Et ea tan- „ tùm quæ se non continet, nubat.

306 Deinde stultitia est Christianum virum fateri, urgère Christianos præceptum nubendi, quasi velle contineri sit violatio quædam juris naturalis, quod jus præcipiat esse nubendum: nam si verum hoc esset, certè dignus esset reprehensione Paulus, qui continentiam consulit, consuleret enim aliquod faciendum contra præceptum juris naturæ: nec rectè diceret, *qui matrimonio jungit Virginem suam benè facit: & qui non jungit meliùs facit*: quoniam non meliùs facit, qui contra præceptum juris naturæ facit, illo, qui juxta præceptum *facit*: oporteret potiùs dixisse: *& qui non jungit malè facit*: sic pariter dùm ait: *solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*, reprehendi posset, quasi consuleret violationem præcepti, jubentis esse nubendum. Alia ergo lex data fuit illis primis temporibus, alia post Christum & in extremis temporibus: tunc replenda erat terra, modo Cœlum: quoniam tempus breve est, unde & qui habent uxores meliùs est, ut tanquam non habentes sint, ut Paulus ipse docet. Et bene Hieronymus mox cit. Cap. 21. exclàmat: *Quid sibi autem vult Apostolus, ut ad continentiam cohortetur si contra naturam est? Quid ipse Dominus, qui Eunuchorum præcipit varietates?*

307 Plura alia obiiciunt contemptores cœlibatus, quæ apud controversistas videri possunt: solo addo quod Magdeburgenses centur. IX. Cap. X. col. 540. referunt ex quadam Epistola, ut ipsi ajunt, Sancti Udalrici Episcopi Augustani, data ad Nicolaum Papam, in qua ferunt hanc scribere Historiam: „ Beatus Gregorius Magnus Papa I. aliquando „ suo quodam Decreto uxores Sacerdotibus „ ademit. Deinde paulò post, cùm idem „ Gregorius jussisset ex piscina sua pisces ali- „ quot capi, piscatores pro piscibus sex „ millia capitum infantium suffocatorum re- „ pererunt; quam cædem infantium cùm in- „ telligeret S. Gregorius, ex occultis forni- „ cationibus vel adulteriis Sacerdotum na- „ tam esse, continuò revocavit decretum, & „ peccatum suum dignis pœnitentiæ fructi- „ bus purgavit. *Hactenus illi ex S. Udalrico Episcopo*.

308 Sed hanc Historiam confictam ab aliquo defensore conjugii Sacerdotum, communis est eruditorum Catholicorum opinio, cum Staphilo, qui fatetur inter opera hujus Sancti Viri Augustæ asservata, nihil hac de re scriptum reperiri. Neque inter opera S. Gregorii, aliud Decretum de continentia Clericorum editum legitur, quàm à nobis supra relatum pro Subdiaconis Siciliæ, illud postea retractasse nullibi constat. Si ergo illius Decreti occasione secuti sunt Ecclesiasticorum adulteria & stupra: & ex eis infantium cædes, hoc in Sicilia oportuit evenisse: sed unde postea in Piscinam Pontificis Romæ illorum capita proiici potuerunt? Et quomodo probabile est, quod ex Subdiaconorum Siciliæ numero tanta stupra brevi tempore committi potuerint, ut ex eis nascerentur sex mille infantes? Numquid etiam capita illa infantium in fronte cedulam scriptam habebant, in qua legi posset eos filios fuisse Ecclesiasticorum? Numquid adulteria, & stupra à solis committuntur Ecclesiasticis, & non magis à Laicis liberis, & utinam etiam non ab uxoratis? Ait enim S.Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum Cap. 21. „ Vereris nè, Si Virginitatem plu- „ res appetierint, cessent Lupæ, cessent adul- „ teræ, ne infantes in Urbibus, Villisque „ non vagiant? Quotidie mœchorum sanguis „ effunditur: adulteria damnantur: & inter „ ipsas leges, & secures, ac tribunalia, fla- „ grans libido dominatur. *Hæc Hieronymus.* Qui non de Ecclesiasticis stupra & adulteria perpetrantibus loquitur, bene de Laicis & maximè uxoratis, contra quos imperiales leges latæ fuerant: ergo citrà omnem controversiam ejusmodi historiam confictam esse à Defensoribus conjugii Sacerdotum, concludi potest.

309 Deinde notat Bellarminus libro 1. de Clericis Cap. 22. Sanctum Udalricum Episcopum Augustanum creatum fuisse Episcopum, anno Domini DCCCCXXIII. ex Hermanno Contracto, & Vespergense: sive ut habetur notatum in Chronico Ecclesiæ Augustanæ, anno Domini DCCCCIII. longè post obitum Nicolai Papæ I. qui decessit anno Domini DCCCLXVII. sexaginta scilicèt & sex annis ante Episcopatum Udalrici: vel sequendo Chronicon Augustanum, certè quadrginta sex ante annos. Nec potuit scripsisse antequam Episcopatum conscenderit: quoniam ultrasquamquod in initio Epistolæ se Episcopum nominet, constat ex scriptoribus vitę hujus Sancti Viri, vixisse in universum annos LXXXIII. Ex quibus in Episcopatu 1. provectum ad Episcopalem Sedem cum esset annorum XXXIII. Ex quibus natum sequitur anno Domini DCCCLXX. vel DCCCXCI. & ita post obitum Nicolai I. ac proinde nisi scripserit antequam nasceretur, non potuit scripsisse ad Nicolaum I. Papam, si postea prætendunt scripsisse ad Nicolaum II. pejus errant: cum Nicolaus II. creatus sit Papa anno Domini MLIX. centesimo ferè anno post obitum Sancti Udalrici, unde sicut ad Nicolaum I. oportuit scripsisse antequam nasceretur: ita ad Nicolaum II. centesimo post suum obitum anno. Denique si contendant duos fuisse Udalricos, sive Uldericos, unum qui vixerit tempore Nicolai I. alterum post Nicolai ætatem, oportet ut probent, & scriptores

res in medium producant id attestantes: quoniam in Catalogo Episcoporum Augustanorum ex Mystero lib. 3. de Germania, unus tantùm recensetur Udalricus, & ille qui vixit post Nicolaum I. alterius verò Udalrici, sive Hulderici altum silentium est, & præter Magdeburgenses,nullo tamen citato scriptore, à nemine fit illius mentio: Eritque ergo prorsùs confictus. Et hæc satis.

CAPUT XI.

De Sacramenti confirmationis Ministro.

310 Altera Photii calumnia est, quod Ecclesia Romana agat contra Ecclesiasticam regulam, prohibens Presbyteris, ne Sacramentum confirmationis ministrent: quod ut Photius probet, necesse est, ut Ecclesiasticas regulas in medium adducat: dicere autem sat non est, nisi dictum probetur: Nos verò Ecclesiasticas regulas in defensionem Ecclesiæ Romanæ producemus, quibus constet non immeritò simplicibus prohibere Presbyteris, ne hoc Sacamentum ministrent, nisi fortasse magna urgente necessitate, ex dispensatione concedatur, quoniam Ecclesiasticæ regulæ docent, ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse solum Episcopum, à quibus Sancta Romana Ecclesia hanc sumpsit disciplinam, perpetuòque retinuit, retinebitque.

311 Et quidem, cùm constet ex sacris literis, in Actorum Historia Cap. VIII. quos Sanctus Lucas conscripsit, Philippum Diaconum plures in Samaria baptizasse, eos tamen nequaquam confirmasse, confirmatis inde per Sanctorum Apostolorum manus, firmatur regula credendi, proprium & ordinarium Episcoporum, quales erant Apostoli, & qualis non erat Philippus munus esse manus imponendi, & Sacramento confirmationis dandi Spiritum Sanctum. *Cùm autem audissent Apostoli*, ait Lucas, *qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in Nomine Domine Jesu. Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum.*

312 Et hoc testimonium, sicut exposuimus, plures Patres exponunt, inter quos ex Græcis Sanctus Joannes Chrysostomus homilia XVIII. in Acta Apostolorum, ubi causam assignans, cur baptizati à Philippo non accepissent Spiritum Sanctnm, primo ait: fortasse Philippum non dedisse, volentem in hac re honorem Apostolis exhibere: *vel quia Philippus non dederat*, inquit, *hac re forsan honorans Apostolos*. Dicit forsan, quoniam huic rationi non certè adhæret: unde aliam subjungit causam, illam scilicèt eandem à nobis supra expressam, dicens: „ Vel quia hujusmodi donum Philippus non habebat: erat „ enim ex septem illis: id quod magis videtur dicendum; unde meâ sententiâ hic Philippus unus ex septem erat, secundus à Stephano: ideo baptizans Spiritum Sanctum „ non dabat: neque enim facultatem habebat; hoc namque donum solis duodecim „ Apostolis datum erat: virtutem quidem „ acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum. *Hæc ille*.

313 Porrò ante Chrysostomum, ex Latini S. Cyprianus in Epistola 72. data ad Jubajanum, eodem pacto loquitur: Urgente namque Cyprianum Stephano Papa, non esse ab hæreticis baptizatos rebaptizandos, sed satis esse iis manus imponere, sicut Apostoli baptizatis à Philippo manus tantùm imposuerunt: respondit Cyprianus: „ Idcirco quia „ legitimum & Ecclesiasticum Baptismum „ consecuti fuerant, baptizari eos ultrà non „ oportebat: sed tantummodò quod deerant, „ id à Petro & Joanne factnm est, ut oratio- „ ne pro eis habita, & manu imposita, invo- „ caretur, & infunderetur super eos Spiritus „ Sanctus. Quod nunc quoque apud nos ge- „ ritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præ- „ positis Ecclesiæ offerantur, & per nostram „ orationem ac manus impositionem Spiritum „ Sanctum consequantur, & signaculo Do- „ minico consumentur. *Hæc ille*. Adducens simul & Africanæ Ecclesiæ disciplinam de baptizatis offerendis Episcopis, quos Ecclesiæ præpositos vocat, ut per eos Sacramentum confirmationis recipiant. Id quod S. Augustinus lib. 15. de Trinitate confirmare videtur dum Cap. 25. ait: *neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut venirent in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

314 Ita pariter docet S. Isidorus Peleusiota lib. 1. Epist. 45. & quidem ex eodem Actorum loco, inquiens: „ Si Philippus à quo „ Baptismum acceperant, ex Apostolorum „ numero fuisset, Spiritum donandi potesta- „ tem profectò habnisset: at verò baptizabat tantùm ut discipulus, Apostoli autem gratiam explebant, atque perficiebant, ut qui hujusmodi muneris tribuendi potestatem, atque auctoritatem Divino beneficio accepissent.

315 Deinde ex Dialogo S. Hieronymi adversùs Luciferianos probatur hujusmodi disciplina de à solis Episcopis confirmandis Baptizatis: Ibidem namque hanc disciplinam referente Luciferiano, admittit Beatus Hieronymus: Dicit ergo Luciferianus: „ An „ nescis, etiam Ecclesiarum nunc esse mo- „ rem, ut baptizatis posteà manus imponan-

tur,

„ tur, & ità invocetur Spiritus Sanctus? „ Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si scripturæ auctoritas non „ subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. *Respondet sub nomine Orthodoxi S. Hieronymus*, „ *inquiens*: Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, „ qui longè in Minoribus Urbibus, Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manu „ impositurus excurrat. *Et paulò post subjungit*. Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, „ non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos „ asserimus in vero baptismate tribui; disce „ hanc observationē ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus „ Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in „ locis idem factitatum reperimus, ad honorem „ potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. *Hactenus Hieronymus*.

316 Ex antiquioribus Melchiades Papa in Epistola data ad omnes Hispaniæ Episcopos §. 2. eandem firmat disciplinam, dum tradit majus esse Sacramentum confirmationis Sacramento baptismatis, eo quod illud à solis summis Sacerdotibus conferatur, secus istud: „ De his verò, *inquit*, super quibus rogitastis vos informari, ideft, utrum majus „ esset Sacramentum, manus impositio Episcoporum, aut Baptismum; scitote utrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut „ unum à majoribus fit, ideft, à Summis „ Pontificibus, quod à minoribus perfici non „ potest, ita & majori veneratione, venerandum, & tenendum est. *Hæc Melchiades*. Et ante Melchiadem Clemens Romanus Epistola IV. si ejus est, inquiens: *Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, idest, septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere*. Eusebius quoque Papa Epistola 3. si pariter ejus sit, ait: *Manus quippe impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus*.

317 Deinde Siricius Papa in Epistola 1. data ad Himerium Tarraconensem, §. 1. ubi agit de Novatianis aliisque recipiendis hæreticis, docet non esse rebaptizandos, sed per solius Episcopi manus impositionem & invocationem Septiformis Spiritus, recipiendos. *Nos cum Novatianis, aliisque hæreticis*, ait, *sicut est in Synodo constitutum, per invocationem Solam Septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum Conventui sociamus*. Sed clarissimè Innocentius I. Epist. 1. ad Decentium data §. 3., inquit: „ De consignandis verò infantibus manifestum est, „ non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere. „ Nam Presbyteri licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc „ autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Sanctum Spiritum tradant, non „ solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, „ verum & illa lectio Actuum Apostolorum, „ quę asserit Petrum & Joannem esse directos, „ qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum: Nam Presbyteri, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, „ chrismate baptizatos ungere licèt, sed quod „ ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod „ solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum. *Hactenus Innocentius*.

318 Itaque non solùm fatetur à solo Episcopo ministrandum confirmationis Sacramentum, verum & hanc fuisse pervetustam Ecclesiæ consuetudinem inductam ex Apostolica traditione: quoniam & in Actorum historia, solos Apostolos dedisse Spiritum Sanctum legitur. Unde Leo Magnus in Epist. LXXXVIII. data ad universos Germaniç & Galliç Episcopos de Chorepiscoporum, & Presbyterorum privilegiis, inter plura quæ scribit Chorepiscopis non licère sive Presbyteris, hoc unum est, scilicèt confirmare baptizatos, eosque in fronte consignare: & solis Episcopis licère admonet: „ Nam quamvis *inquit*, cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novæ etiam „ Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum, „ aut Virginum consecratio, sicut constitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio. „ Si quidem nec erigere Altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licèt, nec per „ impositiones manuum fidelibus baptizatis, „ vel conversis ex hæresi, Paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontea „ signare: nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere. Hæc enim „ omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad „ exemplum & formam septuaginta Discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui „ eandem gestant formam: quoniam quamquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia „ solis deberi Summis Pontificibus auctoritate Canonum præcipitur, ut per hoc & „ discretio graduum, & dignitatis fastigium „ Summi Pontificis demonstretur. *Hactenus Sanctus Leo*. Canonum nisus auctoritate: Contra Ecclesiasticas regulas esse, ait Photius prohibere Presbyteris ne in fronte baptizatos consignent. Et S. Leo in contrarium, Presbyteris consignare & Sacro Chrismate baptizatorum frontes linire, ex Ecclesiasticis regulis, non licère contestatur: Photio, ne adhærendum magis, quam tanto, & tam Sancto Pontifici?

319 Sed & ferè communiter Patrea de hoc

hoc confirmationis Sacramento verba facientes, ab Episcopo conferendum tradunt: Ita Sanctus Gregorius Magnus lib. III. Epistola IX. data ad Januarium Episcopum Calaritanum: *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non præsumant. Sed Presbyteri baptizatos infantes tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*. Sic S. Isidorus Hispal. lib. de offic. Eccles. Cap. XXVI. *Sed quoniam post baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos*. Ita & Beda Venerabilis in psal. XXVI. scibens: *Sciendum autem, quod illa unctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duobus prædictis, & vulgo confirmatio dicitur, eadem est cum secunda. Propter arrogantiam tamen non est concessa singulis Sacerdotibus*. Idem tradit in Commentar. in Act. Apostol. ad quem locum respiciens Amalarius Fortunatus lib. I. de Ecclesiast. offic. Cap. XXVII. ait: *Ut ab Episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est, ut Beda declarat in Tractatu super Actus Apostolorum*. Similia tradunt, qui de Divinis & Ecclesiasticis pertractant officiis, ut Rabanus Maurus lib. de Instit. Clericor. Cap. 29. Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiast. Cap. 26. Alcuinus lib. de Officiis Divinis Cap. de Sabbato Sancti Paschæ: In pervetusto quoque ordine Romano idem adnotatur.

320 Ad hæc porrò addo & aliorum Patrum testimonia, & quidem ex Græcis Dionysium Areopagitam, qui in lib. de Eccles. Hierarchia par. 2. Cap. 2. ait. *Baptizatum indutum veste alba ad Pontificem ducunt, ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat*. Antiquissimus quoque Apostolic. constitut. Auctor, sub nomine Clementis, libro 3. Cap. 16. idem tradit, inquiens: „ Tu igitur Episcope ad exemplum illud unges oleo „ sancto caput eorum, qui baptizantur, sive „ viri sint, sive mulieres, in typum spiritualis baptismi. Deinde aut Tu Episcope, aut „ Presbyter tuus, qui sub potestate tua est, „ facta super eos nominatim Sacra Invocatione Patris & Filii, & Spiritus Sancti, baptizabis. Ac virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem verò Diaconissa, ut honestè, & à quibus decet, fiat signum infra„ ctum. Postea Episcopus baptizatos Chrismate ungat. *Hæc ille*. Hinc & Urbanus Papa I. ex Latinis in Epistola data ad omnes Christianos §. VIII. ait: „ Omnes enim fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur: quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fideles ad prudentiam, & constantiam dilatatur. *Hactenus ille*. Inde Damasus Epistola v. quæ est de Chorepiscopis, apertè profitetur nec ipsis Chorepiscopis licuisse baptizatos in fronte sacro linire Chrismate: asserens hoc Episcoporum tantùm ministerium esse, qui Sanctorum Apostolorum successores sunt.

321 Item in Concilio Hispalensi II. sub Bonifacio Papa V. & Sisebuto Rege celebrato anno Domini DCXIX. Canone VII. sancitum est Presbyteris non licere. *Ecclesiam consecrare, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare*. Et in Concilio Illiberitano Can. XXXVIII. „ Peregrè navigantes. aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacruum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate, itaut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, „ ut per manus impositionem perfici possit. „ *Et Can.* LXXVII. Si quis Diaconus regens „ Plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizavit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit, quod si ante „ de sæculo recesserit, sub fide, qua quis „ crediterit, poterit esse justus. *Hæc ibi*. Denique in Synodo Parisiensi habita sub Ludovico & Luthario lib. I. Cap. 27. apertè dicitur; *quod solis Apostolis, eorumque Successoribus, proprii sit officii, tradere Spiritum Sanctum*. Ac proinde interdicitur Chorepiscopis, ne per manus impositionem audeant tradere Spiritum Sanctum.

322 Potest ad extremum addi testimonium Cornelii Papæ in Epistola III. data ad Fabium Antiochenum, cujus etiam meminit Eusebius lib. 6. hist. Cap. 35. qui aliqua ex ea excerpta refert: Agens quippe de Novatiano, inter alia quæ adversùs illum producit, unum est, quod post baptismum receptum, non fuerit ex more ab Episcopo consignatus; „ Qui quidem, *ait*, ubi exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam gravem morbum, ut jam „ fere mori putaretur, incidisset, in lecto, „ in quo decumbebat, aqua circumfusus, baptismum accepit dicendum sit. Verum morbo tandem elapsus, neque cætera quæ post „ baptismum secundùm Ecclesiæ Canonem „ imbui oportet, aquisivit: neque Domini „ sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Quo „ quidem neutiquam potitus, quomodo, „ quæso, Spiritum Sanctum adeptus est? *Hactenus Cornelius*. Unde constat talem disciplinam consuevisse tunc temporis servare Ecclesiam, ut baptizati à solo Episcopo consignarentur. Ergo si tot Sanctorum Patrum testimonia, tot Summorum Romanorum Pontificum decreta, tot Sanctorum Conciliorum Canones, docent solis Episcopis, nequaquam Presbyteris, licère Sacramentum confirmationis ministrare; unde habet Photius, quod sit contra Ecclesiasticas regulas prohibere Presbyteris hoc Sacramentum ministrare? Regu-

læ namque Ecclesiasticæ, aut à Patribus, aut à Pontificum Romanorum decretis, aut à facrorum Conciliorum desumuntur deffinitionibus. Si porrò hæc contraria Photiano dogmati statuunt, necesse est afferi, Photium animo tantùm calumniandi talia protulisse.

323 Attamen, si quæ sunt Ecclesiasticæ Regulæ, quibus adversari Ecclesiam dicit Latinam, erunt fortasse in quibusdam sacrorum Conciliorum contentæ decretis, aut in Sanctorum Patrum dictis, non rectè certè intellectis, aut non benè interpretatis. Et primò, ut nos ipsi in medium adduamus quæ Photio favère possunt, erit illud, quòd Damasus, vel quis sit Auctor, scribit in vita Sylvestri Papæ, ubi ait: *Hic & hoc constituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis*. Secundò erit Canon xx. Concilii Toletani 1. sub Anastasio Papa, & Honorio, atque Arcadio, ubi dicitur: *Statutum verò est, Diaconum non Chrismate, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum*. Tertiò est Canon 11. Concilii Arausicani 1., in quo decernitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & Benedictione consignari placet*. Deniquè est Canon xi. Concilii Romani sub Martino I. Papa; in eo namque dicitur: *Presbyter, præsente Episcopo, non signet Infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum*. Atqui linire Chrismate baptizatum, est ipsum confirmare: cùm ergò per allegatos Canones licuit Presbyteris absente Episcopo, & si præsente, de illius consensu vel præcepto, sequitur esse contrà Ecclesiasticas Regulas prohiberi, nè Presbyteri baptizatos confirment.

324 Sed pro rectâ intelligentia antefatorum Canonum, sivè Decretorum, scire oportet ex ipso Rituali, & ex vetusto ordine Romano, baptizatum à Presbytero baptizante bis sacro ungi Chrismate. Primò, factâ Satanæ abrenunciatione, antequàm fundatur aqua, vel immergatur in eam, ubi baptizatur per immersionem, Presbyter intingit pollicem in Oleo Cathecumenorum, & illum ungit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, dicens: *Ego te linio ✠ Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam*. Deindè fusâ aquâ, atque jam baptizato, iterùm Presbyter intingit pollicem in sacro Chrismate, & ungit infantem in summitate Capitis in modum Crucis, & dicit: *Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam*.

325 Hoc supposito, sciendum pariter est, quòd in primitiva Ecclesia in more erat, post collatum baptismum, confirmandi baptizatos, quemadmodùm & nunc servat Ecclesia Orientalis; & tunc secunda unctio in vertice baptizati non erat in usu, quoniam absoluto baptismo, ab Episcopo in fronte sacro consignabatur Chrismate, & ità confirmabatur, omissâ unctione in vertice: Sed quoniam Sylvestri Pontificis ætate complures à Presbyteris baptizati, antequàm Episcopi præsentia ad eos confirmandos haberetur, maximè eorum, qui in parvis Oppidis, Villis, & Pagis existebant, decedebant; ideò nè sinè aliqua sacri Chrismatis unctione decederent, idem Sanctus Pontifex sancivit atque instituit, ut Presbyter baptizatum levatum de aqua, sacro liniret Chismate in vertice, causam adducens, propter occasionem transitus mortis; quæ certè unctio prorsùs diversa est ab ea, qua confirmando utitur Episcopus: hic enim in fronte linit, aliis utens verbis; ille verò in vertice. Quòd si veliut, etiam ante Sylvestrum in usu fuisse ejusmodi unctionem, propter ea, quæ tradit Auctor Apostolicarum Constitutionum, lib. 6. cap. 16. *Tu igitur, Episcope, ad exemplum illud ungens Oleo Sancto caput eorum, qui baptizantur*; hoc concesso, nè contendam, dico, in usu fuisse, ut à solo Episcopo fieret illà unctio, nequaquàm à Presbytero; & quòd simplici Presbytero non licebat ante Sylvestrum, idem Sanctus Pontifex eo decreto concessit. Nec ex eo, quòd à solo Episcopo fieret, rectè inferri poterunt, eam fuisse Sacramenti confirmationis unctionem, quoniam ille ipse Auctor distinguit in eodem textu duplicem unctionem, unam in capite, de qua locuti sumus, alteram verò completis omnibus baptismi ceremoniis, cum dicit: *postea Episcopus baptizatos Chrismate ungat*, quod licèt non designet unctionis locum, credi debet loqui de unctione in fronte, peractâ jam illâ, quæ fieri debuerat in capite. Hinc Ugo Victorinus, lib. 2. de Sacramentis, pag. 7. cap. 3., nostram confirmans expositionem, ait: *Primis temporibus omnis unctio Chrismatis per solos Pontifices fiebat; sed postquàm constitutum est, ut baptizatum Sacerdos in vertice liniat; consignatio tamen frontis solis Pontificibus reservatur*.

326 Deindè certissimum est, in primitiva Ecclesia circà Ministrum baptismi hanc fuisse disciplinam, ut extrà casum urgentis necessitatis, à solis Episcopis, sivè parvuli baptizarentur, sivè adulti, nec licuisse simplicibus Presbyteris quempiam baptizare sinè Episcopi licentiâ, jure hoc primariè in solis residente Episcopis, ut luculenter scribit Tertullianus in lib. de baptismo, cap. xvii., inquiens: „ Superest ad concludendam materiolam, de „ observatione quoquè dandi, & accipiendi „ baptismum, commonefacere. Dandi quidèm habet jus Summus Sacerdos, qui est „ Episcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi, „ non tamen sinè Episcopi auctoritate pro„ pter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva

„ pax est. *Hæc ille*, qui posteà subjungit, licère in necessitate, urgente mortis periculo, cuicumque etiam Laico, baptizare: *Tunc enim*, inquit, *constantia succurrentis excipitur, cùm urget circumstantia periclitantis*. Et ex hoc eveniebat, ut soli Episcopi uterentur Chrismate, liniendo baptizatos; & quemadmodùm Presbyteri sinè Episcopi licentia baptizare non poterant, ità nec ungere baptizatos; & antè Sylvestrum, datâ per Episcopos licentiâ baptizandi, non tamen censebatur concessa Presbyteris licentia utendi sacro Chrismate: hoc enim jus solis Episcopis reservatum erat, Presbyteris verò solo Oleo Cathecumenorum ante baptismum fortè baptizandum linientibus.

327 At processu temporis multiplicatis fidelibus, ut etiam suprà fati sumus, hoc baptizandi jus concessum est etiam Presbyteris curam Animarum habentibus, & quidèm ab ipsis Episcopis, quibus primariò incumbit Animarum cura; & ità jus baptizandi ab Episcopis habent Presbyteri, ut apertè tradit Divus Hieronymus in Dialogo contrà Luciferianos, inquiens: „ Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quędam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes. Indè venit, ut sinè Chrismate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi: quod frequenter; si tamen necessitas cogit, scimus etiam licère „ Laicis. *Hactenus Hieronymus*. Et quoniàm primitùs cum facultate baptizandi non erat dictis Presbyteris concessa potestas liniendi Chrismate, quoniàm videbatur quid proprium Episcopalis muneris, ideò Sylvester suo decreto potestatem fecit Presbyteris, propter occasionem transitus mortis, liniendi Chrismate baptizatum, non tamen in fronte, ut colligi licet ex diversorum Conciliorum decretis, sed in capitis vertice, & quidèm absente Episcopo, quandò scilicet Episcopi præsentia haberi non potest, vel si præsente, de ejusdem Episcopi licentia.

328. Et hoc est, quod volunt allegati Canones Toletani 1., & Arausicani 1., dùm Patres Toletani ajunt: *Statutum verò est, Diaconum non Chrismate, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum*; ubi verbum, *chrismare*, sumitur pro linire sacro Chrismate, non propriè pro confirmare, eo pacto, quo Sylvester hanc potestatem Presbyteris concesserat, explicantes Sylvestri decretum, nimirum intelligendum, absente Episcopo, vel si præsente, licère tantùm de illius jussione. Et de eadem unctione loquuntur Arausicani Patres, neqnaquàm de illa, quæ adhibetur in Sacramento Confirmationis, & quidèm etiam ipsi, hoc licère Presbyteris, tradunt, absente Episcopo. Id verò clarissimè explicat Innocentius I. in prælaudata Epistola ad Decentium, dùm ait: *Presbyteris, seu extrà Episcopum, seu præsente Episcopo, baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum*. Ex iis deniquè constat, in quo sensu decretum fuerit in Romana Synodo sub Martino I. *Nè Presbyter, præsente Episcopo, signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum*.

329 Attento decreto Innocentii I. in Concilio Meldensi, sub Sergio II. & Carolo Calvo celebratum Anno Dñi DCCCXLV. Can.44. sancitum est, nè Chorepiscopus nec conficere Chrisma, nec confirmare audeat, quoniam solis hoc reservatum est Episcopis: *Ut Chorepiscopus modum suum, juxtà canonicam institutionem teneat, nec Sanctum Chrisma, nec Sanctum Paracletum Spiritum solis Episcopis, juxtà decretum Innocentii, tribuere debitum, tradere tenet*. Quarè in Concilio Wormatiensi, sub Hadriano II. & Ludovico II. Imperatore celebrato Ann. Dñi DCCCLXVII. Can. VIII. pariter decernitur, ut Presbyteris confirmare non liceat: *Consecratio ergò Virginum, & benedictio, vel unctio Altaris à Presbyteris minimè fiat. Similiter non liceat eis Ecclesias consecrare, nec per impositionem manus Paracletum Spiritum dare, nec Chrismate baptizatorum frontem signare*. Et ità patet, quòd dùm Concilia concedunt Presbyteris potestatem inungendi baptizatos, loquuntur solùm de illa ceremoniali unctione, quæ fit in baptismo, minimè de sacramentali illa, quæ adhibetur in confirmatione; quoniam, ut satis demonstravimus, eadem Concilia, & Sanctorum Patrum decreta, prohibent expressè Presbyteris munus sacramentaliter in fronte liniendi, & sacro Chrismate baptizatos confirmandi, atque eis Spiritum Sanctum tradendi. Quapropter in sacrosancta Tridentina Synodo Sess. VII. Can. III. anathema dicitur iis, qui dicerent, ordinarium Sacramenti confirmationis Ministrum non esse solùm Episcopum: *Si quis dixerit sancta Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solùm Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit*. Et Eugenius IV. in Synodo Florentina, in decreto pro Armenis, quod incipit: *Exultate Deo adjutori nostro*, firmat, ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis solùm esse Episcopum, subjungens: *Et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre*; & affert causam, dicens: *quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant*.

330 Sed his non obstantibus, posse simplicem Sacerdotem esse Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, posseque Romanum Pontificem cum simplici Presbytero dispen-

spensare, ut hoc Sacramentum Confirmationis ministret, tradit in eodem decreto Eugenius, subjungens: „ Legitur tamen aliquandò per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodùm causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. *Hæc ille*. Dispensasse porrò Magnum & Sanctum Gregorium cum Presbyteris in Insula Sardiniæ constitutis, ex ejusdem Sanctissimi Pontificis literis manifestum fit, ut enim legitur in Epist. IX. lib. III. datâ ad Januarium Episcopum Calaritanum, habitâ notitiâ, quòd Presbyteri in ea Insula, baptizatos consignarent in frontibus, atque ità eis Sacramentum hoc ministrarent, prohibuit primò, decernens: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodùm ungere debeant in fronte*. Sed quoniam hujusmodi decretum rumorem ea in Insula excitavit, & quamplurimi passi fuerant scandalum, visum fuit ei, prohibitionem relaxare, atque ità cum Presbyteris dispensare, ut habetur ex ejusdem Epist. XXVI. antefati libri III. ad eundem Januarium datâ, in cujus fine ait: „ Pervènit quoq;ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidèm secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; Sed si omninò hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus. *Hæc Gregorius*. Ubi tria sunt notanda, primò legitima introducta consuetudo, ut ea in Insula Presbyteri confirmarent, & quidèm validè, nam Gregorius, dùm eis interdixit, non reprobavit Sacramentum jam ab eis traditum, quoniam non jussit per Presbyteros confirmatos iterùm reconfirmari, mandavit dumtaxat, ut imposterùm se abstinerent. Secundò, prohibitionis relaxatio; & deniquè causa ejusdem relaxationis.

331 Dicit ergò ex sua prohibitione natum scandalum: *pervènit quoquè ad nos, quosdam scandalizatos fuisse*; & hoc scandalum supponit vetustam illius Ecclesiæ consuetudinem; non enim poterat scandalum ingenerare, si consuetudo illa foret recenter introducta; undè probabile est, ab immemorabili tempore ejusmodi disciplinam servatam, quâ antiquari sine scandalo & tristitia non patiebantur Insulani. Et hoc propter paucitatem Episcoporum, nè qui in parvis Pagis, Ruribus, ac Villis baptizarentur, hoc carèrent Sacramento, quod tunc temporis immediatè post baptismum conferebatur; undè eâdem existente causâ, ratione cujus fuerat disciplina illa introducta, ætate Sancti Gregorii Magni, revocatâ prohibitione, concessit Presbyteris facultatem confirmandi. Etenim tunc in universa Insula tres dumtaxat numerabantur Episcopi, Januarius scilicet, Felix, & Cyriacus, ut ex ejusdem Sancti Patris literis fit certum; aliundè in Ruribus, & Pagis adhùc Idololatricus vigebat cultus; Undè in Epistola XXIII. libri III. datâ ad Nobiles Sardiniæ ait Gregorius: *Dei revelatione cognovi, penè omnes vestros rusticos in vestris possessionibus Idololatriæ deditos haberi*. Et idem indicat in eadem Epistola XXVI. Ae proinde cùm non suffecissent Episcopi, qui possent per seipsos baptizatos confirmare, quia non poterant tot in locis esse presentes, in quibus contingebat baptismum celebrari, necesse fuisset, aut dilatare Sacramentum Confirmationis, nec illud simùl cum baptismo conferre, ut modò fit, quod tunc sine scandalo fieri non poterat; aut iisdem Presbyteris permittere, ut per eos baptizatos confirmarent, quemadmodùm ex pristina consuetudine servatum ad eam usque ætatem fuerat. Et ideò Gregorius ejusmodi existentibus causis, concessit Presbyteris, posse confirmare tantùm, ubi Episcopi deficiebant, inquiens: *Ubi Episcopi desunt*.

332 Deindè ejusmodi dispensationem per plures Romanos Pontifices factam cum Sacerdotibus Ordinis Minorum, degentibus vel ad partes Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, aliorumque Infidelium proficiscentibus, legimus in diversis eorundem Romanorum Pontificum Bullis, quæ in suis originalibus asservantur in Archivio Sac. Montis Sion Civitatis Hierusalem, translato ad Conventum Sancti Salvatoris eocundem Fratrum Minorum prælibatæ Sanctæ Civitatis. Itaque cum antefatis Fratribus Sacerdotibus dispensavit in primis Clemens V. Anno Domini MCCCVI., ut ex ejus Bulla, quæ incipit: *Cùm hora undecima sit*, datâ Pictavii x. Kal. Augusti, sui Pontificatus Anno II., ubi inter plura privilegia antefatis Religiosis, & Fratribus concessa, hoc quoquè recensetur per hæc nimìrum verba: „ Ut autem ministerium vestrum honoretur pleniùs, & honorabiliùs impleatur, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quæ adhùc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, proponere verbùm Dei, & constitutis ibidem, non obstante si aliquâ sint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis securè communicare, & ipsos, seù alios converti ad unitatem fidei christianæ cupientes, recipere, baptizare, & aggregare filiis Ecclesiæ sanctæ possitis, ipsisque talibus aggregatis, si qui ex vobis fuerint in Sacerdotio constituti, ubi Episcoporum catholicorum copia non extiterit, Sacramentum Confirmationis conferre, ac nihilominùs uti Oleo, & Chrismate antiquis, cùm in eisdem partibus novum Oleum sine magna difficultate haberi non pos-

„ possit, liberè valeant, constitutionibus super his in contrarium editis non obstantibus, necnon aggregatos eosdem insignire charactere clericali, & ipsos ad Acolithatus ordinem promovere. *Hactenus ibi*. Deindè hoc idem privilegium eisdem Fratribus confirmavit, ac iterùm concessit Joannes XXII. per aliam Bullam, datam Avenioni x.Kalend.Novembris, sui Pontificatus Anno VI., sub iisdem prorsùs terminis conceptam, ac superiùs recensita Clementis V., ut ex illius authentico transumpto manu publici Notarii rogato, asservato in eodem Sacri Montis Sion Archivio satis constat. Alii porrò Romani Pontifices, qui generaliter omnia privilegia per Prædecessores suos iisdem Fratribus apud Infideles degentibus concessa confirmarunt, nullâ factâ exceptione in suo robore, etiam illud idem privilegium conferendi Sacramentum Confirmationis reliquerunt, quo in Terra Sanctâ hactenùs, semperque Sacri Montis Sion, sivè Hierosolymitani ejusdem Ordinis Guardiani usi sunt, & in dies utuntur, deficientibus illis in partibus Episcopis Catholicis; undè & ipsa Altaria, & Ecclesias consecrat, & Calices, sacraque paramenta benedicit, aliaque plura peragit, quæ in antefatis Bullis ex solius Apostolicæ Sedis benignitate, magis in favorem fidei, quàm ipsorum Religiosorum concessa leguntur. Etenim prælibati Pontifices fatentur in eisdem Bullis, talia concedere privilegia, ut Apostolicum ministerium pleniùs honoretur, & honorabiliùs impleatur: *Ut autem ministerium vestrum*, inquiunt, *honoretur pleniùs, & honorabiliùs impleatur, præsentium vobis auctoritate concedimus*; prosequentes inde recensere præallegata, & alia quamplura privilegia: Et circà finem recensitis omnibus privilegiis ibidem enumeratis, subjungunt: *Nec non alia facere* (scilicet concedimus) *quæ ad augmentum Divini Nominis, & ampliationem Catholicæ Fidei, ac reprobationem, & irritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore videritis expedire*, ut pleniùs constet, hæc & alia privilegia nonnisi in favorem fidei, cujus incrementum unicè attendebant Romani Pontifices, fuisse concessa, ac ideò rata, firma, & in suo robore hactenùs permanserunt, & permanent, eâdem permanente concessionis causâ. Hinc est quòd Leo X., & Hadrianus VI., ut refert Rodriquez in Quæstionibus Regularium, quæst. xix. Art. iii. idem privilegium iisdem Minoribus ad conversionem Indorum destinatis, fecerunt; atque simile concessum à posterioribus Romanis Pontificibus Patribus Societatis Jesu ad Infidelium conversionem pariter missis, testatur idem Rodriquez loco citato, quæst. xxxi.

333 Est ergò certum, posse Sacerdotem simplicem esse Ministrum extraordinarium Sacramenti Confirmationis, ex solius tamen Apostolicæ Sedis ordinatione & dispensatione. Nec adversatur Sacrosanctum Concilium Tridentinum, Sess. vii. per hoc, quod Canone iii. de Confirmatione, dicat: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solùm Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit*. Quoniam constat loqui de Ministro ordinario, nequaquàm de extraordinario: Ferit enim hæreticos illos, qui huic detrahebant Sacramento, dicentes in primis, esse quandam otiosam ceremoniam, ut ex Canone i., deindè, nullam habere virtutem, ut ex Canone 2., & deniquè, cuicumque simplici Sacerdoti licère baptizatos in frontibus consignare sacro Chrismate, sicque confirmare; id quod in Canone iii. damnatur, definiens Concilium, Ministrum ordinarium esse Episcopum solùm, supponens simplicem Presbyterum posse esse extraordinarium Ministrum, si eum eo per Romanum Pontificem dispensetur, & eidem potestas concedatur, ut cum quibusdam Romanos Pontifices dispensasse, tradiderat jam Eugenius IV. in decreto pro Armenis, sacro approbante Concilio, in ipsa Florentina œcumenica Synodo edito..

334 Hinc est, quòd in Concilio Senonensi, celebrato sub Clemente VII., & Carolo V. Imperatore Anno Domini MDXXVII. contrà tunc pullulantes in Europa hæreses, in Decretis Fidei, & ubi de Confirmationis Sacramento post §.x. mentio habetur, licèt dicatur, illud conferendi potestatem Episcopis à Christo traditam esse: *Cujus conferendi potestas* (ibi) *Episcopis à Christo concessa*. Attamen in Decretis morum non dubitarunt illius Concilii Patres, hoc ministerium posse etiam non Episcopis Sacerdotibus ex speciali Apostolicæ Sedis privilegio competere; quoniàm cap. xxxviii., agendo de Abbatibus, qui vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex privilegio Apostolico contendebant sibi competere jus ministrandi Sacramentum Confirmationis, præcipitur, ut de privilegio doceant: *Quòd si qui sunt*, dicitur in prælaudato Canone, *qui contendant sibi competere hanc facultatem ex privilegio, volumus, quòd cumprimùm fuerint requisiti à Suffraganeis nostris, de privilegio fidem facere teneantur*. Et ità supponunt illius Concilii Patres ex Apostolico privilegio, licère Sacerdotibus non Episcopis hoc ministrare Sacramentum.

335 Sed modò vertitur dubium ad Sacerdotes Græcos, aliosque Orientales, qui baptizatos confirmant, absque Apostolicæ Sedis dispensatione & privilegio; quoniam cùm sint extrà Catholicam Ecclesiam, ab eaque per schisma & hæresim segregati, uti licitè non possunt Apostolicæ Sedis privilegiis, si quæ fortè ab ea in unione obtinuerint: omnia enim privilegia, quæ à Sancta Romana Ecclesia concessa unionis tempore habentur, per hæresim, & schisma amittuntur; præci-

puè,

puè, quæ in fidei favorem videntur concessa; undè in Codice de Hæreticis, lib. 1. tit. 5. leg. 1., dicitur: *Privilegia, quæ contemplatione Religionis indulta sunt, catholicæ tantùm legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solùm ab iis privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi & subjici*. Undè & ipsæ leges civiles quovis privilegio hæreticos denudant, ut ex eodem Codicè palàm fit: Nec minùs clarè apparet ex jure canonico in titulis de Hæreticis, tùm in Decretis Gregorii IX., tùm in Sexto Decretalium, tùm in Concilio Lateranensi IV., sub Innocentio III. in Decreto de Summa Trinitate, cap. de Hæreticis. Item & in Epistola XI. Innocentii IV. data ad universos Christifideles.

336 Constat porrò, Legatos Apostolicos, quos Nicolaüs Papa I. in Bulgariam miserat, confirmationem à Græcis Presbyteris co in Regno baptizatis collatam reprobasse, & quotquot Presbyteri antedicti confirmarant, iterùm confirmasse; cujus rei causâ maximè indignatum Photium, Synodum adversùs Nicolaum coegisse, scribit Metrophanes, inquiens: „ Cùm verò Photius adhùc in sua „ pravitate permaneret, didicit, quòd Lega- „ ti Papæ, cùm in Bulgariam venissent, sa- „ crum ipsius Photii Chrismatis unguentum „ reprobarunt, & omnes eos, qui præerant, „ quivè subjiciebantur in Bulgarorum Re- „ gione, iterùm sacro unxerunt unguento. „ Furoreq; quodam percitus propterea Pho- „ tius œcumenicam Synodum finxit & com- „ posuit. *Hæc ille*. Photius quoquè de hoc eodem conquestus est in sua Epistola Encyclica, data ad Patriarchas Orientis, apud Baronium, ad Annum Domini DCCCLXIII., sub num. 37., ubi ait: „ Quin etiam illis, „ qui à Presbyteris Chrismate uncti fuerant, „ iterùm chrismare ipsi non horruerunt, Epi- „ scopos seipsos jactitantes, & Presbytero- „ rum Chrisma inutile esse, & frustrà ab illis „ confici, portentosè docentes. *Hæc, & alia plura Photius*. Undè liquidò constare videtur, Legatos antefatos non probasse Chrisma collatum à Presbyteris Græcis.

337 Si verò dicatur, non ideò reprobasse, quia à Presbyteris simpliciter, sed quia à Presbyteris schismaticis Photianis, à Photio ordinatis, vel ab iis, qui ex parte Photii schismatici erant, ut videtur docere Hadrianus II. Papa in responsione data ad Ignatium Patriarcham, quæ habetur parte III. Concilii Constantinopolitani post Acta Græcolatina, ubi ait: „ Scripsisti (ut alia multa mittamus) „ ut nostri Presbyteri (Constantinopolitani „ scilicet) jussi sint è regione Bulgarorum „ cum gravi ignominia & dedecore expelli, „ ipsique illinc Episcopi cum non mediocri „ contemptu exigi; & hoc nullo tantâ de re „ judicio priùs apud vos facto, cùm in judi- „ cium câ de re nunquàm vocati simus. „ Quòd si dicas, priùs à nobis Constantino- „ politanæ Diœceseos Presbyteros in ea re- „ gione sacrificare prohibitos, haud inficias „ imus. Erant Photiani, illiusque Symmistæ, „ quibus non solùm in Balgarorum Provin- „ cia, sed ubique gentium sacerdotali mune- „ re interdiximus, interdicimusque. *Si hoc dicatur*, solùm licebit inferri, Græcos Presbyteros catholicos cum Sancta Romana Ecclesia communicantes, posse hoc privilegio uti, eoque utendo, validè crismare, sed nequaquàm schismaticos, & Romanæ Ecclesiæ hostes, qui certè sequuntur Photianum schisma; nam quemadmodùm propter schisma Photii, cui adhærebant illi, validè confirmare haud poterant, ità nec cæteri, qui in codem permanent schismate, ritè poterunt aut rectè baptizatos confirmare.

338 Deindè ortâ controversiâ Latinos inter & Græcos in Regno Cypri, tempore Innocentii IV., an liceret Presbyteris, baptizatos consignare sacro Chrismate in fronte, cosque sic confirmare; re delatâ ad Pontificem, non licuisse, respondit: Etenim in Epistola x. data ad Othonem Cardinalem Tusculanum, §. I. ait: *Ut Græci ejusdem Regni in unctionibus, quæ circà baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant & observent*. Inde §. IV. subjungit: „ Soli autem Episcopi consignent „ Chrismate in frontibus baptizatos, quia „ hujus unctio non debet, nisi per Episco- „ pos exhiberi; quoniam soli Apostoli, quo- „ rum vices gerunt Episcopi, per manus im- „ positionem, quam confirmatio, vel frontis „ chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum „ tribuisse leguntur. *Hactenus Innocentius*. Ex quo videtur, hujusmodi privilegio etiam cum Presbyteris Græcis cum Sancta Romana Ecclesia communicantibus, quales erant, qui in Regno Cypri tunc morabantur, eo decreto Innocentium derogasse.

339 Insuper & Gregorius IX. ad diversa dubia sibi ab Archiepiscopo Barensi proposita, respondens, inter quæ unum erat, an confirmati à simplici Sacerdote, validè confirmati censerentur, ait, ut refert Raynaldus ad Annum Domini MCCXXXI. sub num. 30., non validè confirmatos, iterùmque confirmandos: „ Chrismati verò, *inquit*, ut verbis „ tuis utamur, à simplici Sacerdote Confir- „ mationis munus minimè receperunt, quia „ de solis Apostolis, quorum sunt Episcopi „ successores, quòd per manus impositionem „ Spiritum Sanctum dabant, & ideò tàm illi, „ quàm confirmandi de cætero, à solis Epi- „ scopis consignentur. *Hæc ille*, licèt dici possit, loqui tantùm de confirmatis à Sacerdotibus Latinis, quales erant Sacerdotes Diœcesis Barensis; Latinis enim semper interdictum fuit hoc ministrare Sacramentum, prout suprà auctoritate sacrorum Canonum demonstratum est.

340 At Græcis invaluit hujusmodi consue-

suetudo, ut simplices Presbyteri consignarent, præcipuè absente Episcopo; & quidèm ab antiquo tempore, quoniam Auctor Quæstionum novi & veteris Testamenti, inter opera Sancti Augustini, quæst. 101. tradit, in Ægypto, absente Episcopo, consuevisse tunc temporis Presbyteros consignare: *In Alexandria*, inquit, *& per totum Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter*. Et idem testatur Auctor Comment. Epistolæ ad Ephesios, Ambrosio attribut. in cap. 4. ejusdem Epistolæ, quam consuetudinem semper retinuisse ex praxi illorum constat; nec Innocentii IV. prohibitio in Regno Cypri videtur sortitum effectum in universa Græcorum Ecclesia. Et ait Arcudius cap. 15. de Sacramento Confirmat. Græcorum Presbyteros per suos Patriarchas, & Antistites facultatem à Summo Pontifice obtinuisse, à quo omnis jurisdictio, quasi à capite, in alios, veluti membra, mediatè, vel immediatè derivatur, & diffunditur. Et hoc privilegium existimat, ab initio fuisse concessum ab universali Ecclesia Orientali, non corrigente, sed diù tolerante Romano Pontifice.

341 Itaque constat antiquum usum confirmandi per simplices Presbyteros apud Græcos, non tamen constat de aliqua Pontificia prohibitione; nam licèt Innocentius IV. hoc prohibuisset in Regno Cypri, ut suprà fati sumus, non proinde videtur, Ecclesiam Orientalem Græcorum se abstinuisse; & nescitur, si reverà in antefato Regno fuerit effectum sortita; undè non desunt, qui asserant, Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum, cui directa fuerant Innocentii responsa, propter vitanda scandala, quæ ejusmodi prohibitione suboriri inter Græcos poterant, non minùs ac in insula Sardiniæ eàdem de causa suborta fuerant ætate Magni Gregorii, minimè eam promulgasse prohibitionem. Nec Hadrianus II., ut pariter suprà adnotavimus, irritam pronunciavit confirmationem, collatam à Presbyteris Græcis in Bulgarorum Regno, quia à simplicibus Sacerdotibus collatam, sed quia à Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, nullamvè habentibus jurisdictionem, ut se declarat, rescribens ad Ignatium Patriarcham.

342 Porrò, licèt in fidei professione Græcis missa a Gregorio X., atque ab eis recepta, & in Concilio Lugdunensi II. œcumenico publicata, dicatur: *aliud esse Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos*, nulla, vel minima facta est mentio de consignandis, vel non consignandis à Presbyteris, non negantibus fortasse Græcis, Episcopum esse ordinarium præfati Sacramenti Ministrū, simplicem verò Sacerdotem esse Ministrum extraordinarium. Nec in Concilio Florentino, ubi acta est Græcorum unio, quidquam legitur sancitum contrà talem Græcorum consuetudinem, immò potiùs eam approbasse Eugenium videtur; quoniam publicato unionis decreto, subscriptisque Latinis, atque Patribus Græcis, inter plura, quæ à Latinis quæsita fuerunt circà Græcorum ritus, unum fuit: *Quarè Episcopi non inungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum?* Cui petitioni, aliisque dubiis Episcopum Mitylenensem satisfecisse, referunt Acta: „ Hæc à Latinis objecta, *in-„ quiunt*, Mitylenensis canonicè omnia, le-„ gitimèque dissolvit, præterquàm duo, de „ quibus Papa significavit Imperatori, cùr „ scilicet matrimonia dirimantur, & Patriar-„ cha non eligatur. *Hæc ibi*. Si ergò iis, exceptis duobus, alia dubia solvit Mitylenensis, eisque canonicè & legitimè satisfecit, sequitur satisfecisse & dubio proposito de Ministro Confirmationis: Cùmque Eugenius hac in re nihil innovasset, evidens est Græcis suam consuetudinem sequi permisisse, ac ideò ex ipsius Pontificis permissione etiam post Concilium Florentinum posse Græcos legitimè à suis confirmari Sacerdotibus non Episcopis.

CAPUT XII.

De reliquis Photii calumniis, sivè objectis.

343 Sicuti adnotavimus superiùs sub num. 125. præter hactenùs refutata objecta, Photius in calumniam Ecclesiæ Occidentalis, atque Catholicæ Romanæ, fatetur, Latinos aquâ purâ pro Chrismate uti, lacteciniis jejunii quatragesimalis tempore vesci. Agnum paschali tempore super Altari cum Dominico offerre Corpore; Diaconos non suscepto Presbyteratus ordine ad Episcopatum promoveri: Et deniquè quasi grande piaculum foret, Clericos barbam radere, hoc in ignominiam Latinæ Ecclesiæ verterat; ideò hoc in unico articulo cætera hæc examinabimus; quoniàm cùm in omnium Græculorum ora sint ejusmodi objecta, operepretium est, ut eis, licèt brevi excursu, satisfaciamus. Et quoniàm quæ ad ritus, moresque Romanæ, & Occidentalis pertinent Ecclesiæ, nullibi meliùs desumi possunt, quàm vel ex Ritualibus, quibus eâ utitur, Sanctorum Conciliorum Regulis, & Summorum Pontificum, atque Patrum Decretis, quibus innititur, proindè ex hujusmodi Ecclesiasticis monumentis ostendemus, præfata Photii objecta meras esse calumnias.

344 Et quidèm de primo, quòd nimirum Ecclesia Romana pro Chrismate purâ utatur aquâ, est à Photio mendacissimè assertum; quoniàm Chrisma, quo utitur Ecclesia Romana, conficitur ab Episcopo ex oleo & balsamo, ut videre est in Pontificali Romano,

de

de Officio in Cœna Domini. Et in Catechismo Romano, ubi sub num. VII. tradit, Chrisma ex oleo & balsamo fuisse confectum, & inde explicat causam, cùr Chrisma sic confectum, sit confirmationis materia apta. Amalarius Fortunatus, in lib. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 12., non oleum tantùm pro Chrismate consecrari affirmat, sed & balsamum: *Nam odor balsami*, inquit, *in oleo opinionem bonarum virtutum latè dispersam, operante gratiâ Spiritus Sancti, demonstrat*; & indè subjungit: *oleo additur balsamum, quia nitet in vultu Christi cœlestis splendor*. Et hoc idem tradit Innocentius III. in Epistola data ad Patriarcham Constantinopolitanum, inquiens: *Conficitur Chrisma, quod ex eoleo fit & balsamo, mysticâ ratione; per oleum enim nitor conscientiæ designatur*; & paucis interjectis, subjungit: *per balsamum odor bonæ famæ exprimitur*. Et Ugo de Sancto Victore, lib. 2. de Sacramentis, par. 17. cap. 1. *Chrisma*, ait, *est oleum cum balsamo mixtum*. Hinc & Magnus Gregorius exponens illud Cant. cap. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, ait: *In Engaddi balsamum gignitur cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma conficitur*.

345 Deindè Fabianus Papa in Epist. II. data ad Episcopos Orientales, §. 1. apertè tradit, Chrisma ex oleo & balsamo confici; refertur namque in ea, quosdam Episcopos in ea fuisse sententia, nè quotannis in die Cœnæ Domini esse renovandum Chrisma, sed uti posse vetere confecto per duos, tresvè annos, donec in totum consummatum fuerit, allegantes pro ratione balsami penuriam: *Dicunt enim*, ait Fabianus, *ut in memorotis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri; nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum una confectio Chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere*. Undè subjungit, eos, talia asfantes, errare; Sanctosque Apostolos tradidisse, quotannis vetus Chrisma incendi, novumque in Cœna Domini effici; & ità Romanam Ecclesiam ab Apostolorum temporibus servasse, Hierosolymitanam, Antiochenam, & Ephesinam pariter custodivisse. Quòd si fortè quis dicat, hujusmodi Epistolam suppostitiam esse, non Fabiani, vim tamen argumenti non minuit; quoniàm sivè Fabiani sit, sivè cujusvis alterius, satis demonstrat, Ecclesiam Romanam non aqua uti pro Chrismate, sed sacro quodam ex oleo & balsamo confecto unguento. Ità pariter idem tradit Cyprianus, vel quisquis Auctor sit Sermonis de Unctione Chrismatis, Cypriano attributo, ubi ait: *Hodiè in Ecclesia sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, Sacerdotalis, & Regiæ Gloriæ exprimit unitatem*: *Eo namque*, ait Ugo mox relatus, *unguntur capita Pontificum & Regum, quo etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, sicut eodem Pontifex per impositionē manus confirmandos ungit in fronte*.

346 Item certum est, Latinam Ecclesiam atque Catholicam & Apostolicam Romanam perpetuò interdixisse simplicibus Sacerdotibus, nè sacrum conficerent Chrisma: Si solâ uteretur pro Chrismate aquâ, in ea Ecclesia non esset Chrismatis confectio; & tamen in Romana II. Synodo, sub Sylvestro Papa, Canon. V. dicitur: *Constituit etiam voce clarâ Sylvester Episcopus Urbis Romæ, ut nemo Presbyter Chrisma conficeret*. In Latina Carthaginensi Ecclesia iteratò hoc interdictum Presbyteris legitur, tùm in Concilio Carthaginensi III. Canon. 36. *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, Virgines non consecret; Chrisma verò nusquàm conficiat*; tùm in VI. ejusdem Ecclesiæ Concilio, Can. pariter 36. *Ut Parochi singulis annis ante festum Paschæ petant Chrisma ab Episcopo proprio*. In Ecclesia Hispanica in Synodo I. Toletana, Can. XX. præsumptio coercetur quorundam Sacerdotum, qui Chrisma conficere temerè audebant: *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit, ex hoc die, nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere*. In Concilio Toletano VIII. cap. 7. *Non vos convenit, quod Episcopalis eminentiæ culminis auctoritas, non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet Templorum consecrationem, Chrismatis benedictionem*. Similia habentur in cap. 7. Concilii Hispalensis II. In Lusitania Patres Concilii Bracarensis III., Canone IV., decernentes, ut pro modico balsamo, ad usum Sacramenti necessarium, nihil accipiatur: rationem asferunt: *Nè fortè, quòd pro salute animarum per invocationem Sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecuniâ emere, ità nos venundare damnabiliter videamur*. In Germania, Synodus Wormatiensis, sub Hadriano II. Papa, & Ludovico II. Imperatore, Canone II. *Chrisma conficere nullus, præter Episcopum præsumat; nam illi soli hæc dignitas concessa est*. Id quod etiam habetur Canone VIII. ejusdem Synodi. Et ità constat universæ Latinæ Ecclesiæ, praxim talem semper fuisse, ut ex oleo & balsamo sacrum conficeretur Chrisma. Hinc est, quòd Eugenius IV. in Decreto pro unione Armenorum, sacro approbante Concilio Florentino, ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto*.

347 Sed licèt Ecclesia Latina ex oleo dumtaxàt & Balsamo Sacrum Chrisma conficiat, Græci tamen ex vetusta suæ Ecclesiæ consuetudine, ne dum Balsamo utuutur & oleo, verum & aliis aromatorum generibus, ut liquet ex eorum Euchologio, ubi duode-

cim odoriferorum aromatum genera pro Chrismate conficiendo enumerantur: & hanc mixturam indicare videtur Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica Hierarchia Cap. IV. dum ait: „ Dicimus igitur unguenti confe-„ ctionem esse collectionem quandam suaviter „ spirantium materiarum, quae in se magnam „ vim, & copiam fragrantium qualitatum „ contineat. Cujus qui facti sunt participes, „ odorem bonum ex se efflant, proportione „ fragrantis communionis, quae in eis inest. *Haec ille*. Et post Dionysium, Magnus quoque Basilius exponens illud psal. 132. *Sicut unguentum in capite*, id idem indicat, inquiens: „ Oleum illud Sacerdotale ex variis condi-„ mentis constabat. Verùm nullum illorum, „ & inunctio maximam reddebat odoris re-„ dolentiam. Rectè igitur huic unguento „ concordiam comparavit, multarum enim „ virtutum coadunatio perfecta virtutis fra-„ grantiam operatur. *Hactenus Basilius*. Et fortè Photius, quia Ecclesia Latina tot aromata in Chrismatis confectione non adhibet, argumentum sumpsit calumniandi, quasi solà aquà uteretur pro Chrismate. Caeterùm illam aromatum diversitas in confectione Chrismatis, nullo pacto est de necessitate: quoniam, ut antefati sumus, materia remota Sacramenti confirmationis, est Chrisma confectum ex oleo & Balsamo: Oleum ergo & Balsamum sunt necessaria in Chrismate, caetera aromata à Graecis adjecta, non sunt de necessitate: unde & ipsi cavere debent, ut alia aromata in tam parva admisceantur quantitate, ut non excedant Balsami quantitatem, adeoùt odor Balsami praevaleat, oleumque naturam non immutet, in eaque sua propria subsistat natura: cum ut praefati sumus, oleum & Balsamum duntaxàt sint essentialia Chrismati, necessario ad conficiendum Sacramentum confirmationis.

348 De secundò: quod scilicèt Ecclesia Latina in Quadragesimali jejunio ovis vescatur, & lacticiniis, falsum est, & mera calumnia: nam certè Patres Trullani non omisissent de hoc quoque Ecclesiam Romanam reprehendere, quemadmodùm eam reprehendere sunt ausi, quod in Sabbatis Quadragesimae jejunium servaret, ut Can. LV. „ Quoniam „ intelleximus in Romanorum Civitate, in „ Sanctis Quadragesimae jejuniis, in ejus „ Sabbatis jejunare, praeter Ecclesiasticam „ traditam observationem: sanctae Synodo „ visum est, ut in Romanorum quoque Ec-„ clesia inconcussè vires habeat Canon, qui „ dicit: *Si quis Clericus inventus fuerit in* „ *Sancto Die Dominico vel Sabbato jejunare*, „ *praeter unum solum, deponatur: Si autem* „ *Laicus segregetur*. Et eo fortiùs, quod in Canone LVI. sequente, consuetudinem Armenorum in Sabbatis & Dominicis Quadragesimae comendentium caseum & ova, damnant, & proscribunt: „ Similiter accepimus, „ *inquiunt*, & in Armeniorum regione, & in „ aliis locis, in Sabbatis & Dominicis San-„ ctae Quadragesimae quosdam ovam & ca-„ seum comedere. Visum est ergo & hoc, ut „ omnis Dei Ecclesia, quae est in universum „ Terrarum Orbem, unum ordinem sequens, „ jejunium perficiat, & abstineat, sicut ab „ omni mactabili, sic ab ovis & caseo, quae „ quidem sunt fructus & foetus eorum, à qui-„ bus abstinemus. *Hactenus illi*. Constat ergo tempore sextae Synodi in Trullo, Armenos tantùm, non Romanos consuevisse ova, & caseum comedere, nec quidem omni die, sed Sabbatis tantùm, & Dominicis diebus, quod si apud Romanos hujusmodi tunc invaluisset consuetudo, sicut Patres illi, Armenos, sic pariter & Romanos perstrinxissent.

349 Et quidem in Romana Ecclesia viguit ab antiquissimo tempore consuetudo abstinendi à lacticiniis Quadragesimali tempore: Hinc S. Ambrosius in quodam sermone, nimirum XXIII. relatus distinct. IV. in Cap. VI. Denique firmat praefatam consuetudinem, inquiens: *Par autem est, ut nos, qui bis diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementivam trahunt Originem carnis jejunemus, à lacte videlicèt, caseo, & ovis*. Quem textum quasi pro lege Sancta Romana recepit Ecclesia, quae in corpore juris Canonici inseri jussit. Et licèt ab antiquissimo tempore in nonnullis Germaniae partibua dispensatum sit, justissimis tamen de causis, ut Quadragesimali tempore lacticiniis vescantur; attamen in Synodo Quintilineburgensi celebrata sub Gregorio Papa VII. anno Domini MLXXXV. in ipsis Germaniae partibus Can. VII. statutum est: *Ne quis caseum & ova comedat in Quadragesima*.

350 Deinde in Capitularibus Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui Carolo Magno vixit Synchronus, Cap. XL. ubi de jejunii diebus mentio habetur: dicitur: „ Abstinentia „ verò in his diebus omnium delitiarum esse „ debet, & sobriè, & castè vivendum: Qui „ verò ovis, caseo, piscibus, & vino absti-„ nere potest, magnae virtutis est. Qui au-„ tem his, aut infirmitate interveniente, aut „ quolibet opere, abstinere non potest, uta-„ tur. *Haec ibi*. Ubi justa de causa dispensatur, ut jejuniorum diebus, quis uti possit lacticiniis. Item, Ecclesiae Latinae Praelati curam maximam habuerunt, ne in suis Ecclesiis abusus subintroduceretur vescendi absque necessitate, & sine legitima dispensatione lacticiniis in diebus jejunii, praecipuèque in Quadragesima. Unde in Concilio Andegavensi in Gallia celebrato anno MCCCLXV. Cap. XXII. statutum habetur: „ Sanè cum „ diebus jejunialibus, & maximè in Quadra-„ gesima, non solùm à carnibus, sed etiam „ ab illis, quae à carnibus sementariam tra-„ hunt Originem, sit penitùs abstinendum;

& non-

„ & nonnulli noftræ Provinciæ, tàm Perfone „ Ecclefiafticæ, quàm etiam Seculares, in „ nonnullis locis lacte & butyro utantur in „ diftinctè, licèt pifcium, olei, & aliorum „ neceffariorum poffint copiam invenire; ideò „ approbante Concilio prohibemus, ne ali- „ qua Perfona Ecclefiaftica, vel Sæcularia „ butyrum vel lac comedat in Quadragefi- „ ma. *Hactenus ibi*. Quo Canone non nova inftituitur lex, fed vetufta innovatur, abufufque adversùs eam introductus deletur.

351 Præterea: in Conftitutionibus editis in Concilio Copriniaco apud Labeum tomus XI. Conciliorum pah. 746. Cap. XIX. habetur: „ Sacerdotes præcipiant omnibus adul- „ tam ætatem habentibus inftituta jejunia „ obfervare, ut Quadragefimæ, quatuor „ temporum in efca Quadragefimali, exce- „ ptis jejuniis, quæ funt in Septimana Pen- „ tecoftes, quibus poffint comedi ova & ca- „ fei, ratione dignitatis fefti. *Hæc ibi*. Ubi apertè indicat, non licuiffe vefci cafeo, & ovis jejuniorum tempore, cum id folùm concedatur in jejuniis infra Hebdomadam Pentecoftes, ratione dignitatis fefti. Inde eft quod fecundùm receptam Romanæ & Latinæ Ecclefiæ confuetudinem In Mexicano novi Orbis Concilio celebrato anno Domini MDLXXXV. lib. III. titul. XXI. §. V. dicitur: *Declarat præterea hæc Synodus abftinendum effe omninò in diebus jejunii Quadragefimalis, à lacte, ovis, cafeo, butyro, aliifve cibis his conditis*. Hinc Sanctus Carolus Borromeus in Concilio Mediolanenfi I. §. VII. de jejunio auctoritate Sacrorum Canonum, prohibet efum lacticiniorum jejuniorum diebus, præcipuè Quadragefimalibus, inquiens: *Itaque ejus nos auctoritati* (fupple, Concilii Tridentini) *& Sacrorum Canonum decretis innitentes edicimus, ut omnes carne, cæterifque omnibus, quæ à carne trahunt Originem, ut ovis, lacte, cafeo, butyro, & hujufmodi per totum Quadragefimam abftineant*. His ergo paucis conftat Photium calumniare Ecclefiam Latinam, quafi vefcatur tempore Quadragefimalis jejunii lacticiniis.

352 De tertiò, nimirum, quod Ecclefia Latina Pafchali tempore, unà cum Dominico corpore agnum offerat, nefcio unde hoc mendacium defumpferit: cum univerfis fpectantibus fidelibus falfa edicere convincatur. Quia unquam vidit Latinum Sacerdotem die Pafchatis celebrantem unà cum Dominico corpore agnum offerre? Qui enim eo die in univerfo Orbe, ubi Catholica, Apoftolica, atque Romana diffunditur Ecclefia Sacria Myfteriis adfiftunt, Sacrofancto Miffæ interfunt Sacrificio, de tam patente mendacio teftes funt. Benedicitur eo die caro agni, Sacerdoti benedicenda à fidelibus offertur, non Sacerdos Deo Patri cum Dominico corpore offert. Benedicit illam Sacerdos, quemadmodùm & ova benedicit, & panem, & aquam, & falem, & cineres, & palmas temporibus fuis, & Terræ fructus: ait namque Paulus in priori ad Timotheum Epiftola Cap. 4. *Omnis Creatura Dei bona eft, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; fanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem*. Et Dominus Jefus Joannis Cap. 6. benedixit panem multiplicandum atque Turbis diftribuendum: *Accepit ergo Jefus panes, & cum gratias egiffet, diftribuit difcumbentibus*: primò gratias egit, hoc eft benedixit, indeque diftribuit: Inde poft Refurrectionem fuam Lucæ Cap. 24. recumbens cum duobus Difcipulis ut cum eis in Caftello Emmaus cœnaret; *accepit panem & benedixit, & porrigebat illis*: Ex Apoftolica traditione confuetudo emanavit benedicendi cum multis aliis Creaturis ad humanum ufum neceffarii cibos ad vefcendum ordinatos, non quod immundi naturâ fint, ut Manichæi contendebant, *quoniam omnis Creatura Dei bona eft*, ut ait Paulus, *& vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, ut fcibit Moyfes, fed ut benedictione illa fanctificentur, quemadmodùm Dæmonum invocatione maculari poffunt, ut admonet S. Cyrillus catechef. 3., inquiens: *Ut illa quæ in aris offeruntur, cum natura fint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur: fic contrà, aqua fimplex, per Sancti Spiritus, Chrifti & Patris invocationem accepta virtute fanctitatem confequitur*. Et eàdem ratione cætera quoque ad humanæ naturæ ufum creata, benedictione & aquæ fanctificatæ afperfione fanctificantur.

353 Itaque die Pafchatis, poft jejunium quadraginta dierum, quibus fideles à carnibus fe abftinuere & lacticiniis, caro agni eo die comedenda, ova quoque de lacticiniorum genere Sacerdoti benedicenda offeruntur: Redituri namque ad carnis & lacticiniorum efum, optant piè novum illum cibum quafi de manu Domini accipere, & Sacerdotali benedictione juvari, ut eo fobriè & falubriter uti poffint, atque corpori & animæ ità profit. Caro agni comeditur eo die ad Chrifti Domini imitationem, qui ante paffionem fuam factâ cœnâ cum Difcipulis fuis, Pafcha, ideft, agnum manducavit. Agnus porrò mactatus in exitu filiorum Ifrael de Ægypto, cujus fanguinis virtute poftibus Domorum Ifraelitarum afperfis, Immunes ab Angelo exterminatore effecti funt, figura fuit Chrifti agni immaculati, de quo Ifaias, *tanquam ovis ad occifionem ductus, & non aperuit os fuum*, in Ara Crucis immolati, atque occifi, cujus effufi fanguinis virtute genus humanum à captivitate Dæmonum folvi meruit: Unde & in laudem ejufdem Domini Noftri Jefu Chrifti, in tanti beneficii memoriam fideles populi die Pafchatis fanctificatum Sacerdotali benedictione agnum comedere feftinant; Hinc S. Ecclefia agnum præfatum benedicens fic orat. „ Deus „ qui per famulum tuum Moyfen, in libera-

„ tione Populi tui de Ægypto agnum occidi „ jussisti in similitudinem Domini Nostri Je- „ su Christi, & utrosque postes domorum de „ sanguine ejusdem agni perungi præcepisti: „ bene ✠ dicere,& ita sancti ✠ ficare digneris „ hanc creaturam carnis, quam nos famuli „ tui ad laudem tuam sumere desideramus, „ per Resurrectionem ejusdem Domini No- „ stri Jesu Christi. *Hæc in Agni Paschalis benedictione*.

354 Deinde ova benedicendo, ait: „ Sub- „ veniat quæsumus Domine, tuæ Bene ✠ di- „ ctionis gratia huic ovorum Creaturæ: ut „ cibus salubris fiat fidelibus tuis in tuarum „ gratiarum actione sumentibus ob Resurre- „ ctionem Domini Nostri Jesu Christi. *Ita Ecclesia*. Quæ & panem benedicens, ait: „ Domine Jesu Christe panis Angelorum, pa- „ nis vitæ æternæ, bene ✠ dicere panem „ istum, sicut benedixisti quinque panes in „ Deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde „ corporis & animæ percipiant. *Vel*. Domi- „ ne sancte Pater omnipotens æterne Deus, „ Bene ✠ dicere digneris hunc panem tua „ sancta spirituali benedictione: ut sit omni- „ bus sumentibus salus mentis & corporis; „ atque contra omnes morbos, & universas „ inimicorum insidias tutamen. Per Domi- „ num Nostrum Jesum Christum filium tuum „ panem vivum, qui de Cœlo descendit, & „ dat vitam & salutem Mundo: & tecum vi- „ vit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. *Hacte- nus oratio*. Eodem certè Paschatis die secun- dum Ecclesiæ Latinæ consuetudinem nedum agnus, verum & panis, & ova benedicenda Sacerdoti offeruntur: Cur ergo Photius non dixit, & ova & panes die Sancto Paschatis unà cum Dominico corpore super Altare of- ferri, sicut dicit de agno? Eo modo defertur agnus, & benedicitur, quo panes, quo ova, si per hoc quod deferatur ad benedicendum agnus, dicit à Latinis cum Dominico corpo- re offerri, idem fateri debuerat de panibus, & de ovis, quæ simili modo ut benedicantur, eadem die Sacerdotibus ad Ecclesiam defe- runtur. Sed quoniam & Græci panes benedi- cunt, ova quoque die Paschatis, devotionis gratia comedunt, noluit in probrum vertere, quod commune habet Ecclesia Græca cum La- tina. Apparet ergo & malitia, & menda- cium.

355 De quartò, quod videlicèt Ecclesia Latina per saltum Diaconos promoveat ad Episcopalem dignitatem, non præmisso or- dine Presbyteratus, Ecclesiæ Latinæ Ca- nones convincunt ipsum de mendacio. Syl- vester Papa Romanus in secunda sua Synodo Romæ celebrata Can. XI. statuit, ut nullus ex laica persona ad honorem Acolythus usque ad Episcopatum sublevetur, nisi per omnes Ecclesiasticos ordines pertranseat, atque in eis per aliquod temporis spatium Ecclesiæ inser- viat. Hinc & Cœlestinus I. Papa Romanus in Epistola II. data ad Episcopos per universas Provincias Viennensem, & Narbonensem con- stitutos, cap. 3. reprehendit abusum à quibus- dam introductum promovendi ad Episcopatus, non priùs per omnes Ecclesiasticos ordines promotos: „ Ordinatos verò quosdam, ait, „ fratres charissimi, Episcopos, qui nullis „ Ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis „ fastigium fuerint instituti, contra Patrum „ decreta, hujus usurpatione, qui se hoc co- „ gnoscit fecisse, didicimus; cùm ad Episco- „ patum his gradibus, quibus frequentissi- „ mè cautum est, debeat perveniri, ut mi- „ noribus initiati officiis ad majora firmentur. *Hæc & alia Cœlestinus*.

356 Deinde Concilium Sardicense Cano- ne XIII. de promovendis Episcopis hæc de- cernit: „ Osius Episcopus dixit: Necessa- „ rium arbitror, ut diligentissimè tractetis, „ si fortè, aut dives, aut scholasticus de fo- „ ro, aut ex administratore Episcopus fue- „ rit postulatus, non prius ordinetur, nisi „ ante & Lectoris munere, & officio Diaco- „ ni, & Presbyteri fuerit perfunctus, & ita „ per singulos gradus, si dignus fuerit, ascen- „ dat ad culmen Episcopatus. *Hæc ibi*. At Sancta Romana Ecclesia Sardicenses Canones recepit, & semper venerata est: adeout hoc eodem Canone, & Cœlestini I. Decreto Ni- colaus I. Papa in Epistola II. data ad Michae- lem Imperatorem, adversatur ipsius Photii promotioni ad Episcopatum Ecclesiæ Con- stantinopolitanæ, eo quod ex laico assumptus fuerit, & non priùs debito tempore in infe- rioribus Ecclesiæ inservierit ordinibus. Et sa- nè mirandum, quantæ fuerit audaciæ iste Pho- tius, quoniam censurare, sive calumniare Latinam audet Ecclesiam, quasi ex Diaconi- bus Episcopos faciat, qui, ut ait Nicæta Da- vid in vita Ignatii, sex in diebus ex laico fa- ctus est Patriarcha, nam prima die ex Laico Monachus, secunda, Lector, tertia Hypo- diaconus, quarta Diaconus, quinto Presby- ter, sexta denique Episcopus.

357 Non negamus nos ex Diaconibus quosdam, spectatis illorum meritis, attentis etiam temporum circumstantiis, & quarun- dam etiam Ecclesiarum indigentiis ex Diaco- natus ordine vocatos ad Episcopale fastigium, non tamen ità, ut sine Presbyterali ordine, Episcopi fuerint consecrati: priùs enim in eis suppletum est quod deerat, ordinati videlicèt sunt ex Diaconibus Presbyteri, inde in Epi- scopos consecrati. plures etiam ex Romanis Pontificibus ex Levitico ordine electi legun- tur, non tamen Episcopi consecrati, nisi post- quam fuerint in Presbyteros ordinati: nec unicum exemplum afferre potest Photius de ejusmodi per saltum ordinatis in Episcopos: sed ipso more suo dicit tantùm, neutiquam probat, ut ita verè calumniator appareat.

358 De quintò denique, quod nempè Lati-

Latinæ Ecclesiæ Clerici barbam radant, eedatque hoc, ut Photius inferre intendit, in ignominiam Ecclesiastici ordinis, quasi ad Ecclesiasticam Hierarchiam, sanctè, piè, & religiosè conservandam, necesse foret, ut qui Ecclesiasticæ militiæ sunt adstricti, deberent & barbaram nutrire: cur & comam non dicit, cum comati, & Diaconi, & Sacerdotes, imò & ipsi Episcopi incedant, nec sine coma sacra peragunt? Nùm quid Petrus comam nutrivit? Numquid Apostoli, Sanctarum Ecclesiarum plantatores? Cur non est vertendum in Ecclesiæ Græcæ probrum, quod illius Clerici commam nutriant, si Apostoli hoc non fecerunt, & vertendum est in probrum Ecclesiæ Latinæ, quod sui Clerici barbam radant, quia fortasse Apostoli barbam sibi neutiquam radebant? Certè ut Clerici tonsurati incederent ex Apostolica traditione manavit, quoniam antiquitùs universa totius Orbis Ecclesia eandem servabat consuetudinem, adeout tam Clerici Ecclesiæ Græcæ, quàm Ecclesiæ Latinæ, tam Orientalis, ut uno verbo dicam & complectar omnes Ecclesias, quàm Occidentalis tonsurati incedebant Sancti Apostoli Petri exemplo, qui per ignominiam à non credentibus tonsus, tonsuratus inde semper incessit, ut S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus, in sua rerum Ecclesiasticarum Theoria refert. Et diversas congruentias affert Isidorus in lib. de Divinis Officiis. Et nos plura retulimus in nostris vindiciis Areopagiticis. Sed & Beda quoque legendus est lib. histor. Gentis Angl. Cap. 22. At qui Græci, ut in omnibus adversentur Latinis relaxatâ ex parte pervetusta Ecclesiastica disciplinâ quo ad Clericorum tonsuram, quoniam Latini Clerici tonsurati incedunt, ipsi comati ex parte saltem incedere volunt: Et quia Latini barbam radunt, ideo ipsi barbam nutriunt.

359 Cæterùm diversa olìm fuit apud nationes consuetudo nutriendi aut barbam radendi. Scythæ, & Parthi hirsutis barbis & crinibus ad bella properabant, ut hostibus terribiliores apparerent, ut testatur Alexand. lib. 5. Cap. 18. Arabes barbam tondunt præterquam in superiori labio, ut scribit Ravisius, & ego ipse ocularis fum testis. Ægyptii capillos nutriunt, barbamque radunt, ex Erodoto lib. 2. apud Germanos, Gottosque nefas fuit barbam, aut capillum tondere, ut antefatus recenset Alexander lib. 5. Cap. 18. Apud Græcos verò & si eadem semper fuerit comam nutriendi consuetudo, ut videre est apud Homerum vocantem Græcos Cæsarie insignes, non tamen eadem servata fuit circa barbam. Lycurgus enim Lacedemoniis legem dedit de nutrienda coma, ut speciosiores aspectu redderentur, barbam tamen ad cutem usque radere volebat, testantibus Xenoph. in Republica Laconum, & Plutarco in Lysandro. Alexandri Magni temporibus, mentum radere Græcos incæpisse, scribit Chrysippus lib. 4. de voluptate & bono.

360 Neque apud Romanos eadem servata est consuetudo: Romani Patricii usque ad mediam ætatem barbam nutriebant, ut ex Gellio lib. 3. Noct. Atticarum, cap. 4. liquet: post mediam porrò ætatem barbam rasitabant. Et scribit Plinius lib. 7. Cap. 59. P. Tieinium primum Tonsores Romam è Sicilia adduxisse, anno ab Urbe condita CCCCLIV. Postea Aphricanus, quotidie barbam rasitandi, morem Romæ primus induxit, ut refert Strab. lib. 6. Cap. 2. unde & Cæsar Augustus eo recepto more barbam abradebat, eumque secuti fuet cæteri Romani Imperatores usque ad Hadrianum, qui teste Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. ex Dione; primus ex Cæsaribus barbam nutrivit: ut ex ipsis nummis constare poterit, ubi ante Hadrianum imberbes Imperatores conspiciuntur, non sic omnes post Hadrianum.

361 Cùm itaque in hac parte, Regionum mores sequantur Clerici, ubi consuetudo est, ut viri barbam nutriant, ut ferè accidit in Oriente, Clerici quoque eam retinent, ne recepto Regionis mori adversantes, in vilipendium nationis veniant: At cùm plerumque in partibus Italiæ, viri communiter barbam radant, Clerici quoque id faciunt, quod si contingat ad Orientales plagas transmeare, Orientalium more barbam nutriunt. Non abnuo primævis Ecclesiæ temporibus Christianos ferè communiter barbatos incessisse: Etenim ex Pedagogo Clementis Alexandrini lib. 3. Cap. 3. manifestum fit, ubi de Viri Christiani habitu, ornatu, & cultura agens, inter alia scribit: „ Deus voluit fœminam quidem esse glabram „ ac lenem, sola coma, sicuti equum jubâ, „ spontè natura exultantem: virum cum si- „ cut Leones barba ornasset, virilem etiam „ fecit hirsuto pectore, quod quidem est ro- „ boris & Imperii indicium: *Et inde de bar- „ ba subjungit*: Hoc viri signum, per quod „ vir apparet, est Eva antiquiùs, & signum „ melioris naturæ. In eo ergo violando, quod „ est virilis naturæ signum, eo scilicèt, quod „ hirsutum, contra leges facere, est impium. „ *Et post multa subnectit*: Si quis autem bar- „ bæ nonnohil tondeat, & tamen non est om- „ ninò denudanda: est enim turpe spectacu- „ lum: barbaque ad cutem usque tonsus, non „ videtur multum abesse à vulsione & levore. „ *Et postea*. Qui in superiori labii parte in- „ ter comedendum polluuntur, pili tonden- „ di sunt, non novacula (est enim illiberale) „ sed tonsorum forficibus. Barbæ autem pili, „ qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexan- „ di, ut qui cultui gravitatem afferant, & „ quendam paternum terrorem incutiant. *Hæc Clemens*. Sed fortè in solo Oriente hoc servatum existimo: quoniam, ut supra fati sumus, Romani ut plurimùm sine barba incedebant, maximè post Cæsarem Augustum: &

ut

ut Divus Chryfoftomus fcribit: orat. 36. Quidam Græci in propriis eorum Regionibus, contra fuorum Gentilium Græcorum omnium confuetudinem, ut Romanos imitarentur, more Romano barbam radebant,

362 Verùm proceffu temporia Romanorum regnum invadentibus Gothis, ibidemque diutiùa regnantibus, cùm reges barbati incederent, cæperunt & Romani, univerfique Itali barbam nutrire: Cujus rei admiratur Ennodius in Jovinianum fic cecinit.

Barbaricam faciem Romanos fumere cultus.

Miror, & in modico diftinctas corpore gentes.

Et item.

Romuleam segetem vox oris nubila fuscat:

Oppreffit veftes tenebrofo tegmine vultus.

Et denique.

Nobilibus collis genium male compta lucernis.

Difcordes mifcens inimico fœdere proles.

Sed inde expulfis barbaris, paulatim Romani priftinum reaffumpferunt morem, radandi fcilicèt oarbam.

363 Cæterùm quo ad Clericos, non mihi certum conftat, an fecuti fuerint barbarorum confuetodinem, licèt probabile fit, non effe fecutos, vigilantibus Ecclefiæ Paftoribus: quoniam ot refert Baronius ad annum Domini MLVIII. fub numero 142. Gregorius Papa VII. fcribens ad Jacobum Epifcopum Calaritanum, juffit, ut Clericos fuos cogeret barbam radere, afferens ab ipfo exordio nafcentis Ecclefiæ illibatè hanc fervatam fuiffe confuetudinem: additque idem Baronius aliam literam Gregorium ejufdem feciffe argumenti datam ad Ducem Sardiniæ III. nonas Novembris Indict. IV. anni MLXXX. Quæ fortaffe confuetudo irrepfiffe potuit in Ecclefia Occidentali, quoniam in Orientali Ecclefia appofitum conftat ex iis quæ fcribit Epiphanius in Panario hærefi 80. Et Clemens, feu quifquis fit Auctor Apoftolicarum Conftitutionum, lib. 1. Cap. 3. circa finem: Ait namque Epiphanius. *De barba quidem in Conftitutionibus Apoftolorum dicit Divina Scriptura, ne doctrina: non corrumpas, hoc eft, non feces pilos barbæ, neque meretricio more comam efferaris.* In Conftitutionibus porrò legitur: „ Tibi „ enim qui fidelis es, & homo Dei es, non „ licèt nutrire comam & in unum colligere: „ hæc enim luxuria eft, & mollicies, neque „ effufam geftare, neque difcriminatam, ne„ que facere, ut tumefcat: neque eam car„ pendo, & formando crifpare, neque fla„ vam reddere, quod etiam lex Deuterono„ mii vetet fifoem facere, aut anaxyridas. „ Oportet præterea non barbam radere, ne„ que formam hominis contra naturam mu„ tare, ait enim lex: *Non radetis barbas ve„ ftras*, mulieres namque ut deceret non effe „ barbatas, fecit earum auctor Deus, viros „ contrà ut non deceret, idem juftè ftatuit. „ Tu verò, fi hoc facias, ut alicui placeas, „ id quod eft contra legem, execrabilis apud „ Deum eris, qui te ad Imaginem fuam effè„ cit. Si ergo placère Deo volueris, abfti„ ne iis omnibus, quæ idem odit, nihil„ que efficias, quod ei difpliceat. *Hucusque ibi*.

364 In Ecclefia porrò Occidentali diverfam fervatam, receptamque confuetudinem ex iis quæ fupra fati fumus conftare poteft. Extat infuper antiquus Carthaginenfis Ecclefiæ Canon, mandans Clericis nec barbam nutriant, nec comam, *Clericus* inquit, *nec comam nutriat, nec barbam*. Eft enim editus in Synodo IV. Carthaginenfis celebrata anno CCCCXXXVI. fub Anaftafio Papa I. Honorio, & Eutychiano Confulibus, probata inde à Leone Papa III. & eft in ordine XLIV. Cui Canoni occafionem præbuiffe hæreticos Maffalianos autumant eruditi, qui ut ab aliis fecernerentur, prolixis & coma & barba incedebant, eo maximè quod manibus operandum effe negabant: Quos & Beatus Auguftinus in libro de opere Monachorum reprehendit Cap. 31., inquiens: „ Hoc autem præ„ cipio, ut fcilicèt non differentis folertia re„ quiratur, fed præcipientis auctoritas at„ tendatur: Nam & hoc quò pertinet quæfo, „ tam apertè contra Apoftoli præcepta coma„ ri? An ita vacandum eft, ut nec tonfores „ operentur? An quia Evangelicas volucres „ imitari fe dicunt quafi depilari timent, ne „ volare non poffint? Vereor in hoc vitium „ plura dicere, propter quofdam crinitos fra„ tres, quorum præter hoc multa & pœnè „ omnia veneramur. Sed quo magis eos in „ Chrifto diligimus, eo folicitiùs admonemus. *Hæc S. Doctor*.

365 Denique, Sacerdotes in Gallia tonfos, & rafos inceffiffe auctor eft Sidonius Apollinarius lib. 4. Epift. 13. ubi agens de cultura Corporis S. Germanici Epifcopi Cantillanenfis, ait: *Veftis adftricta, tonfus cothurnus, crinis in rotæ fpeciem accifus, barba intra rugarum latebras merfit ad crucem fecta forficibus.* Et Petrum Lombardum Epifcopum Parifienfem in fuis Ecclefiafticis ordinationibus juffiffe Clericos coma, & barba attonfos incedere, fcribit Auctor Theatri Vitæ humanæ Volum. XVII. lib. 6. Additque ex Platina, Anacletum Papam conftituiffe, ne Præfules, aut Clerici barbam, vel comam nutrirent. Patet ergo in hoc diverfarum Ecclefiarum confuetudo, juxta varios regionum mores. Teneant ergo fuam barbam Græci, fuamque receptam jam fervent confuetudinem, nos in probrum non vertimus: Sileantque cum fuo Photio exprobrare Ecclefiam Latinam, ex eo quod fui Clerici barbam radant: dum interim ad hiftoriam fermonem revoco.

CA-

CAPUT XIII.

De Michaelis nece, Basilii Macedonis Imperio, atque Ignatii restitutione.

366 OCciso Barda, & adoptato à Michaele in filium atque Imperii successorem Magistro militum, Basilio scilicèt Macedone, ut in superioribus fati sumus, ad consuetas exercendas crudelitates animum applicuit infelix Princeps, qui cum nimiæ potationi deditus esset, inebriatus multa crudelia perpetranda jubere consueverat, præcipiens aliis aures, aliis nares, aliis caput amputandum: id quod ægrè ferebat Basilius, vetabatque ne Tyranni jussa exequerentur, ut scribit Curopalates, inquiens: „ Cum Michael se vino ingurgiare consuevisset, quo „ tempore ebrius erat, absurda multa fieri imperabat, aliis enim aures amputari, aliis „ nares, aliis caput: quæ fieri Basilius vetabat, non tam aliis, quàm sibi ipsi metuens. *Hæc ille*. Cùmque Imperator Basilium suis conatibus obstare cerneret per insidias in venatione de medio tollere decrevit: „ Ut igitur, *prosequitur Curopalates*, ipsum sibi obstare Michael novit, contra ipsum tales „ molitur insidias. Cuidam præcepit, ut hastam jaciat, verbo contra feram, sed re contra Basilium, Idque planum factum est. „ Nam moriturus is qui jussus fuerat id facere, confessus est. Jecit igitur hic hastam, „ sed aberravit, atque Basilius servatus est. *Hactenus Curopalates*. Qua de causa Basilius ut sibi consuleret in Principem conjuravit, atque de medio sustulit. *Servatus autem*, ait idem Scriptor, *studuit potius aliquid committere, quàm ipse pati, & ità Michael occiditur ad Palatia Divi Mamantis, anno sex millesimo septuagesimo tertio, hora noctis tertia*.

367 Hujus impii Principis necem ad hunc modum evenisse scribit Zonaras, nimirum: „ Basilius de inferenda morte Michaeli consilio cum aliis communicato: cùm denuò „ Michael vino in Cœna obrutus torperet, „ manuque ductus in Cubiculum Regiæ, quæ „ est ad Divi Mamantis, somno profundissimo oppressus jacèret: egressus primùm „ Claustra Cubiculi Imperatorij, ne fores à „ Cubiculariis claudi possent, deinde cum „ conjuratis advènit. Iis autem qui ante Cubiculum excubabant, pauci adeò prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus, quidam cum stricto gladio ingressus manus sustulit, quibus ambabus resectis, ad cæteros rediit. At Michael cum „ ex vino titubans, ebrietate impediente fugere non posset, miserabiliter ejulans jacebat. In quem alius quidam ex Basilianis „ adhuc vivere conspicatus insiliit, ensem„ que ita in ejus pectus adegit, ut ventre „ etiam trajecto, intestina elaberentur. *Hæc Zonaras*.

368 Sublato itaque Michaele, atque in Throno firmato Basilio, præter omnem spem Photius dejicitur, Sanctissimusque Ignatius revocatur, nec diù pòst, sed postera à Michaelis nece die, ut notat Nicætas in Ignatii vita, ubi de Michaelis nece, Basilii Imperio, dejectione sacrilegi Photii, atque Sancti Ignatii revocatione, hæc scribit: „ Nec ita mul„ to post (*ab impia scilicèt Pseudophotiana Synodo*) ipse Michael ad Sancti Mamantis Martyris ædem per insidias mactatur, merito digno que sua amentia, scelere & impietate, „ fato perfunctus: cum Imperium unà cum „ Matre annos quatuordecim, menses octo, „ solus novem, propè annos administrasset: „ Cùmque malum fecisset in conspectu Ecclesiæ Dei, periit. Initio autem indictionis primæ IX. Kalendas Octobris, Basilius, „ regia occupata, Imperator est consalutatus: „ qui missis ad revocandum ex itinere Zachariam (*illum videlicet quem impiis Pseudo„ synodi Actis ad Ludovicum Galliæ Regem „ Legatum Photius cum Michaele miserat*) „ illum è media via retraxit. Posteroque die, „ quam renunciatus erat Imperator, Photium „ de Throno deturbatum, in Cœnobium „ Scepen appellatum ejicit; postridieque „ Eliam splendidissimum regiæ classis Drungarium cum Dromone regio, seu Celoce, „ ad Sanctissimum Patriarcham ex Insula „ Constantinopolim, ea, qua par est, honoris pompa reducendum mittit: qui illum „ tantisper in paternis ędibus suis, quas Mangana appellant, collocat. *Hactenus Nicætas*.

369 Cùmque Photius omnia scripta secum asportasset, Basilius, misso Baane præfecto, jussit Photio ea restituere, sibique transmitti: negante Photio secum scripta ulla detulisse, statim apparuit mendacium, quoniam præfecti famuli de manibus Servorum Photii septem saccos refertos, & plumbo obsignatos eripuerunt, dum illi jubente Photio in proximo arundineto occultare curahant: „ Ut verò improbè artes omnes, *ait Nicætas*, contra Virum Sanctum omnibus pateant, qui „ apprendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat, ille etiam Imperatori injecit eam mentem, ut ad Photium „ mitteret, juberetque, omnia quæ à Patriarchio sumpsisset manu sua scripta, quamprimùm sibi transmitti. Sed pejerabat ille, „ nihil se ex Patriarchio secum accepisse, eo „ quod urgeretur ad discessum. Dum hæc ad „ Baanem præpositum dicerentur, famuli „ præpositi à tumultuantibus inter se Photii „ servis, septem saccos refertos, plumboq; „ signatos, in proximum arundinetum condendos ferri animadvertunt, manuque injecta ereptos ad Imperatorem deportant.

370 At

370 At Imperator receptis antefatis scriptis, ea resignare jussit, & reperti sunt inter alia duo volumina auro, argentoque bracteata, sericoque extrorsum velata, introrsum verò eleganter & scitè literis venustis exarata reperiunt: ut idem Nicætas subjungit, & addit: „ Alterum continebat Actiones septem Synodicas contra Ignatium, quæ nec „ sunt, nec fuerunt unquam celebratæ, sed „ gratis, astuta dumtaxat mente confictæ. In „ quarum singulis initiis, manu ipsius Syracusani Asbestæ (egregie enim ad cumulum, reos malorum, & pingendi artificium didicerat) coloribus artificiosis expressus erat Ignatius. O' rabiosum furorem, „ ò furiosam rabiem, cui nihil addi possit! *Hæc Nicætas*. Sed audiamus modo ab eodem quænam erant præfixæ Imagines, atque inscriptiones.

371 „ In prima quidem Actione, *inquit* „ raptatum & verberatum Ignatium effinxit, „ supraque caput inscripsit: *Diabolus*.

„ In altera Actione sputis fœdatum, magnaque vi tractum efformavit, cum hoc „ elogio: *Principium peccati*.

„ In tertia de Throno deturbatum, cum „ hoc titulo: *Filius perditionis*.

„ In quarta, vinculis alligatum & exterminatum: itaque inscriptum: *Avaritia* „ *Simonis Magi*:

„ In quinta, collari furca inclusum, „ cum hac calumnia: *Qui se extollit supra* „ *omne id quod dicitur, aut colitur ut* „ *Deus*.

„ In sexta depinxit, quasi jam damnatum, cum dicto: *Abominatio desolationis*.

„ In septima & ultima finxit raptatum, „ capiteque multatum, & inscriptio erat: „ *Antichristus*.

372 Subjungit porrò, inquiens: „ Quę „ ego per veritatem sine pudore neque pronuntio, neque in mentem revoco: ob eamque causam sciatis, velim me silentio præteriturum fuisse, nisi viderem horum auctores, auctorumque asseclas hæc non solùm non erubescere, sed in his palàm etiam gloriari, Photioque sanctitatis opinionem falsò tribuere. Sed verax ille non mentitur, qui dixit: *Impius cùm in profundum* „ *venerit, contemnit*. Juraverunt per timorem Domini & gloriam fortitudinis ejus, „ qui in sacrilegarum Actionum illarum lectione adfuerunt, duo supra quinquaginta capita ad Beati Ignatii calumniam perscripta fuisse omnium confessione falsa, & „ ex impia potius, quàm furiosa mente conficta. Relinquebat & in singulis accusationibus versum ad finem vacuum, ut si „ quam lsqueodignum donorum & dignitatum largitione irretiissent, mendacio is „ subscribendo haberet locum. *Hæc ibi*.

373 Deinde refert, quæ in altero continebantur volumine, inquiens: „ Alter verò „ synodicus in Nicolaum Pontificem Romanum tela torquebat: omnisque generis calumnias & atrocia maledicta in illius sancti exauctorationem, & damnationem complectebatur, impiè & tragico pro„pè modo concinnatus, sanè ipse quoque „ dictantis Stygii Doctoris magisterio, & „ Photii ministerio dignus. *Hactenus Nicætas*. Qui postea tradit eosdem libros exemplo bis discribendos Photium curasse: geminis datis Zachariæ & Theodoro missis ad Regem Ludovicum Franciæ, eidem deferendis, ut ea via Rex ille Nicolaum Pontificem, veluti in œcumenica Synodo exauctoratum, de throno deturbaret; duos verò apud se retinuisse.

374 Imperator verò jis omnibus inspectis, tantæ Photii audaciæ, potiusque admiratus impietatis, atque perfidiæ, rem ad Senatum prius, inde ad totam retulit Ecclesiam: „ Hęc „ quatuor volumina, idem Auctor, ait, Imperator illa erepta, prius ad Senatum, totamque Ecclesiam palàm detulit: atque „ ita omnes Photii machinationes, & impiam „ conscientiam omnium oculis totiusque Reipublicæ spectandam proposuit. Quibus visis & auditis attoniti omnes obstupuere, non „ solùm propter perversam sophistæ mentem, „ versutamque verbositatem, sed etiam ob „ incredibilem Dei patientiam, & diuturnam vindictæ dilationem.

375 Intereà Beatissimus Ignatius summo cum honore venit Constantinopolim, intrantem autem in Civitatem universus Populus venerabatur, & quasi tota triumphante Urbe, ad Templum ascendentem, à tergo & fronte ipsum prosequebantur: Cùm verò per sacrum puteum ad superiora templi duceretur, dextera parte ingredientem, ordo Patricius occursans venerabundus excepit, ut idem tradit Nicætas. Ingressus est in Civitatem, die XXIII. Novembris Indictionis primæ, ferè labente Domini anno DCCCLXVII. Nicolai I. Papæ anno X. Ludovici II. Imperatoris Occidentis anno XII. & anno I. Basilii Macedonis, die Dominico hora ferè III. dum in Ecclesiis sacra peragebantur: nam transiens per Civitatem, dum populus supplex eum venerabatur, Sacerdos quidam sacra in Adytis peragens, oblationemque Domino faciens, clamabat: *Gratias agamus Domino Deo Nostro*: Populo respondente: *Dignum & justum est*. Deinde, ut Nicætas scribit: *Basilius Imperator adductum in Magnauræ Palatium Ignatium, silentio indicto, multis laudibus cohonestavit*.

376 Itaque throno suo recepto Ignatius, atque Ecclesiæ reassumptis gubernaculis, arcet à Sacris Photium, Photianosque cunctos, & quotquot erant ab eo initiati, aut eidem communicabant: rogatque Imperatorem, ut œcu-

œcumenicæ Synodo congregandæ operam daret, qua universæ Ecclesiæ vulnera sanarentur: „ Ità, *subjungit Nicetas*, Ignatius bo„ nis omnibus Throno suo recepto, & gu„ bernaculis Ecclesiæ reassumptis, arcet à „ sacris non Photium tantùm, & omnes ab „ illo initiatos, sed etiam illius sectatores „ cum illo communicantes; precatur insu„ per Imperatorem, ut œcumenicam Syno„ dum cogat, qua omnia Ecclesiæ vulnera „ sanari arbitrabatur. *Et hæc quidem omnia ex Niceta Synchronus Ignatio*.

377 Sed Zonaras longè Ignatii & Photii ætate posterior, & ipse schismaticus favens Photiano schismati, agens de Photii ejectione, atque Ignatii revocatione, ut Photio faveret, aliter rem scribit, causamque ejectionis Photii tribuit ejusdem Photii zelo, eò quòd propter Michaelis Imperatoris necem Basilium Ecclesiâ ejecerit: „ Basilius, *inquit*, „ die sextâ (idest *à Michaelis nece*) magnam „ Ecclesiam ingressus, ut incruentæ victimæ „ particeps esset, à Photio Patriarcha est „ prohibitus, eum homicidam appellante: „ ob quam causam iratus in dicto Concilio, „ Photium Ecclesiâ ejecit, quasi Sanctus „ Ignatius contrà leges à Barda Cæsare, Sede „ Pontificiâ dejectus esset. *Hæc Zonaras*. Verùm ex Niceta illius temporis Scriptore accepimus, non expectasse sextam diem, sed die proximo ad Michaelis necem dejecisse Photium. Anastasius porrò in proemio ad VIII. Synodum, de Basilio agens, ait: „ In„ cipit inquirere & investigare, quodnam „ fuerit Sedis Apostolicæ judicium, vel de„ cretum tàm super Iconomachos, qui sensim „ contrà sacras Imagines garrire redivivâ „ præsumptione videbantur, quàm super „ Ignatio, vel Photio promulgatum. Qui „ cùm ei responsum esset, Apostolicam Se„ dem ab XI. Indictione, sicut ab olim in „ Throno Cōstantinopolitano Ignatium sta„ bilisse, Photium verò nullius clericalis or„ dinis dignum aliquo modo censuisse, atque „ super his innotescendis, diversa scripta „ Constantinopolim, ac per omnes orbis ter„ rarum terminos direxisse; protinùs eadem „ scripta curioso satis intentu requirit, & in„ venta ubi à Photio profundiùs obruta con„ sistebant, præ oculis, veluti specula ponit, „ & horum lectione magistra, quæ ab eadem „ Summa Sede decreta fuerant, celeri con„ sumat effectu, idest & Photio sacro mini„ sterio post depositionem irregulariter abu„ tenti, Throno Constantinopolitano cede„ re persuadet, & Ignatium hunc recipere „ adhortatur. *Hæc Anastasius*. Quæ quidèm non prorsùs adversantur Nicetæ dictis, quoniam & post dejectionem Photii potuit Imperator inquirere, non quòd planè nesciret qualis fuerit Romanæ Sedis judicium, sed quoniàm fortassè reclamantibus Photianis, nè videretur injustè eum dejecisse, talem inquisitionem ad communem omnium satisfactionem fieri jussit; cujus rei causâ & scripta Photii quoquè inquirere voluit, ut ex Niceta fati sumus. Persuasit insuper Photio, ut spontè se abdicaret, licèt postquàm in Monasterium detruserat, ut res cum pace componerentur, semèlque finirentur. Quod cùm facere renuisset Photius, actum est de Synodo cogenda œcumenica.

378 Quid porrò acciderit Basilio propter perpetratam Imperatoris Michaelis necem, & quomodò pœnituerit, tradit Luitprandus Ticinensis, lib. I. cap. I., inquiens: „ Parvo „ transacto tempore huic (*idest Basilio*) Do„ minus noster Jesus Christus per visionem „ apparuit, Domini hujus Imperatoris, cu„ jus hic necis extiterat auctor, dexteram „ tenens, eumque ità conveniens: *Ut quid* „ *interfecisti Regem, hoc est, Dominum tuum* „ *Imperatorem?* Expergefactus itaque, tanti „ se reum novit esse reatus; moxque ad se re„ diens, quid super hoc faceret, cogitabat. „ Confortatus itaque hac Domini nostri Je„ su Christi per Prophetam salubri, & verè „ acceptabili promissione: *In quacumque die* „ *peccator ingemuerit, salvus erit*. Cum la„ crymis & gemitibus, se peccatorem, se „ reum, se sanguinis innocentis effusorem „ esse confitebatur. Bono autem accepto „ consilio, amicos sibi de Mammona iniqui„ tatis effecit, ut quos hic temporalibus sub„ sidiis consolaretur, eorum precibus ab „ æterno gehennæ incendio liberaretur. *Hæc* „ *Luitprandus*, addens, Basilium in satisfactionem sui reatus Ecclesiam juxtà palatium suum magnificentissimè construi fecisse in honorem S. Michaelis Archangeli.

CAPUT XIV.

De Basilii, Ignatii, & Photii Legatione ad Nicolaum Papam.

379 ROgante Ignatio Principem, ut suprà fati sumus, ut ageret de cogenda Synodo, decreta est Legatio ad Nicolaum Pontificem. Scribit Anastasius, Beatissimum Ignatium noluisse in Throno consistere, iterùm non accedente Romani Pontificis sententiâ, atque etiam nisi res in œcumenica legitima tractaretur Synodo, & hac de re decretam fuisse ad Nicolaum Papam Legationem, scriptumvè ad cæteras Orientis Patriarchales Sedes: „ Verùm, quia & Igna„ tius, *ait*, Thronum, quo præjudicialiter „ fuerat expulsus, absque iterata prioris „ Sedis, idest primæ, auctoritate, non re„ cipere proposuerat, & Imperator tantùm „ (proh nefas) & ubique dispersum à Christi „ Ecclesia generali satagebat eradicare sen„ tentiâ, visum est utrique, Romam, & ad „ tria Patriarchia fore mittendum Orientis;

„ & à Roma quidèm decreta dispensatoria, &
„ sicut erant culparum, causarumque discre-
„ tiones, ità & pœnarum qualitates judican-
„ darum, necnon & personas vice fungentes
„ Apostolica postulandum.

380 Missi itaque sunt ex parte Imperatoris, Basilius quidam Spatharius Regius; ex parte Ignatii, Joannes Metropolita, Silæi & Perges Pamphiliæ Episcopus; ex parte verò Photii, Petrus Metropolita Sardensis. Sic Anastasius, inquiens: „ Mittitut itaque Ro-
„ mam à parte quidèm Ignatii, Joannes Me-
„ tropolita, Silæi, qui & Perges Pamphiliæ
„ præerat Ecclesiæ; à parte verò Photii,
„ Petrus Metropolita Sardensis; qui contrà
„ Ignatium, cum jam memorato Gregorio
„ auctor factus fuerat Ecclesiasticæ scissio-
„ nis: porrò à Principe destinatur Regius
„ Spatharius, Basilius nomine, qui inter
„ utramque partem coràm Sede Apostolica
„ medius haberetur, & fidelis eorum, quæ
„ Sedes eadem decrevisset, Auditor, & Nun-
„ tius. *Hactenus Anastasius*. Sed & Nicetas de eadem Legatione eadem scribit, inquiens: „ Extemplò igitur Joannes Pergæ
„ Episcopus, Ignatii in omnes casus & ærum-
„ nas comes, & malorum omnium, quantum
„ in ipso erat, socius: Ex Photii verò factio-
„ ne, Petrus Sardicensis Metropolita, ad Ni-
„ colaum Pontificem Legati mittuntur, qui-
„ bus allegatur Basilius, cognomento Pi-
„ nacas, qui Spatharii dignitatem obtinebat.
Hæc ille.

381 Mense porrò Decembris superiùs memorati labentis Anni, acceptis ab Imperatore & Ignatio literis, unàcũ suprarecensitis Photii adversùs eundem Ignatium scriptis, prælibati Legati duobus conscensis navigiis (non enim Basilius, & Joannes, comitem in navigio Petrum Photianum habere voluerunt; unde, ut ait Nicetas, *usi sunt gemino Dromone*) iter arripuerunt. Cùmque in Dalmatico sinu navigarent, scissum est alterum navigium, pereunte infœlicissimo Petro: „ Sed Petrus,
„ *ait Nicetas*, qui Dyleus, hoc est, miser,
„ appellabatur, in Dalmatico sinu periclita-
„ tus, miser naufragio periit; Joannes verò
„ cum Basilio incolumis evasit. *Et Anasta-*
„ *sius*: Sed Petrus quidèm, *inquit*, licèt novâ
„ navi, & quam ipse sibi elegerat, veheretur,
„ naufragium simùl & mortis periculum per-
„ tulit; & qui navim Christi, hoc est, Ec-
„ clesiam sciderat, navis suæ scissionem non
„ inconvenienter incurrit. *Hactenus Anastasius*.

382 Romam verò advenientibus Joanne & Basilio, altero Imperatoris, altero verò Ignatii Legatis, vitâ functum invenerunt Nicolaum, Hadriano hujus nominis II. in illius loco jam suffecto: Obiisse Nicolaum Idibus Novembris, hoc est, die XIII. ejusdem mensis, Indictione I., Anni scilicet Domini DCCCLXVII. Auctor est Anastasius, qui ait, sedisse Annos IX., Menses II., Dies verò XX. Frodoardus verò affirmat, Nicolaum obiisse die XIII. Decemb. ejusdē labentis Anni. Verùm Anastasio Synchrono assentiendũ magis est, quàm Frodoardo; undè & mense vacantis Sedis exacto, substitutus est Hadrianus hujus nominis II., inthronizatus in Basilica Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli XIX. Kalend. Januarii, videlicet die XIV. Decembris ejusdem primæ Indictionis, ut idem Anastasius scribit in vita Hadriani. Huic ergò Pontifici, Hadriano scilicet, Epistolas, & profanum Codicem, in quo continebantur gesta Conciliaboli, quæ Photius adversùs bonæ memoriæ Papam Nicolaum falsa fuerat commentatus, & omnia, quæ eidem Nicolao destinata fuerant, contradiderunt. Epistola porrò Imperatoris ad Nicolaum data, receptam verò ab Hadriano, ad hunc modum se habebat.

In nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, unius & solius, & veri Dei, Basilius fidelis Imperator Romanorum, Nicolao Sanctissimo Papæ Romano, & spirituali quoque Patri nostro.

383 „ Qualis se habeat mentis nostræ
„ voluntas super Ecclesiasticis negotiis no-
„ stris, ò Divinum, & Sacrum instar Aaron
„ reverendum Caput, in priori Epistola in-
„ notuimus. Nescientes autem, si Sanctis
„ vestris, & secundùm Moysen, Deo gratis-
„ simis, sit posita palmis (multæ namque in
„ longinquo itinere impedientes accidunt
„ causæ) necessarium conspeximus, primùm
„ quæ in eadem continebantur Epistola in
„ brevi, commemorare.

384 „ Habebat itaque in quibus malis
„ Ecclesiam nostram, quandò Imperii divi-
„ nis orationibus vestris gubernacula susce-
„ pimus, invenerimus malè jacentem, insa-
„ nabiliter languentem, legitimo Rectore
„ denudatam, tyrannide detentam, alieni
„ Pastoris servituti subjectam, omnia, instar
„ Ancillæ, patientem magis, quàm more Re-
„ ginæ quidquam gerentem. Hæc sunt, quæ
„ illa significabat Epistola. Et quædam à
„ nobis agenda fore visa sunt, quædam verò
„ paternæ Sanctitati vestræ penitùs relin-
„ quenda. Verùm nobis nihil ampliùs debe-
„ re fieri visum est, nisi ut Photius quidèm
„ à Sede removeretur, & secùm quiescere
„ hortaremur: quippè qui multa contrà ve-
„ ritatem, & contra sacrum Pontificium ve-
„ strum commovit, intantùm enim rabies il-
„ lius profecit.

385 „ At verò Ignatius Sanctissimus &
„ spiritalis Pater noster, qui clarè injurias
„ & tyrannidem pertulit, secundùm judi-
„ cium & justificationem, quæ in diversis
„ Epistolis vestris inventa est (quamquàm

per

„ per easdem literas vix nunc omnibus manifestum constituimus: Sic enim ipsæ literæ obrutæ, & nullatenùs quibusdam ostensæ fuerunt ab iis, qui ante nos Principatum tenuerunt) per æquam & justam veritatem ad proprium Thronum revocaretur: reliquis autem finem imponendum, imò verò & hæc eadem approbandum, atque horum sequentia terminandum, spirituali Sanctitati vestræ misimus; videlicet de his Sacerdotibus, qui utraque parte peccaverunt, & anteà à Sanctissimo Patriarcha Ignatio consecrati secundùm scripturæ suę confessionem, in veritate minimè permanserunt, quàm qui à Photio viro impudenti, manus impositionem susceperunt; necnon & de his Summis Sacerdotibus, & Sacerdotibus, & Abbatibus, qui diversimodè scripserunt; quorum quidèm alii vi, vel tyrannide; alii verò simplicitate, vel levitate; quidam verò seductione, ac versutiis; quidam verò muneribus & honoribus diversimodè decepti sunt. Pauci enim Superiores laqueo illius prorsùs effecti sunt, imò verò dicendum est, quia penè omnes sacrati, tàm priores, quàm posteriores, qui sub nobis sunt, malè, & ut non oportebat, tractati sunt.

386 „ De quibus decretum & judicium mittere paternam Sanctitatem vestram pręscribentes poposcimus, & nunc expetimus; addentes huic Epistolæ pro his, qui ceciderunt, benignissimam postulationem, & maximè de iis, qui pœnitentiæ locum requirunt, & ad legitimum Summum Sacerdotem recurrunt; quatenùs non Ecclesiæ nostræ Summis Sacerdotibus, & Sacerdotibus, qui sub omni regimine nostro consistunt, commune occurrat naufragium, propemodùm universis illis de falsis & impotabilibus gustantibus iniquitatis rheumatibus. Super his itaque postulamus compatientissimum Sacerdotium tuum, ut manum porrigat humanitatis, & eorum dispenset salutem, qui proprium dumtaxàt peccatum pronuntiant, & veniam accipere de eo, qui malè ac nequiter ab ipsis molestatus est, Summo Sanctissimo Sacerdoti deposcunt; eos enim, qui permanent in malitia, & nolunt ad veritatis semitam repedare, nullus modus, vel ratio à condemnatione liberabit.

387 „ Ut autem manifesta etiam iis, qui ex sorte sunt Photii, vestra Divina & Apostolica fiat sententia, tàm de Sanctissimo Patre nostro & Patriarcha Ignatio, quàm de miserrimo Photio, destinati sunt ab amabili Christo Imperio nostro ad paternam Sanctitatem vestram ab utraque parte Apocrisarii; à Sanctissimo quidèm Patriarcha Ignatio, Joannes Metropolita Silæi; à Photio vero, Petrus Metropolita Sardis, cum quibus & à divinitùs munito Imperio nostro missus est Basilius Spatharius, quos volumus, ut paterna Sanctitas vestra suscipiat, & in conspectu Episcoporum, qui ex utraque parte directi sunt, quæ videbuntur Sanctitati tuæ Ecclesiasticis legibus atque Canonibus, de Summis Sacerdotibus, & Sacerdotibus sanciat: Cum hisque mittat nobis Reverendissimos Apocrisarios, ut certificetur expressiùs & puriùs sanctissima Ecclesia nostra, cujus voluntatis Sanctitas tua super utrisque consistat.

388 „ Ità, Pater spiritalis, & divinitùs honorande Summe Pontifex, accelera pro Ecclesiæ nostræ correctione & conflictu contra injustitiam, atque ad veritatis satisfactionem multam nobis congeriem bonorum donare, idest unitatem mundam, compagem spiritualem ab omni contentione, ac schismate liberam Ecclesiam in Christo unam, & ovile uni obsecundans Pastori, cujus tu Minister, ac Immolator existis verissimus. Saluto sanctum & desiderabile mihi Caput quasi labiis per literas. Vale. Missa est mense Decembris, die undecimo.

389 Ex hac Epistola, præcipuèque ex illius initio, manifestum fit, alias Nicolao anteriores dedisse literas, & quidèm statim post adeptum Imperium, dejectum Photium, ac restitutum Ignatium, per eas de iis omnibus certiorans Nicolaum, miserumque Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum repræsentans, prout & in hac innuit Epistola. Sed & Ignatii literæ sequentes fuère.

Deo honorabili dilecto fratri & Comministro Nicolao Sanctissimo Papæ senioris Romæ, Ignatius, misericordiâ Dei, Archiepiscopus Constantinopolitanus.

390 „ Eorum vulnerum atque livorum, qui in membris hominum consistunt, multos medicos protulit ars, hanc quidèm passionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante & medente; eorum verò, quæ in membris sunt Christi & Dei Salvatoris, omnium nostrùm Capitis, & Sponsæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, unum & singularem præcellentem, atque catholicissimum Medicum ipse Princeps Summus, & fortissimus fermo & ordinator & curator, & solus ex toto Magister Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam Sanctitatem, & paternam Almitatem; propter quæ dixit Petro Magno & Summo Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et iterùm: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis;*

„ *lis; & quodcumque solveris super terram,* „ *erit solutum & in Cælis.*

391 „ Tales enim beatas voces, non secundùm quandam utique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum, secundùm ipsum, efficiendi erant Summi Pastores, & divinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ, transmisit; & ideò ab olim & prisco tempore in exortis hæresibus & prævaricationibus eradicatores, & interremptores malorum zizaniorum & tabefactorum, & penitùs insanabiliter ægrotantium membrorum; multi multotiès facti sunt eorum, qui Sanctitatem & summam Paternitatem tuam illic præcesserunt, successores scilicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quę secundùm Christum est, imitantes; & nunc nostris temporibus Beatitudo tua dignè tractavit datam sibi à Christo potestatem. Et quemadmodùm quis peritus belli, & optimus Prætor, sanctissime & amantissime Frater noster, omnibus potentiorem, & omnia vincentem veritatem, tanquàm quædam valdè fortia & inexpugnabilia proponens arma, hujus æmulos dejecisti, & cum Christo, & per Christum Mundum vicisti, & eum, qui divina furatus est, & dispoliavit aliena, & per fenestram in atrium ovium more latronum intravit, & prædatus est animas multorum, deindè etiam se arroganter extulit, & cervices erexit contrà Deum omnipotentem, & intantùm jactanter elatus est, ut conventum sine subsistentia, & sine persona fingeret contrà irreprehensibile & divinissimum & sacrum Pontificiùm tuum, quemadmodùm fabula Hippocentauros & Tragelaphos; quod etiam latenter ad Principem misit.

392 „ Hujusmodi ergò non sanctum operatorem, atque omni opere malo repletum, videlicet eum, qui secundùm antiphrascos, Tropum Photius nominatur, opere manus Pontificalis & Apostolicæ potestatis tuæ à communi Ecclesiæ resecasti corpore, & summo te Petro æquiparans, tanquàm novum Ananiam, sententiâ potentium verborum tuorum occidisti, & privatione spiritalis vitæ, ut alterum Simonem, per anathema mortl transmisisti: Et nos, qui injuriam passi sumus, sicut justissimus & fratrum amicissimus, & justè justificasti, & Ecclesiæ, quæ apud nos est, & proprio Throno, propter quæ satagisti atque scripsisti, utpotè Apostolicæ & summæ potestatis susceptor, dignè ac rationabiliter restituisti, & fluctum, qui hic inerat, dissipasti, & tranquillitatem Ecclesiæ contulisti.

393 „ A' Deo quippè provectus, & à Christo dilectissimus & mansuetissimus & justissimus noster Imperator, voto & consilio & decreto & judicio tuæ Sanctitatis, favens olim, etiam nunc alacriter obediens, ut filius vester proprius, & fidelissimus utrique, quæ digna sunt, exhibuit, & multâ tribulatione fessam nostram senectutem, adhùc etiam omnes, qui pro justitia Dei multas & varias tribulationes sustinuerunt, imperialissima prudentiâ usus, animavit, & consolatus est. Pro quibus omnibus gratificas laudes, atque voces referentes super omnia Deo, & vestræ Beatitudini, misimus debitè Joannem beatissimum & sanctissimum Metropolitam Silei, virum Dei cultorem, & divino intellectu repletum, qui etiam per totos novem annos pro verbo veritatis cum nobis ipsis persecutionem, & mala cætera passus est, & Petrum Dei amantissimum Episcopum Troadis, qui eadem & ipse passus est, & pariter decrevit cum regali homine, rationem simùl vobis posituros pro nobis, & quæ Epistolæ desunt, vivâ voce adimpleturos & manifestaturos qualem & quantam, & quàm magnam dilectionem habeat & effectum humilitas nostra circà fraternàm Sanctitatem vestram; simùl autem & de cæteris Ecclesiasticis ordinibus accepturos, quæ Deo placeant, & vestro intellectui & sapientiæ & potestati distinctiones atque dispositiones.

394 „ Duplex est enlm Sacerdotalis Catalogi consecratio; nam quidam à nobis hanc susceperunt, & propriâ manu pro nobis suâ sponte scripserunt; quidam verò ab iniquo & interfectore Photio. Multi quidèm de nostra consecratione, gratiâ Dei confortati, restiterunt ei fortissimè per nullum modum in inhonorantiam & contumeliam nostram, & in eam, quam putant, depositionem communicantes; sed & multas & varias tribulationes & angustias, ac dira exilia & custodias perpetientes; quos præcipuè suscipiens, & tua Beatitudo, benè scio, quòd supremis extollat honoribus, ut certatores veraciter pietatis.

395 „ Plures autem propria Chirographa trangressi sunt, & ceciderunt & pro temporis, & utilitatis suæ causâ in omnibus Photii temeritatibus & malignis actibus, ab initio usque ad finem sectatores & communicatores & cooperatores effecti sunt, frequenter contrà nos subscribentes, licèt non voluntariè, sed vim & tyrannidem passi.

396 „ Sunt autem apud eos, qui contrà veritatem posteà in rabiem versi, & quemadmodùm quadam Satanæ operatione furentes, validissimam etiam contrà nos ostenderunt insaniam.

397 „ Primùm igitur de hujusmodi imploramus dari dispositionem; deindè de his, qui ab illo manus impositionem susceperunt, & secundùm ea etiam ipsi similiter

liter

„ liter per omnia fruftrà nequiter egerunt, „ Infuper de Presbyteris, qui ex noftra con„ fecratione confiftentes, femèl ei commu„ nicaverunt, vel fortaffis bis & ter ex arcta „ anguftia, non tamen fubfcripferunt inju„ ftitiæ Chirographo, & rursùs receſſerunt, „ & ufque in præfens voluntariè vacant; ad„ hùc etiam de iis, qui cum communione „ etiam fubfcriptionem gefferunt, mox au„ tem otium complexi funt; & fuper hos „ etiam de his, qui manus impofitionem à „ Photio, & voluntariè, & non voluntariè „ fufceperunt, reveriti tamen, facerdotio „ prorsùs nullo modo functi funt.

398 „ Porrò manus impofitionem ab eo „ accepit Cæfareæ Cappadociæ Archiepi„ fcopus reverendiffimus, & perfeverantiffi„ mus Paulus poft Concilium vanitatis, „ quod contrà humilitatem noftram tenuit „ priùs; in fecunda verò Synodo reprobo„ rum, ut dicit Propheta, viriliter valdè „ propugnans ob veritatem, & triumphans, „ & divulgans eorum interfectricem mentem, „ & nullo tempore vel modo contrà humili„ tatem noftram fubfcribens, fed ob idipfum „ multa paffus, & multimodas neceffitates „ fuftinens, alio quodam meliori fcilicet „ affectu dignus habebitur à fraternitate „ veftra.

399 „ Hæc igitur fun Capitula, pro qui„ bus expofcimus folutionem & ordinatio„ nem in fcriptis mitti humilitati noftræ. „ Infuper autem & Vicarios veftræ Beatitu„ dinis Epifcopos dignos & rationabiles, ut „ cum eis benè & convenienter difponamus „ Ecclefiam, quæ apud nos eft, quam provi„ dentia Dei per interceffionem Summi Pe„ tri, & inftantiam atque interventionem „ veftram recepimus; & accipiant negotia „ finem utilem & congruentiffimum in glo„ ria Dei, & veftræ fraternæ Sanctitatis, „ Chriftique imitatricis Beatiffimæ Paterni„ tatis. *Hactenus Ignatii literæ*. Et ex eis conftat, non tantùm Joannem Silæi Metropolitam Romam delegaffe, verùm & Petrum Epifcopum Troadæ.

400 Prelibatis cum literis, ut fati fumus, atque cum Photii impio codice, donifque pariter contradendis Summo Romano Pontifici, recepti Bafilii, & Ignatii Legati, fummo cum honore fuère ab Hadriano II., qui, ut ante diximus, fucceſſerat defuncto Nicolao, admiffique ad publicam audientiam in Secretario Sanctæ Mariæ Majoris, multis cum Pontifice confedentibus Epifcopis, atque Romanis Proceribus. Quæ porrò acta, dictaque in antefata audientia fuerunt, defcribit Anaftafius in vita Hadriani ad hunc modum.

401 At verò Bafilius Legatus Imperato„ ris, & Joannes Metropolita Cæfareæ Cap„ padociæ Nicolao fuerant deftinati. Hinc „ Sanctiffimo Papę Hadriano cum Epifcopis, „ & Proceribus in Secretario Sanctæ Mariæ „ Majoris, juxtà morem Sanctæ Sedis Apo„ ftolicæ refidenti, fe fatis humiliter præfen„ tarunt, dona & Epiftolas obtulerunt: qui„ bus fufceptis fanctæ Romanæ Ecclefiæ, cu„ jus conamine Conftantinopolitana Eccle„ fia de fchifmate purgata furrexerat, mul„ tiplices gratias retulère; ac poft innumera „ laudum præconia, concordi voce dixère: „ Devotiffimus filius vefter Imperator Bafi„ lius, & Patriarcha munere veftro reftitu„ tus Ignatius, dùm Ecclefia Conftantino„ politana per interventum veftrum invafo„ rem Photium propuliffet, in Archivio ejus „ librum fummâ falfitate congeftum contrà „ ingenium Sanctæ Romanæ Ecclefiæ, San„ ctiffimique Papæ Nicolai reperère; quem „ bullatum, quafi verè contagiofum, à fua „ Urbe penitùs propulère, vobifque, utpotè „ SummoCapiti, cui Chriftus Cœlo, terra„ que folvendi poteftatem tribuit, misère.

402 „ Quem, precamur, fufcipientes ri„ mamini, & fraudolentiam, quam infonti„ bus Conftantinopolitis nofter verfipellis „ Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc „ Sanctam Romanam Ecclefiam non haben„ tem maculam, neque rugam, aut aliquid „ hujufmodi, audacem linguam exacuit, „ prorsùs advertite. Et quid Ecclefiæ Dei „ de hoc latrocinio fit fentiendum, quòd fub „ nomine Synodi furtim ab eo confictum eft, „ palàm omnibus promulgate. Utrarumque „ partium confeffum Pontificem annuenti, „ Romanam contrà Sedem Apoftolicam, „ Pontificemque ipfius, quia Photius vocem „ non habuit, fententiam fortè præcipitare „ potuit, judicium verò librare non potuit, „ fed à Sede Apoftolica bis judicatus, bisque „ damnatus eft.

403 „ Et quia viribus fuis Photius con„ fidens, in Sanctiffimum Pontificem noftrum „ Nicolaum falfa garrire non timuit, os „ fuum nimirùm in Cælum pofuit, & lin„ guam fuam, ut terram pertranfiret, exe„ ruit. Ideòque Conciliaboli ipfius librum „ fcrutandum admittimus, ut auctor illius „ & fabricator mendacii, & inventor perver„ forum dogmatum, tertiò judicetur. Egref„ fus Metropolita, librum exhibuit, & in „ terram præcipitavit, imprecando illi, di„ cens: *Tu maledictus Conftantinopoli, fis* „ *Romæ iterùm maledictus: Te, minifter Chri*„ *fti Nicolaus novus Petrus veritatis amator*, „ *attrivit*. Et Spatharius calce fuo, enfeque, „ librum percutiens, nihilominùs ait: *Credo* „ *in hoc opufculo Diabolus habitat, quia per os* „ *complicis fui Photii, ea, quæ per fe dicere ne*„ *quivit, eructat*.

404 „ Nam & fubfcriptionem Bafilii no„ ftri Imperatoris poft fubfcriptionem Mi„ chaelis, quem ebriofiffimum fubfcribere „ noctu fuafit, falfiffimè continet, quàm ejus „ non effe reftitutio Ignatii declaravit, & fa-

tif-

„ tisfactio nostra, si vobis placuerit, jure-„ jurando firmavit. Neque enim unius sem-„ per catholici Basilii nomen potuit falsò „ suis feralibus commentis inserere, qui mu-„ tato charactere potuit multorũ absentium „ Episcoporum nomina cum paucis compli-„ cibus suis describere. Quorum videlicet „ Episcoporum universitas tàm immunis est „ hujus subscriptionis, quàm tenoris ignara. „ Siquidèm nullus Constantinopolitanorum, „ quandò illud Conciliabolum collectum „ fuisset (quia reverà nec fuit) agnovit, sed „ quis Constantinopolim Comprovinciales, „ veluti Regiam Civitatem, pro diversis ne-„ gotiis instar istius Urbis ascendunt, per-„ vicacissimus Photius mendaciũ suum veri-„ tatis medicamento, sicut ei à primævo fue-„ rat institutum, linivit.

405 „ Dùm in locum quorundam san-„ ctissimorum Episcoporum Cives quidèm „ aliquorum illorum, sed transfugas, ut fa-„ ma vulgatum est, muneribus excæcatos, „ subscribere fecit. Inde est, quod subscriptio-„ num istius videntur diversi characteres, & „ quidam eorum acutiori pennâ, quidam „ grossâ, nonnulli verò decrepitum simulan-„ tes grossiori membranam inquinantes de-„ scribunt, ut videlicet fraude præsentium „ simplicitati absentium illudatur, & illud „ credat facilius universitas esse verissimum, „ quod dissimilibus literis fecerit falsitas esse „ diversum. At vos illicò subscriptionum „ quidèm dissimilitudinem referentes chara-„ cteres videbitis. Fraudem verò nisi Con-„ stantinopolim, ut omnis illa Ecclesia de-„ precatur, miseritis, minimè cognoscetis. *Hæc ex Anastasio.*

406 Post hæc verò Summus Pontifex re-misso Codice scrutando utriusque linguæ, Græcæ scilicet & Latinæ, Peritis, transactis aliquibus diebus, Synodum coegit in Basili-ca Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ubi convenientibus compluribus Episcopis, Presbyteris, ac universo Senatu & Populo, coràm antefatis Legatis tota causa examina-ta est: *Venerabilis Pontifex*, subjungit Ana-stasius, *annitente omni Senatorio, Populari que conventu, apud Beatissimum Petrum Aposto-lum in defensionem suæ Ecclesiæ, decessorisque sui sacrum Concilium convocavit*. In ea porrò Synodo post tres Hadriani allocutiones, at-que Patrum suggestione primò damnata sunt acta conciliaboli Photii, latrocinio Ephesino rectè comparata, prolatâ sententiâ definitivâ his nimirum verbis conceptâ.

407 „ Conciliabolum vanitatis à Photio „ & hujus fautore, Michaele videlicet tyran-„ nicè imperante, Constantinopoli nuper „ adversùs Apostolicæ Sedis reverentiam & „ privilegium congregatum, utpotè verita-„ tis inimicum, & omni falsitate repletum, „ quin & sibi consentientium animas interfi-„ ciens, Latrocinio Ephesino comparandum „ fore statuimus, & ipsius execranda gesta „ quibuscumque habeantur monumentis in-„ serta, Summi Judicis Domini nostri Jesu „ Christi, Sanctorumque Apostolorum Prin-„ cipum Petri & Pauli, nostræque medio-„ critatis auctoritate, penitùs abolenda de-„ cernimus, atque igni voranda tradantur, & „ anathemate perpetuò percellantur. Simi-„ liter de cæteris scripturis, quæ viris jam „ nominatis auctoribus, contrà eandem Se-„ dem tempore diverso sunt editæ, geren-„ dum modis omnibus definimus.

408 Secundò similis ista est sententia ad-versùs cætera conventicula contra Ignatium, machinante Photio, habita: „ Pari etiam „ modo de conventiculis, *ait Hadrianus*, ab „ eisdem viris Michaele scilicet imperante, „ seù Photio Constantinopolitano invasore, „ bis adversùs fratrem & Coepiscopum no-„ strum Ignatium factiosè collectis, delibe-„ ramus, hæc videlicet tanquàm parricidia „ medullitùs execrantes.

409 Tertiò, lata est in Photium sententia damnationis, ità definiens: „ Photium, qui „ licèt sit à decessore meo, & à nobis pro cri-„ minibus ante perpetratis, jure damnatus & „ anathematizatus, nunc tamen, quia recen-„ tioribus excessibus priores iniquitates val-„ dè transcendit, & ponens in Cœlo os suum „ adversùs venerandæ Sedis Apostolicæ pri-„ vilegia, novâ temeritate prorupit, dùm sci-„ licet ordinationi supernæ, in Beati Petri „ Apostoli Principatu dispositæ, resistere mi-„ nimè formidavit, & in Cathedra non sa-„ nitatis, sed pestilentiæ sedens, congrega-„ vit conventicula de sanguinibus, cùm vi-„ delicet sibi faventium simpliciorum animas „ interfecit, & utpotè inventor mendacii, & „ fabricator perversorum dogmatum, non-„ nisi falsitatis præstigia, & omnis mendacii „ figmenta solito more congessit, atque tàm „ contrà decessorem meum sanctæ recorda-„ tionis Papam Nicolaum, quàm etiam con-„ trà nos, ac per illum in Apostolicum cul-„ men, nec iniquè garrire fauce trepidavit, „ nec manus obvias, quod nemo unquàm „ præsumpsit, audacter extendere formida-„ vit, Apostolicæ auctoritatis censurâ ite-„ rato damnamus, & pro his specialiter ana-„ thematis nexibus innodamus, hunc scili-„ cet cum Dioscoro, cujus in hoc imitator „ extitit, meritò sociantes, & sanctæ magnæ „ Chalcedonensis Synodo, in tàm pernicioso „ puniendo præsumptore, per omnia concor-„ dantes. Sanè, si vivâ voce, ac proprio „ scripto, nobis in omnibus, quæ tàm per „ nos, quàm per decessorem meum statuta „ sunt obedire spoponderit, & prædicti pro-„ fani conciliaboli, ad satisfactionem pœni-„ tentiæ motus, gesta damnaverit, laicæ „ communionis ei gratiam non negamus.

410 Quartò, definitum est contrà con-sentientes præfato Photii conciliabolo, vi-de-

delicet: „ De iis verò, qui eidem impio „ conciliabolo consenserunt, vel subscripserunt, si decreta decessoris mei secuti fuerint, & ad reverendi Patriarchæ Ignatii „ communionem repedaverint, atque idem „ conciliabolum anathematizaverint, atque „ monumenta illius, vel exemplaria inventa „ cremaverint, Ecclesiæ communione fruantur; aliàs autem nè hac digni reperiantur. „ Sanè filium nostrum Basilium, clementissimum & orthodoxissimum Imperatorem, „ quia & illius nomen in ejusdem profani „ conciliabnli gestis, ut ipsius & sanctissimi „ Ignatii Patriarchæ Legatorum relatione „ didicimus, falsò adscriptum est, & in „ omnibus eum Apostolicæ Sedis Constitutionum diligentissimum conservatorem esse „ cognovimus, non solùm ab omni sinistra „ sententia extraneum reddimus, verùm etiam „ inter catholicorum & piorum Augustorum numerum, & nunc recipimus, & si „ sic perseveraverit in finem, recipiendum „ statuimus.

411 Denique contrà non prodentes, vel occultantes scripta antedicti Photiani conciliaboli sancitum est: „ Ergò quamdiù post „ notitiam hujus Apostolicæ Sanctionis sibi „ perlata monumenta, vel exemplaria gestorum ipsius execrandi conciliaholi penès se „ quisquam retinens celaverit, vel defenderit, & non potiùs propalaverit, vel igni „ tradiderit, tamdiù anathemate constrictus, „ communionis Christi munere careat; quinimmò si Clericus est, qui postmodùm hæc „ vel celare, vel defendere convictus fuerit, „ gradum, quo potiebatur, amittat. Similiter & de illo statuimus, qui hæc occultare putatur, & ipse hinc impetitus nec „ respondère, nec Decretis Apostolicæ Sedis in hac parte parere consenserit; quæ „ non solùm de Constantinopolitanis, sed & „ Alexandrinis, Antiochenis, Hierosolymitanis, atque de omnibus omninò fidelibus „ Apostolicâ Sanctione decernimus. *Hactenus definitiones Synodicæ Hadriani*. Quibus post Hadrianum subscripsit Joannes Episcopus Ignatii Legatus, inde subscripserunt cæteri Episcopi, Presbyteri & Diaconi. Extant ejusmodi Acta inter Acta VIII. Synodi, Act. VI.

412 Deindè, juxtà antefatam Synodi definitionem, publicè crematus est, universâ spectante Synodo, & coràm omni populo impius Photii codex, ad fores ejusdem Basilicæ, qui dùm cremaretur, importabilem emisit fœtorem, ut notat Anastasius in vita Hadriani, ubi brevi excursu hujus Synodi gesta recensens, ait: „ Et primò quidèm per Legatos „ Constantinopoleos veritate luculenter auditâ decessoris sui super hujusmodi literas „ legens, sinistram illius famam purgavit: „ Deindè Photium cum conciliabolo, complicibusque suis tertio anathemate perculit. Ad extremum verò cæterorum subscriptionibus & sententiis roboratum, prè „ foribus graduum nefandi dogmatis librum „ cunctorum pedibus conculcatum excussit; „ quem nimirum rogus ut fomentum quodam ignis excepit, & penè, antequàm seminjustum credi potuisset, cum magno fœtore, piceoque colore consumpsit: Et cùm „ fortè focus inundatione pluviæ naturaliter „ debuisset extingui, & ad pluviam quasi ad „ guttas olei flamma convaluit, & in laudem „ Dei, Sanctissimique Papæ Nicolai, simùlque Hadriani Summi Pontificis miraculi „ stupor tàm Latinorum, quàm Græcorum „ corda resolvit. *Hactenùs ibi Anastasius*, qui & in proemio ad VIII. Synodum scribit, eundem Hadrianum jussisse, ut similes codices, si quæ invenirentur, etiam Constantinopoli igni darenrur; quod & factum est in eadem VIII. Synodo, prout infrà suo loco dicemus.

413 Intereà Photius, quamvis depositus, licèt ex ipsius scriptis de falsario convictus & blasphemo, nihil ommittens de sua innata vasricie, ausus est scribere ad Joannem Patricium & Sacellarium perbrevem quidèm Epistolam, audaciâ tamen refertam, quam exhibet Baronius ad Annum Dñi DCCCLXVIII. sub num. 45., tenoris sequentis.

Photius Joanni Patricio & Sacellario.

414 „ Velim quidèm mihi adjungere animum, quo nec ullum assequar superborum „ & excelsorum beneficiorum; nec mihi timeam, ne quandò adversans, tanquàm ventus ea simùl abstrahat, quæ amissurum me, „ nè in somnis quidèm putaveram. Undè igitur ad hanc decidi voluntatem? Facta tua, „ qui aliquandò diligebas, hùc nos adduxerunt. *Hactenus Epistola*, cui sic rescripsit Joannes Patricius.

Joannes Patricius Sacellarius Agariorum Photio.

415 „ Attidi quidam te comparant, gallum vocantes Græcorum Sophistæ. Nostri „ verò Sapientes in Gynecèo te clausum collocant, Eunuchum te esse non ignorantes, „ & hoc nomine appellantes. Undè igitur „ tu, neglectis & utriusque generis legibus, „ ad Ecclesiæ Dei Sacramenta prosilisti, sursùm atque deorsùm omnia evertens, ut „ tuam corruptam & infructuosam & inutilem conditionem in Ecclesiam Christi fœcundissimam, & multorum filiorum matrem intrudere contenderis? Sed certò „ scio, quòd Inferis ipsis, & Inferorum portis, per ea, quæ perperàm agis, turpiorem „ & ipverecundiorem teipsum demonstrasti. „ Quòd verò tu imbellis; nos, & qui nobiscum est numerus & sanctus Chorus, tuo licèt

„ licèt malo & gravi dolore te confundemus
„ & arguemus, etiam si tecum sumas opifi-
„ cem illum omnium malorum cum suis In-
„ ferorum portis, quarum una es tu fortasse,
„ dùm totum videlicet os tuum, & linguam,
„ vocemque tuam ipsi ea largitus; universam
„ tamen ejus cohortem ignavem & imbecil-
„ lem contra suam Ecclesiam Christus ipse,
„ qui veritas est, demonstrabit. Quousque
„ igitur non desistes turpiter agere & in Cœ-
„ lum insaniæ tuæ sagittas cum magna amen-
„ tia jacularis? Quibus rebus, vel Dæmo-
„ niis ipsis tuis Sociis risum moves. Contrà
„ verò, sanctis pro tuo interitu mœstitiam
„ præbes, & tuum genus nunc longè magis,
„ quàm antea exosum & execrandum tua red-
„ dis pravitate. *Hæc Joannes Patricius*. Sed
audiamus quid iterum rescribat Photius.

Photius Joanni Patricio & Sacellario.

416 „ Admodum pulchre quidem ac in-
„ telligenter se habere videtur vetus prover-
„ bium; In arborem, quæ vocatur tyrannis,
„ multos ascendisse, neminem verò descendis-
„ se, sed inde corruisse omnes. Quod si ita
„ est: quid tibi places & exultas? Qui ne qui-
„ dem in ejus ramis, gravis omnibus, ar-
„ rogans ac tumens, sed in foliis insipien-
„ ter veheris. *Hæc ille*. Superbè quidem &
insolenter.

CAPUT XV.

De Hadriani Legatione, & VIII. œcumenica Synodo.

417 ELapso ferè anno ab Adventu Basilii, atque Ignatii Romam Legatorum, Sanctissimus Pontifex Hadrianus, Romana universa consentiente Ecclesia, suam ad eundem Basilium decrevit mittendam Legationem, selectis ad hoc munus obeundum Donato Episcopo Hostiensi, & Marino Diacono, quibus & Stephanum sociavit Episcopum Nepesinum: „ Post hæc, *ait Anastasius*
„ *in Hadriani vita*, cum Epistolis decessoris
„ sui, sicut ab eo fuerat ordinatum, Dona-
„ tum Episcopum Hostiensem, & Marinum
„ Diaconum Constantinopolim destinavit,
„ deinde ejusdem Epistolas suo tantùm nomi-
„ ne titulatas, & communitorium. Sed &
„ Stephanum Nepesinum Episcopum sociavit,
„ eisque præcepit, ut omne scandalum Eccle-
„ siæ Constantinopolitanæ solerter sopirent,
„ consecratisque à Methodio & Ignatio sub
„ satisfactione libelli, quem de scrinio susce-
„ perant, proprias Ecclesias redderent. Pho-
„ tianis verò sub eadem ac districtiori satisfa-
„ ctione communicarent quidem, sed Sacer-
„ dotum Judicium, usque ad Sedis Aposto-
„ licæ sententiam, manente Sanctissimi Papæ
„ Nicolai judicio protelarent. *Hæc Anastasius*.

418 Fecit ad ipsum Imperatorem literas, quibus & receptis ejusdem Principis responsum dedit, & inter multa, de œcumenica congreganda Synodo, sub suorum Legatorum præsidentia, ut cuncta in ea pro majori firmitate componerentur, mandatum pariter dedit: Hinc Anastasius in proœmio ad VIII. Synodum Hadrianum alloquens, ait: *Missisque cum auctoritate Apostolica Vicariis, & Epistolis decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli, Synodum, pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro his præcipue, quæ hucusque breviter annotata sunt*. Fecit porrò & responsorias ad Ignatii literas, quibus pariter eum de congreganda Synodo hortatur, ut in plenario Concilio gesta Photii damnarentur. Itaq; ad Basilium in hunc modum scripsit.

Hadrianus Episcopus Servus Servorum Dei, Deo amabili ac piissimo Imperatori Basilio Augusto, Christianissimo, & desideratissimo Filio.

419 „ Legationis excellentiæ tuæ præ-
„ stantissimos gerulos ad antecessorem meum,
„ Apostolicæ recordationis Papam Nicolaum
„ destinatos, nos licèt indigni, quoniam ita
„ Dominus imperavit, vices ejus adepti,
„ suscepimus, innumerasque laudes & gra-
„ tiarum actiones tota mente, totaque pror-
„ sùs intentione Deo persolvimus, nimirum
„ qui facit magna & inscrutabilia, & mirabi-
„ lia, quorum non est numerus, quique om-
„ nia jura regnorum, omniumque continens
„ potestatem, his tuum diebus suscitavit cœ-
„ litus protectum Imperium, per quod Apo-
„ stolica Sedes ipso Auctore cœptum pro Ec-
„ clesia Constantinopolitana pietatis opus
„ consummaret, & ejus jam, jamque remo-
„ vena funditus casum instauraret, tandem
„ aliquando gratulabunda, qui malè ceciderat,
„ statum, & mercenario, quinimmò
„ Lupo rapace non parcenti Græci, penitùs
„ sequestrato Rectorem ei redderet proprium,
„ & Pastorem reformaret legitimum.

420 „ Igitur ò quàm vobis est illa lauda-
„ bilis & omnibus veneranda, quàm, in-
„ quam, est Sedes Apostolica laudabilis, &
„ meritò à cunctis mortalibus efferenda, quæ
„ semper Catholicis subvenire consuevit, quę
„ semper gaudere, cum gaudentibus & flere
„ cum flentibus non cessavit! sed & tu fœlix
„ Imperator, & multis præconiis dignus,
„ qui verborum semina Divinorum, non ut
„ ager petris, aut spinis, aut vepribus oc-
„ cupatus, sed ut terra bona corde bono su-
„ scipiens, fructum multiplicem attulisti, &
„ quasi verus Ecclesiastes, mox perceptis ha-
„ benis Imperii, Ecclesiæ paci consulere ma-
„ gis, quàm ad cæteras res humanas atten-
dere

„ dere procurasti, ac per id alter quodammo-
„ dò Salomon, idest, pacificus, tempori-
„ bus nostris apparuisti: audisti quippe Ver-
„ ba Dei patris tui, & non dimisisti legem
„ Ecclesiæ matris tuæ: adeout, quod decef-
„ sori tuo per ea suggerebatur, ipse perfece-
„ ris. Et quia secundùm Scripturam, *nemo*
„ *est, qui possit corrigere quem Deus despexe-*
„ *rit*, eo incorrecto, Divina permissione de-
„ ficiente, ipse correctiones ejusdem Ecclesiæ
„ operari satagis.

421 „ Intellexisti enim, ut literæ tuæ
„ mansuetudinis innuunt, quibus vulneri-
„ bus sauciata te cælitus consecuto Imperium,
„ quæ apud vos est, manebat Ecclesia: &
„ quod hæc Sedes hujusmodi mederi posset
„ vulneribus, Magistris fidei nostræ scrutatis,
„ liquidò didicisti; atque ideo hæc curare cu-
„ piens, Apostolicæ Sedis decreti remedium
„ sanctissimè requisiti: cujus nimirum medi-
„ camentis Ecclesia Constantinopolitana, sæ-
„ pè præsulibus ejus languentibus, infirma-
„ ta pristinam sospitatem, vigoremque re-
„ sumpsit. Nam quibusdam ipsorum non-
„ nunquam errantibus, quibusdam verò im-
„ minentis persecutionis injuriam sustinenti-
„ bus, hæc semper subvenire non destitit,
„ illis scilicèt tramitem directionis ostendens,
„ istis pietatis manum semper extendens.

422 „ Itaque, filii charissime, & vene-
„ rabilis semper Auguste, noveris, quidquid
„ erga Sanctissimum Fratrem & Coepiscopum
„ nostrum Ignatium, vel circa Schismati-
„ cum Photium divinitùs inspiratum & justi-
„ tiæ Zelo succensum te literis intimas pere-
„ gisse, nobis & universæ Occidentalium Ec-
„ clesiæ per omnia placuisse, præsertim cùm
„ nil egerie, præter quod Apostolica Sedes
„ cum totius Hesperiæ Præsulibus jam du-
„ dum agendum decrevit, & nulla mora in-
„ terveniente perficiendo mandavit: quæ vi-
„ delièt cum his omnibus propter id cælitus
„ protecto Imperio tuo, grates multifarias
„ reddunt, & humillimæ Obedientiæ tuæ
„ præconia laudibus eximiis indagare non de-
„ sinunt.

423 „ Porrò de Sacerdotibus, vel cæte-
„ ris, qui contra pacem Ecclesiæ facientes,
„ unitetem ejus scindere præsumpserunt, &
„ in Fratrem & Coepiscopum nostrum multi-
„ fariam commisisse probantur: super quibus
„ etiam decretum ab Apostolica Sede cle-
„ mentia tua, more priscorum principum po-
„ stulat: sciat dilectio tua: quia sicut di-
„ verso modo deliquisse referuntur, ita di-
„ versis eos definitionibus subiici non incon-
„ venienter oportere perpendimus. Quorum
„ tamen differentias Apostolicæ Sedis Lega-
„ tis, unà cum Fratre & Comministro nostro
„ Ignatio convenientibus, quemadmodùm
„ nobis desuper datum est, moderendas com-
„ misimus.

424 „ Verùm quia pietas tua cum Eccle-
„ siastica misericordia suos circa illos ad id
„ quod humaniùs est exhortatur, te nolumus
„ ignorare, quoniam ultra quàm dici pos-
„ sit hinc, fateor, mærore comprimimus,
„ immensoque dolore constringimus, eos ni-
„ mìrum non solùm beatæ memoriæ decesso-
„ ris mei Papæ Nicolai, quibus & ipse sub-
„ scripsi, justis sanctionibus creberrimè per-
„ cellentibus, verùm etiam Sanctorum Pa-
„ trum regulis, severissimè, seu quodammo-
„ do peremptoriè punientibus.

425 „ Verumtamen propter pacem Ec-
„ relaxanda deposcit, adhibita consideratio-
„ ne diligenti, quantum potest fieri, tempe-
„ remus: quod & nos æqua possumus pro
„ lucrandis fratribus ratione prosequi, & tem-
„ porum necessitati consulendo penitùs imita-
„ ri, Photii dumtaxat ordinationem ab hu-
„ jus moderamine pietatis interim prorsùs
„ excipientes, eamque passim & præter exa-
„ men nullatenus admittentes. Dicit enim
„ altisona Ecclesiæ tuba, sanctus videlicèt
„ Sedis Apostolicæ Papæ Leo: Cujus senten-
„ tiam quidquid ubique Catholicum est, ve-
„ lut cæleste miratur, celebrat, & venera-
„ tur Oraculum. Cùm sæpè quæstio de malè
„ accepto honore nascatur, quis ambigat ne-
„ quaquam istis esse tribuendum, quod non
„ doceatur fuisse collatum? Nnque enim in-
„ ter Photium mœchum, & maximum Cyni-
„ cum à Synodo secunda damnatum, vel in-
„ inter ordinationes hujus, & illius, distin-
„ ctionis aliquid esse coniicimus.

426 „ Atque ideo pari fine constr,ngi de-
„ bere videntur, qui par habuisse cum eo
„ principium modis omnibus comprobantur.
„ Siquidem & juxta quod præfatus Magni-
„ loquus Pontifex universis per Cæsariensem
„ Mauritaniam constitutis Episcopis scribit:
„ Difficilè est, ut bono peragantur exitu,
„ quæ malo sunt inchoata principio. Et infrà
„ Non ergo in cujusquam persona prætermit-
„ tendum est, *inquit*, quod in statutis ge-
„ neralibus continetur, nec putandus est ho-
„ nor ille legitimus, qui fuerat contra Divinæ
„ legis præcepta collatus. Et certè fidelissi-
„ mus & prudentissimus Vir Basilius Impe-
„ rialis Spatharius, & preces vestras nobis
„ pro his in perceptis ordinibus recipiendis
„ multiplices detulit, & adeò constans &
„ continuus penès nos in precibus perstitit,
„ ut si non legitimè rscipi posse quoque modo
„ crederentur, ipsius, ut ità dicamus, inso-
„ lentià victis, recipiendos esse profectò sta-
„ tueremus.

427 „ Verùm & circa hos post reversio-
„ nem missorum nostrorum, postque rerum
„ gestarum nobis expositas differentias, & in-
„ dagatas liquidiùs personarum, culparum,
„ & provectionum qualitates, atque distan-
„ tias, si quid miserationis impartiendum,
„ docente Deo, apud quem omnia possibilia
„ sunt, nobis fuerit referatum, non erimus

„ penitùs inflexibiles: nimirum qui semper ad omne bonum cupimus existere suasibiles.

428 „ Volumus ergo, per vestræ pietatis industriam, illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum, personarumque differentias liquidò cognoscentes, juxtà quod in mandatis acceperunt, singulorum, liberè discretiones exerceant: in quo videlicèt sacro cœtu exsecrando vanitates Concilii, quod adversùs Sedis hujus actum est, prorsùs injuriam, cuncta decernimus exemplaria, prorsùs à possessoribus suis ablata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igni cremari; nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem unum jota, vel unum apicem, nisi fortè quis totius Clericatus, imò totius nominis Christiani dignitate, anathemate perculsus, carere voluerit. Non enim nos tam detestandum Collegium, nisi Ariminensi sub Constantio, vel Ephesino, à Dioscoro congregato latrocinio comparandum decernimus. Accendatur circa protectorum tuorum reverentiam, Beatorum videlicèt Apostolorum Principum, fili dilectissime, tuæ Zelus pietatis, & tantorum ficta commenta præstigiorum remanere nullo modo penès aliquem patiatur: sed & si quisquam hæc defendere, vel occultare, sibique imposterum fortasse reservare tentaverit, tua publicis legibus promulget multiplex sapientia, quid hujusmodi persona post imperiale debeat Edictum redargutionis incurrere, vel quantum conveniat, si non correctionis, saltem correptionis incidere; quatenus per hoc, pura de cætero conscientia, cum Psalmista veraciter canere valeas: *Odivi congregationes malignorum, & cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas.*

429 „ Insuper exhortamur, & salubri suadère studio procuramus, ut imperatoriæ instantiæ vestræ annisu, sententiarum capitula, quæ synodicè in Ecclesia Dei, ubi Sanctum Corpus Apostolorum Petri Principis requiescit, pro abolendis prosanis Conciliis, Constantinopoli à Photio, tum adversùs Apostolicæ Sedis reverentiam, quàm contra Fratris, & Comministri mei Ignatii pontificium congregatis, communi consonantia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, & in singularum Archivis Ecclesiarum providè recondantur.

430 „ Porrò divinitus protectum Imperium tuum præcamur, ut Basilium, Petrum, Zosimum, & alterum Basilium, qui scelerum suorum conscii, & cupiditatis ardore succensi propositum deserverunt, & sine commendatitiis literis Constantinopolim properaverunt, ad nos per præsentes Apostolicæ Sedis missos remittat: quatenus dum professionem & loca, quæ propter Deum primitus elegerunt, repetierint, & tibi cœleste præmium conferatur, & illis suarum lucrum animarum, Divinitate propitia, concedatur. Alias autem, si Sanctorum Patrum regulæ calcari minimè, vel contemni tentantur, eos impunè profectò nullus penès se retinere prorsùs audebit: apud nos quippe à rudimentis ablactati, & sanctæ sunt conversationis habitum consecuti, quin & in Monasteriis nostris officium Presbyteratus adepti: interim tamen eos, quod sint excommunicati, donec ad nos redierint, tanquam sacrorum violatores Canonum, cognoscere volumus.

431 „ His ità prælibatis, obsecramus Divinitus redimitum tranquillitatis tuæ caput, in cœpto pietatis opere circa Fratrem & Consacerdotem meum Ignatium persistere, atque à Decretis Apostolicæ Sedis in nullo quoquomodo deviare, sed promulgationibus ejus arctiùs hærens, à proposito noli recedere, & quousque unitas fiat Ecclesiæ, nulli stude, quæsumus, desidie cedere. Nemini quippe profuit unquā bonum ut cœpisse, & minimè consumasse. Quamobrem, regnum, quod temporaliter assecutus est, perenniter adipiscaris, coronamque procorruptibili capias incorruptam, hoc pietatis opus perficere satage, perfectumque coram Summo Agonotheta Christo repræsentare decerta.

432 „ Postremò dilectos Fratres meos, Donatum scilicèt Sanctæ Ecclesiæ Hostiensis, & Stephanum Sanctæ Ecclesiæ Nepesinæ Reverendissimos & Sanctissimos Episcopos, atque Filium meum Marinum Apostolicæ Sedis Diaconum, Consiliarios nostros tuæ commendantes pietati, præcamur ut eos ob amorem præcipuorum Apostolorum Petri & Pauli, à quorum Sede mittuntur, benignè suscipias, & tanquam nobismetipsis aures credulitatis accomodes; familiaritatis videlicèt tuæ fiduciam illis impendens, & præfatos in eis eximios intercessores tuos Apostolos reverenter attendens, quos ut celeriter ad nos remittas, obnixè deposcimus. Cupimus enim tàm de Sanctæ Ecclesiæ redintegrato statu, quàm de incolumnitatis tuæ concesso divinitus dono, semper in Domino gratulari: ac per hoc hortamur, & deprecamur, ut apud vos nullam moram sustinere faciatis, sed tuæ benignitatis solatio freti velociter de omnibus, quæ illic secundùm Deum geruntur, nos adventu suo constituant lætiores.

433 „ Commendamus etiam Clementiæ tuæ tàm Reverentissimum & Sanctissimum Fratrem nostrum Joannem Metropolitanum Sylęi, qui à Fratre & Coepiscopo nostro Ignatio ad Sedem Apostolicam directus est,

quàm

„ quàm etiam gloriosum & spectabilem Virum Basilium Imperialem Spatharium, qui cum eo à Deo conservando tranquillitatis tuæ Imperio destinatus est, qui tanta, postquam illinc profecti sunt offendicula (ut diximus) pertulerunt, ut nullum properantes pœnè periculorum, quæ Paulus in Epistolis suis dinumerat, evasisse videantur. Qua propter dignis sunt vicissitudinibus à pietate vestra remunerandi, qui pro Ecclesia Christi, proque injuncta sibi à pietate tua Legationis consummatione, tot ac talia subire promptissimè consenserunt. Alterum verò nominatum in scriptis tuis Metropolitam, Domino dispensante, non vidimus: quia enim sicut iste à Reverendo Patriarcha Ignatio, ità seorsum ille à Photio tyranno mittebatur. Volens Deus ostendere non in duo Ecclesiam suam fore scindendam, quod videlicèt malum Jeroboam quondam in Israel rex impius egit. Nolens etiam nos auctoris hujusmodi Schismatis nec ipsam quoque visionem percipere, antequam ad nos perveniret, justo judicio suo pelagus cooperuit eum; & qui populum diviserat, Dei divisa est super eum aqua, devenitque in profundum tanquam lapis.

434 „ Verùm si fortè movetur à Deo redimitum Imperium vestrum, quia præfati Legati penès nos diutissimè morati sunt, præcamur, & obnixè flagitamus, non eis imputetur, nimirum qui ut dimitterentur, non horis, non momentis, non denique clamantes atque pulsantes ullis intervallis parcere consentiebant, sed instantibus & irremotis laboribus, & solicitudinibus omnium Ecclesiarum Dei, quas secundùm Apostolum circumferimus, adscribatur.

435 „ Non enim requies ulla nobis, nec otium fuit à die perventionis eorum, tunc videlicèt Ecclesiæ, quæ apud vos est, causam tractantibus; nunc aliarum quoque partium Mundi negotia motu perpeti disponentibus; præsertim cum ad hanc solam controversiam, qua pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ commotione petimur, dignè modificandam, licèt prolixum fuerit, ipsum tempus non sufficere crederetur reverà, quam interius, & omni diligentia nos oportebat examinare, ac eorum quoque, qui longè sunt, Fratrum & Coepiscoporum nostrorum super hoc consensus, imò consilia præstolari: *Salus enim*, teste Salomone, *ubi multa consilia*. Non enim in aliquem horum hinc indignetur vestra tranquillitas, nos non propriæ voluntatis impedivit aliqua traditas, sed multiplex prohibuit numerosarum Ecclesiarum per industriam nostram sublevandarum properare necessitas. Piissimum Imperium vestrum gratia superna custodiat, eique omnium infidelium gentium ferocitates, ad exaltationem Sanctæ Ecclesiæ potenti virtute substernat. *Hactenus Hadrianus ad Basilium*. Quæ literæ extant recitatæ Act. I. Synodi VIII. œcumenicæ. Porrò ad Ignatium Patriarcham sequentes fecit.

Hadrianus Episcopus Servus Servorum Dei Reverendissimo, & Sanctissimo Confratri & Comministro nostro Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano.

436 „ Nec Scriptura pandere, nec profecto lingua sufficit enarrare, quantas, ò dilectissime frater, pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ statu, atque pro tua specialiter erectione, certaminum palæstras decessor meus sanctæ memoriæ Papa Nicolaus cum subjecta sibi Ecclesia indesinenter exercuit, & usque ad meliora vitæ transitum toleravit, adeoùt in ipso suæ migrationis articulo pro commendanda causa tua, vel Ecclesiæ tibi divinitus commissæ, nec scribendo sibi pepercit, nec pro hac, si non loquendo, saltem innuendo cessaverit; donec officium dumtaxàt horis amitteret, & oculos penitùs obseraret. Cujus affectum & nos quoque sumentes, sicut divina gratia ei successimus in honore, ita & meritò successimus in labore; & sicut sudorum ejus & dispositionum tunc extitimus communicatores, ita quoque nunc optamus, & satagimus esse in cunctis observatores.

437 „ Quanto verò gaudio, quantaque simus exultatione repleti, percipientes auditu, quod de Sanctitatis tuæ recuperatione jugi gestabamus affectu, nec os exprimere, nec calamus prævalet exarare. Unde benediximus Deo, & totius cordis jubilatione laudavimus, excitanti videlicèt dilecti Filii nostri Basilii Principis & Augusti ferventissimum Spiritum, non solùm ad vindictam malefactorum, verùm etiam ad laudem honorum scilicèt, qui eripuit Ecclesiam Dei, dùm quotidie, quia non consensit adultero, traheretur tam ad corporis, quàm ad animæ mortem, instar utique Danielis Sanctissimam eripientis Susannam à sententia mortis, quam impudici Presbyteri, qui videbantur regere Populum Domini, non autem regebant, sed potius Photii more perdebant, nequiter extorserunt.

438 „ Præter eam quæ præfatus Apostolicæ recordationis Pontifex regulariter ac synodicè, tam de Schismatico & Mœcho Photio, & ordinatione, imò execratione ipsius, atque Syracusano Gregorio, quàm etiam de te specialiter & de compatientibus tibi sanxerit & definierit, tenòre valebis ejus Epistolarum, quas super his diverso tem-

„ tempore Conftantinopolim deftinavit, patenter edifcere. Verùm fi ad notitiam tuæ Beatitudinis non pervenerunt à miffis noftris has accipiens, ad inftructionem tuam & monumentum futurorum referva; cognofcens interim, & certiffimè fciens nos à decretis ejus nullo modo difcefsuros, fed ejus, ficut locum, ita & ftudium poffidentes, ipfius quantum ratione magiftra poffumus veftigia fecuturos; quatenus ad lucernam mandatorum ejus in hujus caliginofi fæculi loco gradientes, inoffenfis pedibus, Deo duce, incedere valeamus.

439 „ Quamobrem & in his, fuper quibus à nobis difpofitiones, & difcretiones exigis, nil fequendum præter ejus divinitus infpirata decreta confpicimus; præ omnibus, & fuper omnia Gregorium Syracufanum & Photium Tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinaffe putatus eft, ab Epifcoporum numero vel dignitate, quam ufurpativè, ac fictè dedit, meritò fequeftrantes. Primò, quia Photius Maximo, & ordinatio ejus, vel potius execratio, iftius ordinationi penè in cunctis videtur effe fimillima. Secundò, quia fic fe habet per decefforem meum Apoftolicæ Sedis decretum, cujus judicium nufquam præcipiunt Sacri Canones retractari, dum tamen cenfeant eam in aliorum quæque renovanda feu deficienda negotia perfcrutari: nofque convenit, ut prætulimus, ejus in omnibus conftituta fectari. Tertiò, quia Photius vir forenfis, curialis, neophytus, invafor, atque adulter, necnon & anathemate condemnatus exiftens, nihil habuit, fe fequentibus propinaverit.

440 „ Photio certè, præfidente auctore, dictum eft ab anathematizatis: confecratum non folùm non accipit Spiritum Sanctum, fed & quod antea habuit flamen aufertur ab eo: verùm quamvis hoc Tyranni Photii dictum favore; ipfeque fuper hujufmodi fententia delectatus, cum malè à fe promotis, ei confenfum præbuerit, quamvis etiam non iis, de quibus hoc fruftrà dictum eft, eorum magis damnationi procul dubiò congruit, quid ab anathematizato & damnato Photio, per impofitionem manus, non lucrum, fed vulnus in capite fufceperunt. In quo ergo judicio judicaverunt, fecundùm Evangelium, judicandum eft de eis, & in qua menfura menfurati funt, eft eis utique remetiendum, atque pro magno illis habendum, fi faltem fero ad te Paftorem fuum, quem poft Chriftum olim jam & per Chriftum utique confecuti funt, repedantes, ac fine majori temporalique promotione, Domino contrito corde humiliatoque fpiritu famulantes, bona ftuduerint expectare futura.

441 „ Cæterùm de Paulo Cæfarienfi, de quo fermo à te multus eft habitus, interim, quod de cæteris, qui à Photio promoti funt, decrevimus obfervandum, jure ftatuimus. Præterea, perfecutionum tolerantia, vel paleftræ certaminum, quas adversùs Tyrannum vel Mœchum pro veritate multipliciter exercuiffe teftaris; fuam habent profectò mercedem, & immarcefcibilem præftolantur à Cœleftium bonorum largitore coronam. Sanè cætera Ecclefiæ beneficia largiffimè confequatur, & honore competenti, tàm apud fanctimoniam tuam penès omnes, meritò perfruatur.

442 „ De his autem Sacerdotibus, vel Clericis, qui à beatæ memoriæ Patriarcha Methodio, vel à fanctimonia tua confecrati funt, hæc forma fervabitur, ut fiquidem funt inter eos, qui gratia Dei confortante, invafori Photio reftiterunt, per nullumque modum inhonorantiæ, vel contumeliæ fraternitatis tuæ, aut putativæ depofitioni, communicaverunt, fed & varias tecum ob hoc tribulationes & exilia, quin & depofitiones pertulerunt; hos Beatos, & ter Beatos dixerim, & inter Chrifti confeffores connumerandos decreverim; adeout habeant infignem in ea, quæ apud vos eft, Ecclefia locum, & præcipuâ circa dilectionem tuam fiduciâ perfruantur: itaut fecundùm multitudinem dolorum ipforum, confolationes tuæ animas eorum lætificent, more fcilicèt Dei, qui reddet fingulis fecundùm opera ipforum.

443 „ Porrò cæteris, qui ex confecratione fraternitatis tuæ funt, & five fpontè, five vi fe ad Photium contulerunt, fi fub fatisfactione libelli, cujus exemplar miffis noftris commifimus, ad te remeaverint, quamvis contra profeffionem vel fubfcriptionem fuam egerint, ac multipliciter adversùs fummum Sacerdotium tuum, & in contemptum Sedis Apoftolicæ exarferint, eos generaliter in fuis gradibus confirmantes ignofcendum decrevimus. Difcipuli enim fumus mitis & mifericordis Magiftri. *Qui*, Apoftolorum Principe tefte, *paffus pro nobis, nobis reliquit exemplum, ut fequamur veftigia ejus, qui peccatum non fecit, ut nos fcilicèt lucrifaceret, nec inventus eft dolus in ore ipfius; & tamen cùm malediceretur, non maledicebat, & cum pateretur, non comminabatur*.

444 „ Si qui autem ex iis funt, qui aliter vel in Deum, vel adversùs conftituta Patrum, quia & ipfa Dei fpiritu prolata confiftunt, deliquiffe, vel exceffiffe probantur, hos volumus, adhibitâ fibi noftrâ quoque auctoritate à Pontificio tuo regulariter examinari, & paternis definitionibus amodò & deinceps omninò fubmitti. Cùm enim Beatus Petrus Domino non dicat: *Si peccaverit in te*, fed *in me frater*

meus,

„ *meus, dimittam ei usque septies?* aptè datur „ intelligi, ea nos fratribus impunita posse „ dimittere, quæ in nos, non quæ in Dominum, vel in Dominica constituta, patrantur. Dicit enim Scriptura: *Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo Sacerdos; si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo?* Sanè hos, qui in nefando conciliabolo, quod in injuriam & derogationem „ Sedis Apostolicæ Constantinopoli factum „ est, voluntariè subscripsisse probantur, cujuscumque sint ordinis & professionis, nullâ „ veniâ dignos esse, nisi multa miseratio „ ejusdem, quam lædere nisi sunt, Apostolicæ Sedis occurrat, evidentissima ratio docet, & multifaria Majorum sanctio manifestè demonstrat.

445 „ Quin & universalis Chalcedone „ habita Synodus adeò hujusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam „ in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, cùm de ipso dicit: Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè trascendit; præsumpsit enim & excommunicationem dictare adversùs Sanctissimum & Beatissimum Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Priorem autem iniquitatem, pravitatem utiquè dicit hæreticam; Undè nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione „ Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse refertur, hinc & Anatolius ait: Propter „ fidem non est damnatus Dioscorus, sed „ quia excommunicationem fecit Domino „ Archiepiscopo Leoni.

446 „ Nam & adversùs Reverentiam „ tuam, inter cætera, hanc unam calumniarum in te illatarum, quasi accusationem „ texuerunt æmuli tui, opinantes videlicet, „ tanquàm in contemptum reverendæ mentionis Papæ Benedicti erectus, in contumeliam illius, nec Epistolam ejus suscipere, dicti Dioscori more, consenseris. Quia „ ergò in causa, quam in te impingere fallacibus accusationibus tentaverunt, illi veracibus probationibus inveniantur obnoxii, idcircò ipsi potiùs judicium, quod judicaverunt subire, & sententiam, quam „ protulerunt, incurrere, Simoniæ nexibus „ irretiti jure debent?

„ 447 „ Ergò fraternitas tua curet necesse „ est, ut sententiarum Capitula, quæ synodicè in Ecclesia Dei, ubi Sanctum Corpus „ Apostolorum Principis Petri requiescit, „ pro abolendis profanis Conciliis, Constantinopoli à Photio, tàm adversùs Sedis „ Apostolicæ reverentiam, quàm adversùs „ sanctimoniam tuam congregatis, communi „ consonantiâ promulgavimus, apud vos in „ Synodo cunctorum subscriptione roborentur, & in singularum Archiviis Ecclesiarum proindè recondantur.

448 „ Postremò Reverendissimum & Sanctissimum communè fratrem nostrum Joannem Metropolitam Sylæi Beatitudini tuæ „ magnoperè commendamus, de quo videlicet fraternitatem tuam nolumus ignorare, quoniàm quibuscumque mœroribus, vel „ molestiis ex tot accidentibus vobis incommodis cor nostrum fuerit vulneratum;quis, „ sicut scriptum est: *Legatus fidelis sanitas*, „ itâ medicamento ipsius fidelis Legationis, „ quod in vobis hinc turbidè diuturnâ hùc „ usque mœstitiâ sauciaverunt, est sanatum, „ ut penè nil residuum, quod exindè sanitati „ indigeat, vir prudentissimus in pectore nostro reliquerit. Quamobrèm consolatione „ multâ dignus habendus à sancta fraternitate tua quiete, refrigerio, & omni est veneratione ditandus, atque in Ecclesiasticis „ negotiis diligentissimè moderandis irremotè tenendus; propter quæ videlicet ipse „ pericula infinita, non solùm per mare, sed „ & per aridam gradiendo sustinuit; quin „ potiùs penès nos demorans, & causâ tui „ jugiter pulsans, & continuas nobis molestias irrogans, neque quaslibet sibi ferias „ contulit, nec ullam quotidiano labori nostro requiem dedit. Sanctam fraternitatem vestram optamus nunc & semper, & „ in Christo benè valere, dilectissime ac fraterrime Comminister. Datâ IV. Idus Junii, Indictione II. *Hactenus Hadrianus ad Ignatium*. Extat hæc Epistola in Actis VIII. Synodi, Act. III.

449 Cùmque Beatissimus Papa Nicolaus Libellum Fidei exposuisset, jam subscribendum ab iis, qui post prævaricationem Ecclesiæ catholicæ uniri exoptabant, atque Constantinopolim mittendum, schismaticis nequaquàm recipientibus illum, hoc tempore Hadrianus illius successor eundem Libellum, mutato tantùm nomine Nicolai, eisdem Legatis dedit ferendum Constantinopolim, adjectâ jussione, ut curarent, quòd omnes Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitani, atque universi Clerici Constantinopolitanæ Diœcesis ei subscriberent, & quidèm propriâ manu, & coràm testibus, aliàs non admitterentur, nec in Synodum œcumenicam suscipererentur. Extat Libelli hujus formula in Actis ejusdem VIII. Synodi, Actione I. ità se habens.

In

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Imperantibus Dominis piissimis & perpetuis Augustis Basilio & Constantino ejus filio, à Deo coronatis, pacificis, magnis Imperatoribus, Anno III., mense Octob. Indictione III.

450 „ Prima salus est rectæ fidei regulam custodire; deindè à constitutis Dei & „ Patrum nullatenùs deviare. Unum quippè „ horum ad fidem pertinet, alterum ad opus „ bonum; sicut enim scriptum est: *Sinè fide* „ *impossibile est placère Deo*; sic rursùs legi- „ tur: *Fides sinè operibus mortua est*. Et quia „ non potest Domini nostri Jesu Christi præ- „ termitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus*, „ *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam* „ *meam*, hæc, quæ dicta sunt, rerum proban- „ tur effectibus, quia in Sede Apostolica im- „ maculata est semper catholica reservata „ Religio, & sancta reservata doctrina.

451 „ Ab hujus ergò fide atque doctrina „ separari minimè cupientes, & Patrum, & „ præcipuè Sanctorum Sedis Apostolicæ Præ- „ sulum, sequentes in omnibus constituta, „ anathematizamus omnes hereses simùl cum „ iconomachis. Anathematizamus etiam „ Photium, qui contrà sacras Regulas, & „ Pontificum Romanorum veneranda Decre- „ ta repentè de curiali administratione, sæ- „ cularique militiâ sublatus, superstite Igna- „ tio Patriarchâ, in Constantinopolitanam „ est pervasoriè, immò tyrannicè, à quibus- „ dam Schismaticis, vel anathematizatis at- „ que depositis institutis Ecclesiam, donec „ Sedis Apostolicæ Sanctionibus inobediens „ perseverans, ejus sententiam, tàm de se, „ quàm de Patriarcha nostro Ignatio, spre- „ verit & conciliaboli Acta, quòd, se aucto- „ re, contrà Sedis Apostolicæ reverentiam „ congregatum est, anathematizare distu- „ lerit.

452 „ Sequimur autem sanctam Syno- „ dum, & amplectimur, quam beatæ recor- „ dationis Papa Nicolaus, cui & Dominice, „ Evangelice Summe Pontifex Hadriane sub- „ scripsisti, ante sacratissimum Petri & Pauli „ Apostolorum eximii corpus celebravit; „ simùl & quam tu ibi ipse nuper egisti, & „ omnia, quæ in his statuta sunt, secundùm „ Decreti vestri moderationem venerabiliter „ conservabimus, recipientes quos recipiunt, „ & damnantes omnes, qui in illis damnati „ sunt, & præcipuè jam dictum Photium, & „ Gregorium Syracusanum, parricidas vi- „ delicet, qui contra spiritalem patrem suum „ linguam eximere minimè formidarunt, at- „ que perseverantes in schismate sequaces „ eorum, necnon & qui in illorum commu- „ nionis societate permanserunt, communio- „ nis omnis gratiâ eos cum ipsis indignos, si „ tamen vobiscum non obedierint, judican- „ tes. Etenim quorum se quis communioni „ miscuerit, ipsorum similem meruit in justi- „ ficatione, vel damnatione sententiam.

453 „ Sinagogas verò malignantium, „ imò speluncam latronum, & conventicula „ sanguinum, & fabricatorum mendacii, at- „ que inventorum perversorum dogmatum, „ quas sub Michaele Imperatore bis contrà „ beatissimum Patriarcham Ignatium, & se- „ mèl adversùs Apostolicæ Sedis principa- „ tum factiosè conspiraverunt, insolubilibus „ anathematis nexibus innodamus, & defen- „ dentes ea, vel impia gesta ipsorum celantes, „ & non potiùs, si hæc invenerint, concre- „ mantes & anathematizantes, usque ad sa- „ tisfactionem & obedientiam, dignos eâdem „ anathematis sententiâ judicamus.

454 „ Porrò de venerabilissimo Ignatio „ Patriarcha nostro, & de iis, qui ex parte „ hujus sunt, quòd auctoritas Apostolicæ „ Sedis vestræ decrevit, totâ mente sequi- „ mur, & religiosâ devotione veneramur, „ atque pro nosse & posse nostro piâ inten- „ tione ac spiritali conflictu defendimus; „ quoniam, sicut prædiximus, sequentes in „ omnibus Apostolicam Sedem, & observan- „ tes ejus omnia constituta, speramus, ut in „ una communione, quam Sedes Apostolica „ prædicat, esse meremur, in qua est integra „ & vera christianæ Religionis soliditas; pro- „ mittentes etiam, sequestratos à communio- „ ne Ecclesiæ catholicæ, idest, non consen- „ tientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina „ inter sacra non recitanda esse mysteria.

455 „ Hanc autem professionem meam, „ Ego ille Episcopus manu propria subscripsi, „ & tibi Sanctissimo ac ter Beato & Coan- „ gelico nostro Summo Pontifici & univer- „ sali Papæ Hadriano per Legatos tuos, Do- „ natum, videlicet, & Stephanum Sanctissi- „ mos Episcopos, atque Marinum Sanctæ „ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ „ Diaconum obtuli, Mense illo, Die illo, „ Indictione quotâ.

Subscriptio.

„ Ego ille Episcopus sanctæ illius huic „ professionis meæ Libello, facto à me in „ Beatissimo Hadriano Summo Pontifice & „ universali Papa, subscripsi, & testes, qui „ subscriberent, rogavi.

Subscriptio Testium.

„ Ego ille Basilicos hic, huic Libello „ facto ab illo in Hadriano Beatissimo Sum- „ mo Pontifice & universali Papa, roga- „ tus ab eo, testis subscripsi. *Hactenus Libellus*.

456 Ex jussione itaque Hadriani, ut fati sumus, Episcopi, Archiepiscopi, Clerici, Mo-

Monachi, cunctique Ecclesiastici Diœcesis Constantinopolitani, antequàm reciperentur in Synodum, vel ad communionem catholicam admitterentur à Legatis, tenebantur juxtà præfatam formulam Libellum conscribere, eique subscribere manu propriâ, testibus quoquè subscribentibus, ratamque testantibus illorum subscriptionem,, notando annum, diem, & mensem, quod in formula significatum est per verba illa, & expressum, *Mense illo, Die illo, Indictione quotà*. In subscriptione pariter adnotare debebat Ecclesiam, cui præfuerat, si Episcopus, vel dignitatem, aut professionem, significatis ab Hadriano in præfata formula, per illa verba, *Ego ille Episcopus*. Et item, *Ego ille Episcopus sanctæ illius*; Sic pariter & testes dignitatem suam exprimere subscribendo tenebantur, quod indicatur in formula, per hoc quod dicitur: *Ego ille Basilicos hic*, hoc est, *Imperialis dignitatis talis*.

457 Antefatis ergò munitis literis, prærecensito Fidei Libello, aliisque monumentis, Donatus Episcopus Hostiensis, Stephanus Episcopus Nepesinus, & Marinus Diaconus Apostolicæ Sedis Legati, unà cum Joanne Metropolita Sylei, & Basilio Imperiali Spathario Imperatoris Basilii Macedonis, & Ignatii Patriarchæ Legatis, Romà Constantinopolim iter aggressi sunt, fortè mense Junii, quo leguntur datæ ad Ignatium literæ Pontificiæ, Indictione secundâ, nimirum, Domini Anno DCCCLXIX., Hadriani Pontificatus Anno II., paritcrque II. Imperii Basilii, imperante in Occidente Ludovico II., Anno sui Imperii XIV. Cùmque post varios itinerum labores Thessalonicam pervenissent, ab Eustachio Spathario candidato imperatorio nomine salutati, honorificè suscepti sunt; inde progredientes majori cum pompa, imperante Basilio, à suis obviantibus Missis, recepti, ducti sunt Constantinopolim, ibidemque summâ cum honorificentiâ pariter suscepti. Quæ omnia accuratè Anastasius, illius ævi Scriptor, in Hadriani vita recenset, inquiens.

458 „ Itaque multorum anfractuum laboriosos circuitus penetrantes, tandèm „ Christo præduce, Thessalonicam veniunt, „ in quam Basilius Imperator Eustachium „ Spatharium candidatum cum suæ salutationis officio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatis obviam destinavit. Qui eos admodùm honorificè per contigua itineris loca „ ducens, Sillambriam pervenerunt; ubi à „ Sisinio Imperiali Protho spathario & Theognisto Patriarchali Hegumeno, qui Romæ „ apud Sanctissimum Papam Nicolaum, pro „ restituendo Ignatio, sedulus intercessor extiterat cum quadraginta equis de Stabulo „ Imperiali, & totius mensæ argenteo apparatu, Officialibusque, qui sibi ad omnem „ libitum famularentur, sunt excepti, ad Castrum Rotundum, in quo est Ecclesia miræ „ magnitudinis S. Evangelistæ Joannis nomine dicata favore Augustali, Sabbato mansionem suscipiunt.

459 „ Et Dominica, quæ quintadecima „ dies Septembris erat, Indictione III. singulos Equos cum sellis aureis devotione „ imperatoria capientes, obviatis omnibus „ Scholis, videlicet Spathariorum, Canditatorum, Strategorum, Mandatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum, cum „ omnibus Clericorum planetatis ordinibus „ ad Portam Auream veniunt: Ibi à Paulo, „ Librorum Custode, & Joseph Vasorum „ Custode, simùlque Basilio Sacellario, Ecclesiasticis induti vestibus, salutati cum „ syncellis Patriarchæ Constantinopoleos, „ solemniter præceduntur, & ab omni populo cum cereis & lampadibus prosequuntur; „ Sicque ad Irenes palatium descendentes, „ in domum, quæ dicitur Magnaura, à Joanne à Secretis, Spathariorumque Candidato, „ & Strategio Spathario Candidato, qui „ subministrationis gratiâ deputati fuerant, „ laudabiliter suscipiuntur, per quos Imperialia mandata suscipiunt devotissimè, proculdubiò suggesta, nè fortè molestè ducerent, quòd Imperiali natalitio imminente, „ in crastinum suscipi non valerent. Quo „ fœliciter celebrato, misit Imperator in „ occursum ipsorum omnes Ordines Palatinos.

460 „ Quibus præcedentibus ante Imperatorem in Chrysotrielinio sibi continuò „ assurgentem salutabundi conveniunt, Apostolicas Epistolas Imperatori offerunt; quas „ Imperaror per semet suscipiens, osculatur: „ De statu Romanæ Ecclesiæ, & salute Domini Hadriani Summi Pontificis, deque „ omni Ecclesiasticorum, Senatoriorumque „ ordine ordinabiliter perscrutatur, Legatosque amabiliter osculatus, Ignatio Patriarchæ jussionem Apostolicam perlaturos absoluit. *Hactenus Anastasius de honore exhibito Legatis*. Deindè prosequitur, hæc alia subjungens.

461 „ Qui sequenti die ad Imperatorem „ redeunt, à quo taliter alloquuntur: Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionē pervicacissimi Photii diversis Schismaticorum fluctibus laceratæ, Sancta omnium Ecclesiarum Dei mater Ecclesia Romana, Sanctissimi Domini & universalis „ Papæ Nicolai (sicut ex eis literis, quarum „ auctoritate præsens Pater noster Ignatius, „ qui violenter fuerat à Photianis expulsus, „ Sedi propriæ nuper, juvante Domino, restitutus est, potest luculenter intelligi) fidâ „ provisione consuluit. Quapropter nos cum „ omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitanis, atque Episcopis, censuram „ Sanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ „ per biennium præstolantes, propter Deum pe-

„ petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandèm aliquandò auctoritate „ vestri sacri Collegii, tàm pestiferæ Photianæ tergiversationis scandala propellantur; „ quatenùs unitas & tranquillitas optatæ „ diutiùs, juxtà decretum Sanctissimi Papæ „ Nicolai, restaurentur.

462 „ Legati Sanctæ Sedis Apostolicæ „ responderunt: Et nos ideò venimus, ideò „ missi sumus; sed neminem Orientalium „ vestrorum numquàm in nostram Synodum „ suscipere possumus, nisi oblato Libello, „ cujus formam de scrinio Sanctę Sedis Apostolicæ sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. Imperator, & Patriarcha dixerunt: „ quis novum hoc & inauditum de Libello „ proferendo asseritis, necesse est, ut tenoris „ illius formam videamus. Nec mora Libelli forma prolata est, & de Latino in Græ- „ cum conversa, omnium notitiæ declaratur. *Hæc ille*.

463 Post hæc autem dispositæ sunt res pro sacra & universali Synodo celebranda, quæ inchoata est die v. mensis Octobris, ferè post mensem, & ab adventu Legatorum: Datus est in ea iis locus, qui Libello à Legatis Apostolicæ Sedis exhibito subscripserunt, renuentibus verò subscribere denegatus est, prorsùsque à Synodali congressu exclusi, donec reversi, satisfecerint: *Quorum quidam*, subjungit Anastasius, *Libellum proferentes in sancta Synodo, resederunt; proferre nolentes extrà Synodum, inglorii relicti sunt; sed dietim fervore Sancti Spiritus temperati, præmissà Libelli satisfactione, ad unitatem sacræ Synodi reversi sunt*. Convenerunt ad hanc Synodum, præter Apostolicæ Sedis Legatos, etiam aliarum Sedium Patriarchalium Orientis Vicarii, videlicet, ut etiam Nicetas adnotat in vita Ignatii, Josephus Archidiaconus & Syncellus ex Ægypto, Legatus Michaelis Patriarchæ Alexandrini; Thomas Metropolita Tyri; Vicarius Michaelis Patriarchæ Antiocheni Syriæ, & Elias Presbyter & Syncellus vicem explens Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani. Et ità habetur in Actis ejusdem Synodi, licèt in eis afferatur, tunc temporis vacasse Antiochenam Sedem, & locum illius tenuisse prærecensitum Thomam Metropolitam Tyri. Ex Patribus verò, qui eidem Synodo subscripserunt, præter Imperatorem & ejus Filium, qui proprio scripto post Sedium Patriarchalium Legatos, sivè Vicarios, se sanctam Synodum recipere manifestarunt, numerantur centum & duo.

464 Prima itaque Actio celebrata est in magno Templo Sanctæ Sophiæ die v. mensis Octobris, inchoatà Indictione III. à proximo Septembri, Anno III. pariter inchoato Imperii Basilii, Hadriani Papæ Anno II., Ludovici verò II. Imperatoris Occidentis Anno XLV. Et consedentibus in ea Legatis Apostolicæ Sedis, Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, ac Vicariis aliarum Orientis Sedium Patriarcharum, præsentibus compluribus Laicis ex ordine patricio, ità jubente Principe, primò jussi sunt ingredi Episcopi illi, qui laboraverunt & certaverunt pro verbo veritatis, utpotè consentanei Ignatii sanctissimi Patriarchæ Constantinopolitani, & ingressi sunt Nicephorus Metropolita Amasiæ, Joannes Metropolita Sylæi, qui mox functus Legatione apud Hadrianum, Constantinopolim cum Apostolicæ Sedis Legatis redierat, Nicetas Metropolita Athenarum, Metophanes Metropolita Smyrnæ, Michael Metropolita Rhodi, Georgius Episcopus Iliopoleos, Petrus Episcopus Troadis, Nicetas Episcopus Cephaludii, Anastasius, sivè Athanasius Episcopus Magnesiæ, Nicephorus Episcopus Crotonæ, Antonius Episcopus Alisi, & Michael Episcopus Ceteycorum, coràm quibus lecta est Epistola hortatoria Imperatoris, seù Epagnosticum, ad Patres Synodi per Theodorum à Secretis, suggerente Baane Patricio & Præposito, in hunc modum, videlicet.

465 „ Cùm Divina & benignissima Pro- „ videntia nobis gubernacula universalis Na- „ vis commisisset, omne studium arripuimus, „ & ante publicas curas, Ecclesiasticas con- „ tentiones dissolvendi & procellas, quæ per „ multos annos ex invidia odientis bonum „ Satanæ expansæ sunt, instabilem tranquil- „ litatem per meliorem quamdam provisio- „ nem transferendi; hic quidèm, munito di- „ vinitùs Imperio nostro, semper hoc deside- „ rium gerente, & ità opportunum esse opti- „ mè perpendente, ac ab aliis Patriarchali- „ bus Sedibus Vicarios adducere, propter „ jam dictam causam, judicante, coopera- „ tus est intentioni gubernati divinitùs Im- „ perii nostri solus infinitæ potentiæ Rex & „ Princeps pacis, &, ut aspicitis, consilium „ nostrum complevit, & in idipsum conve- „ nire atque concurrere fecit, à seniori qui- „ dèm Roma Episcopos duos, & Diaconum „ unum de definitis septem, prudentià & in- „ tellectu ac vità venerabili decoratos; ab „ Oriente verò Protothronum Antiochiæ, „ idest, sanctissimum Metropolitam Tyri, „ omni reverentià plenum; à Hierosolymitana autem sancta Dei Ecclesia, sancta vi- „ delicet Sion, de qua exit qui prophetatus „ est, & nova lex, & discretor omium gen- „ tium Domini sermo, sanctissimum Syn- „ cellum virum Apostolicum, & omni sa- „ pientià divinà & humanà refertum.

466 „ Igitur cooperatione & gratià Chri- „ sti universorum Regis, & Dei cuncta te- „ nentis, his, quæ prava omnibus vobis esse „ videbantur, in directa & asperis, in vias „ planas imperatorià diligentià & studio no- „ stro translatis, commonemus & cohorta- „ mur omnes vos, fratres, ut cum multo pu- „ dore & reverentià conveniatis ad sanctam hanc

„ hanc & universalem Synodum, tanquàm „ & communem, & universis aptam, atque „ sinè livore medelam, nullam vitiosam motionem vel affectum ferentes, nec ad contentiosam voluntatem respicientes, sed potiùs vinci benè, qua vincere culpabiliter „ ac injustè scientes. Sic enim unusquisque, qui vitiatum interiorem patitur hominem sanitatem, & æternam salutem recipiet.

467 „ At verò & ad vos ipsos acclamationem Imperii nostri proponimus; quippè qui potestatem Synodici Judicii divinitùs accepistis. Etenim vos veritatis esse ac „ Divinæ Justitiæ, secundùm quòd est possibile, dilectores & imitatores nequaquàm „ quidèm ambigimus; Sed, ut & à Deo munitum Imperium nostrum, secundùm datam sibi potestatis mensuram, in Ecclesiasticis negotiis nihil tacuisse patefcat eorum, quæ debentur atque conveniunt; deposcimus & Religionem vestram, ut omnis gratiæ ac odii nunc maximè superatrix „ efficiatur; quin potiùs & impassibili, beatæque naturæ ad personam non accipiendam, omni robore, quantùm fieri potest, „ assimiletur; & neque personam potentis „ per gradum, vel per amicitiam accipiat, „ neque pauperis misereatur in judicio: Sic „ enim secundùm consilium utiquè ac voluntatem Dei, atque tranquillissimi Imperii „ nostri, pacatissima subsequetur Ecclesiarum ordinatio. *Hactenus Epagnosticum Basilii*.

468 Deindè requirentibus, seù postulantibus Episcopis, exhibitæ sunt literæ Hadriani Papæ, datæ ad Basilium Imperatorem, quarum initium: *Legationis Excellentiæ tuæ*, & per Marinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum, recitatæ. Itemque ad requisitionem Legatorum Apostolicæ Sedis relectæ sunt commendatitię literæ Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani, datæ ad Ignatium pro suo Legato & Vicario, quarum initium: *Honorabilissimis & cultu dignissimis*; iisdemque porrò suggerentibus Apostolicæ Sedis Legatis, per Damianum Clericum & Interpretem relectus est Libellus missus ab Hadriano, incipiens: *Prima salus est*, qui fuit ab omnibus laudatus & receptus. Et deniquè recitata est Definitio Thomæ Metropolitæ Tyri, primi Sessoris & Primatis Sedis Theupoleos Antiochiæ, & Eliæ Presbyteri & Syncelli vicem gerentis Patriarchæ Hierosolymitani, edita Constantinopoli ante adventum Legatorum Apostolicæ Sedis, in quinque, vel sex Capita post exordium discreta, quorum tenor talis est.

CAPUT PRIMUM.

469 „ Ergò sanctissimus quidem Patriar„ cha Ignatius sit beneplacito Dei Patris, & „ gratiâ Domini nostri Jesu Christi, & operatione Sanctissimi Spiritus, ratus & stabilis in Throno suo, à nemine molestiam „ sustinens, vel coercitus à propria Archierarchica dignitate, atque honore dirigens „ verbum veritatis.

CAPUT II.

470 „ Episcopi autem, & Presbyteri ac „ Diaconi, seù cujuscumque ordinis Clerici, „ quotquot post iniquam depositionem Sanctissimi & Comministri nostri Ignatii discesserunt à Photio, & idcircò à suis Sedibus sunt remoti, ac depositioni submissi, „ isti suas recipiant Sedes ad fungendum incunctanter Sacerdotio, nullatenùs aliundè „ prohibiti; qui enim pro veritate privati „ sunt iis, quæ possederant, non solùm illorum, undè ciderunt, digni sunt esse participes, verùm etiam aliorum, quorum „ quæque possint recompensare digna prioribus afflictionibus.

CAPUT III.

471 „ Qui verò Beati Methodii & Sanctissimi Ignatii manus impositionem habent, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, aut cujuscumque ordinis Clerici, & „ usque in finem cum Photio sacerdotio fungi passi sunt, in repulsione autem ejusdem „ Photii ad Dei Sanctam & Catholicam atque Apostolieam Ecclesiam concurrerunt, „ & nunc usque ad terminationem sanctæ Synodi concurrere festinaverunt, nec hos „ communis omnium Christianorum amatrix filiorum Ecclesia Mater avertit, sed „ finibus recipiet, materno more circà natos „ benignitate succensâ, & votum incessabile „ monstrans, epitimiis, ut par est, Sanctissimi Patriarchæ Ignatii, quæ ipse voluerit, „ hos adoptans, & placatè suscipiens; nam „ Beati termini Papa Nicolaus in Photio, & „ in manus impositione ejus sola, & in Syracusano Gregorio dedit diffinitivam damnationem. In reliquis autem prænominatis „ duabus consecrationibus potestatem Sanctissimo Patriarchæ Ignatio credidit; oportebat enim eum, qui multis difficultatibus „ pro credita sibi divinitùs Ecclesia tentatus „ fuerat, portionem aliquam liberalitatis in „ admissione Sacerdotum percipere.

CAPUT IV.

472 „ Photium autem, quemadmodùm „ Beatus Nicolaus de illo decrevit, alienum „ modis omnibus existimamus ab omni sacerdotali dignitate, operatione ac nomine „ usquàm per nullum modum, vel tempus „ accepturum locum satisfactionis; sed & „ anathemati transmittimus, nisi fortè obe-

„ dierit synodicæ judicationi Papæ Nicolai,
„ & sententiam nostram susceperit.

CAPUT V.

473 „ Gregorius præterea Syracusanus, „ ut ante depositus,& ante damnatus: à nobis, „ etiam ità deputatur depositus, & con- „ demnatus: non enim ut contrarii justi de- „ creti,venimus,sed ut æquorum & à Patribus „ traditorum Canonum & sanctionum confir- „ matores pariter& fautores.Qui verò seducti „ sunt,& à Photio manus impositionem susce- „ perint, tanquam malis operationibus ejus „ cooperantes,& faventes,atque condecernen- „ tes effecti, omni Sacerdotio judicantur indi- „ gni, sicut & Papa Nicolaus adversùs eos „ synodicè promulgavit. *Hactenus capita sen- tentiæ*, quibus adjectum est & sextum caput adversùs eos, qui ejusmodi definitioni aut Nicolai Papæ decretis, non adhærent.

474 Commendata itaque ab Apostolicæ Sedis Legatis, & ab universa sancta Synodo ejusmodi definitione, peractis acclamationibus in Imperatorem, & in Euxodiam Imperatricem, in Hadrianum Papam, in Nicolaum quoque, in Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, in cæteros Orthodoxos Patriarchas, in Senatum, atque in ipsam sanctam Synodum, absoluta est Actio prima, communi procerum, Episcoporum, Archiepiscoporum, cæterorumque Patrum consensu.

475 Deinde biduo post, nonis videlicèt Octobris, hoc est, die VII. ejusdem mensis, in eadem S. Sophiæ Ecclesia, convenientibus iterum Sanctissimis Episcopis habita est, Act. secunda. In ea namque admissi sunt primò Episcopi complùres à Methodio, & Ignatio consecrati, qui postea sub Photio ceciderant, timentes illius tyrannidem, qui & coram universa Synodo libellum obtulerunt pœnitentiæ, ibidemque recitatum, cujus initium est: *Si quidem essent ignota*. Indeque & Libello satisfactionis ab Hadriano misso, jubentibus Apostolicæ Sedis Legatis, subscripserunt, ipsumque transcriptum exhibuerunt; & post eos, etiam Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ejusdem consecrationis, qui pariter Photio adhæserunt, cum Libello satisfactionis similiter recepti sunt, data eis salutari pœnitentia, nimirum, ut ii qui carnibus vesci consueverant, à carnibus, caseo & ovis se abstinerent, qui verò carnibus vesci minimè consueverant, à caseo, ovis, & piscibus, quarta Feria & in Parasceve se abstinerent, per singulos dies quinquaginta facerent genuflexiones, centies Kirieleyson recitarent, centies dicerent: *Domine peccavi*: centiesque: *Ignosce mihi Domine peccatori*: Sextum quoque psalmum, & trigesimum septimum, & quinquagesimum, recenserent: & hæc omnia usque ad Christi Domini Nativitatem, suspenso interim ad usque illud tempus quovis eorum ministrandi officio. Quibus absolutis, & persolutis acclamationibus dimissa est secunda Actio.

476 Porrò v. Idus Octobris, videlicèt XI. die prelibati mensis, in eodem Templo Sanctæ Sophiæ celebrata est Act. III. consedentibus in ea etiam Episcopis, qui in præterita Actione recepti fuerant, & Libellum satisfactionis exhibuerunt, iis verò exclusis, licèt de Methodii, & Ignatii consecratione, qui præfato Libello, variis sub prætextibus, subscribere neglexerunt: indeque suggerentibus Apostolicæ Sedis Legatis, recitata est primùm Basilii Imperatoris ad Nicolaum data Epistola, quæ incipit. *Qualiter se habet*, & altera Ignatii ad eundem incipiens: *Eorum vulnerum*, quas, vita functo Nicolao, Hadrianus receperat; indeque recitata pariter est Hadriani ad Ignatium missa Epistola, quæ incipit: *Nec Scriptura pandere*. Quibus perlectis, & consuetis peractis acclamationibus, absoluta est Actio.

477 Tertiò verò Idus Octobris, die videlicèt XIII. ejusdem mensis, quarta habita est Actio: In ea verò duo Episcopi, qui ex parte Photii ad Nicolaum Papam missi fuerant, Theophilus scilicèt & Zacharias ad Synodum intromitti, & audiri postularunt: sed resistentibus Patribus, eo quod Nicolai sententiâ damnati fuerant, ad Senatorum supplicationes ex indulgentia & gratia intromissi sunt, hac conditione, ut in consessu ultimum tenerent locum; qui stantes coram universa Synodo dixerunt, se unà cum Photio nedùm à Nicolao Papa, verùm & à Sedibus Patriarchalibus Orientis fuisse receptos: quo audito mendacio, Apostolicæ Sedis jubentibus Legatis, recitatæ sunt Epistolæ Nicolai datæ ad Michaelem Imperatorem duæ, una quæ incipit: *Principatum divinæ potestatis*: Et altera: *Serenissimi Imperii vestri*; itemque & illa, quam idem Pontifex scripserat ad Photium, cujus initium est: *Postquam Beato Petro*. Et testantibus quoque Vicariis Orientis Sedium Patriarchalium, nunquam in suis Ecclesiis receptum Photium, patefactum est illorum mendacium, & quoniam Libellum satisfactionis recipere noluerunt, nec ei subscribere, ejecti sunt extra Synodum, dimissaque est Actio, horæ instante tarditate.

478 Actio porrò v. celebrata est XIII. Kal. Novembris, xx. scilicèt die mensis Octobris, ubi jubente Principe interfuit & Photius, vi tamen introductus, ipsòque licèt reluctante, in medio Synodi constitutus, ab Apostolicæ Sedis Legatis interrogatus est: an susciperet Sanctorum Patrum constituta? Ipsoque tacente, iterum est interrogatus, an susciperet decreta & constituta Romanorum Pontificum: Expositionem Nicolai, & Hadriani? ipsòque nihil pariter respondente, Legati dixerunt: *Audivimus quia est homo rationabilis, & scimus quia est prævaricator & adul-*

adulter: *dicat*, *dicot*; Tum Photius: *Vocem meam*, dixit, *etiam me tacente Deus audit*. At illi dixerunt: *Per silentium non effugies manifestiorem damnationem*: Photius verò respondit: *Nec Jesus tacendo evasit damnationem*. Verùm reprehensus pro hac audaci responsione, & de aliis interrogatus, cùmque pariter nil respondisset, jubente Synodo, lecta est Epistola Nicolai ad Michaelem, quam miserat per Rhadoaldum & Zachariam, inde alia ejusdem Pontificis per Leonem missa, ac denique & quæ ad Photium data erat, cujus initium: *Omnis utilitas & profectus*. Quibus recitatis, & ab universa Synodo receptis & approbatis, monitus est Photius, ut sanctæ Synodi decretis se submitteret, præterita emendaret, malè acta retractaret, ac debitam exhiberet satisfactionem, indèque à Synodo dimissus est & ejectus: & post consuetas acclamationes Actioni finis impositus est.

479 Et convenientibus iterum VIII. Kalendas Novembris, celebrata est Act. VI. in quo Metrophanes Smyrnensis Episcopus habuit orationem: quâ absolutâ Legati Apostolicæ Sedis ab Imperatore petierunt executioni mandari, quæ contra Photium definita fuissent, relecta ad hunc effectum sententia damnationis in eum Romæ prolata, & contenta in literis Nicolai Papæ. Deinde Orientales coram Imperatore iterum contestati sunt, Photium à Sedibus Orientalibus nunquam fuisse receptum. Cùmque admissi essent nonnulli ex parte Photii Episcopi, non aquiescentes sententiæ in Photium satæ, veniam defendendi Photii postularunt, qua obtenta, Zacharias Chalcedonensis Episcopus prolixa oratione conatus est Ignatii depositionem & Photii promotionem justam fuisse ostendere: At Metrophanes Episcopus Smyrnensis, contra allegata à Zacharia in Photii defensionem, satis accuratè evidentes rationes in medium protulit, adeòut universæ Synodi demonstraverit omni cum evidentia vana & insubsistentia extitisse, quæ pro Photio à Zacharia adducta fuerant: Quibus non obstantibus prælibati Episcopi, licèt moniti ut resipiscerent, restiterunt: nec ipsius Imperatoris hortationibus aquiescere voluerunt: Denique Constantinus à Secretis conscenso ambone legit Imperatoris exhortatorium sermonem, cujus initium: *Multæ quidem communes passiones sunt*, quo absoluto, & à Patribus collaudato, ipse Imperator concessit præfatis Episcopis septem dierum inducias ad resipiscendum, quibus elapsis jussit se iterum præsentari coram sancta Synodo audituros sententiam in ea promulgandam: indeque per Stephanum Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ pronunciatis acclamationibus, solutus est consessus.

480 Deinde IV. Kalendas Novembris pariter convenientibus in eodem loco Episcopis celebrata est Actio VII. in qua, elapso termino Photio & Photianis concesso, introductus est Synodo Photius, & cum eo Gregorius Syracusanus: Comparuitque Photius baculo innixus, fotasse in signum dignitatis pastoralis, sed vociferante Marino Diacono & Apostolicæ Sedis Legato, ablatus est ei baculus: indeque ab Apostolicæ Sedis Legatis interrogatus est, an pœniteret, & libellum supplicem offerre paratus esset: quo respondente, ipsos potius Legatos pœnitere debere, ab ipsis Legatis acriter propter illius pertinaciam reprehensus est: Cùmque pariter pertinacea deprehensi fuerint cæteri Episcopi Photiani, Imperator ut eos compelleret, sic eos affatus est: *Dicite unde estis? De Cœlo estis, de Abisso estis, an de terra, in qua nos degimus? Et ostendite hac hora. Quis, sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & salvatus est? Et audio vos hodie. Quatuor Patriarchia, imò verò quinque, condemnatione condemnant vos. Quid vobis videtur ad hæc! est, qui adjuvet vos! dicite.* Illi verò provocantes ad Canones conati sunt judicium subterfugere: at jubentibus Apostolicæ Sedis Legatis, iterum judicium Nicolai Papæ in Romana Synodo contra Photium pronunciatum, recitatum est: recitatæ porrò & Epistolæ quoque Hadriani Papæ, quibus Acta synodalia prælibati Concilii confirmabantur: necnon & synodalia Acta Hadriani, quibus conciliabolum Photii cum omnibus suis Actis execratum fuit, jussumque ut præfata Acta igne cremarentur. Posteà Nicætas Archidiaconus nomine Apostolicæ Sedis Legatorum instititit, ut quæ contra Photium ejusque scripta in commonitorio continebantur, executioni mandarentur: & recitato priùs sermone acclamatorio Ignatii ad Synodum per Stephanum Diaconum & Notarium, lata est in Photium, & ejus sectatores anathematis sententia, eodem Stephano illam ad hunc modum pronunciante.

481 „ Photio Curiali & invasori anathema: Photio sæculari & forensi anathema: Photio Neophito & tyranno anathema: Photio schismatico & damnato anathema: Fabricatori mendaciorum anathema. Inventori perversorum dogmatum anathema: Photio novo Maximo Cynico anathema: Novo Dioscoro anathema: Novo Judæ anathema: omnibus sequentibus, & favoribus ejus anathema. Gregorio dudum Episcopo Syracusano anathema: Eulampio deposito & schismatico anathema.

482 Inde egresso Photio idem Stephanus laudes dixit Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, pronunciavitque acclamatoria verba in Imperatores Basilium, Constantinum, & Leonem, appellans Basilium novum Constantinum, & novum Theodosium, Eudoxiam verò Augustam, novam Judith, novam Elenam, novamque Pulcheriam: sicque in Nico-

laum, & in Hadrianum plura acclamavit, sicut & in Apostolicæ Sedis Legatos, in Vicarios Sedium Patriarchalium Orientis, in Senatum, & in ipsam Sanctissimam Synodum: & dimissa est Actio.

483 At die v. Novem. habita est Act. VIII. In ea namque, Basilio Augusto rogante, & universa annuente Synodo, cremati sunt in vase æneo in medio Patrum constituto omnes Photii Codices, & Acta, & scripta quæcumque, quæ adversùs Sanctissimum Papam Nicolaum scripserat: etiam illa quæ Photio ipso mandante ab aliis exarata fuerant. Inde introducti sunt Petrus & Basilius, quibus impegerat Photius, quasi ipsi Româ Constantinopolim profecti, in suo Conciliabulo adversùs Nicolaum libellos obtulissent. Et quidem Petrus Monachus libellum Apologeticum pro sua defensione coram Patribus exhibuit, tenòris videlicèt sequentis.

484 „ Quoniam exiguitatem nostram „ quidam vestrum opinati sunt adversùs Sanctam Romanam Ecclesiam Libellum dedisse, propterea quia mentio nostra indivulgata conscriptione continebatur, hujus rei gratiâ Imperatoribus rationem redditurus veni, sed & in conspectu vestræ reverentiæ sæpè innocentem exhibens, rursùs & nunc de eadem interrogatus causa, eandem ipsam, quam tunc immutabiliter profero vocem; Quod neque Libellum dedi, neque imperialibus auditibus, molestiam intuli, sed neque Synodo congregatæ, si tamen, congregata est, præstò repertus sum: & profectò confitebuntur ii, qui nomen meum inseruerunt hujusmodi scriptis. Hæc est fiducialis satisfactio mea ad eos qui me dijudicant, & hanc dabo multa confidentia cum munda conscientia, quotiescumque interrogatus extitero; sed vestræ virtutis claritatem obsecro, ut saltem amodò dimittatis me multum fatigatum, precibus vobis oblatis, remeare ad Apostolorum vestigia; Etenim jam usque, reor, placet sapientibus proceribus matris vestræ deprecationibus inclinare auditum, ut per occasionem recedundi, attraham ea, quæ cooperentur animæ meæ salutem.

485 Eo lecto, interrogatus est Basilius, si contra Romanam Ecclesiam Libellum exhibuisset, quo negantes justus est anathema dicere eum, qui Libellum conscripsit; paruitque Basilius, & anathematizavit eum, qui dedit, & scripsit. Inde interrogatus est Leontius quidam cujus nomen inscriptum erat in eodem Libello exhibito contra Romanam Ecclesiam, in qualitate Vicarii Ecclesiæ Alexandrinæ, an & ille præfato Libello reverà subscripsisset: Negante Leontio se subscripsisse, jussus & ipse est anathematizare eum qui scripsit, & exhibuit; quod & fecit: Quibus peractis Legati Apostolicæ Sedis mandarunt recitari Canonem XX. Concilii Lateranensis celebrati sub Martino Papa hujus nominis primo, qui incipit: *Si quis secundum scelerosos hæreticos, quocumque modo, aut verbo, aut tempore*. Eo fine, ut Photius, qui in eundem Canonem multis modis deliquerat, nonnisi in fine vitæ ad pœnitentiam reciperetur. Post cujus lectionis finem Metrophanes Smyrnæ Metropolita sermonem habuit declamatorium in Imperatorem.

486 Ingressi postea sunt Iconomachi, quorum Princeps & antisignanus erat tunc temporia Theodorus quidam Cristhinus, qui interrogatus cum respondisset se Sacras ideò non venerari Imagines, eo quod ea de re non inveniretur aliquod Christi præceptum; responsum est illi, id à Christo esse præceptum, quod ab universa Ecclesia Catholica est definitum: & inde lectum est, jubentibus Apostolicæ Sedis, & cæterarum Sedium Patriarchalium Legatis, Cap. VI. Papæ Nicolai de Imaginibus: Cùmque Theodorus in sua perseveraret iniquitate, Nicætas Clericus & Theophilus laicus pariter Iconomachi pœnitentiam agentes, non tantùm ad Ecclesiam reversi, verùm etiam ab Imperatore osculo excepti suere. Inde anathematizati sunt omnes Iconomachi, & quidam ex eis nominatim, & consuetis habitis acclamationibus absoluta est Actio.

487 Tribus postea elapsis mensibus, diebusque septem, anno Domini DCCCLXX. currente eadem Indictione III. die nimirum XII. mensis Februarii iterum convenientibus Patribus in eadem Sanctæ Sophiæ Ecclesia, celebrata est Actio IX. In qua receptus fuit, lectis prius commendatitiis literis, Legatus seu Vicarius Michaelis Patriarchæ Alexandrini, qui habito sermone ad universam Synodum, professus est se recipere omnia hactenùs in eadem Synodo gesta. Post hæc plurimi jurati testes in Ignatium coram plena Synodo confessi sunt, & pœnitentiam Epitimii, de qua in Actione II. diximus à Legatis Apostolicæ Sedis & universa Synodo sibi impositam receperunt. Porrò suggerentibus Apostolicæ Sedis Legatis, tres Laici illusores Sacerdotii, qui in Urbe Constantinopoli Sacerdotalibus indumentis vestiti per Urbem progressi, & sacra ludicra facere consueverant, introducti sunt, atque ea de re interrogati, confessi sunt, semandato Michaelis Imperatoris id egisse: Et petentibus ad pœnitentiam recipi, responsum est, ut in futura sessione redirent. Denique jussi sunt ingredi Synodum falsi Vicarii, sive Legati illi, quibus contra Nicolaum Papam usus fuerat Photius, qui interrogati, cum planè & spontè falsitatem confiterentur, magna omnium cum admiratione, atque Photii detestatione, finis impositus est eidem Actioni.

488 Intereà duplex Legatio missa est ad Imperatorem Basilium, una à Ludovico II. Occidentis Imperatore, altera à Bulgarorum Re-

Rege: Ille in causa nuptiarum filiæ suæ cum Primogenito Basilii, selecto ad hoc munus obeundum inter alios Anastasio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario, ipsomet testante in proœmio ad VIII Synodum, ubi inquit: „ Igitur cùm hæc celebraretur venerabilis Synodus, accidit, me famulum vestrum missum à Ludovico piissimo Imperatore cum duobus aliis Viris insignibus interesse, ferentē etiam Legationem ab Apostolicis meritis, decorato Præsulatu vestro, causâ nuptialis commercii, quod efficiendum ex filio Imperatoris Basilii, & genitâ præfati Dei cultoris Augusti, ab utraque parte sperabatur simùl & parabatur. In tàm enim pio negotio, & quòd ad utriusq; Imperii unitatem, imò totius Christi Ecclesiæ libertatem pertinère proculdubiò credebatur, præcipuè Summi Pontificis vestri quærebatur assensus. *Hæc Anastasius*. Legatio porrò Regis Bulgarorum ad Ecclesiastica pertinebat negotia, ut nimirum Synodali decreto definiretur, cui subjici immediatè deberet Ecclesia Bulgarica, an Sedi Apostolicæ, an Patriarchę Constantinopolitano, ut in vita Hadriani, innuit idem Anastasius.

489 Itaque Actio x. & ultima habita est die ultima Februarii, consedentibus in ea eum cæteris Patribus, atque Patriciis prælibatis Ludovici, & Michaelis Regis Bulgarorum Legatis; undè in Actis, juxtà versionem Anastasii dicitur: „ Similiter consederunt in dextera parte gloriosissimi Principes, & Apocrisiarii perspicui Ludovici Imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet, Anastasius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ, Suppoprimus Concofaniorum, & consobrinus uxoris ejus, & Ervardus Prępositus Mensæ ipsius; Similiter & gloriosissimi Judices Michaelis sublimissimi Principis Bulgariæ Stasiszerco Borilas Nesundicus Vestrannatabare, Zisunas Campsis, & Alexius Sampsi Hunno. *Hactenus ibi*. At in ea Actione ex suggestione Legatorum Apostolicæ Sedis, omnium primùm recitati sunt per Stephanum Diaconum & Notarium Canones ab universa Synodo subscribendi, numero XXVII., quos summariè recenset Anastasius in Scholiis ad VIII. Synodum, ubi de hac Actione hæc scribit.

490 „ Quod autem pertinet ad res hac Actione gestas, primùm omnium jussi sunt legi Canones à Patribus constituti, omnes numero XXVII., apud Anastasii versionem extantes, quibus in primis Constantinopolitanę Ecclesiæ opportunitatibus consultum est.

I. „ Horum Canon primus est de Apostolorum Pontificum, Patrum, & Ecclesiæ Canonibus, Decretis, & traditionibus ad unguem observandis.

II. „ De perpetuò conservandis quæ à Sanctissimis Romanis Pōtificibus pro Ignatio contra Photium definita essent.

III. „ Ut cultus sacrarum Imaginum firmus consisteret.

IV. „ Utque collata sunt Photio, & ipse in alios contulit sacra ministeria, nullius sint efficaciæ.

V. „ Nè quis Laicus in Episcopalem provehatur dignitatem, nisi in ordine Lectoratus annum unum, duos in Subdiaconatu, in Diaconatu tres, in Presbyteratu autem quatuor exegerit annos.

VI. „ Ut cunctæ res gestæ per Photium, potissimùm in Nicolaum Romanum Pontificem, nullius sint roboris.

VII. „ Nè sacras Imagines anathematizati pingere audeant.

VIII. „ Nè Chirographa ab Episcopis exigantur, nisi ex more, tempore consecrationis. Hac enim arte Photius suam roboravit tyrannidem.

IX. „ Ut extorta per Photium hujusmodi Chirographa, nullius sint roboris.

X. „ Itemque, nè quis ante sententiam separetur à communione proprii Patriarchæ.

XI. „ Anathematizati etiam, ubi sunt omnes cum Photio credentes, duas in uno corpore esse animas.

XII. „ Statutum est etiam istud admodùm Ecclesiæ Dei proficuum, nè favore Principum eligantur Episcopi. Sunt ista Canonis verba: *Apostolicis &c.*

XIII. „ Ut nonnisi qui in eadem Ecclesia militarunt, ad majores gradus promoveantur, & non aliundè petiti.

XIV. „ Nè promoti ad Episcopatum indecentia obsequia exhibeant Magistratibus; nimirum, nè obviam prodeant procùl ab Ecclesiis suis; non se dimittant ab equis, vel mulis, vel procidant & adorent; nec intrent ad Principes horâ prandii, ubi indebita persolvant obsequia, sed veneratione digni habeantur, & qui liberè errantes Principes valeant redarguere.

XV. „ Vetantur omnes decimoquinto Canone alienare Cimelia Ecclesiæ, ornamenta scilicet, Possessiones vendere, vel dare in Emphyteusim.

XVI. „ Decimosexto Canone vehementer prohibetur sacrilegus ille usus à Michaele Imperatore introductus, quo Laici lusus causâ, sacra indumenta gestarent Sacerdotum; de quo sæpè superiùs gravissimis pœnis ejus criminis reos afficientes.

XVII. „ Decimusseptimus sancitur Canon, quo Patriarcharum jura in convocandis Metropolitanis illibata servari vult; execraturque sancta Synodus, omnes dicentes, invalidas esse Synodos, quibus non intersit persona Principis; monens, ut non intersint, nisi Conciliis œcumenicis Principes.

XVIII.

XVIII. Inde statutum est, ut privilegia „ Ecclesiarum conserventur.
XIX. „ Utque visitationes Ecclesiarum sinè omni avaritiæ suspicione peragantur.
XX. „ Itidèm, nè sibi jus dicat Episcopus in rebus Ecclesiasticis.
XXI. „ Vigesimusprimus autem sanctus est Canon de exhibendo honore & reverentiâ omnibus Patriarchis, præcipuè verò Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, de quo speciatim ista: *Neminem debere conscriptiones contrà Sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, atque componere sub occasione, quasi diffamatorum quorundam criminum, quod nuper Photius fecit, & ante Dioscorus*.
XXII. „ De Summorum Sacerdotum electione, promotione, & consecratione Episcoporum.
XXXIII. „ Insuper statutum, à rebus & personis, & sacris Actionibus alienæ Diœcesis quemlibet abstinere debere.
XXIV. „ Item illud: Nè Archiepiscopi per alios suas Ecclesias curent Suffraganeos.
XXV. „ Nè qui hactenùs adhærentes Photio Episcopi consecrati à Methodio, sivè Ignatio, etiam si resipiscant, spem ullam habeant restitutionis Episcopatus.
XXVI. „ Insuper, ut beneficium appellationis ad majores Sedes sit cuique Clerico liberum.
XXVII. „ Ultimo verò loco definitum, nè Episcopi pallio utantur, nisi loco & tempore congruo; & nè Monachi ad Episcopatum assumpti, Monasticum Habitum deponant. *Hactenus Anastasius in notis ad hunc Synodum*.

491 His ergò statutis & comprobatis, recitatus est terminus hujus sanctæ Synodi, in quo factâ commemoratione septem præcedentium œcumenicorum Conciliorum, eorumque adhibitâ confirmatione, ac damnatis atque anathematizatis hæreticis, in præfatis Synodis jam anathematizatis, iterùmque damnato Photio, ac in eum repetitâ sententiâ; novis etiam Manichæis & Iconomachis pronunciato anathemate, consentiente & cuncta recitata approbante universâ sanctâ Synodo, finis impositus est ei. Et posteà, cùm Basilius Imperator binas ad Episcopos & Laicos orationes recitasset, quarum primæ initium: *Licèt manifestè laboraverit Sanctitas vestra*. Secundæ verò: *Multam quidèm vexationem*, Actis Synodicis in quinque discretis voluminibus subscripserunt; & nolente Basilio primo loco subscribi, sed potiùs post universos Episcopos, exemplo Constantini Theodosii, atque Marciani, rogatus à Patribus, subscripsit post Apostolicæ Sedis, & Orientalium Ecclesiarum Patriachalium Legatos. Deindè datæ sunt Literæ Encyclicæ, quarum initium: *Exultate Domino adjutori nostro*; aliæ quoquè literæ, nomine ejusdem Synodi, incipientes: *Opportunum est cum sapientissimo Salomone*, datæ sunt ad Hadrianum Papam, cui pariter scripsit Basilius unà cum filiis compendiosam Epistolam, initium habentem: *Diligentibus Deum cooperari omnia in bonum*.

492 Cęterùm, ut habetur in Hadriani vita, non videtur in ea Actione; Patres subscripsisse, sed fortè posteà; Auctor namque illius vitæ Anastasius, vel quisquis sit, hæc scribit: „ Deniquè gestis salubriter omnibus, quæ in decem Sessionibus Synodi textus complectitur, Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ textum Synodi, nè quid græca levitas falsum in eam congesserit, Anastasio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici Serenissimi nostri Augusti cum Suppone Archiministro post eos Constantinopolim, divina, ut creditur, dispensatione, pervenerat) subtiliter inquirendum, antequàm subscribant, committunt. A' quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissimè perscrutatus, omne, quod ad laudem Serenissimi nostri Cæsaris Sanctissimus Dominus Hadrianus Pontifex in Epistola sui decessoris, Arsenio Episcopo imminente, adjecerat, resecatum inveniunt. Quapropter Epistolam Sedis Apostolicæ, fraudolenter corrosam, summis clamoribus conqueruntur, fatentes se nullo modo Synodalibus Actionibus subscripturos, nisi totius Epistolæ integritas gestis synodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis verò non esse in Synodo de laude Imperatoris, sed solius Dei tractandum altisonè respondentibus, nomenque Imperialis nostro Cęsari penitùs invidentibus, tandèm ad hoc usque perventum est, ut interpositâ conditione voluntatis Apostolicæ, diffinitis sententiis minùs finitè subscriberent, ità legentes: *Ego ille vices agens Domini mei Sanctissimi & universalis Hadriani Papæ in hac sancta Synodo præsidens usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis, ad omnia, ut superiùs legitur, consensi, & manu propriâ subscripsi*. Hactenus ille. Et quidèm ità subscripsisse in ipsis Actis apparet.

493 Accidit quoquè, ut jam synodicis subscriptis Actis, quidam Græcorum, annuente Imperatore, suffurati fuerint complures Libellos satisfactionis ab Episcopis, juxtà formulam Hadriani, exhibitis: Cujus rei causâ conquesti Apostolicæ Sedis Legati, tandèm Anastasii operâ eos recuperarunt; Ità Auctor vitæ Hadriani, inquiens: „ His expletis, quidam Græcorum Imperatorem conveniunt, & Constantinopolitanam Ecclesiam per oblatos Libellos in potestatem Romanam redactam, flebiliter conqueruntur,

„ tur, & dubietate subscriptionum, omnia, „ quæ in Synodo decreta fuerant, revolvenda, cunctaque recidivis erroribus confundenda fatentur; & nisi Libellos reciperent, „ libertatem pristinam se non posse recipere „ fingunt. Et illicò quidam Libellorum à „ Custodibus, quoniam excellentiorum Episcoporum Libellos Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, futurorum præscii, prorsùs „ occuluerant, defraudantur. Ac per hoc „ incredibiliter consternati ipsi Legati, Supponis Archiministri, & Anastasii disertissimi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii fidelissimis auxiliis innituntur. Quibus diverso modo, non sinè magno labore „ periculis imminentibus, Libellos quidèm „ vix tandèm recipiunt; sed Imperatoris iram „ pro nimia suæ districtione fidei vehementer „ incurrunt.

494 Tribus inde elapsis diebus, à subscriptione videlicet Synodalium Actionum, convenientibus Apostolicæ Sedis Legatis, Ignatio Patriarcha, atque Orientis Patriarchalium Sedium Vicariis in Palatio Principis, eo illos advocante, introducti sunt Michaelis Regis Bulgarorum Legati, qui salutatis Legatis Romanæ Sedis, ac literis commendatitiis Regis Michaelis ostensis, postularunt, ut auctoritate Apostolicâ definiretur, cui Ecclesia Bulgarica subjici immediatè oporteret, Romano scilicet Pontifici, vel Constantinopolitano Patriarchæ, ad hoc enim, audito Patrum conventu, se à Michaele Missos, fatentes. Respondentibus Legatis, se jam definisse in Synodo ea, propter quæ definienda fuerant missi. Circà verò præsentem quæstionem, aliter se non posse definire, quam jam definita erat; Ecclesiamque scilicet Bulgaricam Romanæ immediatè subdi Ecclesiæ, cujus operâ catholicam susceperat fidem, & à qua Sacerdotes mitti postulaverat. Reclamarunt Græci; asserentes, ab Imperio Græco Provinciam illam avulsam, Sacerdotesque Græcos in ea semper extitisse, ut etiam Legati Regii interrogati asserebant; proindèque omninò debere Ecclesiæ subjici Constantinopolitanæ: Hinc inter multa, Vicarii Orientales sententiam pronunciarunt in favorem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, arridente Basilio. At reclamantes Apostolicæ Sedis Legati, Apostolicâ auctoritate, latam sententiam, nullam declararunt, ut pariter legitur in Hadriani vita.

495 Cæterùm Basilius, cui gesta Legatorum Apostolicæ Sedis displicuerant, simulavit tunc; eos tamen modico cum honore remisit. Undè Auctor vitæ Hadriani de illorum reversione hæc scribit: „ Sed Imperialis commotio, licèt spem fronte simularet, „ augumentum suscepit. Legatos tamen „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad prandium „ convocans, donis optimis decoravit, eosque Theodosio Spathario, non ea, qua „ congruebat sollicitudine, deducendi gratiâ commendavit, Acodyrcharium usque „ perducti, negligenterque sinè ulla provisione dimissi. *Hæc ille*, qui inde subjungit ea, quæ in itinere sinistra passi sunt, inquiens: „ Post dies aliquot navigantes, in „ Sclavorum deducti manus, proh dolor! „ inciderunt, bonisque omnibus, ac authentico, in quo subscriptiones omnium fuerant, exemplari denudati sunt, ipsique capiti plessi fuissent, nisi ab his, qui ex illis „ aufugerant, sibi timuissent. Tandèm Apostolicis & Imperialibus literis ab exilio liberati, & undecimo Kalendarum Januariarum die, Indictione IV., Romam reversi, „ omnia, quæ superiùs diximus, coràm Sũo „ Summo Pôtifice, ac Proceribus retulerunt, „ nihilque aliud Scripturarum, quàm librum „ Actionis Ignatii, & Libellos, quos à Sclavis receperant, & reliquos Libellos, quos „ Supponi Administro, & Anastasio prudentissimo Bibliothecario Sanctæ Sedis Apostolicæ (cujus præscientiæ sollicitudine „ exemplar amissæ Synodi, quod sibi scribendum impetraverat, Ecclesia Romana „ suscepit, dudùm Constantinopoli commendaverant, ostendere potuerunt. *Hactenus ille*. Doluit Pontifex, & universa gemuit Ecclesia Romana, quòd taliter ab Imperatore dimissi fuerint Legati, & talia eis accidissent in itinere, prout scribit ipse Pontifex in Epistola data ad Basilium & filios, cujus initium est: *Lectis excellentis Imperii vestri literis*, quę extat post Acta VIII. Synodi, in qua etiam admonet, nè Ignatius Patriarcha se ingerat in iis, quæ spectant ad Ecclesiam Bulgaricam, aliàs protestatur Ecclesiasticis censuris, se adversùs Ignatium processurum. Et quoniàm Ignatius in suis ad Hadrianum datis literis, incipientibus: *Lapis, qui de monte abscissus est*, de tribus interrogaverat, de quibus Apostolicæ Sedis Legati nihil definire voluère: nimìrum, quid agendum de Lectoribus à Photio tonsis, cùm essent innumeri; quid de Paulo Cartophylace, an promoveri posset ad Episcopatum; & quid de Theodoro, qui licèt ordinationi Photii, plura tamen pro defensione ipsius tristia, & gravia passus fuerat. Pontifex in eadem, quam scripsit ad Imperatorem Epistola, rescripsit, standum esse definitis per Nicolaum decessorem suum, & per seipsum, nihilque immutaturum, neque declinaturum ad dexteram, vel Sinistram, & non esse apud se, est, & non est. Et hæc satis quo ad gesta in VIII. Synodo.

CA-

CAPUT XVI.

De VIII. *Synodi auctoritate.*

496 Conati sunt Græci Schismatici labefactare hujus sanctæ Synodi auctoritatem, atque proinde à numero œcumenicarum excludere. Et quidem Photius omnium primus in libro de Synodis, septem dumtaxàt priores recenset, hac prorsùs omissa. Sed Nilus Metropolita Rhodi in Libello de Synodis Photio audacior, hac omissa loco ejus substituit Photius Conciliabolum. Et inde Joannes Zonaras, & Theodorus Balsamon in suis Canonum & antiquarum Synodorum collectionibus, eandem Latrocinalem Photii Synodum loco octavę reponunt. Denique Marcus Ephesius in Synodo Florentina sess. VI. ininitio disputans cum Juliano Cardinali, & postulatus, ut VIII. œcumenicæ Synodi Codicem exhiberet, respondit illum non habere, & si aberet nulla necessitate cogi ad exhibendum, quoniam nec œcumenicam fuisse fassus est, nec receptam & approhatam, quin potius per aliam Synodum celebratam sub Joanne Papa fuisse reprobatam, eique anathema dictum, & dici in Ecclesia Constantinopolitana: „ Nulla necessitate cogimur, „ *inquit*, ad connumerandum inter œcumeni- „ cas Synodos aliam Synodum, quę prorsùs „ non est approbata, sed potius reprobata. „ Nam Synodus hæc, de qua loquitur ve- „ stra reverentia, continet Acta adversùs „ Photium temporeJoannis Papæ &Hadriani. „ Postea celebrata est altera Synodus, quæ „ Photium restituit, & priorem Synodum „ abrogavit. Hæc Synodus, quæ octava „ etiam est appellata, facta est sub Joanne Pa- „ pa; cujus Joannis, inqnam, Papæ extant „ pro Photio Epistolæ. Porrò hęc Synodus „ egit etiam de Symboli additamento, di- „ gnumque censuit, quod penitùs expunge- „ retur. Arbitramur autem vos, nec Syno- „ dum, nec Epistolas Joannis Papæ ignorare. „ Cùm igitur Acta illius Synodi rescissa sint, „ justum non est illam quærere, sed potius „ quæ post illam est celebrata. Itaque ex eo „ tempore ad hunc usque diem in Magna „ Constantinopolitana Ecclesia, ità legitur: „ Omnibus quæ adversùs Sanctos Patriarchas „ Photium & Ignatium, scripta vel dicta „ sunt, anathema. *Hactenus Ephesius.*

497 Cum itaque Græci in confirmationem sui Schismatis, hæc & alia mentiantur, nostrum erit demonstrare Sanctam VIII. Synodum œcumenicam nedum fuisse, verum & ut talem habitam, & ab omnibus Catholicis receptam, frustrà contrarium jactantibus Schismaticis. Et quidem Anastasius in primis Sanctæ Romanę Ecclesiæ Bibliothecarius, qui eam de Græco in Latinum vertit sermonem, Auctor illius temporis, & in ultima Actione sedit cum Patribus, in proœmio ad eandem Synodum, & œcumenicam appellat, & talem fuisse pluribus probat. *Facta est*, inquit, *igitur hæc Sacrosancta Synodus, anno Imperii Basilii pii Principis tertiò, quæ universos Patriarchales Thronos, sicut aliarum ulla in eorum locis servantibus Præsules habens, universalis non inconvenienter ab omnibus appellatur. Universalis est enim.* Id quod probat sequentibus rationibus.

498 „ Primò, *inquit*, quia Catholica fi- „ des in ea, & sanctæ leges, quæ non solùm „ à Sacerdotibus, sed & ab universis Chri- „ stianis, coli debent & venerari contra ho- „ stes earum, consona voce defenditur.

„ 499 „ Deiode, quia cum Christus io cor- „ pore suo, quod est Ecclesia, tot Patriar- „ chales Sedes, quot in cujusque mortali cor- „ pore sensus locaverit, profectò nihil gene- „ ralitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes „ unius fuerint voluntatis, sicut nihil deest „ motui corporis, si omnes quinque sensus „ integræ, communisque fuerint sanitatis. „ Inter qnas videlicèt Sedes, quia Romana „ præcellit, noo immerito visui comparatur: „ qui profectò cunctis sensibus prȩeminet acu- „ tior illis existens, & communionem, si- „ cut nullus eorum, cum omnibus ha- „ bens.

500 „ Tertiò, quia cum Photius tot ex- „ cessuum suorum morbo universam Eccle- „ siam maculaverit, universalis curatio ad- „ hibita est, ut totum curaretur, quod to- „ tum fuerat maculatum. Nam tantum hu- „ jus ambitionis pullulavit longè latèque te- „ meritas, ut mox Hierosolymis quidam lai- „ cus nomine Salomon, extemplò Clericus „ factus, fit ordinatus Antistes: quod oun- „ quam factum est etiam ab ipso Jacobo, qui „ primus illic Episcopus extitit; nisi post- „ quam Photius noviter in Clero plantatus, „ & confestim presul factus auditus est. Apud „ Constantinopolim autem nonnulli ex tunc „ laici etiam virtutibus operam tribuebant, „ tantum ut ad hanc sacram possent pertin- „ gere dignitatem; at ubi compotes fieri ne- „ quiverint, mox continentiæ frenis laxatis, „ in suis voluntatibus ire cœperunt, & quod „ non sanctitatis sed avaritiæ cultores existe- „ rent, protinus ostenderunt; adeout diver- „ sis modis à Romanis missis, horum quidam „ obtinere tentaverint, ne regula promulga- „ retur, quæ tunc de non repente sęcularibus „ in Sacerdotium provehendis, in hac eadem „ Synodo promulgata est.

501 „ Præterea penès Alexandriam, & „ Antiochiam in tantum radix hujus pestis „ excrevit, ut à tempore promotionis crebrò „ dicti Photii hactenùs evelli non possit. Nec „ fatendum creditur, quod tunc universalis „ jure diceretur, si pro fide celebrata consi- „ steret; cum & in hac noonulla quæ ad fidem per-

„ pertinent, sint definita, & in cæteris universalibus Conciliis multa disposita inveniantur, quæ ad fidei doctrinam non pertinent, quod non minus in fide, quàm in legis prævaricatione peccent ex Concilio Constantinopolitano Acta: quamvis non minus in sanctas regulas, quàm in Catholicam fidem delinquatur, & Diabolus non pro fidei pravitate, sed ob perversitatem operum perpetuò maneat condemnatus. Nam sicut unicuique sine fide impossibile est placère Deo, ità & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa: Ac per hoc hujuscemodi fidei cultores, sicut scriptum est, confitentur quidem se nosse Deum, factis autem negant: Et ideò sicut rectæ fidei sinceritatem maculantes, ita sanctæ regulam justitiæ violantes, ab omnium sunt unanimitatis æquo libraminc corrigendi, vel certè justà sententià puniendi; sicut è contra non solùm rectæ fidei, verùm etiam sancti operis strenui custodes ab omnibus sunt laudandi, & digna præmiorum Cœlestium sorte ditandi. *Hæc ille*.

502 Et indè, inquiens, quo nomine hæc Synodus nuncupanda sit, subjungit, nec appellandam absolutè Synodum propter nominis universalitatem, neque absolutè dicendam Synodum universalem, quoniam septem aliis Synodis universalibus idem competit nomen: Nec pariter dicendam simpliciter Synodum Constantinopolitanam, propter alias præcedentes Synodos Constantinopolitanas, nec quidem cum adjectione universalis, propter universalitatem aliarum: Nec denique appellandam octavam Synodum Constantinopolitanam œcumenicam, cum sit quarta Constantinopolitana: proindeque concludit, dicens: *Nuncupanda est ergò sine omni contradictione Synodus universalis octava; ut & appellatio, quam cum septem aliis Conciliis sortita est, non celetur, & nomen proprium, quod singulariter possidet, designetur*.

503 Nicætas porrò in vita Ignatii non diffitetur fateri hanc Synodum fuisse œcumenicam, & inter alias œcumenicas eam recipere, licèt doleat quod in contumaces & schismaticos mitius, clementiusque quàm par erat, actum fuerit. Relatis namque compendiosè hujus Synodi gestis, ait: „ Hic ego mihi Synodum jure quodammodo reprehensurus videor: reprehendam autem, & si forstasse audaciùs hoc ipsum judicium. Actiones enim omnes & definitos in ea Canones, perinde ac in aliis septem œcumenicis Synodis, ità in hac quoque ut Sanctos, & à Spiritu Sancto dictatos valdè probo, admittoque. Hoc tantùm in hac octava non laudo, non quod (ut aliqui censent) graviùs commota, duriùs in reos decreverit; sed contra potiùs reprehendenda forsitan sit apud æquum arbitrum, quod multo clementius, quàm oportebat judicarit.

504 in Libello pariter synodico apud Labæum tom. VIII, Concil. pag. 1509. recensetur hæc Synodus sub nomine œcumeniææ: „ Synodus œcumenica VIII., *inquit*, Constantinopoli celebrata; anno tertio piissimorum Imperatorum, Basilii & Constantini: in qua præsentibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Hadriani Archiepiscopi Senioris Romæ, in locum pristinæ dignitatis restitutus est Ignatius: estque judicatum nefaria occupatione solium Patriarchæ tenuisse, & restituendum esse Ignatium. Tum & execratione damnatus Photius: & hoc decretum factum est; consecrationes & promotiones Episcoporum, Clericorum electione ac decreto, & Episcoporum fieri Collegio debere, hæc sancta & universalis Synodus definit & statuit: atque jure promulgavit, neminem Laicorum Principum vel potentum, semet inserere debere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi. *Hactenus ibi*.

505 Et ex eodem Libello Græco Latino, apud eundem Labæum pag. 1510. inter alia hæc leguntur: „ Interim dum ista peraguntur, & Michaele Imperatore divino judicio vita functo, Basilius Christi amans, Magnus Græcorum Imperator declaratur, qui Divino Zelo incensus, ut è Christi Ecclesia omnia scandala eiicerentur, divinam & sacram œcumenicam Synodum in Urbe Constantinopolitana cogi mandavit: in qua præerant præsidentes Hadriani Papæ Romani, Nicolaus enim ad Dominum migraverat, locum tenentes Stephanus, & Donatus Episcopus, & Marinus Diaconus: Constantinopolitanus Patriarcha Ignatius, Papæ Alexandrini locum tenebat Michael Diaconus Chartophylax & Syncellus; Antiocheni Syriæ Nicolai, Thomas Tyri Episcopus, Hierosolymorum Theodosii, Elias Monachus Presbyter, & Syncellus: Basilius & Constantinus piissimi Imperatores. Quæ sancta Synodos sanctas, & œcumenicas septem Synodus, & à longinquo tempore inter ipsas beatos Patres, præconiis instar deprædicans Nicolai, & Hadriani Papæ Romæ synodica confirmavit, & Photium anathemati tradens, quæ in ipsum, & per ipsum, & ab ipso omnia facta tentataque justis Ecclesiasticæ traditionis diffinitionibus rejecit: & sic, ut Dei cultoribus addacet peracta, in dextris sanctæ magnę Salvatoris Christi Ecclesiæ partibus, quàm sapientiam nuncupare didicimus, absoluta est. *Hæc ibi*.

506 Deinde receptam hujusmodi Synodum & approbatam ab Hadriano II. constat ex ejus datis ad Basilium literis incipientibus: *Lectis excellentis Imperii vestri literis*, in quibus inter plura scribit: „ Satis enim nota sunt

„ quæ cum suo Auctore destruximus, & quę „ construenda mandavimus. Ab illis quippe „ Sacratissimis Constitutis, quæ vel Apo- „ stolicæ memoriæ Prædecessor noster Papa „ Nicolaus antea salubriter sanxit, vel nos „ postea dispensatoriè protulimus, nulla mu- „ tatione, vel motione discedemus, aut ad dex- „ tram vel sinistram quoquomodo declinabi- „ mus. Quæ videlicèt jam dudum probavit „ Ecclesia, & immutilata servanda nuper ge- „ stum universale Concilium statuit. Neque „ enim nobis moris est, ut pro libitu proprio „ paternis sanctionibus abutamur: quemad- „ modùm quibusdam, qui apud vos summa „ rerum Ecclesiasticarum gubernacula mode- „ rantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam „ Apostolicæ Sedis decreta proferunt, cum „ vel alios lædere, vel se juvare cupiunt: & „ hæc tunc sub silentio tegunt, quando for- „ tasse contra se, vel pro aliis proponerentur. *Hactenus Hadrianus*.

507 Porrò cæteri Romani Pontifices hanc eandem Synodum cum cæteris œcumenicis anterioribus, semper se recipere professi sunt: Nam in formula professionis fidei, quam Summi Pontifices ante eorum consecrationem, emittere solebant, expressis verbis profitebantur se recipere octavam œcumenicam Synodum. Sic apud Gratianum in corpore juris dist. 16. cap. *Sancta octo*, ubi dicitur: „ San- „ cta octo universalia Concilia, primùm Ni- „ cænum, secundùm Constantinopolita- „ num; tertium Ephesinum, Chalcedonense „ quartum, & quintum item Constantino- „ politanum; Item Constantinopolitanum „ sextum; Item Nicænum septimum; Octa- „ vum quoque Constantinopolitanum, usque „ ad unum apicem immutilata servare, & pa- „ ri honore & veneratione digna habere; & „ quæ prædicaverunt & statuerunt modis om- „ nibus sequi & prædicare: & quæcumque „ condemnaverunt, & ore & corde condem- „ nare profiteor. *Hæc ibi*. Et etiam habetur apud Juonem par. 4. decreti, cap. 132. In præscripta porrò fidei formula emittenda pariter à Summo Pontifice ante ejus Coronationem, à Patribus Concilii Basiliensis in sess. 37. idem pariter habetur: nam sic se habet.

In Nomine Domine, Amen.
In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii & Spiritus Sancti.

508 „ Ego N. electus in Papam, Omni- „ potenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio „ regendam suscipio, & Beato Petro Aposto- „ lorum Principi, corde & ore profiteor, „ quamdiù in hac fragili vita constitutus „ fuero, me firmiter credere & tenère fidem „ Catholicam secundùm traditionem Aposto- „ lorum, Generalium Conciliorum, & allo- „ rum Sanctorum Patrum, maximè autem „ Sanctorum octo Conciliorum universalium, „ videlicèt primi Nicæni, secundi Constan- „ tinopolitani, tertii Ephesini primi, & „ quarti Chalcedonensis, quinti & sexti item „ Constantinopolitani, septimi item Nicęni, „ octavi quoque Constantinopolitani, necnon „ Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, „ Constantiensis, & Basiliensis Generalium Cō- „ ciliorum, & illam fidem usq; ad unum apicē „ immutilatam servare, & usq; ad animam, & „ sanguinem confirmare, defensare, & prædi- „ care; ritumque pariter Sacramentorum Ec- „ clesiasticorum Ecclesiæ traditum, omni- „ modè prosequi & observare. Polliceor etiam „ fideliter laborare pro tuitione fidei Catho- „ licæ, & extirpatione hæresum & errorum, „ reformatione morum, executione, & obser- „ vatione decretorum Constansiensis, & Basi- „ liensis Conciliorum, ac pace in Populo „ Christiano. Juro etiam prosequi celebra- „ tionem Conciliorum Generalium, ac con- „ firmationem electionum, juxta decreta Sa- „ cri Basiliensis Concilii. Hanc autem pro- „ fessionem mea manu subscripsi & tibi „ Omnipotenti Deo, cui in die tremendi ju- „ dicii redditurus sum de hoc, & aliis meis „ operibus rationem, pura mente super Al- „ tare offero, quàm in primo publico Con- „ cistorio solemniter repetam: Datum ut su- „ pra. *Hactenus formula professionis fidei*.

509 Et licèt Acta Concilii Basiliensis in plurimum fuerint reprobata, nec decretum de hac fidei professione à Romanis electis Pontificibus emittenda, sicut alia plura antecedentia constituta, receptum, aut in praxi redactum; attamen ex concepta formula satis constat. VIII. Synodum communi sententia habitam & pro œcumenica fuisse receptam. Extat & antiquior formula professionis fidei emittenda ab iisdem Summis Pontificibus, quam recensent Antonius Augustinus in Epitome Juris Pontificii lib. v. titul. x. cap. 54. Baronius ad annum Domini DCCCLXIX. sub num. 59. Garnerus in libro Diurno Romanorum Pontificum, titul. IX. & Binius in notis ad hanc Synodum, relatus quoque à Labæo eodem tomo VIII. Concil. pag. 1492. Quam formulam nos supra par. 2. cap. 27. num. 837. per extensum recitavimus; in qua pariter Romani Pontifices cum septem Anterioribus Synodis, & octavam hanc se recipere profitebantur. Cujus rei causa minimè dubitari potest, quin semper ab Ecclesia Catholica habita, & recepta fuerit inter œcumenicas.

510 Mentitus proinde est Marcus Ephesius in synodo Florentina sess. VI. dùm fassus est, hanc Synodum, non solùm minimè œcumenicam fuisse, verùm & reprobatam à Joanne VIII. Testatur hoc in ipsa Florentina Synodo Act. VII. propè finem Andreas Rhodi, quem alii Colossensem dicunt, vir aliàs doctissimus, supplens quod omiserat in anteriori sessione Julius Cardinalis; nam, *inquit*: „ Ad illud

verò

„ verò quod dixistis ultimò; ut collecta posterior Synodus condemnaverit Synodum octavam; dico videri hoc omninò improbabile: neque enim improbabilibus rationibus ostendetur oppositum, quod illa Synodus damnaverit; neque enim præerat Romanus Pontifex, aut alius loco ejus: quod si esset, aliqua certè apud Latinos etiam illius Synodi esset memoria: mirum enim Romanam Ecclesiam in pluribus aliis accuratâ utentem diligentiâ in conscribendis & memoriæ mandandis anteactis omnibus, rem hanc adeò necessariam, tamque magni momenti præteriisse. Ad hæc: si, ut dicitia, in illa Synodo auctoritate Joannis Papæ ablata est, & cautum ne particula illa caneretur; qua de causa, non hoc ipsum statuit eo tempore idem Summus Pontifex in ipsa Romana Ecclesia? *Hæc & alias Andreas ibi*.

511 Deinde constat ex literis Joannis VIII. datis ad Photium, & aliis datis ad Imperatores Augustos, solùm approbasse quæ acta erant in Photiana Synodo circa ejusdem Photii restitutionem: protestante Pontifice, quod si quid in ea actum fuerit contra suam perceptionem, se non recipere, quin nullius firmitatis existere judicare: unde in ea quæ est. 250. Epistola ad Photium data, *ait*: „ Nam & ea, quæ pro causa tuæ restitutionis, synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri Legati in eadem Synodo contra Apostolicam præceptionem agerunt, nos non recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis. *Hæc ibi*. In alia porrò, quæ est 251. data ad antefatos Imperatores Augustos, pariter in fine similia scribit, inquiens: „ Nam & ea, quæ pro causa restitutionis Photii Patriarchæ, synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri Legati in eadem Synodo contra Apostolicam præceptionem egerint, nos non recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis. *Hactenus Joannes*. Sed cum infra suo loco hac de re uberiùs agendum sit, satis pro modo.

512 Adversatur porrò huic Synodo Joannes Launojus part. VIII. in ea, quam ad Franciscum Bonum dedit Epistola, ex eo quod Florentina Synodus, quæ primum in lucem prodiit habuerit præfixum nomen VIII. Synodi, quod si Florentina, quæ fuit œcumenica in octavo reposita, est œcumenicarum Synodorum ordine, sequitur ab hoc numero exclusam eam, quæ celebrata fuit in causa depositionis Photii, atque Ignatii restitutione: Verba Launoii sunt: „ Tacère non possum Florentinam Synodum, quæ ex Latinis, & Græcis Antistitibus conflata est, alia providentia gubernatam fuisse. Hæc enim Synodus sub nomine VIII. Synodi cùm primùm in lucem prodiit, Græci & Latini, qui aderant, & qui eam typis mandarunt, nec Synodum, in qua depositus est Photius, nec aliam Synodum, in qua Sedi suæ reddita est Ignatius, ut octavam agnoscunt: qua non agnita, haud mirum est Græcos, & Latinos illos, octavæ Synodi Præsulem nullum agnovisse. *Hæc ille*.

513 Eandem pariter Synodum octavam infirmare conatus est Aimonius quidam Monachus, si talia fuit, quoniam non certò constat quis fuerit, apud Pithæum in præfatione ad Micellam historiam, & in Annalibus Bertinianis: eo quod afferat in ea, contra priora sanctarum œcumenicarum Synodorum constituta, de veneratione & cultu Sacrarum Imaginum, plura decreta fuisse: „ Hadrianus Papa, *inquit*, secundùm quod Nicolaus decessor ejus disposuerat, missos suos, Donatum scilicèt Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum & Marinum Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad Basilium Imperatorem & ad filios ejus Constantinum, & Leonem Augustos, Constantinopolim direxit: cum quibus, & Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis, utriusque linguæ peritus, perrexit; & Synodo congregata (quam octavam universalem Synodum illùc convenientes appellarunt) Exortum schisma de Ignatii depositione, & Photii ordinatione sedaverunt, Photium anathematizantes, & Ignatium restituentes. In qua Synodo de Imaginibus adorandis, aliter quam Orthodoxi Doctores ante definierant, statuerunt; quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de Imaginibus adorandis annuit; & quædam contra antiquos Canones, & contra ipsam Synodum constituerunt, sicut qui eamdem Synodum legerit, patenter inveniet. *Hæc ille*.

514 Denique, quidam alii adversùs præfatam sanctam Synodum producunt inconstantiam Catholicorum Scriptorum, non uniformiter de ea scribentium, tam circa personas, quàm circa ipsas Synodos de Photio & Ignatio habitas, confundentium duas in unam. Item proferunt exiguum numerum Patrum, qui ei interfuerunt, non sufficientem ad hoc ut una Synodus nomen mereatur œcumenicæ, &c.

515 Ad primùm dicimus verum esse Synodum Florentinam sub nomine VIII. Synodi primùm in lucem prodiisse operâ Abrahami Cretensis sua quidem sponte, nullo interveniente Concilii decreto: & qua de causa, nescitur: nam certum est, quod Synodo Florentinæ nullo pacto competere potest nomen octavæ Synodi, etiam si excluderetur VIII. Constantinopolitana, quoniam satis constat post septimam Synodum, & ante Florentinam diversas alias celebratas œcumenicas Synodos. Hinc Baronius ad annum Domini DCCCLXIX. sub num. 64. hæc habet: „ Cum au-

„ autem hoc statu de octava Synodo oecumenica comprobata, & nunquam rescissa, „ monstrata Acta illa Concilii Florentini remansissent, magnâ Interpretis temeritate „ & audaciâ, sicut & imperitiâ factum est; „ (fuit is Abraham Cretensis) ut eidem Concilio Florentino inditum illud sit nomen, „ ut octava Synodus nominetur, cùm id factum decreto ipsius Synodi dici non possit, „ sicut nec debuit; cùm nulla ratio subsit, ut „ illa dici queat octava, eum locum in ordine numeri vendicante sibi hac ipsâ legitimà octavâ, eâdemque oecumenicâ celebratâ sub Hadriano, dictâ jure Constantinopolitanâ octavâ, quam, ut audisti, unà „ cum aliis oecumenicis profiteri solerent „ omnes electi Romani Pontifices consecrandi, ut antiquata nullo modo dici possit „ quae per singulos successores Romanos Pontifices solemni ritu, professione fidei innovaretur. Cùm igitur nec in Florentinae „ Synodi Decretis, vel Actis, nec in Eugenii Papae Diplomatibus de ipsa datis, Concilium illud octavum ut dicatur, eautum „ aliquo modo inveniatur, Interpretis Abrahami explodenda omninò, penitùsque temeritas est, qui eidem octavae Synodi nomen perperàm indidit. Cùm alioquì, & si „ haec, de qua agimus, octava Synodus (quòd „ dicere sacrilegium est) fuisset abolita, adhùc tamen nec Florentino Concilio illa „ nota numeri competit, ut dicatur octavum, cùm plures aliae ante ipsum celebratae inveniantur Synodi oecumenicae. *Hactenus Baronius*. Levi ergò fundamento utitur Launojus pro infirmanda octava Synodo.

516 Ad secundum verò Matthaeus Raderus in Scholiis ad hanc octavam Synodum, Aimonium illum, vel quisquis sit Auctor, fuisse Iconomachum & sacrilegum, atque impudentissimum mendacium esse, in octava Synodo aliter de sacris Imaginibus decretum esse, quàm anteà Orthodoxi definierint: *Qui enim erant illi orthodoxi*, inquit, *huic Monacho, nisi Iconomachi & Iconoclastae? Nonnè idem est definitum in octava Synodo de Imaginibus colendis, quod anteà in secunda Nicaena, quae fuit septima oecumenica, quam Romana semper, & Graeca aequè catholica, ac schismatica Ecclesia sacrosanctam habuit, erat definitum?* Hactenùs Raderus; idem & Baronius tradit, afferens, hunc Aimonem fuisse unum ex illis Gallis, qui negabant cultum sanctarum Imaginum.

517 Auctoribus porrò variantibus, meritò est ignoscendum, ait Raderus, eùm hactenus codicibus & exemplaribus octavae Synodi caruerint, cùm tot praesertim in una causa Concilia, quae octavum sibi nomen usurpabant, fuissent habita. Tametsi in re erret nemo, sed in numero dumtaxàt Episcoporum, omnes enim fatentur, illam esse legitimam, qua restitutus est Ignatius, & Pseudopatriarcha Photius dejectus; Sed Photianum illud sacrilegum sub Joanne VIII. celebratum, à Photio corruptum multis imposuit, cùm exemplaria adhùc deessent, & titulus esset speciosus. Subjungit inde, inquiens: „ Ego saně simùl ac Graecum Codicem illius Photiani Concilii legi, tuli damnationis in „ illum sententiam, quòd statim animadverterem plurima in illo penitùs corrupta, „ repugnare priori oecumenicae Synodi octavae; eàque de re ad Jacobum Gretserum, „ priusquàm decimus Tomus Annalium Baronii appareret, perscripsi: Sed nimirum „ improbissimus Photius has, huic octavę Synodo oecumenicae, legitimae, ac germanae, „ tenebras offudit, quas ingressi posteà Schismatici Photiani, pro luce coluerunt, cùm „ illud in sua Ecclesia dictum celebrarent: „ *Quaecumque in Sanctos Patriarchas Ignatium, & Photium scripta, vel dicta sunt*, „ *anathema sunto*. Hoc Schismaticorum fuit anathema, non Catholicorum. *Hactenus ille*.

518 Circà verò paucitatem numeri Episcoporum, responderi potest eum Anastasio, apud Baronium ad praecitatum Annum, dicente: „ Non te scandalizet subscribentium „ paucitas, quià dùm Photius diù tyrannidem exercuisset, & penè omnes à piis „ decessoribus suis sacratos deposuisset, & „ in loca eorum, fautores suos tantummodò „ provexisset, quorum nullus in hac Synodo „ receptus est: isti soli ex priorum Patriarcharum consecratione superstites sunt inventi. Verùm quotquot sub Nicolao, & „ Hadriano Sanctissimis Pontificibus Episcopi fuerunt, huic Synodò consenserunt, licet haec paucitas illi gregi pro sui justitia „ comparetur, cui Dominus dixit: *Nolite* „ *timere pusillus grex*. Haec Anastasius; & subdit Baronius sub num. 58. *Ità planè sancta, quae in Spiritu Sancto congregata est Synodus, pura atque sincera, non affectans numerosam Episcoporum subscriptionem, ut Photius, qui, quae voluit, apposuit suis conventiculis mentita nomina Episcoporum*. Et haec satis de VIII. oecumenica Synodo.

CAPUT XVII.

De gestis Photii post Synodum, ejus literis, atque exilio, & de Hadriani Papae obitu.

519 ABsolutâ Synodo, Photius, licèt execratus, damnatus, atque anathematizatus, impoenitens, & pertinax, ad maledicta animum convertit, & sanctam oecumenicam Synodum, à qua justissimam damnationis sententiam acceperat, contumeliosis affecit verbis, ut in ejus Epistola da-

data ad Michaelem Metropolitam Mytilenum apparet, quæ ità se habet.

Photius Michaeli Metropolitanæ Mytilenæ.

520 „ Quemadmodùm Discipulos Domini, dùm Judæorum conciliabolum, Christo exosum, è sua Synagoga ejecit, ipsos eò magis Præceptori suo & Domino junxit, & chariorem illis effecit; ità etiam nunc isti Judæorum, qui nos Apostolorum æmulos è Synagoga ejecerunt sua: Nos quidèm divinis illis Apostolis Divini Verbi spectatoribus magis conjunxerunt & applicuerunt; malorum enim communio & consortium perspicaciorem reddidit & arctiorem tùm vitæ, tùm fidei conjunctionem: Illi verò contrà seipsos ab Apostolorum doctrina, & à nostra recta fide, quinimmò à Christianorum nomine & conversatione suam ipsorum sortem miserè & perditè omninò segregarunt, & se unà cum Judæis præcipites dederunt, quos sunt imitati quod ad Christi necem & interitum pertinent. *Hactenus Epistola*, apud Baronium ad Annum Domini DCCCLXX. sub num. 53.

521 Intereà Imperator timens, nè Photii adhùc in sua perseverantis perfidia, in Regia Urbe præsentia, satis ex ante actis expertus, novos excitaret tumultus, & Ecclesiæ illius status iterùm turbaretur, prudenti inito consilio, pessimum atque obstinatum hominem in exilium amandari jussit; indeque compluria, dura, asperaque in amicos, affines, eosque, qui illius adhærebant pravitati, exercère fecit; compluribus quoquè illorum in exilium deportatis: Itemque omnia illius gesta rescissa sunt, Ecclesiæ ab ipso consecratæ, velut ab indigno Sacerdote, profanatæ & dirutæ sunt, atque in illius odium plura infesta, turbâ ipsâ populari tumultuante, sunt patrata. De quibus conqueritur Photius, & qui duriora injustè egerat in sanctissimum Patriarcham Ignatium, justa adversum se acta sustinere minimè patitur; quapropter dolens & merens, scripsit ad Michaelem Protosphatarium sequentem Epistolam.

Photius Michaeli Protosphatario.

522 „ Corpus morbis, animus passionibus, tota vita obtrectationibus hominum afflicta est. Amicorum incommoda sollicitant, servorum cruciatus, plagæ, captivitates, consanguinei gravibus minis distracti, rerum necessariarum privationes, direptiones librorum, vastationes sacrarum ædium, quas propitiatorium scimus, item psallentium, legentium, in omnibus Divinis ministrantium. In omnes domus acerbæ sententiæ & decreta, nè quisquam appropinquet, ut ad nos veniat. Quid commemorem quotidianas quæstiones, ac disceptationes & judicia & damnationes, ubi nec ullus testis, nec Judex, nec accusator quidèm non solùm in nos, sed etiam in amicos, & cognatos, & famulos, in omnes deniquè, in quos irruit meditatio, studiumque, & excogitatio in perniciem nostram? Quòd si defecerunt scrutantes scrutinio, hoc nec illorum sententiæ est, nec nostræ virtutis, sed profundæ, & excelsæ humanitatis Dei, ex qua sola pendemus, & in qua salus hujus vitæ jactamur, tot tantisque obruti fluctibus pro cognatis, pro amicis, pro famulis, pro psallentibus, pro omni consolatione humana. Quid? Milites, & Custodia, & Tribuni, & Vicarii, & Cohortes militares circumsident. Quomodò igitur anima tot malorum falcibus dirempta, è corpore non erupit, & fugit? Hoc & nos in consilii inopiam, anxietatemque redigit. *Hactenus Photii Epistola*. Scripsit & aliam ad Tharasium fratrem perbrevem Epistolam ad hunc modum.

523 „ Calamitatis vigor nunc est, ac malum gliscit, nec ullum est præter Deum, ac illam spem, solatium. Insidiæ verò & minæ, & terrores leviora ostendunt, quæ anteà experti sumus. Quis horum finis? Mors fortasse, quam ipsi in nos parturiunt, vel eos ab ulciscendo, ac puniendo, vel nos ab ærumnis abducens. *Hæc Photius ad Tharasium*. Sed & ad Joannem Heracleæ Episcopum eàdem de causa exilium patientem, fecit hujus tenoris literas.

524 „ Lamentaris tuas res, quòd ignoras nostras. Quòd si ea, quæ perpetimur, scires, quæque certamina quotidiè subimus, desinere puto tuas enumerare, ac deplorare calamitates; Nam & ingentes tonitruum sonos, postquàm auribus majores fragores inciderint, sinè molestia, magis quàm ante ferre assuevimus. Quid igitur facere oportet, nisi toleranter cum his, quæ acciderint, confligari? Accuratè scientes, sicut quidèm divinæ, sacræque literæ testificantur, quòd hæc vita non est braviorum, ac præmiorum, sed certaminum, laborum, luctarum; honores, & coronas ac fruitionem illic quærere consuevit: Illic (nisi hoc dicere magnum est) Dei benignitate invenimus. *Ità Photius*; qui & ad suos Monachos, quos aliorum calamitas in solitudinem redegerat, literas fecit, Arsenio directas, quibus valdè eos reprehendit secessione, & fugâ, & quasi ad omnia inutiles declarat, scribens ad hunc modum.

Photius Arsenio Monacho, & quietam vitam agenti.

525 „ Quid scribam? Evanuit oratio, „ evanuit hominum virtus, evanuit etiam „ in Deum fiducia, & virorum illorum deserta est jam vita, & inopiâ laborat, qui „ supernam providentiam ad hæc, quæ in „ terris aguntur prospicienda, alliciant. „ Evanuit tandèm justitia, sed quomodò id „ dicere valeam? Nollem enim hoc ipsum „ affirmare, quòd ipsa dormit iniquitas. Etenim valdè tumet, & legum neque divinarum, nec humanarum ulla est ratio. Homines verò, qui veterem illam virtutem „ sectantur, quoscumque vel vincula, vel „ carceres non detinent, vel exilia, vel deportationes, in montibus seipsos abdentes, „ quasi prætextu quodam hac communi calamitate utentes, ipsi quidèm longissimè ab „ hujus Mundi tempestatibus absunt, & nullum eorum, qui in ipso naufragium patiuntur, & undis merguntur, curam habent. Nec enim manus suas ad Deum erigunt, ut ipsum placent, nec illud unà „ cum Moyse loquuntur: *Aut dimitte eis* „ *hanc noxam*, & quæ sequuntur voces mirabilis charitatis, & fiduciâ plenæ; neque „ solutionem malorum intolerabilium, quibus ipsorum cognati opprimuntur, à Deo „ postulant. Si autem ego mentior, cùm „ hæc affirmo, vestrùm erit me arguere, sicut „ meum adduci, ut credam, & libenter errorem meum fatear, dummodò æterna sequatur lætitia. *Hactenus Epistola*.

526 Deindè admodùm superbè, licet in eodem exilio constitutus, scripsit ad Paulum quondàm Cæsareæ Archiepiscopum suę olim communionis, alienum tunc ab eo, qui pœnitentiâ ductus, oblato Libello, ad Catholicorum Castra confugerat. Scripsit quoquè & ad Gregorium Syracusanum, quater jam excommunicatum, cui & pro justitia se pati fatetur, in nullo peccante, Ecclesiamque Dei diram tunc pati persecutionem, se & suos pro Christo talia perpeti. Sed accipe primum, quam ad Paulum dedit.

Photius Paulo quondàm Archiepiscopo Cæsareæ in apostasium lapso.

527 „ Arcadiam à me petis, diceret aliquis, qui proverbiis & dicteriis delectatur, „ & valdè meritò: *Ego verè tibi dabo non ea, quæ ex curru*, ut fertur proverbio; neq; illud „ Scytharum dictum: sed potiùs quæ veritas „ dicere consuevit. Quòd scilicet, malus „ fuisti amicis, & divini dogmatis proditor, „ & tuæ confessionis hostis. Deindè quæris: „ quanam de causa pii homines te, ut impium aversentur; neque communi & consuetâ salutatione te dignum ducant. Ob „ qualem te (ut par est) dicam? Metuunt „ non immeritò, vel per salutationem tuis „ pravis operibus homines tecum communicaro. *Hæc ille*, valdè astutè fingens, se priùs à Paulo literas accepisse, quas nunquàm acceperat. Sed quid scribat ad perfidum Gregorium, videamus.

528 „ Quæ ad consummationem Ecclesiæ Dei, *ait*, vestra sacerdotalis agit sanctitas, in hjs mediocritas nostra jam pridèm, atque ab initio vobiscum sentit. Itaquè non indigetis de his assiduâ commonefactione, maximè verò nunc, cùm clariùs „ quavis voce, & perfectiùs nos invicem de „ rebus nostris edocent, inque unam, eandemque adducunt sententiam, tùm communis ob Christum persecutio, tùm communia, atque inaudita & omnibus fæculis „ inenarrabilia mala, in quibus decertare „ propter Dominicorum mandatorum conservationem, & custodiam nobis pręcipitur. „ Intende igitur, & prosperè procede, manus „ imponens, & sacra perficiens, Gregem „ Christi augens, ac multiplicans, veneranda „ Templa extruens, & consecrans, præsertim „ his temporibus, in quibus & Sacerdotes, „ & Sacerdotium ex parte quidèm illorum „ ter infidelium conticuit, atque ex hominibus sublatum est. Solitudo & vastitas „ Romanam Rempublicam occupat pro Superiore Ordinis pulchritudine. Res Christianorum à fundamentis eversæ sunt. Quibus quis alius Jeremias dignè ingemiscat? „ Quis suis lamentationibus possit tantæ solitudinis tragicæ explicare, & ostendere „ magnitudinem? Sed hæc quidem etiam tacendo clamant. Tu verò mihi alioqui vale; „ & pro nostra mediocritate ora. *Hæc ad Gregorium Photius*.

529 Cùmque intereà temporis contigerit Civitatem Constantinopolitanam gravi concuti terręmotu, Photius occasionem est aucupatus, asserendi, talia propter nuper adversùm se, suosque injustè acta evenisse; proindèque Deo maximas gratias reddi de suo debere exilio, quasi ob id eum permiserit Deus exulare, ut sicut innocens Loth subtractus ab Angelo ab incendio Sodomæ, ipse à ruina subduceretur periclitantis Civitatis: de qua re literas fecit ad Gregorium Diaconum & Carthularium, ità scribens.

530 „ Si qua laudum, si qua gratiarum „ actio jam ego ex tota anima dedico Deo, „ quòd me talibus temporibus hominibus „ præesse non concessit, nè oculis cladem incomparabilem & incessabilem viderem, ubi „ sepulchrum est pro Civitate Constantini „ solium, lamentatio verò pro psalmodia, „ non solùm Domos, sed etiam Ecclesias tenet, illis quidèm totis ad solum usque „ eversis, spectaculum miserabile, & ad enarrandum fide majùs, his verò ex magna parte dirutis; ut nullam vim, & casum majo-

rem

„ rem superare potuerint; utque ipsa etiam „ terra intollerabili motu, & quassatione in „ multas partes crepuerit, & omnes à sæcu- „ lo Civitatis clades magnitudine malorum „ vicerit. Non enim meos casus tantùm in- „ tueor, ut eos mea cura, & solitudo respi- „ cit. Cùm verò trepidare necesse erat, ob „ quæ ab aliis precabatur, ac ob illorum ca- „ lamitates amariùs ingemiscere, ac timerè, „ nè quandò ob communia scelera & flagitia, „ commune cum aliis supplicium, cum ipsis „ videremur præesse, unà perferre damnare- „ mur, quibus omnibus, non humana qui- „ dèm, ut existimarunt, consilia, sed Deus „ gratiâ & humanitate suâ nos liberavit. *Hactenus Epistola*, quæ & cum aliis suprà recensitis extat apud Baronium ad Annum DCCCLXX.

531 Cæterùm aliter ominatus est Nicetas in Ignatii vita, ac Photius: talia enim evenisse fatetur in præsagium futuri mali patrandi ab eodem Photio, nondùm planè, ut par erat, exterminato, & juxtà Apostolicos Canones damnato, ex nimia Patrum, vel Romanorum Pontificum clementia: „ Sed ma- „ jùs isto argumentum erat, *ait Nicetas*, ter- „ rificus planè, qui eâdem tempestate nono „ Januarii accidit, terræ tremor, quo multa „ Templa, plurimæ porticus, ædificiaque „ conciderunt. Hominum ac jumentorum „ tanta strages edita est, quãta verbis exprimi „ nullis potest. Quin & Ipsum Sophiæ Au- „ gustum Dei Templum multis in partibus „ concussum, nisi cura singularis Principum „ antevertisset, ruinæ periculum adiisset. „ Atque hæc ante Synodum evenère.

532 „ Post Synodum verò, mense Octo- „ bri jam ineunte, repentè tantus venit tur- „ bo, tantaque ingruit procella, ut multa „ Templa, multaque Palatia, atque ipsius „ etiam Patriarchii plumbeum tectum, instar „ membranæ convolutum, in terram dejece- „ rit; Imò & Obelisci in Hippodromo te- „ tragoni ex perpetuo lapide facti aheneus, „ turbo, seù strobilus ingenti pondere co- „ lumnæ impositus, procùl ejectus & elisus „ est. Nec vana sunt hæc, quæ tùm accide- „ runt, fuere prodigia, sed futuri motus, & „ perturbationis per architectum turbarum „ Dæmonem Ecclesiæ impendentis aperta si- „ gna & argumenta. Quæ fortassè evenissent „ nunquàm, si causam Photii Synodus ex „ Decreto Apostolico, ut est dictum, deci- „ disset. *Hæc Nicetas*.

533 Porrò ægrè ferebat Photius exilii incommoda, immemor eorum, quæ suâ arte & operâ, & valdè majorum, coactus fuerat pati beatissimus Ignatius, ipso longè crudelior in Ignatium fuerat, ac Ignatius & Principes, & Patres in eum. Sed constanter Ignatius, quia pro justitia, pro Deo, pro Ecclesia, & pro anima universâ, & valdè atrociora sustinuit; mitiora tamen, etsi justissima, imò demeritis Imparia, insupportabilia videbantur Photio, quibus factus impatiens, conatus est animum Imperatoris mulcère, atque ad sui, suorumque commiserationem movère, datis ad eum literis tenoris sequentis.

Piissimo & Magno Imperatori Basilio.

534 „ Audi, humanissime Imperator. „ Non objicio nunc veterem amicitiam, nec „ tremendum jusjurandum & pacta, non „ conventionem, non impositionem manuum „ ad imperium, non quod ad nostras manus „ accedens, tremenda & purissima participa- „ sti mysteria; non vinculum, quo nos egre- „ gii filii adoptio adstrinxit. Nihil horum „ dico, sed communia hominum tibi præ- „ tendo jura. Omnes enim & Barbari & „ Græci, quos morte damnant, eos educunt „ è vita; quos autem vivere sinunt, non co- „ gunt fame, & quampluribus aliis malis „ emòri. Nos verò vitam vivimus morte „ acerbiorem. Captivi facti sumus, & om- „ nibus privati cognatis, ministris, familia- „ ribus, omni deniquè humano cultu. Et „ quidèm Divinus Paulus, cùm in vinculis „ circumduceretur, amicorum & necessario- „ rum officiis frui non prohibebatur; & cùm „ ad mortem duceretur, humanam à Paga- „ nis Christi hostibus consequebatur man- „ suetudinem. At fortassè longum tempus, „ si non Sacerdotes Dei, at certè aliquos fon- „ tes talia passos demonstrat.

535 „ Etiam libris privati sumus: no- „ vum hoc & inopinatum, ac nova in nos ex- „ cogitata pœna. Ut quid fiat? Ut nè au- „ diamus verbum Domini. Non accidat in „ Regno tuo, hanc execrationem impleri: „ *Quia erit in diebus illis fames non panis*, „ *sed fames audiendi verbum Domini*. Cùr „ enim adempti à nobis libri sunt? Si enim „ injuriam facimus, plures oportebat dari, „ & quidèm addi etiam docentes, ut legen- „ do, magis juvaremur, & redarguti, corri- „ geremur. Si verò nulli injurii sumus, cùr „ injuriam accipimus? Nemo hoc orthodo- „ xorum, nè ab iis quidèm, qui alia senti- „ rent, passus est; Athanasius multis certa- „ minibus clarus, solo sæpè & ab Hæreticis, „ & à Paganis expulsus est, sed nemo eum „ amissione librorum damnavit. Admirabilis „ Eustachius pares insidias ab Arianis fonti- „ bus pertulit; verùm non ab eo, ut à nobis „ ablati sunt libri. Paulus Confessor, Joan- „ nes Chrysostomus, Flavianus divinus vir, „ aliique innumerabiles. Quid enim opor- „ tet eos numerare, quos Cœlorum liber de- „ scriptus habet? Sed cùr commemoro or- „ thodoxos, sanctosque Episcopos? Euse- „ bium, Theognin, cumque his alios ho- „ mines hæreticos, quos Magnus Constan- „ tinus exules propter ipsorum impietatem,

& sen-

„ & sententiæ inconstantiam fecit; at nec „ bonis suis eos exuit, nec libris mulctavit. „ Pudebat enim à literis eos, & à ratione arcère, quos, quia contrà rationem egissent, „ exilio damnarat. Nestorius impius in exilium mittitur, & Dioscorus, & Petrus infœlix, Severus, multique alii: at nemo „ eorum, librorum captivitatem pertulit. Sed „ cùr dico vetera? Leonem impium, multi „ eorum, qui etiam superstites sunt, sciunt, „ belluarum magis, quàm hominis naturam „ exhibuisse. Hic verò magnum illum virum ac verè victorem Nicephorum, cùm „ è solio expelleret, nullo modo exulem „ suorum librorum fecit; at nè fame quidèm „ necavit, quomodò nos interimimur, & ille „ quidèm non minùs egregii Athletæ mortem optabat, quàm imperii sui, in quo impiè agebat, diuturnam propagationem; „ attamèn nomen homicidæ nè haberet, ca„ vebat.

536 „ Nec verò carnes ministrorum illius, latronum ac proditorum more discerpsit, quamvis impius cæteroqui esset, „ crudelitatemque spiraret, non cognatorum „ congressu prohibuit, non bonorum damnum irrogavit, reverebatur enim Christianismum, & crudelitatem Paganorum certo more exercebat; nam illi perimebant „ Martyres, nec tamen prohibebant, quominùs domesticorum, ac necessariorum officiis atque opibus juvarentur. Non ille „ psalmodias interscidit, sed & multorum „ Monachorum cœtum, qui solatio esset, „ concedebat. Non ædes sacras, Templaque Dei ab eo consecrata evertit; pudebat „ enim eum, ut existimabat, cùm hominem offenderet, Deo opera dicata labesfactare.

537 „ At in nos, hei mihi! nova omnia, „ tragœdiamque exuperantia. Captivi sumus, amicorum solitudo est, & consanguineorum, & ministrorum psallentium „ Monachorum; pro amicis verò, pro consanguineis, pro Monachis, pro psallentibus, „ pro omnibus denique Custodiæ Militum, „ & militaribus Cohortibus addicti sumus. „ Sacræ Dei ædes dirutæ sunt, lacerata pauperum corpora, expulsa, eorumque bona „ publicata tanquàm hostium manubiæ. „ Quamobrèm? Ut nos cruciemur, & abnegemur, & valdè quidèm acerbè fuimus „ anxii. Nostrorum enim propitiatio peccatorum, ipsi eorumque curatores Deo dicati erant. At videre oportebat, nè quandò Deus, qui sic mulctabatur, nobis magis condoleret; Si quidèm ipse res pauperum pro propriis habet. Et corporum sanè pœnas leges Romanorum in eos excogitarunt, qui in maleficio deprehensi sunt „ ad animorum expurgationem: pœnas autem animæ & insidias, nè auditu quidèm „ adhùc accepimus, ab ullis hominibus excerceri, tametsi nunc id experiendo discimus. „ Nam apertè hoc, librorum demptio facit, „ & redemptionis peccatorum eversio: illud enim contemplationis obtutum extinguit & corrumpit, hoc verò præstantissimam omnium actionem pertrahit, & solvit. Quis à sæculo audivit, in animas humanas bellum ab hominibus excogitari? „ Non enim satis ad omnē hauriendam iram „ corporis supplicia, exilium & captivitas, „ & fames & custodia, & quotidiè illata „ mors, quæ in eo tantùm homini parcit, „ quod dolorum non adimit sensum, quia „ acerbissimum est mortis aculeus, & cruciatus intollerabilis, ut & mortis subeamus „ vim, & ipsâ morte ærumnarum liberatio „ non sit, quod ut in tanto malo solum est „ morientium solatium.

538 „ Si tua te conscientia purgat, & „ crimine liberat, adde in nos alia, si quid „ fortè prætermissum est; si condemnat, „ noli illam damnationem expectare, cùm „ erit pœnitentia inutilis. Ego sanè novas „ fortasse has preces tibi adhibeo, sed ob res „ maximè novas. His, Imperator, malis statue finem quomodò vis; vel nos celeriter „ è vita non cum multa hac, & inenarrabili „ maceratione educens, vel molestiarum inexuperabilem magnitudinem reprimens. „ Memento tandèm nos gerere carnem, & „ Reges, & privatos ejusdemque naturæ communione jungi. Memento, eundem nos „ habere Dominum, & Plasmatorem, & communem Judicem. Cùr æquitatem tuam „ mala nobis infligendo redarguis? Cùr „ benignitati tuæ nobis obtrectando, crimen „ infers? Cùr autem humanitatem ira in nos, „ atque acerbitate in simulationem & speciem mansuetudinis detrahis?

539 „ Non petimus thronos & gloriam, „ non fœlicitatem, & voluptates, sed ea petimus, quæ & vinctis præbentur, quæ nec „ captivi non impetrant, quæ etiam Barbari „ humanitate ducti, vinctis concedunt; Nam „ eò redactæ sunt res meæ, ut talia ab Imperatore postulem orto è Romanorum humanissimo genere. Quid igitur peto? Nè vitam morte graviorem vivam, aut ut citiùs „ corpore liberer. Exoret te tua natura: „ reverere communes hominum leges; reverere Imperii Romani jura communia; „ nec patere invitam induci narrationem novam, Imperatorem nempè, qui æquitatem & humanitatem profiteatur; qui Episcopum amicum fecerit, & liberorum suorum unà secum parentem, à quo & ipse & „ Regina unctione Regni uncti sunt, ac dignitatem induerunt, à quo valdè dilectus est, qui cùm tremendam jusjurandi „ fidem sanxit, quem peramare & diligere „ omnibus ostenderat; eundem exilio & „ amarâ fame à se damnatum, & innumeris aliis malis consumptum pro ipso oran-

tem

tem morti demiſiſſe. *Hactenus Epiſtola Photii.*

540 At, Imperatore Photii verba minimè attendente, nihilque de ſancitis moderante, iterum & aliam ſcripſit ejuſdem argumenti, breviorem tamen, ſed fruſtrà: proinde aliam ingreſſus viam, ſciens Bahanem Patricium, Proconſulem & Præpoſitum, plurimùm apud Principem & proceres prævalere, & ſibi, licèt occultè, maximè addictum, ad hunc ſcribere animum adjecit, eo fine, ut omnia per eundem Patricium & Principi & Magiſtratibus patefierent. Sed quid ſcripſit audiamus.

541 „ Fuit olim Romanis, ſed & Græ„ cis (quid enim dicere oportet Chriſtianis? „ Cum inimiciſſimis nedum cum benemeri„ tis terminus, ac modus ſtatutus malè agen„ di. Novit & gens Barbara non prætergre„ di ſuppliciorum leges, ac multas ferarum, „ ajunt, quaſi vereri ac reprimere ſe adver„ sùs eos, qui in extremis jacent nec ferinum „ ingenium oſtendere. Nos verò, ò viri, „ aliis quidem factis veſtris, humaniſſimi, & „ ex ægritudine jacemus, & medicum mor„ bus requirit, & dies jam triginta, morbo „ protelati ſunt, ac ſæpè orarunt vos multi, „ medico aditus concederetur. At verò, ò „ naturam hominum, ò Romanorum leges, „ & Chriſtianorum nomen, ubi terrarum „ eſtis? Nemo vos exoravit: ac nos quidem „ Barbaros, vos autem feris ſimiles exiſti„ mare, nondum, perſuademus nobis. Ve„ ſtrum eſt autem, qui in nos humiles, has „ finem omnem modumque ſuperantes, no„ vaſque ſub ſole pœnas excogitaſtis, conſi„ derare quam appellationem pro eo ut Chri„ ſtiani & Romani, & Græci, & Barbari & „ feræ nominemini factis veſtris congruenter „ inveniatis. Nos verò, ſi morbo vinci con„ tigerit, clariùs ſcilicèt in vos ſtatuemus „ trophæum, noſtram violentam mortem re„ linquentes omnium ſcelerum memoriæ cru„ delitatis veſtræ, tanquam in columna inci„ ſam, quam nulla unquam delebit oblivio. *Hæc Photius.* Ad Bahanem, ejus amicum occultum, cui ut ſe tandem pandat, ſibique auxilia præſtet, iterum per alias ſolicitat tenòris ſequentis literas.

542 „ Fuit aliquando occultus amicus „ Joſeph ab Arimathia nobilis Decurio, no„ cturnuſque Diſcipulus Domini, ac Dei mei; „ poſtea autem vincula timoris abiiciens, fer„ vidior, confidentiorque iis factus eſt, qui „ apertè amarent: Corpuſque Dominicum „ per contumeliam opprobriumque pendens „ de ligno depoſuit, ac pro copiis ſuis cura„ re non neglexit. Quouſque igitur noctu, „ tu ipſe nos diliges? Nec lucis dieique ſa„ ctus filius, in vocem crumpere dignam Joſeph „ fiducia? Deponeſque non de ligno corpus, „ ſed è mille incommodis, atque miſeriis & „ calamitatibus, acerbaque & quotidiana „ eripies morte? Quod ſi ſæculi amor, & af„ fectus non ſinit, fruſtrà ad perfugium & „ exemplum Joſeph excogitatus eſt, ac pro„ fertur. *Hactenus ille.* Qui & ſatis prolixxam literam Encyclicam ad omnes ſuæ factionis ſcripſit Epiſtolam, eos conſortans, & ad conſtantiam roborans, quæ extat integra apud Baronium ad annum DCCCLXXI. ſub numero 26. ut appareat nihil omiſiſſe, ut ſuos in ſchiſmate confirmaret, tantùm abeſt, ut eo in exilio de pœnitentia cogitaret.

543 Intereà Romæ deceſſit Hadrianus Papa in ipſis Kalendis Novembris, anno Domini DCCCLXXII. ſui Pontificatus anno V. Baſilii Macedonis Imperii anno VI. Ludovici II. Imperatoris in Occidente anno XVII. Indictione v. cum ſediſſet annos IV. menſes x. dies verò XVII. Cui, eodem labente anno, nimirum XIX. Kalendas Januarias ſuffectus eſt Joannes Archidiaconus Urbis Romæ, fuitq; hujus nominis VIII. ſub quo Pontifice res Photii in melius abiere, ut infra.

CAPUT XVIII.

De Photii ab exilio revocatione, ejuſq; ante Ignatii obitum Geſtis.

544 Cum Photius, ut ſupra fati ſumus, & ſi in exilio poſitus, ſuæ factionis Epiſcopos commonere non omitteret ne ad partes tranſirent Ignatii, perſeverarentque in priori inſtituto, factum eſt, ut in ipſa Regia Conſtantinopolis Civitate complures exiſterent Photiani nequaquam cum Ignatio communicantes, & cum eſſent numero etiam plures, turbæ in dies, excitabantur & tumultus: diviſis etiam in factiones ipſis proceribus, & Senatu, nihil adversùs eos poterat Ignatius: Quâ de re Imperator, ut malis occurreret. ſcripſit ad Joannem Papam, quatenus Legatos mitteret Conſtantinopolim ad res præfatas componendas: Cui libenter annuit Pontifex, & ſelectis Paulo Epiſcopo Anconitano, & Eugenio Epiſcopo Hoſtienſi, miſit Conſtantinopolim, datis ad Imperatorem literis tenòris ſequentis.

Dilectiſſimo nobis & deſiderabili Filio Baſilio Chriſtianiſſimo & tranquilliſſimo Imperatori.

545 „ Benedictus Deus & Pater Domini „ Noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, „ & Deus totius conſolationis, qui miſertus „ & conſulatus eſt nos in præſenti ſæculo ne„ quam: viſitans & redemptionem faciens, „ tam pium, tanquam benignum Imperii ve„ ſtri cornu ſalutis erigendo in Domo David, „ Chriſti videlicèt pueri ſui. Vos enim, fi„ li cariſſime, minus Imperatoria dignitate

„ secundùm Apostolum, qui ait: *Æmulamini* „ *Charismata meliora*, contenti, etiam Angelorum estis ministerium imitati, dum pacem in terra bonæ voluntatis hominibus „ exoptatis, & beatoa per id, ac Cœlum vos „ visuros luce clariùs demonstratis.

546 „ Utraque siquidem Epistola vestra „ Pontificio nostro missa, hujus vos flagrare „ desiderio patenter insinuat, & hanc vos ad „ statum Ecclesiæ, unde pravorum dissensione, repulsa est, inhianter velle reducere, „ indicio evidenti demonstrat. A' Deo quippe provectum Imperium vestrum, quod eo „ auctore, justitia, & triumphis ornatis, minus nimirum validum, minusque gloriosum putatis, nisi etiam summa condecorare pace, seu concordia satagatis.

547 „ Nos autem dilectissime, audientes in Constantinopolitanam Ecclesiam dissensionis adhuc scandala fluctuare, nonnullosque religiosi habitus viros hac illacq; „ dispersos, atque ejectos ignominiosè tractari; merito ingemiscimus, & multa mœstitia fatigamur; præcipuè pacem sentimus „ illic continua contentione turbatam, quam „ per multos Sedis Apostolicæ labores jam „ credebamus ædificatam, & sacratos quosdam diversas injurias didicimus passos, quos „ ab omni operessionis fasce sperahamus ereptos. Portamus quippe omnium onera qui „ gravantur; imò portat hæc in nobis amator vester Beatus Petrus Apostolus qui nos „ in omnibus, solicitudinis suæ protegit ac „ tuetur hæredes: sed quia & professionis nostræ officio, cum Hieremia nihilominus dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & plantes*, etiam vestra „ pietas ab Apostolatu nostro, pro hoc ipso, „ personas postulat.

548 „ Ecce strenues è latere nostro viros „ dirigimus, qui si qua illic inter hæc diligenti studio deprehendant, & hia radicitus, secundùm Domini mandatum, evulsis, destructis, dispersis, & dissipatis pacem & unitatem & charitatem & congruenter ædificent simul & plantent. Nam quomodo habere poterunt charitatem, qui dividunt unitatem? Nos autem pro Christo „ legatione proculdubiò fungimur, cum paci Ecclesiæ studium impendere procuramus.

549 „ Quià verò Deo amabiles viros, „ quoa nominatim literis expetitis, quibusdam incommodis impeditos destinare nequimus; misimus Paulum & Eugenium „ Sanctissimos & Reverendos Episcopos, dilectosque Consiliarios nostros, quorum „ nobis & fides probata, & scientia manifesta est: quibus scripto dedimus in mandatis, ut omnibus simultatibus sopitis, atque „ sedatis, quæ ad pacem sunt, sanctorum „ magistrâ regulâ Patrum, toto conamine construant, & omni contentione sublata, justitiæ tribuant Deo propitio palmam; hoc „ dumtaxat ad laudem Dei agentes, & ad „ præconiorum vestrorum cumulum, sicut „ vos agere de die in diem decet, addentes.

550 „ Verumtamen ignorare pium Imperium vestrum nolumua, nos Apostolicæ „ Sedis præcepisse Legatis, ut causâ tantùm „ visitationis, gloriosum ejusdem Provinciæ „ Principem adeant, & de optata memoria „ ei Apostolorum, ut condecet, expletis officils persalutationis edicant. Ideòque rogamus, ut aditu eis annitentibus vobis concesso, talem illis industrium tradatis virum, qui eos usque ad prædictum Principem saluos ducat atque reducat, facta in „ scriptia de ea minimè iterùm usurpanda „ professione. Optamus vos per multos annos in Christo bene valere, & de Barbaricis jugiter hostibus triumphare, spiritualia „ & desiderabilis Christianissime fili semper „ auguste. Data Indictione XI. 16. mensis „ Aprilis.

551 Notat in margine Baronius extremum hujus Epistolæ paragraphum adiectum esse ab aliquo Schismatico: Et sanè hujusmodi suspicio, sua non caret probabilitate. Loquitur namque de Legatorum profectione ad Bulgariæ Principem, compositis priùs rebus Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Cùmque tunc non modica verteretur inter Romanam, & Constantinopolitanam Ecclesiam controversia de jurisdictione supra Ecclesiam Bulgaricam, cœpta jam sub Hadriano Papa, qui duriùs comminatus per suas literas fuerat Ignatium, propter illuc missos ab eo Sacerdotes, & Episcopum; Schismaticus fortè iste, quasi Joannes juri prætenso cessisset, verba illa accommodavit, ut diceret Pontifex, se ad præfatum Principem Legatos, salutationis dumtaxat gratia amandare, non ut quidquam exigant.

552 Ex literis porrò datis ad Ignatium & per eosdem Legatos missis, quarum initium est, *secundò jam Sedis Apostolicæ literis*, constat non præteriisse hanc causam Joannes, imò monuisse Ignatium, quatenus se prorsùs abstineret ab ea Diœcesi, utpotè Sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Damasi tempore immediatè subjecta, quod si secus, comminatur depositionem, inquiens in fine Epistolæ: „ Jam „ verò si pertinaciter in hac indisciplinatione „ atque pervasione permanseris, Episcopos, „ & quotquot illic vel illi, vel tu consecrasse „ videris, foras illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio & Beatorum Apostolorum Principum auctoritate, nostræque mediocritatis sententiâ, omni Patriarchatusò est dignitate, quam favore nostro „ receperas, alienus & exors, nullo penitùs „ summi Sacerdotii privilegio præditus, vel „ potitus.

553 Deinde fecit & alias literas, per eosdem Legatos contradendas, ad universos Episcopos, & Græcos Clericos, in regione Bulgarica ministrantes, quibus declarat eos excommunicatos, quod Bulgarorum regiones invadentes, illicitas ibi ordinationes fecerint: atque dignitate etiam privandos, nisi intra triginta dies ex omni Bulgarica regione decesserint: obtemperantibus verò, restitnendum Episcopatum in Græcia dimissum, decernit: quod si prius non habuerint, & aliundè digni, conferendum vacantem Episcopatum jubet. Unde in ea Epistola, apertè excommunicatos pronunciat: inquiens: *Quia igitur contra sacras vos multipliciter egisse regulas deprehendimur, excommunicavimus vos, & estis excommunicati*.

554 Denique per eosdem pariter Legatos dedit literas ad Michaelem quoque Regem Bulgarorum, quibus dolet, quod Græcos sequatur: hortatur ad Romanæ Ecclesiæ gremium redeundum. Incipiunt enim literæ. *Spiritualibus te visceribus*. Eodemque tempore, & ad Petrum Comitem scripsit, qui apud Michaelem plurimum prævalebat, hortans eum ut curet, sive operam det, ut Michael Rex ad Ecclesiæ Romanæ gremium redeat. Incipit Epistola. *Dilectissimo Filio nostro*. Tantùm ergò abest, ut solius salutationis gratiâ Joannes ad Principem Bulgarorum Legatos prædictos amandaret, si talibus muniti literis, controversam concernentibus materiam, miserit.

555 Alteram porrò ad eundem Basilium Epistolam scripsit Joannes eidem per eosdem Legatos contradendam, qua hortatur ut à se missis prælibatis Legatis fidem adhibeat, opemque Romanæ Ecclesiæ ferat: quæ ita se habet.

Dilecto Filio semper in Domino triumphanti Basilio piissimo Imperatori Augusto.

556 „ Scimus venerabilis Imperator, scimus & omni modo novimus vos prudentia „ pollere, æqnitatem diligere, pietatem extollere, directiones plantare, & vitia evellere. Scimus & liquidò credimus, vos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vigorem & decus „ velle augere, tribulationes gemere, angustias dolere, & necessitates pio intuitu, „ quantum ad vos pertinet, amovere. Hujus „ rei gratia maximam de vobis fiduciam assumentes, quidquid eandem Sanctam Matrem vestram Romanam Ecclesiam Oppido „ affligit & lacerat, vobis singulari quadam „ spe committimus audiendum & corrigendum. Tamen ne vos, quos secretorum nostrorum conscios esse cupimus, lateat, quod „ his diebus contra Dei voluntatem, contraque salutem totius Christianæ fidei, ac contra privilegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, „ seu contra morem reiquepublicæ statum „ Romæ peractum est; his missis nostris Paulo & Eugenio Episcopis, verbo tenus vobis „ dicenda commisimus. Quæ vos ita credere „ deprecamur, ac si nos vobiscum loquamur; „ & credentes, si nobis ferrè opem, vel aliquam consolationem valetis, veluti dilectus filius Reverendæ Matri assolet, omnimodo conferatis, deposcimus. Habebitis „ enim pro his Sanctos Apostolos adjutores „ & nos possidebitis devotiores vestros apud „ Dominum semper intercessores. Data IV. „ Kal. Maji Indictione XI. *Hactenus ad Basilium literæ*.

557 Sed Photius interim omnem movebat lapidem ut ab exilio revocaretur; optimè norat exortam illam inter Pontificem & Ignatium controversiam propter Bulgarorum Diœcesim, sciebat namque Ignatium, hujus rei gratiâ, Romano Pontifici infensum; sperabatque præsenti occasione, si semel licèret sibi Constantinopolim repetere, iterum & thronum conscendere. Curavit versutus homo sibi benevolum reddere Romæ Anastasium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarium, quem noverat plurimum apud Joannem Pontificem prævalere: ut sicut Constantinopoli apud Imperatorem fautorem habebat Bahanem, sic & Romæ apud Pontificem haberet Anastasium: Nec eum sua fefellit spes; ex consuetudine literarum sibi propensum fecit Anastasium; qua arte, & quibus de causis, vel sub quo prætextu decipere potuerit virum doctissimum, nempe Anastasium, cui priora Photii impia & scelerata gesta minimè erant ignota, nescitur: Auxilium suum promisisse Anastasium Photio, atque Photium in eo sperasse, ex una ejusdem Photii Epistola ad Anastasium data manifestum fit. Eam recenset Baronius ad annum Domini DCCCLXXVIII. sub numero 9. quæ ad hunc modum se habet.

Photius Anastasio Presbytero & Bibliothecario Romæ.

558 „ A' sacra quidem (ut est in proverbio) instituta res est: At seriùs quàm „ oportuit. Nec verò consilium reprehendo. „ Video autem tempus præteriisse. Quod „ mihi videtur non ineleganter ænigmate significare: Occasionem nempe à fronte intonsam esse, pone verò caluam. Si quis „ enim tempori defuerit, exclusus, quamvis occasionem innumeris persequatur artibus, adipisci non potest. Sed bene est, quod „ mens, & voluntas tua, vel serò, misericors fuit. Amicorum enim est, non utilitate gratiam mereri, sed proposito, & benevolentia. *Hactenus ad Anastasium Photius*.

559 Itaque toto exilii tempore egit Photius

tius ut ab eo solveretur, nec omisit insidias quoque adversùs Sanctissimum Ignatium moliri. Et certè ut sibi Anastasii captaret benevolentiam, credendum est, complura finxisse aut gesta, aut dicta ab Ignatio injuriosa Apostolicæ Sedi, occasione deprompta ab antefata controversia propter Bulgaricam Ecclesiam: unde Nicætas in vita Ignatii de malis Photii artibus, in exilio adhuc constituti, pertractia, hæc scribit: „ Quid autem is qui di-
„ citur Photius? *inquit*. An judicium de se
„ ritè factum est veritus, atque impia consi-
„ lia abjecit? An sub potenti manu Dei hu-
„ miliatus, divinæ se deinceps voluntati
„ commisit? An perseveravit quidem in im-
„ probis machinationibus suis semper, sed
„ ex damnatione sui se ipso æquior & mode-
„ stior est redditus? Nihil minus. Toto illo
„ decennali exilio infinitas technas & insi-
„ dias adversùs sanctum impia mente molitus
„ est.

560 Cùmque frustrà tela jactasset, frustratis quoque adhibitis artibus, ut animum Imperatoris sibi conciliaret, quod unicè tentabat, ut præsentibus suis malis occurreret, non desperans tamen, & pulsans; denique subtili arte usus est, ut levitatem atque Imperatoris simplicitatem, caperet, commentus est Basilii Imperatoris Genealogiam, ejusque perobscurum genus à Magno Tyridate Armeniorum rege deduxit. Et cum ad Patrem Basilii devenisset, novo fabricato nomine, filios ejus ad Imperium provehendos auguratus est. Erat enim nomen illud, *Beclas*, cujus literæ nominum *Basilii*, ejusque uxoris, ac filiorum, Eudociæ scilicèt, Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani, initiales erant, prout in sequenti schemate videre est.

ϖ asilius Imperator
ϵ udocia Augusta
C onstantinus Filius
Λ eo Filius
A lexander Filius
ϲ tephanus Filius.

Innumeris porrò fabulis atque mendaciis historicam illam Genealogiam cum adornasset, vetustissimis in membranis, Alexandrinis etiam characteribus ementitis, descripsit: codicemque antiquis & fumosis chartis obvolutum, in palatina Bibliotheca clàm recondi curat. Hæc quidem ex Nicæta, ità scribente.

561 „ Cùmque illum (*Ignatium scilicèt*)
„ irretire capereve nullo modo posset, Impe-
„ ratoris animum sibi conciliare tentat. Er-
„ go artibus omnibus strophisque in consilium
„ adhibitis repetit viam, qua Imperatoris
„ simplicitatem, levitatemque caperet. Et
„ vide quàm probabilem & ipsius ingenio di-
„ gnam. Observatis enim nominibus singu-
„ lorum, ipsius, inquam, Imperatoris Ba-
„ silii, & Eudociæ Augustæ conjugis, libe-
„ rorumque, Constantini, Leonis, Alexan-
„ dri, Stephani; ex primis singulorum no-
„ minum literis compositis, componendæ fran-
„ dis occasionem arripit,

562 „ Historiam enim, sivè Genealo-
„ giam, quæ nusquam est, aut fuit, con-
„ texens,, Titidatem illum inclytum Arme-
„ niæ regem, qui Sancti Gregorii Martyris
„ ævo imperitavit, stirpis caput fingit. Ex
„ illo, nominibus pro arbitratu excogitatis,
„ gentem deducit, & alios ex alio fabulosa
„ narratione condit. Quando demum ad pa-
„ rentem Basilii pervenit, scripsit nasciturum
„ ex eo talem planè virum, qualis ipse erat
„ Basilius, eique nomen esse; *Beclas*; quem
„ omnium retrò regum fœlicissimè & diutis-
„ simè regnaturum vaticinatur; innumera-
„ que mendacia, quibus auditorem capi in-
„ telligebat in librum suum concenturiat, &
„ literis Alexandrinis in vetustissima charta
„ ad ipsam antiquitatis speciem expressis
„ conscribit, atque theca, seu tegumento ex
„ antiquissimo codice detracto vestit, atque
„ in illa nobili, palatinaque Bibliotheca clàm
„ reponit. *Hæc ille*.

563 Deinde, cum Theophane Clerico regio, & apud Principem maximæ æstimationis administro, egit Photius, ut codex, quasi in ipsa palatina repertus Bibliotheca, Imperatori videndus ostenderetur; sed hac adjectâ cautela, ut diceret, Arcana talia continere, ut præter Photium summæ eruditionis virum, neminem posse reserare. Cùmque ea fideliter perfecisset Theophanes, Imperator jussit codicem ad Photium Arcana illa explicandi gratiâ mittendum. Sed versutus Photius, ut optatum ex fabella consequeretur effectum, accepto à missis codice, eoque cum simulatione observato, respondit, talia Arcana in eo contineri, soli Imperatori indicanda, prout eo in codice ita præscriptum invenerat. Facta hujus rei relatione ad Imperatorem, captus ille novitate rei, Photium ab exilio solvit, jubetque Constantinopolim adduci. Hæc omnia antefatus Nicætas, subjungens,

564 „ Administer & fidus illi in hac sce-
„ na & fabula Theophanes erat, palatinus ea
„ tempestate clericus; habensque apud Im-
„ peratorem eruditionis opinionem, ac po-
„ stea in improbæ operæ præmium Episco-
„ pus Cæsareæ Cappadociæ creatus. Hinc
„ commentitium hunc Libellum in Bibliothe-
„ ca, ut dictum est, repositum, opportuno
„ tempore extrahait, Imperatorique Libel-
„ lum, velut cæteris omnibus admirabilio-
„ rem, & Arcanis refertiorem, exhibet;
„ simulatque, neque se, neque mortalium
„ quemquam ejus mysteria, præter unum
„ Photium, assequi posse. Ergo extemplò
„ ad Photium mittitur. Prætexit ille, nulli,
„ posse Arcanum illud, nisi soli Imperatori
„ committi, de quo illud ipsum præscriptum
„ esset. Quid igitur? Capitur Imperatoris
faci-

„ facilitaa hac fabnla, & cum Photio in gra-
„ tiam redit. Solent enim faustæ, quamvis
„ vanissimæ prædicationes, excelsam & gloriæ
„ appetentiorem indolem eludere & enervare,
„ penitùsque in suam potestatem redigere.
Ita Nicætas.

565 Itaque Photiua sic ab exilio revocatus Imperatoris sibi conciliavit animum, assiduè in Palatio versans. Erat tunc temporis Theodorus quidam Santaherenua, solo habitu Monachna & Abbas, Ariolua, Magus ac Necromanticis præstigiia insignis: Photius hunc velnti fama sanctitatia celebrem Imperatori sistit, commendst, familiaremque facit. Sed quo fine? Quaque de causa? Ut nimirum, eo mediante insidiaretur Ignatio, amissumque justissimè Thronum, injustè iterum repeteret. Hoc egit, simulátor sanctitatis, pessimus Hypocrita, & impius scelestisque magua, & Ariolus santabarenus: licèt tamen frustrà.

566 „ Extitit mox, *addit Nicætas*, &
„ alia necessitudinia occasio, Theodorus ille
„ habitu vesteqne in speciem Monachua, sed
„ omnlum improborum improbissimua, &
„ versutorum versutissimua, santabarenus,
„ inquam, de quo opinor audistia omnes.
„ Hunc nescio quomodo repertum (nsm pa-
„ rea ut dicitur, cum paribus facilè congre-
„ gantnr) ut virum singulari sanctitate,
„ præscientia, rerumque futurarum congni-
„ tione pollentissimum: quibua tamen virtu-
„ tibua non solùm caruit omnibus, sed con-
„ trà, ut ajunt, magicis præstigiis, ario-
„ landi, & coniectandi, incantsndi, ani-
„ masque evocandi artibua insignis, habeba-
„ tur: hunc Imperatori sistit, immensisque
„ celebratum laudibua commendat. Cùmq;
„ jam Imperatore intimo, familiarissimoque
„ uteretur, Photius per eum Patriarchæ
„ Ignatio insidiatur, Sedemque amissam oc-
„ cultè recuperare conatur, sibique denuò
„ reditum sacrilegè comparat.

567 „ Quod tamen ubi fore difficilè sensit,
„ *prosequitur Nicætas*, apertè, ut in Sacerdo-
„ tium restitueretur, à Viro Sancto omni
„ ope contendit. Sed Patriarcha Canonum
„ Divinorum, legumqun Ecclesiasticarum
„ obstervantissimus, tametsi vehementer soli-
„ citatus, illum tamen haud admisit, nec gras-
„ santi Lupo reditum ad Christi caulam in-
„ dulsit, ne secum ipse pugnaret, suasque
„ oppugnaret subscriptiones, meritoque
„ deinde de gradu dignitatis deturbsret. Nsm
„ à Synodo ritè exauthoratum, non modò
„ provinciali, sed etiam generali! imò qui
„ nec ab initio quidem unquam legitimè Se-
„ dem Sacram occupsfset, atque insuper pu-
„ blicè damnatus esset, sine majore & am-
„ plioris auctoritatis Synodo non posse ab-
„ solvi contendebat. At illn canonibua legi-
„ busque contemptia, ultròque sibi Sacer-
„ dotio denuò arrogato, sedebat in regis, Ma-
„ gnaura dicta, constituens Exarchoa & Sa-
„ cros Ordines conferens. Nam quidquid ad
„ Ecclesiæ contumeliam, Virique Sancti as-
„ flictionem, suumque ipsius exitium spe-
„ ctabat, sacrilegè profanissimus audebat.
Hactenus Nicætas.

568 At dum hæc agerentur, Sanctissimus Ignatiua ad Dominnm migravit. Obiit enim die XXIII. mensis Octobris, Besto Jacobo, juxta Græcorum ritum, sacro, ineunte Indictione XII. currente adhuc Domini anno DCCCLXXVIII. Pontificatua Joannia VII. anno VI. Imperii verò Basilii Macedonis anno XII. imperitsnte in Occidente Ludovico III. snno ejua I. à Methodii Patriarchę obitu anno XXX. à sua in Patriarchalem Sedem restitutione anno X, suæqun ætatia anno LXXX. Quæ omnia accuratè consignat Nicætas, inquiens: *Illo ipso die memoriæ Sancti Jacobi Sacro, ipse quoque Ignatiur ex hac vita, die tertia supra vigesimam Octobris ad Dominum emigravit.* Et infra. *Ergò Ignatiur iterum Patriarcha decennio præfuit; tricennium verò paulòque amplius. universè magnur Antistes solium tenuit; annorumque octoginta in pace ad magnum illum Pontificem Christum est perfectur.* Accidisse hujua magni Viri obitum ante adventum Pauli & Eugenii Apostolicæ Sedis Legatorum, scribit Stylianua Episcopna Neocesariæ in Epistola data ad Stephanum Papsm hujus nominia VI., inquiens: *Paulum enim & Eugenium Episcopor à Joanne Papa, ad Ignatium Patriarcham missor, ut cum illo de rebur Bulgarorum Provinciæ agerent, qui cum invenisset, quod Beatur Ignatius jam demortuur erat. Photiur illos numeribur corruptor decepit.* Scribit quoque eundem Photium mortem procurasse Ignatio, dum ait: *Nec tamen propterea Photius quietem habuit, sed iniquor hominer & maleficos & deceptores congregavit, & calumnias falsar fingendo non destitit, quousque Beatissimum Ignatium vitam miserè relinquere procuravit.*

569 Cæterùm hujus magni viri sanctitatem post ejus obitum patrata à Deo miracula ob illius merita testantur, quorum aliqua recenset Nicætas sæpè laudatus: traditque hujus meritia octennem puerum à mortia periculo liberatum: Alium dysentariæ morbo laborantem, atque diù extremis redactum, illicò in pristinum restitutum. Nobilem quamdam fœminam, sed sterilem, Illius meritis prolem obtinuisse. Aliam fœminam in partu penè periclitantem, liberam evasisse: Et aliam quoque pro alendis infantibus, lactem in hactenus aridia siccisque mammillia obtinuisse. Prætori Siciliæ adversùs Agarenos Siciliam oppugnantea, auxilia præbuisse. Hominem quoque paralysi debilitatum, & penè mutum effectum, extemplò consolidatia membris vocem qnoque recuperasse. Hæc omnia ex Nicæta, qui postea subjungit: „ Mitto dicere
„ quot renum doloribus confectos toto ani-
mo

„ mo rogatus curavit; quot Elephantiacos, „ seu Leprosos absterserit, quot Cæcos illustrarit, fractos & jacentes erexit, & quà „ manibus, & quà pedibus aridos restituerit. Prætereo febrientes, aut ab improbis Spiritibus tortos, quos sanavit, hodièque sanet, ut per veneranda vincula „ omnes propè morbos, omnesque ægritudines pellat, curetque eorum omnium, qui „ sincerâ fide ad sacrum illius tumulum confugiunt.

570 At Photius ægrè ferens, ut etiam post mortem tanto Ignatius prosequeretur honore, invidiâ accensus & rabie, minimè pati poterat multitudinem ad illius tumulum venerabundam accedere; proindèque usus operâ cujusdam Lydi Sacellarii, qui supplicantes flagris, & conviciis lacesseret, conatus est revocare. Cùmque tamen frustrà in dies ægrorum turba magis ac magis illùc accedente, Satanâ certè instigante, egit, ut sacrum illud Corpus è tumulo, ubi reconditum fuerat, extraheretur, eo prætextu, quòd ibidem Sanctissimus Patriarcha magnam auri copiam recondidisset, reverà tamen, ut sacra illa ossa contumeliosè tractarentur, populusque à pia illorum veneratione recederet. Ità Nicetas: „ Unum, *inquiens*, tamen „ illud miraculum adjungentes, pauca ex „ iis, quæ post Viri Sancti mortem evenisse „ narrantur historiæ, adjiciemus. Etenim „ quo pacto Lydi illius Sacellarii facinus „ silentio prætereamus? Qui ab impudente „ Photio submissus, in Cœnobium venit, ut „ ægros omnes ad sepulchrum illius supplicantes, conviciis & flagria exigeret. Quo „ facto scelus addit sceleri: terram enim „ proximam sacræ tumbæ aliè jubet effodi; „ in speciem quidèm, quasi ingentem auri „ vim Patriarcha illic condiderit, re ipsâ „ autem, ut sacris ossibus contumeliam irrogaret. Adeò animum hominis furiosum „ invidia occuparat, utì nè post mortem quidem (Ignatii) ab illo cesserit. *Hæc ille.* Sed quid inde evenerit sceleſtissimo illo effossori, Deo vindice, ex eodem Niceta audiamus, qui mox subjungit: „ Simùl ac enim „ hoc ille verbo impiè edixerat, vindicta „ Numinis impium prosequuta est. Hic „ dumtaxat Dei patientia se diutiùs continere non potuit, sed evestigiò plagam inflixit. Ergò superbus ille horrendù boans, „ & tanquàm victima suprà, infràque sanguine diffluens, domumque delatus, elinguis „ intrà quatriduum à Deo punitus, expiravit. *Hactenùs Nicetas.*

571 De Ignatii porrò sanctitate, nemo est, qui eam in dubium revocare possit, affirmantibus illam, & pluribus commendantibus universis tùm Græcis, tùm Latinis Scriptoribus; memoriam ejus annuâ solemnitate celebrante Ecclesiâ Græcâ, in cujus meneis in Sanctorum numero adscriptus legitur, hoc idem Ecclesiâ quoquè Latinâ profitente. Undè Raderus in præfatione ad VIII. Synodum apertè scribit, Ecclesiam Romanam, Græcamque beatissimum Ignatium inter Sanctos recipi; & ut talem ab omnibus haberi: „ Meritò igitur, *inquit*, defunctum, mira- „ culisque coruscantem, Ecclesia Romana, „ juxtà ac Græca in Divorum censum relatum, ad x. Kalendas Novembris votis publicia Anniversariâ celebritate colit. Nec „ quisquam Græcorum Historicorum est, qui „ non de Ignatio viro sanctissimo honestissimè, summâque cum veneratione loquatur „ & scribat, quòd ejus sanctimonia tantoperè eluxerit, ut Schismaticorum quoquè „ factio famam illius lædere formidaret, imò „ certatim celebraret. *Hactenus Raderus.*

572 Neque Ignatii sanctitati, ac meritis obstare possunt ea, quæ ex Joanne VIII. Papa, in literis ad eum datis, suprà recensuimus, quibus nimirum Ignatio excommunicationem, atque depositionem minatur, immò excommunicationem, atque depositum pronunciat, si intrà præfixum triginta dierum tempus, Episcopos, & Græcos Sacerdotes in Bulgarorum Provinciam missos non revocaverit; quoniam, ut in superioribus fassi sumus, has literas non recepit Ignatius, præveniente illius obitu Legatorum adventum. Cæterùm defensam tanti viri accepit Baronius ad Annum Domini DCCCLXXVIII. sub num.42., ubi sic ait.

573 „ De ipsius Sancti Ignatii obitu ex „ eodem auctore Niceta actori, primùm ille „ amovendus est scrupulus, quo offendi quisque facilè poterit, qui audierit recitatam „ superius Joannis Papæ Epistolam, ad ipsum „ Ignatium datam, qua nimis perstringit ipsum, & à communione catholica segregat, „ nisi intrà triginta dierum spatium revocet ab eo ordinatos Episcopos Bulgariæ. „ Quamvis autem ista ab Ignatio impleta „ minimè inveniantur; constat tamen, eundem semper usque ad obitum, & post obitum in Catholica Romanæ Ecclesiæ communione fuisse retentum; quod ejusdem „ Pontificis plures Epistolæ ad diversos datæ post ejusdem Ignatii obitum docent, ut „ jam de his nulla penitùs dubitatio oriri „ possit.

574 „ Neque est, quòd quis ob litem „ hanc Ignatium animo fuisse in Apostolicam Sedem infenso, existimet, vel ingrato, „ cum quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendere, juramento teneretur obstrictus, etiam „ æternæ vitæ dispendio; non enim aliena „ retinere, sed sua possidere ex possessione „ prædecessorum ipse justum putavit; cui „ haud dubium spontè cessisset, si id facere „ licuisse credidisset. Probatum vas igne ipse erat, excoctumque fornace omni rubigine carens. At verò nullum penitùs contraxisse unquàm, vel levem pulverem ipsum

„ ſum Sanctum Ignatium ex hac, vel alia „ cauſa dici non patitur humana conditio, „ quo Sanctorum neminem caruiſſe, Dei „ Genitrice exceptâ, æquè fatentur omnes. „ Sed abſque ambagibus ad pleniſſimam Sancti Ignatii excuſationem illud ſatis, quod „ Stylianus in Epiſtola ad Stephanum VI., „ qua rerum geſtarum adversùs Photium hiſtoriam texuit, evidenter affirmat, adventum Legatorum Pauli Epiſcopi Anconitani, & Eugenii Epiſcopi Hoſtienſis Conſtantinopolim contigiſſe poſt obitum ejuſdem Ignatii. Sicque neceſſario oportuit, „ eundem Ignatium, antequàm receperit ab „ eis literas peremptorias excommunicationis, jam ex hac vita migraſſe. *Hactenus Baronius*.

CAPUT XIX.

De Photii geſtis poſt obitum Ignatii, ac Synodo ab eo habita.

575 Non diù ſe continuit Photius ſecutâ Sanctiſſimi Patriarchæ morte, qui nec Romani Pontificis expectato aſſenſu, ſegregatus licèt, atque depoſitus, pariter excommunicatus, & ſynodali decreto execratus, atque anathematizatus, thronum temerè iterùm ſibi uſurpavit, & conſuetam crudelitatem in familiares, in amicos, & ſectatores Ignatii tyrannicè exercère non eſt veritus. Tribus dumtaxat vix elapſis diebus ab Ignatii obitu, thronum conſcendit, ſtatimq; ad crudelitates exercendas animum adjecit: „ Non toto, quàm obierat, triduo „ elapſo, *ait Nicetas*, Tribunal Patriarchale, revocatâ priſtinâ & parricidali, tyrannicâque mente, occupavit; & furore adversùs Sanctum renovato, cunctos illius „ domeſticos, ac ſervos cuſtodiis, verberibus, „ exiliis, & ærumnis oppreſſit.

576 Deindè cætera Photii infanda recenſens, ſubjungit: „ Provectioni porrò illius contrà leges, & ſanctiones Eccleſiaſticas factæ quicumque repugnabant, hos „ mille artibus expugnavit. Alios quippè „ muneribus, & honoribus permulcendo, vel „ Sedium Epiſcopalium permutationibus, ad „ ſocietatem & communionem attraxit. Alios „ primùm criminationibus, inauditiſque calumniis traducendo, graviterque lancinando; quos tamen eoſdem mox, ſeſe ad „ ad ejus partes adjunxiſſent, cauſâ totâ „ ventis commiſsâ abſoluit. Ità qui modò „ illi ſacrilegus erat, is eidem mox Symmiſta, & comminiſter fiebat. Qui priùs fur, „ adulter, & profanus ab illo juratiſſimo probabatur, ille mox eidem magnus, & venerandus ſacrorum Antiſtes habebatur. Quos „ autem in ſententia firmos, ſuam communionem penitùs averſari videbat: adverſabantur autem omnea, qui veri Chriſtiani „ erant, quique perſuaſum habebant, ſe cum „ eo, qui à ſanctâ œcumenica Synodo ritè, „ ſanctèque damnatus eſſet, & depoſitus, ſin è „ ſummo ſalutis periculo, & exitio communicare non poſſe; neque cum illo in unum „ Chriſti corpus coaleſcere, qui millies venerandam Chriſti Crucem pedibus conculcaſſet, alioſque omnes per Chirographa vi „ extortâ conculcare coegiſſet: hos, inquam, „ omnes quotquot vinculis, flagriſque frangere non poterat, affini ſuo Leoni, cognomento, Catacalo Biglæ, ſeù Vigiliarum „ Præfecto, quam ipſe ad eam dignitatem „ provexerat, homini ſæviſſimo, immaniſſimoque tradebat; qui, ut ſe de beneficio „ gratum exhiberet, miſſos ad ſe cunctos (ut „ brevi carnificinam illam comprehendam) „ Licinianâ quadam immanitate excruciabat. Ex quibus multoa pro veritate ad necem uſque propugnantes ſuſtulit: plures „ tamen in tolerandis victos tormentis, præclari muneris loco, mittenti remittebat.

577 „ Quis, per Deum immortalem, „ temporis hujus tempeſtatem, & iniquitatem, imò quis tortuoſi Draconis illius inſidias, & machinationes dicendo aſſequatur? Multos veterator ille perjurâ linguâ „ calumiatus, aut per falſas criminationes „ exauctoratos, mox, ut cum eo rursùm „ communicabant, commendatos reſtituebat, & nonnunquàm ad majores dignitates „ transferebat. Deindè, ſi quis iterùm veſanâ illius inſaniâ offenſus, ſe denuò ab illius „ ſocietate abſtinuiſſet, hunc rursùm damnabat; & damnatum, ſi ceſſiſſet, mox admittebat. Tantâ gloriæ, dominandique ſiti „ æſtuabat, ut illius causâ perſurioſam ambitionem leges divinas, jura omnia, ſacraque permiſceret.

578 „ In primis autem hoc agebat, ut „ ordinationes Patriarchæ tranſmutaret, atque ab eo damnatos Sedibus reſtitueret; „ Sed cum id Imperatori non probaretur, „ videte quid tentarit. Conſecratos à Sancto Ignatio, reſecare conatur; quòd cum „ æquè parùm ſuccederet, omneſque indigniſſimè ferrent, atque execrarentur; nè „ ità quidèm defecit iniquitas. Humeralibua „ & Orariis, & aliis ſtatus ſacerdotalis coemptis inſignibus, ſecretò preces ſuper ea „ quaſdam (ſi tamen preces, & non potiùs diræ execrationes appellandæ ſunt) pronuntiabat. Sicque ea ſingulis loco muneris, „ largitioniſque dabat. Atque, ut peccatum „ fieret ſuprà modum peccans, ubique jusjurandi Sacramenta, ubique Chirographa „ exigebat, ſivè initiaret, ſivè honores & dignitates Eccleſiaſticas conferret, ſivè Epiſcopatua permutaret.

579 „ Quibuſcumque demùm ſe beneficium præſtare cenſebat, hos ſibi obſtringebat, & teſtatiſſimis Chirographis exactis ſibi

„ sibi cavebat, ubique suam dumtaxat glo-
„ riam affectando, uovisque rebus studendo.
„ Neque Dei nutu, vel providentiâ sibi benè
„ fore unquàm credebat, aut sperabat; sed
„ per multiplex ingenium suum, seù artifi-
„ cium, imò maleficium, sese communiebat,
„ adeòque totum Ecclesiæ statum permiscc-
„ bat, omniumque mortalium animos pessi-
„ mis exemplis offendebat; atque, ut Christi
„ nomen blasphemaretur, impiis artibus suis
„ efficiebat. *Hactenus Nicetas*.

580 Hæc itaque fuère primordia Photii noviter intrusi. Sed quoniam certò certiùs noverat nunquàm in pace, imò nec tutè thronum se posse retinere, nisi Romano consentiente Pontifice, egit, ut Basilius missâ Legatione ad Joannem Papam, peteret suam confirmationem, & quidèm sub pacis consequendæ specie, ac majoris illius turbatæ Ecclesiæ utilitatis. Photius quoquè ad eundem Pontificem Apocrisiarium misit Theodorum illum impium, atque scelestissimum Santabarenum, datis literis ad eundem Pontificem, quibus se vim à tota Ecclesia, & Republica perpessum, ut Patriarchale Solium conscendret, mendaciter fatebatur, adjectâ omnium Metropolitanorum subscriptione, fraude, & dolo Petri à Secretis suffuratâ, ut Nicetas ipse tradit, dùm ait: „ Ergò, ubi iterùm
„ Patriarchatum invasit, Theodorum illum
„ (quem ipse exul Patrarum Metropolitam
„ creavit, quem quidèm facere Aphantopo-
„ lis, hoc est, nusquàm extantis Civitatis
„ Metropolitam nuncupabant) hunc, in-
„ quam, Theodorum ad Joãnem Papam Apo-
„ crisiarium destinavit, per quem scripsit, se
„ per vim à tota Ecclesia, totaque Republi-
„ ca coactum, Tribunal sacrum denuò perin-
„ vitum conscendisse. Atque, ut mendacium in
„ Epistola scriptum stabiliret, per Petrum à
„ Secretis, qui posteà ob figmenta Sardium
„ Pontifex premii loco dictus est, omnium
„ Metropolitarum signa furatur; adeòque
„ ipsos sibi Metropolitas suffuratur igna-
„ ros se Libello subscripsisse, cùm arcanam
„ fundi emptionem prætendisset, *Hæc Nicetas*.

581 Pervenerunt jam Constantinopolim Paulus, & Eugenius Apostolicæ Sedis Legati, & reperto Ignatio mortuo, ut in superioribus fati fumus, quin & Photio jam Thronum occupato, Patriarchalia munera exercente, nihil boni egerunt, quin potiùs Photii muneribus corrupti, atque Imperatoris minis perterriti, quæ nunquàm vera esse poterant, asseverare coacti sunt; nimirum, se à Joanne Papa missos contrà Ignatium, ut illum anathemate damnarent, & Photium Patriarcham promulgarent. Ità Stylianus Episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ in Epistola data ad Stephanum Papam VI., inquiens:
„ Paulum enim, & Eugenium Episcopos à
„ Joanne Papa ad Ignatium missos, ut cum
„ illo de rebus Bulgarorum Provinciæ age-
„ ret; qui cùm invenissent, quòd Beatus Igna-
„ tius jam demortuus erat, Photius illos mu-
„ neribus corruptos decepit, & Imperatoris
„ minis coegit, ut dicerent coràm omni Cle-
„ ro, & Episcopis, & reliquo Populo, quòd
„ contrà Ignatium à Joanne Papa essent missi,
„ ut illum anathemate damnarent, & Pho-
„ tium Patriarcham promulgarent. *Hæc ille*.

582 Et hoc sanè mendacium potuit fundamentum desumpsisse ex ejusdem Joannis Papæ datis per eosdem Legatos ad Ignatium literis, quibus, ut fati sumus, depositum, & excommunicatum declarabat Ignatium, si intrà triginta dierum spatium Sacerdotes, & Episcopos ab eodem Ignatio in Ecclesiam Bulgarorum missos non revocasset. Verùm de Photii restitutione, nec verbum fecerat Joannes; & quemadmodùm Photii vafri cies pro excommunicato habere voluit Ignatium, licèt morte præventus, jussa Pontificis minimè adimplere potuerit, cui nec, eàdem de causa, intimata fuère; sic pariter & alterum addere voluit splendidissimum mendacium, ut etiam publicaretur, hoc & in mandatis habuisse Legatos, ut, Ignatio exauctorato, Photius ipse restitueretur. Qua certè arte, ut idem Stylianus subjungit, plerique, qui hactenus Photio restiterant, decepti eidem communicarunt. Attamen non ità communiter receptus erat, quin essent complures pietate insignes, ei adversantes, suamque detestantes communionem: cujus rei gratiâ magis authenticum instrumentum de sua restitutione exigere à Joanne Papa exoptabat; ac ideò egit, ut præfati sumus, ut Imperator missâ Legatione, hoc postulasset, factâ quoquè ab eo alterâ ad eundem Legatione.

583 At Joannes Papa, non sinè piorum omnium admiratione, honorificè Legatos suscepit, & quod pejus est, postulatis acquievit, licèt sub quibusdam conditionibus in suis ad Basilium datis literis expressis; præcipuèque, ut Photius in Synodo coràm Apostolicæ Sedis Legatis celebranda veniam postularet; ac etiam ut Ecclesia Bulgarica Ecclesiæ Romanæ restitueretur. Et nè post Photii obitum ex Laicis, & Curialibus nemo assumeretur ad dignitatem Patriarchalem, sed ex Clero dumtaxat Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Contestabatur quoquè Joannes in ea Epistola, decessorum suòrum, & Synodi œcumenicæ decreta se in irritum non mittere, sed propter pacis & unitatis Ecclesiasticæ bonum de iisdem dispensare, eâ lege, ut diximus, quòd Photiùs in Synodo coràm Apostolicæ Sedis Legatis celebranda veniam postularet, ut ex literis infrà recitandis patet.

584 Cardinalis Baronius ad Annum Domini DCCCLXXVIII. sub num. 4. diversas rationes affert, cùr Joannes Papa talia indulserit: „ Jam enim, *inquit*, cùm Græcorum Im-

„ Imperium ità in Italia potens effectum ipse videret, cùm Beneventani, atque Capuani à Francis (ut Curopalates testatur) defecissent, ad Imperatorem, ei contradicere periculosum admodùm judicabit, his præsertim temporibus, cùm Romana Ecclesia, non solùm barbarico gladio, sed christiano vicinorum Comitum vexaretur. His accedebat, quòd idem Basilius Imperator in spem eum erexerat, fore ut suâ classe liberaret ipsa Campaniæ, Latiique litora, & Etruriæ à Sarracenorum incursionibus. Addebatur ad hæc insuper, quòd multa alia idem Imperator ipsi Papæ promitteret, maximè verò Bulgarorum Ecclesiam sub Romana Diœcesi revocandam, quod vehementer Joannes optabat, & frequentioribus literis expetebat. His omnibus accedebat, quòd prætexebatur bonum pacis, & scissarum unio Ecclesiarum, quæ ob rejectum Photium, velut jugi terræmotu, tot annis, & cum eis totus Oriens quassaretur: cessaturum ipsum omninò, si Sedis Apostolicæ auctoritate, Photius sedere concederetur; sin minùs graviora prioribus instare pericula, impendere mala nullo penitùs curanda remedia. His jungebatur, quòd mendaci relatione decepit Basilius Imperator eundem Joannem Pontificem, dùm literis testatus est, restitutionem Photii exoptare, & petere magnâ instantiâ, eos, qui essent adversæ partis, ordinatos scilicet ab Ignatio, atque eius prædecessore Methodio; quod tamen falsum erat. *Hæc Baronius*.

585 Et quidèm non videbatur verosimile, Imperatorem voluisse decipere Pontificem, quippè qui ab initio sui Imperii Photium deposuerat, restituto Ignatio, nondùm consultâ Apostolicâ Sede, propter manifestam injuriam Ignatio à Photio irrogatam. Procuravit inde auctoritate Romani Pontificis, ut generalis congregaretur Synodus, ut illius decreto exauctoratetur Photius, prout evènit; & deniquè eundem Photium in exilium amandaverat. Undè attento hujusmodi Imperatoris zelo, ex anteactis ostenso, probabiliter existimare poterat Romanus Pontifex, nonnisi causâ majoris boni, pacis, atque Ecclesiæ utilitatis, Imperatorem petere, jam defuncto Ignatio, Photii restitutionem, & eâdem de causa postulare idem universos Episcopos, etiam ab Ignatio,& Methodio ordinatos, prout in literis suis fatebatur Basilius. Facilè ergò potuit Pontifex decipi.

586 Itaque Joannes datis literis pro Photii restitutione, modo superiùs recensito,tùm ad Imperatorem, tùm ad ipsum Photium, ad Clericos Constantinopolitanos, atque etiam ad universum Populum, Petro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero, quem Paulo, & Eugenio Legatum adjunxerat, ferendas tradidit, scribens quoquè ad præfatos Episcopos Paulum, & Eugenium Epistolam tenoris sequentis.

Reverendissimis Paulo Anconitano, Eugenioque Ostiensi Episcopis.

587 „ Quamvis contrà nostram egeritis voluntatem, & Constantinopolim venientes, inquisitâ causâ Ecclesiæ pacis & unitatis Romam reverti, nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre. Et quia primam Legationem vobis commissam idoneè non peregistis, secundam vobis ideò committere non debebamus: tamen Apostolicæ miserationis benignitate utentes, & in hac secunda Legatione fideliter perficiendi, vos huic Petro religioso Presbytero Cardinis nostri, familiarique nostro sociamus; quatenùs ea,quæ pace & unitate Ecclesiæ Dei agenda sunt, secundùm Apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundùm Commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valdè intuitu simul agatis; & ità definiatis, ut gratiam nostram, quam priùs inobedienter agendo, exasperastis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere possitis. Datâ mense Augusto, Indictione XII. *Hactenus litera ad Legatos*.

588 Munitus ergò Petrus antefatis literis, Constantinopolim profectus est, ipsisque Photio, Basilio, cæterisque contraditis, versutus Photius prætextu Versionis in Græcam linguam, tàm ad se datam à Pontifice Epistolam, quàm eam, quæ reddita est Basilio, mutilando, addendo, & commutando, in universum falsavit; & ità falsatis, in publica Synodo eas recitare fecit. Quòd ut sub oculis appareat, recensebimus Epistolam primùm, quæ data est ad Imperatorem, adnotatis locis secundùm Versionem, imò falsationem Photii, inde simili modo & aliam ad Photium datam. Ea ergò, quæ data est ad Imperatorem genuina Joannis, sic se habet.

Dilectissimis, ac Excellentissimis Spiritualibus Filiis nostris Basilio, Constantino, & Alexandro gloriosissimis Imperatoribus semper Augustis.

589 „ Inter claras sapientiæ, & mansuetudinis vestræ laudes,ò Christianissimi Principes, aliquid cum puriore luce summæ devotionis, longè, latèque resplendet,quod amore fidei, quod charitatis studio, disciplinis Ecclesiasticis edocti, Romanæ Sedi reverentiam, more prædecessorum vestrorum piissimorum Imperatorum conservatis, & ejus cuncta subjicitis auctoritati; ad cujus auctorem, hoc est Apostolorum omnium Principem, Domino loquente, præ-

„ ceptum est: *Pasce oves meas*, quam esse „ verè omnium Ecclesiarum Dei Caput, & „ Beatorum Patrum præcipuæ Regulæ, & „ orthodoxorum Principum Statuta decla- „ rant, & pietatis vestræ reverendissimi Api- „ ces attestantur. Nihil est enim, quod lu- „ mine clariore præfulgeat, quàm pia devo- „ tio, & recta fides in Principe. Et quia „ Pontificii nostri reverentiam hoc ardore „ mentis, hoc Religionis studio luculenter „ vestris mellifluis literis exornatis: id nos „ ratione, seù temporis necessitate inspectâ, „ cum Sedis Apostolicæ nobis commissę con- „ sensu & voluntate perficere, jure Aposto- „ lico decet. *Ità exorditur Joannes*.

Falsata Photii Versio.

590 „ Puritas & splendor vestræ rectæ „ fidei, & sapientia, & morum probitas, & „ benignitas perfecta, ò Christianissimi, & „ & maximi Imperatores Romanorum, lu- „ minum instar in medio terræ micantes us- „ que ad omnes fines, ad quos universus Or- „ bis, extenduntur, & splendent. Non enim „ solâ rectâ fide præstantes in aliis rebus vos „ oscitànter habetis, sed potiùs super ve- „ stram irreprehensibilem fidem superædifi- „ catis non lignum, aut herbam, aut arun- „ dinem, sed pretiosos lapides, aurum & „ argentum, & ut breviter dicam, omnia „ alacri studio perficitis, quibus cognosci- „ tis Deo rem gratam facere. Nihil verò „ Deo gratiùs esse dignoscitur, quàm ut uni- „ versæ ejus Ecclesiæ quascumque Sol respi- „ cit, rectâ fide, & mutuâ inter se dilectio- „ ne & charitate viventes, illi singulis diebus „ gratias agant; quapropter hanc unionem „ etiam in vestra Dei Ecclesia conspici, & „ vigère vos percupientes, Romanam San- „ ctam Ecclesiam per vestros Legatos, & sa- „ cras literas adjutricem assumpsistis, pro „ certò habentes, eam vobis futuram præ- „ stò ad id, quod optastis. Neque vos primi „ id agere cœpistis, ut hanc rem excogita- „ retis, sed vestigiis prædecessorum vestro- „ rum inhærentes, in quantum Schola quæ- „ rere est etiam dignum, à Principe videlicet „ Apostolorum Petro, quem Dominus om- „ nium Ecclesiarum Caput constituit, in- „ quiens illi: *Pasce oves meas*; necnon à sa- „ cris & orthodoxis Sanctorum Patrum de- „ cretis atque doctrinis, quemadmodùm sa- „ cræ & piæ vestræ literæ testantur: id verò „ propterea facitis, quo magis vestræ fidei „ firmitas celebrata elùceat, & ergà Deum „ dilectio sincera & efficax patefiat. Nihil „ enim aliud aptiùs & digniùs contingere „ potest illis, qui maximis dignitatibus & „ Principatibus sunt constituti, quàm rectæ „ fidei splendore, & Dei dilectione præstare „ contendere; & curare, ut omnes, qui eam „ eadem fide Deum venerantur, dilectionis „ etiam vinculo uniantur & constringantur. *Hactenus exordii Photianæ Versio*.

Joannis genuina Lectio.

591 „ Igitur petistis à nobis, quatenùs „ Sede Apostolicâ suæ pandente viscera pie- „ tatis, Photium reverendissimum in Patriar- „ chatus honore, in Summi Sacerdotii di- „ gnitate, & in Ecclesiastici Collegii socie- „ tate reciperemus, nostræque communio- „ nis participem faceremus, nè Ecclesiam „ Dei tanto jam tempore perturbatam pate- „ remur ampliùs manère divisam, scandalo- „ que commotam. Nos itaque Serenitatis „ vestræ preces congruâ ratione admittentes, „ quia Ignatium piæ memoriæ Patriarcham „ de præsenti vita jam migrasse cognosci- „ mus; temporis ratione perspectâ, hoc mo- „ do decernimus ad veniam pertinere, quod „ nuper de ipso Photio, licèt ipse absque „ consultu Sedis nostræ, officium sibi in- „ terdictum usurpaverit, gestum constat „ fuisse.

Falsata Photii Versio.

592 „ Quapropter vestris literis obse- „ quentes nos, & mellifluis verbis deliniti, „ ignis instar accensi, cum universa nostra „ Sanctissima Romanorum Ecclesia unani- „ mes & concordes surreximus ad omnia ea, „ quæ à vobis scripta sunt, prompto & ala- „ cri animo peragenda. Scripsistis nobis, „ noster dilecte fili, ut nostra Apostolica vi- „ scera misericorditer aperiremus, & omnes „ quotquot fuerunt, qui in vestra Ecclesia, „ vel propriis Chirographis, vel alio quovis „ pacto prævaricati sunt, & canonicis cen- „ suris obnoxii sunt effecti, reciperemus, & „ pacis & unionis curam haberemus. Quin „ etiam ante omnia Photium religiosissimum „ Episcopum nostræ communionis hæredem, „ & participem, & comministrum facientes, „ ad magnum Episcopatus culmen, & digni- „ tatem Patriarchalem, iterùm constituere- „ mus, nè Ecclesia Dei multo tempore schis- „ maticorum Deo exosorum, & malorum „ scandalorum fluctibus agitata permaneat. „ Nos verò vestræ Serenitatis preces acci- „ pientes, ac rationales & justas à Deo ac- „ ceptas, & tempus jam præstò esse, quod „ anteà quærebamus & invenire, Deum pre- „ cabamur; rationi enim congruum censen- „ tes, Ecclesiam Dei tranquillam reddere. „ Misimus propterea Legatos, qui vestram „ perficerent voluntatem.

Joannis genuina Lectio.

593 „ Nos statutis Apostolicis non præ- „ judicantes, nec Beatorum Patrum regu- „ las resolventes, quin potiùs earum aucto- rita-

„ ritatibus freti, qui Nicæni Concilii Capi- „ tulo fecundo apertiffimè dicunt; Quoniàm „ plura ante per neceffitatem, aut aliàs co- „ gentibus hominibus, adversùs Ecclefiafti- „ cam facta funt Regulam. Hinc & Gelafius „ Papa dicit, quòd ubi nulla perurget necef- „ fitas, conftituta Patrum inviolata ferven- „ tur. Et Sanctus Leo eodem fpiritu præce- „ pit, omittendum effe, & inculpabile judi- „ candum, quod neceffitas intulit. Indè & „ Felix Præful deceffor nofter in fua decre- „ tali Epiftola voce confonâ dicit, aliter tra- „ ctandum effe neceffitatis rationem, & ali- „ ter voluntatis. Indè etiam fanctum Con- „ cilium apud Africam geftum, Capitulo tri- „ gefimoquinto jubet, ut Clerici Donatifta- „ rum in Ecclefia propter Ecclefiæ pacem & „ utilitatem, fi correcto confilio ad catholi- „ cam unitatem tranfire voluerint, fi hoc „ paci chriftianæ prodeffe vifum fuerit, in „ fuis honoribus fufcipiantur, non ut Con- „ cilium, quod in tranfmarinis partibus de „ hac re factum eft, diffolvatur, in quo vi- „ delicet Concilio ftatutum eft, ut ordinati „ in parte Donati, fi ad catholicam partem „ tranfire voluerint, non fufcipiantur in ho- „ noribus fuis. De hoc etiam Beatus Papa „ Innocentius dicit Capitulo quinquagefi- „ moquinto, quòd fi qui à Bonofo hæretico „ ordinati funt, propterea fint recepti, nè „ fcandalum remaneret Ecclefiæ.

Falfata Photii Verfio.

594 „ Et licèt pietas veftra Photio vim „ inferendo nos prævenit in illo reftituen- „ do videlicèt, antequam noftri Legati „ iftùc veniffent: hæc tamen nos fupple- „ mus, non auctoritate noftrâ, licèt hoc „ etiam facere poffimus, fed Apoftolicis con- „ ftitutionibus, & Sanctorum Patrum decre- „ tis horum demoftrationem afferentes, ne- „ que Ecclefiæ regulas jamdiù traditas fol- „ ventes, fed eas in quibufcumque, dùm ha- „ rum nimis exacta, & immutahilis obfervan- „ tia fervatur, divellit, & deftruit totam com- „ pagem corporis Ecclefiæ, ad quod conducit „ trahentes, ab ipfamet Ecclefia edocti. Se- „ cundus enim Canon Nicænæ Synodi hæc „ habet. Quoniam frequenter vel à neceffi- „ tate, vel aliquovis pacto coguntur homines „ Ecclefiafticos Canones tranfgredi, & quæ „ fequuntur. Necnon Papa Gelafius de fe- „ ipfo inquit, quod ubi vis non apponitur, Sã- „ ctorum Patrum Statuta incòcuffa maneant. „ Similiter etiam Sanctiffimus Papa Leo in „ eodem fpiritu præcipit, dicens: ubi vis „ non præcedit, immobilia permaneant San- „ ctorum Patrum Statuta; ubi verò neceffitas, „ & vis reperitur, ibi ad id, quod convenit Ec- „ clefiis Dei, ille qui poteftatem habet, dif- „ penfet. Ex neceffitate enim, juxtà Divi- „ num Apoftolum, etiam legis fit mutatio. „ Felix præterea Papa confona etiam dicit: „ De hoc enim oportet animadvertere, ut „ ubi neceffitas contigerit, fæpènumerò „ etiam Coftitutiones Patrum tranfgredi li- „ ceat. Sancta etiam Synodus Carthaginen- „ fis ait trigifimoquinto Capite. Mandamus, „ ut Donatiftarum Clerici iterùm ad Eccle- „ fiam revertantur; licèt etiam à Synodo fue- „ rint damnati, Synodus etiam Synodum ab- „ rogaffe reperitur propter unionem Ecclefiæ, „ & concordiam. Et Innocentius Papa ait: „ ifti à Bonofo ordinati hæretico, recipian- „ tur, nè iterum fcandala in Ecclefia Dei „ oriantur.

Joannis genuina Lectio.

595 „ Nunc itaque aliis Patriarchis, „ Alexandrino videlicet, & Antiocheno, & „ Hierofolymitano, atque omnibus Archie- „ pifcopis, Metropolitis, Epifcopis, & Sacer- „ dotibus, cunctoque Clero Conftantinopo- „ litanæ Sedis, qui de Ordinatione Beati Me- „ thodii, & Ignatii reverendiffimorum Pa- „ triarcharum exiftunt, unâ voluntate, pari- „ que voto confentientibus, eundem Pho- „ tium fatisfaciendo, mifericordiam coràm „ Synodo, fecundùm confuetudinem, poftu- „ lantem, in vera dilectione fratrem, in pon- „ tificali officio comminiftrum (atque coràm „ Synodo mifericordiam quærendo) in pa- „ ftorali magifterio confacerdotem pro Ec- „ clefiæ Dei pace, & utilitate, amodò, Chri- „ fto favente, recipimus, & habemus.

596 „ Quia & vos Chriftianiffimi Im- „ peratores Augufti, qui Sanctæ Reipubli- „ cæ elementiffimo affectu gubernatis Impe- „ rium, pro Chrifto fungi legatione videmini, „ dùm pro pace rogatis Ecclefiæ, & nos, qui- „ bus, fecundùm Apoftolum, omnium Eccle- „ fiarum Dei follicitudo incumbit, contro- „ verfiâ aliquam in Ecclefia Dei ampliùs re- „ manere nolentes: hunc ipfum Patriarcham „ cum omnibus, fivè Epifcopis, fivè Presbyte- „ ris, feù cæteris Clericis, & omnibus laicis, „ in quos judicii fuerat cenfura prolata, ab „ omni Ecclefiafticæ Sanctionis vinculo ab- „ folvimus, Sanctæque Conftantinopolitanæ „ Ecclefiæ judicamus recipere fedem, Domi- „ niciq; gregis effe Paftorem, illâ fcilicet po- „ teftate fulti, quam Ecclefia Dei toto Orbe „ diffufa credit nobis in ipfo Apoftolorum „ Principe à Chrifto Deo noftro effe concef- „ fam, eodem Salvatore Beato Petro Apofto- „ lo prè cæteris fpecialiter delegante: *Tibi* „ *dabo claves Regni Cœlorum; & quæcumque* „ *ligaveris fuper Terram, erunt ligata & in Cœ-* „ *lis; & quæcumque folveris fuper Terram,* „ *erunt foluta & in Cœlis.* Sicut enim ex his „ verbis nihil conftat exceptum, fic per Apo- „ ftolicæ difpenfationis officiũ, & totum pof- „ fimus proculdubiò generaliter alligare, & „ totum confequenter abfolvere, præcipuè

„ cùm ex hoc magis præberi cunctis oporteat „ Apostolicæ miserationis exemplum.

597 „ Nam & Legati Sedis Apostolicæ „ ab antecessore nostro Hadriano, videlicet „ almifico Presule Constantinopolim directi, „ Synodi ibidem peractæ usque ad voluntatē „ sui Pōtificis vigilanti studio subscripserunt „ .... Nec ab Apostolico munere, quia „ Sedes Beati Petri Celestis Regni clavigeri „ potestatem habet, ligata qualibet Pontifi- „ cum,congruâ æstimatione absolvere;Quip- „ pè cùm constet multos jam Patriarchas, „ hoc est, Athanasium, & Cyrillum Alexan- „ drinos, Flavianum, & Joannem Costanti- „ nopolitanos, & Polychronium Hierosoly- „ mitanum synodicè damnatos, per Aposto- „ licæ Sedis postmodùm absolutionem resti- „ tutos incunctanter fuisse.

Falsata Photii Versio.

598 „ Neq; solùm istis, licèt tales essent, „ ut ex illis fuissent ut Hæretici damnati, „ Apostolica tamen Sedes Ecclesiæ pacis cu- „ ram gerens,manus adjutrices porrexit: ve- „ rùm etiam Orthodoxis Episcopis, & Pa- „ triarchis ad ipsam confugientibus, sicut „ nunc religiosissimus Photius,& auxiliū im- „ plorantibus,opem tulit.Nostis omninò ma- „ gnum Athanasium Episcopum Alexandri- „ num, & Cyrillum, & Polychronium Hie- „ rosolymorum Joannem, quem dilectio ve- „ stra Chrysostomum appellat, Flavianum „ etiam Constantinopolitanū:hos enim à Sy- „ nodis damnatos, & reprobatos, cùm ad „ Sanctam Romanam Ecclesiam confugis- „ sent,Apostolica Sedes hæc nostra confirma- „ vit, & ad priorem dignitatem restituit. Si „ igitur ex Donatistis, & ex Bonoso ordina- „ tionem acceperunt, & ab Ecclesiæ Catho- „ licæ limitibus fuerunt ejecti à Synodo nu- „ merosa,iterùm ab alia Synodo recipiuntur, „ & in Sacerdotum numero collocantur, ut „ Ecclesia Dei indivulsa, & à Schismatibus „ integra, & libera permaneat (nihil enim „ oculis Dei magis execrandum,& abomina- „ bile conspicitur, quàm is, qui Schisma- „ tum auctor in Ecclesiis extiterit, & nil ju- „ cundiùs vel chariùs etiam bonitati, quam „ Ecclesiam suam integritatem, perfectum „ erga Deum amorem, & erga proximū dile- „ ctionem conservare) multò magis viros or- „ thodoxæ fidei illustres, & vitæ gravitate,& „ rerum peritiâ celebres, non opportet illos „ contemni obnoxios pœnitentiæ jugo gra- „ vari, sed ad priorem dignitatem restituere.

599 „ Cùm enim semel Apostolica hæc „ Sedes claves accepisset Regni Cœlorum à „ primo,& Magno Pontifice Jesu Christo per „ Principem Apostolorum Petrum, cùm ille „ dixisset: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum;* „ *& quæcumque solveris super Terram, erunt* „ *soluta & in Cœlis, & quæcumque ligaveris* „ *super Terram erunt ligata, & Cœlis*: habet „ facultatem omnes ligandi atque solvendi,& „ juxtà Prophetam Hieremiam, evellendi,& „ plantandi. Hac de causa nos auctoritate „ usi Principis Apostolorū Petri,cum univer- „ sa Ecclesia affirmamus vobis, & per vos „ etiam Sanctissimis Fratribus, & Commini- „ stris Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, „ & Hierosolymitano, & reliquis Episcopis, „ & Sacerdotibus, & universæ Constantino- „ politanæ nos convenire, & consentire vo- „ bis, vel potiùs Deo in omnibus,quæ à No- „ bis petistis. Et primùm quidem nos reci- „ pere Photium admirabilissimum, & religio- „ sissimum Archiepiscopum Patriarcham fra- „ trem nostrum,& communionis cum Sancta „ Romanorum Ecclesia consortem, & parti- „ cipem,& hæredem,non solùm propter alias „ virtutes, quibus ille præstat, verùm etiam „ propter scandala è medio tollenda, & pa- „ cem Dei, & dilectionem ad invicem inter „ nos firmandam. Recipite etiam ipsum vos „ certo, & firmo animo, & charitate, & fide, „ omne iniquitatis, & malitiæ venenum, & „ duplicitatem, & ambiguitatem de cordibus „ vestris avellentes, sicut ipsum recepit Ro- „ mana Ecclesia *. Hæc Photius*, qui multa delevit, præcipuèque caput de petenda venia coràm Synodo, complura adjecit, & commutavit: sed & sequentia ex integro de suo addidit.

Adjecta ex integro à Photio.

600 „ Didicimus enim ferè ab omnibus, „ qui hùc veniunt ex illis,qui istic versantur, „ Photium omnibus prærogativis præstare „ coràm Deo, non solùm sapientia, & pru- „ dentia circà res Divinas, & humanas, ve- „ rùm etiam circà omnes virtutes morales, „ & curam Divinorum præceptorum, tam- „ quàm irreprehensibilem operarium cele- „ brari. Neque justum duximus talem virum „ otiosum, & inutilem permanere, sed in al- „ tum in vestra Ecclesia iterùm elatum, & „ lucentem consueta sibi, & Deo dilecta „ opera exercere, tùm ergà Sacerdotes, tùm „ etiam ergà Episcopos. Quapropter eun- „ dem resumentes sermonem, vobis dicimus: „ suscipite virum istum absque ulla dubita- „ tione.

601 „ Nec aliquis pro sui excusatione „ adducat injustas Synodos adversùs ipsum „ habitas, neque, ut multi stupidiores opi- „ nantur, decreta prædecessorum nostrorum „ Beatorum Pontificum, Nicolai videlicet, „ & Hadriani adversùs Photium lata,accuset: „ non enim recepta fuerunt ab ipsis quæ con- „ trà Sanctissimum Photium gesta fuerunt. „ Nullus per Chirographa vestra occasionem „ sumat ad Schismata fovenda cum illo, & „ ad invicem: omnia enim jam sedata sunt,& „ abrogata, omnia quæ contra Photium ge-

sta

„ sta sunt, irrita, & nulla per nos minimos „ in manibus Principis Apostolorum reposita sunt, & per eum in humeros Jesu Christi Agni Dei, qui tollit peccata Mundi.

602 „ Recipite igitur ipsum apertis ulnis, fratrem videlicet nostrum commilitrum. Recipite Episcopum & Dei, & irreprehensibilem. Recipite Patriarcham vestræ Ecclesiæ. Confirmate ergà illum dilectionem, fidem, & cum observantia obedientiam, & per hunc ergà S. Romanam Ecclesiam, eandem confirmate. Qui enim illum non recipit, nec ea, quæ à nobis, & Sancta Romanorum Ecclesia de illo decreta sunt, recipit; nec is adversùs nos bellum suscipit, sed adversùs Sanctum Petrum Apostolum, vel potiùs adversùs Christum ipsum Filium Dei, qui ità honoravit, & glorificavit Apostolum suum, ut ipse ab eo haberet facultatem ligandi atque solvendi.

603 „ Hoc etiam rogamus pietatem vestram, ut in memoriam revocetis, ex quo tempore scandala & schismata in vestram Ecclesiam ingressa sunt, & eam integritatem corruperunt; horum malorum nullam aliam fuisse causam, nisi quod vos Imperatores admisistis blasphemias & calumnias adversùs Pontifices & Patriarchas vestros, ac reliquos Dei Sacerdotes, necnon quod vos parvipendistis dilectionem & fidem & honorem & observantiam ergà illos. Rogamus itaque Divinam potentiam vestram, ut ex nunc aures obturetis Imperii vestri à Deo electi calumniis & obtrectationibus adversùs Pontifices, quas pravi illi homines & malis solùm gaudentes vobis suggerere solent, & eos tanquam piacula & abominationes, iniquas verborum illorum sagittas repellere velitis: Patriarchas autem vestros in honore habere, & quasi proprios Patres existimare, & tanquam Dei & hominum mediatores venerari. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, & quæ pro salute vestra faciunt vobis à Deo semper depræcantur; necnon, ut par est, pro iis, quibus vos Deum offendistis errantes, sacrificia ipsi offerunt, ut vobis Deum placent, benevolum illum vobis reddentes. Neque id solùm, verùm etiam pro tranquillitate & duratione potentiæ vestræ, & pro victoria adversùs hostes obtinenda, Deum nostrum misericordem orant. Doctores etiam & Magistri vobis existunt, dum vos admonent, ut ea faciatis, quibus regnum Cœlorum aquiratis.

604 „ Prætereà vos præ aliis diligere noscuntur; non enim adulatorum amicitiam sectari sciunt, vobiscum & adulatorum instar vos diligere, sed potiùs charitatem, quam ipsos docuit Christus Jesus per Sanctos Apostolos suos. Non oportet igitur vestros Patriarchas à vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædiximus, tum etiam, ut juxtà Domini præceptum illos diligatis. Nec vos lateat, quod si hoc feceritis non solùm honores illorum consequemini, quos vos honoratis & colitis: sed illum potius, qui eorum manibus in Altari ministratur, videlicèt Christum, qui pro peccatis omnium Deo offertur: qui enim illos honorat, Deum honorat; & qui illos aversatur & respuit, Deum ipsum respuit. Falsas itaque detractiones & obtrectationes, per quas Zizania & schismata & scandala in Ecclesia Dei oriuntur, & dividunt inconsutilem Christi vestem, tanquam venenum aspidum, vestrum Imperium vitet: & potius Sanctissimo Photio Fratri & Comministro nostro opem ferat in omnibus quæ ob Ecclesiæ bonum regimen faciunt.

605 „ Eos etiam qui ipsum, non quo par est, honore habent, argue, ut corrigantur; sæpè enim quos Dei timor, & ergà Divina, religio & pietas non correxit; Imperatorum & Principum indignatio in eos irruens modestiores reddit. Idque si feceris, regnum tibi Cœlorum comparere certò scitò, & sempiternam Imperii tui durationem, & pacis confirmationem. Si verò id minua feceritis, pro certò habeatis, quod nunquam schismata deerunt in Ecclesia Constantinopolitana. *Hæc ex integro adjecta.*

Joannis genuina lectio.

606 „ Eo tamen tenore ista statuentes, Apostolica dumtaxàt auctoritate & Sanctorum Patrum venerabilibus institutis decernimus, ut post hujus Patriarchæ obitum, nullus de Laicis vel Curialibus in Patriarchatus eligatur, vel consecratur honore, nisi de Cardinalibus Presbyteris & Diaconibus Constantinopolitanæ Sedis, secundùm Sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentiâ consecratos; quia nec præproperè contra Canones Ecclesiasticos, decretaque majorum citò quilibet Lector, citò Acolitus, citò Diaconus, citò Sacerdos vel Episcopus fiat, qui in minoribus officiis sic diù perdurent, & vita eorum pariter & obsequium comprobetur, ut per tempora à majoribus instituta, comprobatis priùs moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum Sacerdotium postmodum veniant. Quoniam non est subitò præripiendum vel usurpandum, quod vita diù probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum; quantò magis elaborandum est, ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore,

„ re, non fit in capite; & inde fiet, ut omnis Ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur. Et ideò hoc, quod nos modò pro Ecclesiastica unitate & pace, quã Christus Dominus noster nobis dedit habendam, ut cumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit.

Falsata Photii versio.

607 „ De hoc etiam legem condere tuum Imperium à Deo constitutum monemus, ut post obitum Sanctissimi Photii Comministri & Fratris nostri, nullus è sæculari ordine ad Pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur, sed potius ex Presbyteris Cardinalibus, ex iis videlicèt, qui Catholicæ Ecclesiæ sunt adscripti, vel ex iis Diaconis vel aliis Sacerdotibus, qui existunt sub Sede Constantinopolitana juxtà Sacros Canones, ut ne contra Ecclesiasticam regulam, & Sanctorum Patrum Canones res vestræ peragantur: procedere autem hunc volumus per singulos gradus Ecclesiæ satis probatum, primùm Lectorem, deinde Acolytum, posteà Diaconum, deinde Presbyterum, & tandem Episcopum, si tamen bonum habuerit testimonium de se, de pietate & scientia; quoniam dum inferioribus gradibus aliquod temporis spatium immoratur, ejus virtus & probitas agnoscitur, & hoc pacto oportet vestros Patriarchas progredi, non ex tempore præoccupare singulos gradus, ut in Domo Domini nihil inveniatur incompositum & inordinatum. Qui enim supra omnes gradus collocatur, irreprehensibilis in omnibus oportet reperiatur.

608 „ Nec quia (*hoc adiecit de suo*) nos vestræ Ecclesiæ paci & quieti consulentes, Photium Religiosissimum Fratrem nostrum recepimus, sicut & Papa Hadrianus Tharasium ejus avunculum, hoc jam vobis pro consuetudine & regula usurpetur; quæ enim rarò bona sunt non possunt lex fieri multis & pro lege sumi. A' Domino enim Nostro Jesu Christo edocti, etiam nos viscera misericordiæ recipientes, condonavimus vobis petitionem vestram tum de Photio, tum de aliis Sacerdotibus ex altera ordinatione existentibus indultum concessimus. Quicumque verò in futurum ausus fuerit id iterum committere, pœnitentia ex Canone, à nobis absque ulla remissione, & damnatio illi irrogabitur.

Joannis genuina lectio.

609 „ Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri jubemus, si ipse Patriarcha Bulgarorum Diœcesim, quam piæ memoriæ Nicolaus Prædecessor noster, Michaele ipsorum rege petente, Apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles Episcopos suos lavit unda baptismatis, omnique Ecclesiastica regula & disciplina, prout oportebat instruxit; amodò suo juri vendicare vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cujuscumque honoris ibidem ordinationem fecerit. . . . . ibidem sunt illicitè ordinati Episcopi vel Sacerdotes . . . . . . Archiepiscopo vel Episcopis qui ibidem videntur existere . . . . . . sacrum pallium, quo inter Sacra Missarum solemnia uti Pontificibus solitum est, ipse Patriarcha mittere præsumpserit.

Falsata Photii versio.

610 „ Rogamus etiam hoc pietatem vestram, ut neque Frater & Comminister noster Photius Sanctissimus, nec alius quispiam successorum ejus in futurum in Bulgaria ordinationes habeat, neque propriis manibus, neque per pallium illuc missum, neque per defensorem prædictam Provinciam Bulgarorum ut propriam ministret. In alieno enim solo non decet alios ædificare. Prædecessor enim noster Nicolaus felicis recordationis, precibus Principis Bulgariæ Michaelis, Apostolicis doctrinis gentem illam educavit, & per religiosos suos Episcopos omnes Ecclesiasticas regulas & Canones, & quæcumque ad Christianam religionem pertinent cum illis tradidisset, eos perfecit: licèt nonnulli audacter surripuerint nobis prædictam Provinciam, quæ ad eos non attinebat; Ordinationes etiam & consecrationes Ecclesiarum, & omnia quæcumque facere minus oportebat, peregerint. Quapropter præter prædicta, & hoc etiam vobis notum facimus, ut, si aliquando Episcopos ibi degentes contra nos aliquid delinquere deprehendemus, & canonicis pœnis illos subiiciemus, non habeant vos, ad quos confugiant, sed potius vos inveniant in hoc nobis concordes, nec dissentientes.

Joannis genuina lectio.

611 „ Porrò pro tantis perturbationibus, quibus Ecslesia vestra longo jam tempore manet turbata, vestræ augustali pietati obnixè suggerimus ut Constantinopolitanum Patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritalem, & utpotè inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum ' sedulè annuntiantem, pio semper affectu colatis, & ut condecet in omnibus honoretis: quia pro temporali, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem proculdubiò recipietis ab illo nempe, qui glorificantes se glorificare te-

sta-

„ flatur. Nec eorum verba falsò prolata, qui „ scandalorum Zizania super conspicuum segetem Domini seminare non cessant, vestra „ imperialis dignetur audire Majestas, nec „ pro talium susurrationibus hominum, qui „ semper student scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi, quique „ linguis suis semper dolosè agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis „ suis, animum Clementiæ vestræ adversùs „ eum aliquatenus commoveatis, & summum „ Sacerdotem vestrum, Dei providentiâ in Ecclesia Christi regimine constitutum sic facilè exhonoretis, quod nimirum sancto vestro Imperio valdè inhonestum & indecens „ esse videatur.

612 „ Præterea mandamus etiam, ut omnes Episcopos & Sacerdotes, seu cujuscumque ordinis Clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoriæ Patriarchæ „ consistunt, sive in ipsa Regia Urbe manentes, sive alicubi extra, longè, seù propè „ retrusos, clementi animo ad gremium & „ unitatem Sanctæ Ecclesiæ revocetis, & ulnis extensis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriasque unicuique illorum „ jubeatis reddere Sedes: ut sicut una est fides, unum in nobis baptisma, & omnes „ unum sumus in Christo; ita & isti, qui ad „ unitatem & societatem Ecclesiæ Dei & Corporis Christi redierint, & id ipsum dicentes perfectique existentes in eodem sensu, „ in eadem sententia, unus grex efficiantur, „ & unus Pastor; nec audeant ampliùs dicere: *Ego quidem sum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo*, sed unius Christi veri „ Dei nostri, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, veniensque, Cœlestia cum terrenis pacificare dignatus est. *Qui idcircò semel pro peccatis nostris mortuus est, ut Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Nec enim poterit unitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculis charitatis astrinxerit: quatenus, Deo favente, absque omni perturbatione, vobis regnantibus salvi „ & securi persistentes, pro salute vestra, & „ pro statu Reipublicæ, jugibus semper votis Dominum valeant deprecari.

613 „ Quod si fortè quidam extiterint „ cum eodem Patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundò & tertiò, ut „ Sanctæ Ecclesiæ se unire procurent. Quod „ si aquiescere noluerint, in sua pertinacia „ manere volentes, sacra eos communione, „ his præsentibus nostris Missis unà cum Synodo, jussimus privari, quousque ad suum „ redeant Patriarcham, & ad Sanctæ Ecclesiæ unitatem, cùm præcipuè ipsi Episcopi à „ nobis sint canonicè excommunicati, & ideò „ si eos in consortium suum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, „ similimodo eundem Patriarcham cum ipsis „ Episcopis Ecclesiastica communione judicamus esse privatum. Data Mense Augusto „ die decimasexta, Indictione XII. *Hactenus genuina Ioannis Epistola.*

Falsata Photii lectio.

614 „ Oramus præterea imperium vestrum Christo dilectum, ut congregetis Episcopos & Presbyteros cujuscumque ordinis „ Ecclesiastici & civilis qui à nobis dissentire „ videntur, ubicumque fuerint intra terminos vestros, eosque ad vos ducendos curetis, & moneatis, ut ipsi uniantur Ecclesiæ „ Dei, & Photio Sanctissimo Patriarchæ Fratri & Comministro nostro nobis unito. Proprias Pontificales & sacras vestes; gradus „ etiam illis restituite, & viscera misericordiæ illis aperite: ut quemadmodùm unus „ Deus, unum baptisma, una fides, ità & „ nos ipsi unum etiam in Christo. & per vestram piam doctrinam unum pariter nobiscum sint, & in Ecclesiæ Dei perfectione „ coordinati & conjuncti nobiscum in Christi „ Sanctissimum Corpus, ut in eadem mente, „ & in eadem voluntate permanentes Deum „ omnium glorificemus. Nec aliquis imposterum dicat; *Ego quidem sum Cephæ, ego verò Pauli*; sed ut omnes hoc dicamus, „ quod Christi sumus crucifixi & mortui pro „ nobis, qui per suam passionem quæ in terris sunt, & quæ in Cœlis, invicem conciliavit, & nos Deo conjunxit & Patri per „ se ipsum & mutua dilectione & communione. Si verò à vobis eos advocatos monentes: & hortantes, & orantes ad unionem „ Ecclesiæ convenire nobiscum semèl & iterum & sæpiùs obedire illis noluerint, neque nostris literis obtemperare & suammet „ lucrari salutem, sed in priori sua pertinacia & temeritate permanserint, istiusmodi homines præcipimus ab immaculati corpis & sanguinis Domini Nostri Jesu Christi „ perceptione alienos fore, quousque uniantur Sanctæ Dei Ecclesiæ & Photio Sanctissimo Patriarchæ Fratri & Comministro nostro. Et postea: Hoc peracto quæ sequuntur justam illorum damnationem, in his „ literis non scripsimus, ne ampliùs prorogaretur oratio præter modum, sed in commonitorio conscripsimus religiosissimi Petri „ Presbyteri & Cardinalis nostri Legati unà „ cum Eugenio & Paulo religiosissimis Episcopis, ut cum ipsis præsidens in Synodo „ unà cum Sanctissimo Photio Fratre & Comministro nostro, Dei oculum qui omnia videt, & semper vigilat, ante suos oculos „ habentes, & inevitabilem divinam justitiam „ & suam conscientiam immaculatam & inculpatam conservantes, omnes res Constantinopolitanæ Ecclesiæ & quæcumque „ indigent correctione, & quæ, ut par est, „ declinare debent, ut id quod melius est, & con-

„ conducibilius Dei Ecclesiæ peragatur. Cœlestis Imperator piam potentiam tuam custodiat. *Hactenus Photii versio, sed falsata.*

615 Adnotare modo licebit quomodo Photius, tam turpiter Joannis falsaverit literas, cœpit ab exordio, & ad finem usque progressus est. Et quidem in primo Capitulo recitatum sub num. 616. Delevit, quæ de auctoritate Romanæ Ecclesiæ Joannes posuerat: præcipuè verba illa. *Et ejus*, scilicèt Ecclesię Romanæ, *cunctis subiicitis auctoritati*. In secundo Capitulo quod habetur sub num. 118. verba illa: *quia Ignatium piæ mem. Patriarcham de præsenti vita jam migrasse cognoscimus*, omisit. Sicut & illa verba, Photius videlicèt, *absque consultu Sedis nostræ officium sibi interdictum usurpaverit*, præteriit, aliaque contexuit verba contrarium sensum importantia, quod nimirum vi coactus fuerit Patriarchalem thronum conscendere, atque Pontificem supplere fingit. In eo porrò Capitulo relato sub num. 622. Id quod Pontifex scribit de postulanda venia coram Synodo, prorsùs Photius sustulit, plura alia consarcinando verba nequaquam ab eodem conscripta Pontifice. Sustulit quoque ea quæ Joannes, subjungit: *Quia vos Christianissimi Imperatores*, quæ habentur sub num. 623. usque ad illa, *nam & Legati*, relata sub num. 524. substituendo alia pro suo libitu. Indè omnia quę in Photii versione leguntur à num. 627. ad numerum usque 632. inclusivè, sunt prorsùs adjecta ab eodem Photio. Ad ea etiam, quæ Joannes scribit notata sub num. 633. addit aliqua verba Photius, ut illa: *post obitum Sanctissimi Photii Comministri & Fratris nostri*, delevit verbum *Ostiarii* repositum à Joanne dum Ecclesiasticos ordines enumerat. Subjecit quoque de suo omnia quæ in ejus versione leguntur sub num. 634. sequenti porrò Capitulo complura miscuit à Pontifice minimè exarata: Et denique dum Joannes sub num 638. scribit: *Præterea mandamus*, delevit id Photius, & loco *mandamus*, reposuit *oramus*, ablato quoque & Ignatii nomine. Apparet ergò adeo corrupta Joannis Epistola in Photii versione, ut vix dignosci possit, eam esse Joannis. Sed & eandem sortem passa est altera quam idem Pontifex per eundem Petrum Legatum miserat ad ipsum Photium, prout ex earum exemplaribus perspicuum fit. Scribit namque Joannes hoc modo ad Photium.

Photio Patriarchæ Constantinopolitano.

616 „ Experentia tuæ prudentiæ literis Pontificio nostro delatis satis ubertim comperta, altitonantem Dominum, piissimas ei grates agentes, laudavimus qui postulatus dat omnibus sapientiam, & in Domo faciens unanimes habitare, salvat omnes in se sperantes, & protegit se in veritate quærentes, quique neque probos reos, neque facit pios tyrannos: tamen justè judicans, beatis quibuslibet æterna præmia, & infœlicibus, reservato interim pœnitudinis tempore, nisi resipuerint, æterna confert supplicia. Prædictis quoque literis præconia nostra legentes, affectum tuum cognovimus, & quam sis nunc erga nos devotus, satis evidenter reperimus: verùm in quo nostra merita non suffragantur Deo dimittimus; & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conatur, fragilitatem naturæ nostræ cum summa formidine, eodem Deo præoculis habito contemplantur. Scimus enim ipso dicente: *Quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

617 „ Quod dicitur autem, Sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam in te convenit teque privatam Sedem recipere: Missos verò nostros tecum minimè consecrare: de adunatione omnium Deo gratias agimus; sed missis nostris, ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, anteà comprobavimus. Nunc verò, sicut de pace & adunatione ipsius Sanctæ Ecclesiæ valde gaudemus, ità & de dissensione nolentium aquiescere contristamur, quia Samuele testante, *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & sicut genus Idololatriæ, nolle aquiescere.*

618 „ Verùm super receptione privatæ Sedis nos debuimus ante Consuli. Tamen quia obeunte Fratre & Coepiscopo nostro Ignatio, te Constantinopolitano throno præsidere audivimus; tantùm ut pax augeatur, & jurgia cessent multimodos Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes paternis ulnis amplectere, omnes dispersos congregare non desinas, omnes colligere solicitè stude; quia sicut Sanctus Papa Leo Magnus scribit, Sedis Apostolicæ, *inquiens*, moderatio hanc temperantiam servat, ut severiùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.

619 „ Et cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio, si satisfaceris coram Synodo, misericordiam secundùm consuetudinem postulaveris, ac si evidenti correctione utaris, & peritiæ non obliviscens, nullius damna moliaris, quin potius auxilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur, studiosè dissolveris, eosque suis Ecclesiis & honoribus restitueris: &, si, quia spiritualis Filius noster Basilius Christianissimus Imperator apud nos pro te multis precibus intervènit, omues uno voto, uno consensu, & unà concordia in tua restitutione convenerint: veniam pro pace Sanctę Constantinopolitanæ Ecclesiæ tibi concedimus, communionem quo-

„ quoque, & gradum coràm Synodo miseri-
„ cordiam quærendo nihilominus reddimus,
„ & ut Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ
„ præesse debeas, consentimus: ità tamen ut
„ deinceps de Laicis, in eadem Ecclesia Epi-
„ scopus contra Sanctorum Patrum statuta
„ nullatenùs ordinetur, & omnis illa mala
„ consuetudo abindè penitùs amputetur, jux-
„ tà Capitulum, quod super hac re in venera-
„ bili Synodo, tempore scilicèt decessoris no-
„ stri Hadriani Junioris Papæ Constantino-
„ poli habita, est congruentissimè promul-
„ gatum.

620 „ Reliqua verò quæ literæ tuæ à no-
„ bis fore censenda, expectant, dato Com-
„ monitorio nostris Legatis, Petro venera-
„ bili Presbytero Cardinali nostro, delicio-
„ sisque Consiliariis nostris quædam scriptis,
„ quædam autem verbis injunximus, qui
„ juxtà censuram nostri Apostolatus instructi
„ de omnibus, cuncta, Deo pro oculis ha-
„ bito, contemplantes, & admittenda ubi
„ fas est admittere studeant, & corrigenda
„ æquitatis libramine corrigant.

621 „ Prætereà sicut vestra pars suum
„ velle conatur accipere, ita & nos Diœcesim
„ nostram Bulgariam, quam Apostolicæ re-
„ cordationis, Sanctissimique Domini Papæ
„ Nicolai certamine Sedes Apostolica recepit,
„ ac Hadriani æque Beatissimi Præsulis tem-
„ pore possiderat, summa nobis celeritate re-
„ stitui volumus, & de cætero omnem ordi-
„ nationem Ecclesiasticam, ab Ecclesiæ Con-
„ stantinopolitanæ Præsulibus in eadem Diœ-
„ cesi Bulgarica, auctoritate Apostolica am-
„ putamus; ipsos autem ordinatos ibidem
„ Episcopos, & omnes alios inferioris Ordi-
„ nis Clericos, ut indè se subtrahant, & ab
„ invasione Bulgaricæ nostræ Diœcesis se om-
„ ninò compescant, decertare procures. Qui-
„ bus si tu, aut pallium dederis, aut quam-
„ cumque illis ordinationem feceris, vel do-
„ nec nobis obediant, cum eis communica-
„ veris, pari excommunicatione cum eis te-
„ neberis annexus. *Hactenus genuina Ioannis Epistola*. Sed quomodo eam Photius corru-
perit videndum, qui eam sic recitavit.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei Photio Sanctissimo Fratri & Commi-nistro Patriarchæ Constantino-politonæ Ecclesiæ.

622 „ Sapientiam & prudentiam frater-
„ nitatis tuæ in tuis literis cum perspexeri-
„ mus, instàr tonitrui cœlitus missi ex Deo
„ resonantem, & omnes terminos terræ suo
„ strepitu replentem, pias Deo gratias, &
„ excelsas laudes retulimus, qui omnibus
„ petentibus juxtà eorum petitionem largitur
„ sapientiam, & qui habitat in concordiæ do-
„ mo, & favet & protegit omnes, qui veri-
„ tate spem suam in ipsum collocant: quique
„ nec malos in finem reiicit, neque bonos ut
„ in tyrannidem aliquam incidant, supra eo-
„ rum vires permittit; sed potiùs justitiæ
„ æqualitate, ac judiciorum æquilibrio om-
„ nes res humanas dirigit, & fœliciter ducit.
„ Et Beatus ille, qui alacri animo: præsenti
„ tempore per pœnitentiam lapsos erigit: in
„ Cœlis enim iste thesauros sibi thesaurizat:
„ hic etenim in hac fœlicitate permanens
„ fruetur sempiternis futuris bonis, cum re-
„ velabitur futura Gloria. Tuas itaque præ-
„ dictas humanissimas literas cum accepisse-
„ mus, & laudes nimias, quibus nos exor-
„ nas, & qua animi alacritate ergà nos te ha-
„ bes, agnovimus, & quomodo piè & sanè
„ te geris, licèt laudes, quas nobis tribuis,
„ longè à nobis absint, cum enim mortalem
„ & mutabilem naturam nacti simus, non sunt
„ laudes satis tutæ; & magno timore affici-
„ mur, illius videlicèt qui omnia videt, & om-
„ nia prospicit, tum occulta, tum aperta,
„ ne aliquo pacto alitèr ab hominibus nos ha-
„ biti, alitèr in conspectu Dei reperiamur,
„ & pro laudibus & optata gloria, perpetuum
„ dedecus lucremur. Sed hæc permittamus
„ intereà Deo, qui novit omnia, & quem ni-
„ hil nostrum latet. Novimus enim ipsum di-
„ cere, *qui se exaltat humiliabitur*.

623 „ Scripsisti nobis, quod Sanctissima Dei
„ Constantinopolitana Eccl. in te recipiendo,
„ concora & unanimis facta est: & quod Se-
„ dem recepisti, quæ tua erat, & qua fue-
„ ras orbatus. His de rebus de Ecclesia vi-
„ delicèt, & de tua restitutione, qua es ad
„ propriam Sedem restitutus, Deo ex corde,
„ & pro virili gratias agimus. Habebant
„ etiam literæ pietatis tuæ, quod nostri Le-
„ gati noluerunt, quàm primum tibi commi-
„ nistrare. Et hoc factum dicimus, quia non-
„ dùm illis permiseramus, ut ea facerent,
„ quæ præceperamus. Si enim mandatum
„ nostrum habuissent, nulla ipsis fuisset du-
„ bitatio, nec alicujus mestitiæ causam pie-
„ tati tuæ præbuissent. Nec nos satis certi
„ eramus de fraternitate tua, quod ad tuam
„ Sedem te Deus restituisset, & jam ipsam
„ obtinuisses: Si enim hoc rescivissemus, mi-
„ sissemus proculdubiò, ut par erat, gratu-
„ laturi tibi pro tuæ Sedis receptione. Nè igi-
„ tur intereà iniquo feras animo: quod enim
„ antea defuit, jam ex suprabundantia im-
„ pletum est.

624 „ Didicimus præterea, quòd sunt
„ inter vos nonnulli Schismatici, qui non
„ quiescunt, sed in vanum laborant, & cer-
„ tamen Diabolicum certant, juxta Prophe-
„ tam dicentem: Divisi sunt contriti, ut evel-
„ lant & evertant ad se nonnullos simpliciores.
„ Et quemadmodùm gavisi sumus pro tua re-
„ stitutione, quam Deus operatus est, & unio-
„ ne facta Ecclesiæ: ità tristati sumus pro
„ Schismaticorum illorum interitu.

625 „ Tu verò, qui præstas sapientia & „ & prudentia & gratia à Deo tibi largita „ (quid enim habes quod non accepisti, si „ accepisti, novimus te non gloriari quasi „ non acceperis) omnes tibi devincire huma- „ nitate contendas eos, qui à te procùl sunt „ segregati & dispersi, misericordiæ viscera „ illis aperiendo, & benignitate illos comple- „ ctendo, simul congregare nè graveris; ut, „ quemadmodùm Sanctissimus Papa Leo Ma- „ gnus scribit, eos qui quærunt humiliari in „ conspectu Dei, & unionem vobiscum quæ- „ rere, suscipiamus. Sicut contrà adversùs „ eos qui duro sunt corde, fortitudine & con- „ stantia & patientia illos vincamus, duri- „ tiæ etiam cordis illorum obsistamus. Simi- „ liter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ „ lapsos sublevat, manus adjutrices præbea- „ mus. Non enim est desperatio pœnitenti- „ bus, & petentibus misericordiam non est „ confusio.

626 „ Quapropter fraternitatem tuam „ rogamus, ut Christi mores imitando, præ- „ cipuè verò ejus humilitatem, quam susti- „ nuit pro salute generis nostri, non te pi- „ geat in Synodo prædicare Dei erga te mi- „ sericordiam & auxilium, necnon Sanctissi- „ mæ Romanæ Ecclesiæ protectionem, & tu- „ telam, & laborem, quem pro tua dilectio- „ ne sustinuit, ut hoc pacto ædifices omnes „ pro communione nostra & animorum no- „ strorum concordia. Quandoquidem quæ- „ cumque ab illa petisti, obtinuisti etiam. „ Et sicut illis mos est, ut omnibus qui inju- „ stè patiuntur opem ferat, ità ejus auxilio „ tu non caruisti, sed Divina ope hujus San- „ ctæ Sedis labore & studio ad Sedem tuam „ es restitutus.

627 Quapropter rationi congruum duco, „ ut hujus consueti auxilii, necnon benigni- „ tatis, quam ipsis operibus singulis diebus „ experiris, de illa in omnem terram sonum „ emittere non obliviscaris, sed etiam ipsam „ sequere, & instar illius nulli damnum infe- „ ras, nec aliquem à visceribus misericordiæ „ tuæ repellas. Si qui usque adhuc unionem „ cum tua pietate amplecti noluerunt, neque „ tecum convenire, nè desistas, sed potius „ laborem & certamen sustine, cùm docendo, „ tùm etiam sermocinando, & longanimi ad- „ monitione, necnon alacri & benevolo vultu, „ ut juxtà Apostolum, vel omnes, vel ple- „ rosque lucrari studeas, & tibi conciliare, „ ac per te ipsi Deo accedentes, illos ad te, „ & per te ad Deum suscipere dignare. Sacer- „ dotales etiam honores & eorum Ecclesias il- „ lis restitue.

628 „ Et quemadmodùm spiritalis filius „ noster Imperator Basilius pro te nos roga- „ vit, & nos ejus petitioni rationabili & ju- „ stæ & Deo gratæ obsequentes, fecimus tua „ pietate, quod Imperator petierat, eodem „ pacto te rogamus, ut tu etiam obliviscaris „ malorum, quæ adversùs te commiserunt, „ qui à te fuerant abliénati, qui si revertan- „ tur ex corde, tua pietas honore insignita „ apertis ulnis illos recipere dignetur, ut om- „ nes fœliciter consentientes, ad conversionem „ & restitutionem tuæ Sedis commune gau- „ dium & diem festum, & lætitiæ pera- „ gamus.

629 „ Hoc etiam rogamus fraternitatem „ tuam, ut nobiscum decernas, ut imposte- „ rum nullus sæcularis extemporè ad Pontifi- „ calem Sedem assumatur, sed secundùm „ gradum & ordinem procedens, & pro- „ prium unusquisque in suo gradu progres- „ sum virtutis ostendens, ità Pontificalis Se- „ dis gradum obtineat. Qui enim aliter ascen- „ dit, Ecclesiasticis nostris Canonibus con- „ traria facit. Et volumus morem hunc, qui „ non est probandus, ab initio in vestra Ec- „ clesia inventum, imposterum irritum abo- „ lere. Hoc autem dicimus juxta Canonem „ editum in Synodo tempore Hadriani San- „ ctissimi Papæ & Tarasii beatæ memoriç Pa- „ triarchæ Constantinopolitani.

630 „ Synodum verò contra pietatem „ tuam ibidem habitam, irritavimus, & an- „ nullavimus, imò & abiicimus, tum pro- „ pter alia, tum etiam quod Beatus Papa Ha- „ drianus Prædecessor noster illi non subscri- „ psit: Reliqua verò omnia de Ecclesiasticis „ rebus, quæ tua Epistola nobis insinuavit, „ scribere omittimus, quoniam de illis in „ Commonitorio scripsimus, cui etiam sub- „ scripsimus omnes pro tua restitutione, & „ illud Petro Religiosissimo Presbytero Car- „ dinali & Legato nostro dedimus, quem „ misimus & unà cum Eugenio & Paulo Reli- „ giosissimis Episcopis Legatis nostris, Dei ti- „ morem præ oculis habentes, & suam con- „ scientiam immaculatam conservantes, om- „ ninò vobiscum faciant, quæ vestræ Eccle- „ siæ conferre noverint. Deus te conservet „ usque ad finem, dilecte Frater Reverendis- „ sime, & Comminister noster. *Hactenus Epistolæ Joannis Photii versio corruptissima*.

631 Ab exordio corrumpere enim incœpit, etiam inscriptionem diversificans, postea que in primò Capitulo, quæ in Dei laudem exaravit Joannes, in sui laudem verrit Photius. Tacet porrò in secundo Capitulo quod de usurpata Sede inconsulto Pontifice, scribit Joannes, & quasi Romanus Pontifex id tanquam justum, Photioque debitum comprobasset, verba hoc significantia supposuit. In laudem quoque sui multa consarcinavit. Cùmque Joannes in Capitulo IV., ut habetur sub num. 645. agat de petenda à Photio venia coràm Synodo, sicut egerat in literis Basilii, ità & his omnia illa sustulit, aliaque supposuit à Joanne minimè scripta. Quæ porrò Joannes scripserat de restituenda Diœcesi Bulgarica, omninò præteriit Photius; adjecitque

quæ de suo, quæ de abolitione & cassatio ne VIII. Synodi leguntur. Itemque, ut de non promovendis Laicis ad Patriarchale fastigium, aliqua falsa supponeret, cum Joannes citet Decretum VIII. Synodi sub Hadriano II. celebratæ, Photius nè ex hoc appareret, Joannem Papam probasse VIII. Synodum, transtulit verba illa ad Hadrianum I., qui vixit ætate Tharasii. Cæterùm facta collatione harum duarum Epistolarum, nemo erit non videns in quantis Photius genuinam corruperit Joannis Epistolam. Cùmque Joannes Papa, ut in superioribus fati sumus, scripserit per eundem Petrum ad Clericos quoque Constantinopolitanos, quorum nomine etiam literas supplices pro Photii restitutione acceperat, eas quoque subiiciendas duximus.

Reverendissimis, & Sanctissimis omnibus Episcopis & Confratribus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sedem respicientibus, seu tribus Principalibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

632 „ Quorundam sanè vestrum, fratres „ charissimi, scripta suscipientes, unanimi- „ tatem, atque consensum in parte Photii in „ eis plenè reperimus, indeque obnixè optan- „ tes, ut quod particulariter hactenus, hoc „ canonicè semper & generaliter, atque se- „ cundùm ea quæ sunt Christi Jesu, & non „ quæ vestra, pia animi devotione id ipsum, „ ut non sit in vobis schisma, sapiatis quæ- „ rere, pulsare, & invenire; nos autem mo- „ deratione Sedis Apostolicæ, sicut divisa „ contentione, atque dolemus scissa errore, „ ità gaudemus in vinculo pacis, ac charita- „ tis, compagine soliditatis, fraternitatem ve- „ stram sine intermissione inviolatè persistere, „ juxta Apostolum, *idem sapite, & Deus „ pacis erit vobiscum*

„ 633 „ Quod verò solicita intentione ve- „ stra petit dilectio, ut auctoritate Beati „ Apostoli Principis Apostolorum Petri, vo- „ bis Photium Patriarcham in Regia Urbe „ Constantinopolitana fore consentiamus, il- „ lud animo luce clariùs retinetis, quod in „ Evangelio primo Pastori Dominus ait: *Ego „ pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; „ & tu aliquando conversus confirma fratres „ tuos*. His hortatibus succensi; imò potius „ corroborati, in quantum sine gravi offen- „ sione valemus auxilium ferrè, tam cunctis „ Domino Sacerdotibus, quàm universo in „ Orbe terrarum Populo Christiano, nun- „ quam definimus, sequentes Prædecessorum „ exempla, de quibus sanctæ memoriæ Ha- „ driani Papæ in Tharasii nuperrimè Regiæ „ Urbis Patriarchæ confirmatione hæc inte- „ rim ponimus verba.

634 „ Ipse enim Tharasius Regiæ Urbis „ Patriarcha misit nobis synodicam, priscam „ amplectens consuetudinem, quam susci- „ pientes & liquidiùs indagantes, & tam de „ sassione rectæ fidei ejus, quàm dogmatum „ Sanctarum sex Synodorum, & veneranda- „ rum Ignatium ovantes, nimis iterum con- „ turbati, ac contristati sumus, quia ex Lai- „ corum ordine,& imperialibus obsequiis de- „ putatus, repentè in Patriarchatus culmen „ electus est, & Apocaligus contrà Sancto- „ rum Canonum censuram factus est Patriar- „ cha. Et quod dicere pudet, & grave ta- „ cère est, qui regendi adhuc & docendi, „ sunt Doctores, nec erubescunt videri, nec „ metuunt, ducatumque animarum impu- „ denter assumunt, quibus via omnis ignota „ Doctoris est, quod vel ipsi gradiantur, „ ignari sunt. Quod quàm pravum, quam- „ ve sit temerarium sæculari ordine, & disci- „ plina monstratur: Nam dum Dux exerci- „ tus, nonnisi labore & solicitudine expertus „ eligitur, quales animarum duces esse pos- „ sunt, qui in Episcopatus culmen immatura „ cupiunt festinatione conscendere? Hujus „ saltem rei comparatione considerent, aggre- „ di repentè inexpertos labores abstineant; „ quippe qui non didicerint quod doceant. „ Unde canonica instituit censura, nequa- „ quam ex Laico ad Sacerdotium repentè „ transire. Et nisi per ejus fidelem concursum „ pro Sanctarum Imaginum erectione, ejus „ consecrationi assensum omnimodo tribuere „ nequivimus.

635 „ Porrò & nos, ac vos, fratres cha- „ rissimi, lege constringimur, ut si deinceps „ apud eunctam Ecclesiam, quæ in vobis est, „ à paternis regulis per similem prævaricatio- „ nem nunquam spondeatis delinquere, idest, „ nè Neophitum repentè ad honorem ascen- „ dere. Et si Parochiam Bulgariæ gentis, „ quæ Deo auctore Beati Petri Apostoli in- „ tercessione; atque decessorum nostrorum „ labore ad Christum conversa est, subducta, „ quam ibi fecistis illicitam,ordinatione, red- „ dideritis, & abjectos quosque fratres, ac „ discordantes vestro labore reconciliaveritis „ studio cum prædicto Photio quem Patriar- „ cham in Regia Urbe desideratis habere, „ aliisque piis operibus, offensionem, quam „ coràm Deo, & sanctis canonibus contraxi- „ stis, in hac parte recompensaveritis, vene- „ rabilem Fratrem Photium coràm Synodo „ misericordiam quærendus, & Patriarchatus „ honore fungi volumus, & nostræ commu- „ nionis, imò & Beatorum Apostolorum, „ seu omnis Ecclesiæ fore Domini, miseratio- „ ne, participem. Hoc exemplo roborati „ maximè, quo egregius Prædecessor noster „ Innocentius Sanctissimus Papa Photium re- „ staurare dignatus, dicens: veniam nunc „ ad maximum quasi quoddam thema, Pho- „ tinum & inter alia: quia res ad salutem

„ rediit veniæ, hunc in tantum vobis annitentibus post condemnationem more Apostolico subrogamus, tantisque vestria assertionibua, vobisque, tam bonis, tam caris non dare consensum, omnihus duris rebus duriùs arbitramur. Pro vestra ergò approbatione, fratres charissimi, & sententia & postulatione Episcopum Photium habitote. Licitum est ita constituere ut deprecamini; & nostram in meliùa conversam sententiam, labore vel testimonio vestro, compotes voti suscipite. Solicitos enim vos pro salute libenter admitto, cui manum porrigits, vobiscum porrigo; cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim est ad Corinthios Apostolica declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam, ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Data Mense Augusto Indictione XII.

Missa per Petrum Presbyterum.

636 Hæc itaq; rescripsit Joannes ad Episcopos, cæterosque de Clero, sub quorum nomine literas Photius ad Pontificem, quasi suam restitutionem postulantes, miserat, quas pariter corrupit, auferendo præcipuè ea, quæ ad veniam postulandam à Photio coràm Synodo, Pontifex scripserat; & quemadmodum in aliis se egerat superiùs recitatis literis, ità & in hac substituit in illorum loco sequentia: *Photius Patriarcha sanctissimus & religiosissimus frater noster non dedignatur in conspectu Synodi gratiam & studium nostrum, quin potiùs viscera misericordiæ Romanorum Ecclesiæ prædicare, quòd ab ea sit receptus.* Tantum absuit à superbia Photii, ut veniam coràm Synodo postularet. Aliam porrò, ut fati sumus, ad Constantinopolitanos, tùm Laicos, tùm Clericos, fecit Joannes Epistolam tenoris sequentis.

Eximiis viris Joanni, Leoni, & Paulo patriciis, atque Styliano, Joanni, & Metrophani Reverendissimis Metropolitis, & cæteris Sacerdotibus, seù cujuscumque ordinis, Clericis, seù Laicis.

637 „ Omnium Ecclesiarũ Dei, secundùm Apostolum, follicitudinem habentes, & Pastoris gregis Dominici nobis in ipso Apostolorum Principe curam commissam gerentes, Dño dicente: *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas*, condolemus vobis; quoniàm multis jam labentibus annis usque ad præsens, in discordiæ divisione, & in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manère, nec per charitatis custodiam ad unitatem Ecclesiæ reverti. Quam videlicet unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris & Filii fidem non tenet, vitam non tenet, nec salutem. Hoc deniquè unitatis Sacramentum, hoc concordiæ vinculum inseparabiliter cohærens ostenditur, quandò in Evangelio tunica Domini nostri Jesu Christi non dividitur omninò, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis potiùs Christum indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Possidere enim non potest indumentum Christi, qui scindit, & dividit Ecclesiam Christi. Quis ergò sic sceleratua & perfidus? Quis sic discordiæ furore vesanus? Quis aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei? Vestem Domini? Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo dicens: *Et erit unus grex, & unus Pastor*. Apostolus autem Paulus hanc eandem nobis insinuans unitatem, hortatur, dicens: *Obsecro vos per nomen Domini Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Et iterùm dicit: *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis*; quoniam nec habere pacem cum Deo poterit qui cum fratribus pacem per zeli discordiam non habuerit. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt Sacerdotes, charitatis Dei qui non sunt veste induti? Pacem nobis Christus dedit: *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Concordes, atque unanimes esse præcipit; dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inviolata mandavit.

638 „ Et ideò vestram salutem cupientes, monemus, & Apostolicâ benignitate jubemus, vos omnes Sanctæ Ecclesiæ uuiri, vestroque Patriarchæ, Photio videlicet, quem pro Ecclesiæ Dei pace & unitate recepimus, adhærere, communicareque studete; Nam si hæc Apostolica nostra monita tantis supradictis testimoniis divinis firmata audire contempseritis, in vestra pertinacia manere volentes, scitote, quia Missis nostris præcepimus tamdiù vos omni Ecclesiasticâ communione privare, quamdiù ad unitatem Corporis Christi, & ad vestrum contempseritis redire Pontificem. Nec aliqua vestrum hanc habeat in redeundo excusationem pro scripturis de hac causa compositis, quia divinâ potestate, quam accepit Ecclesia Christi, cuncta solvuntur vincula, quandò per pastoralem auctoritatem, quæ fuerant ligata, solvuntur; quoniam, sicut dicit Sanctus Papa Gelasius, nullum est vinculum insolubile, nisi circà eos, qui in errore persistunt. Datâ mense Augusto, Indictione XII., die XVI.

Missa per Petrum Presbyterum.

639 Cùmque Joannes in superiùs recitatis literis, tùm ad Imperatorem, cùm ad Photium datis, fateatur, se commonitorium quoquè Legatis suis misisse ad illorum instructionem, quomodò scilicet oportebat se geri in Photii causa, tùm in Synodo celebranda, tùm extrà illam, sequendo in cunctis Apostolicæ Sedis jussa. Quod quidèm commonitorium ex more in Synodo Romana, consentientibus compluribus congregatis Episcopis, & Cardinalibus, editum fuerat; proindè & hoc transcribere opus esset, ad exactam Joannis gestorum in hac causa habendam notitiam. Sed quoniàm Eruditis omnibus testantibus cum Baronio, Binio, & aliis, genuinum Joannis commonitorium minimè extet; benè verò corruptum à Photio, atque falsatum, quod sic corruptum, recitatum fuit Act. III. Photianæ Synodi, ideò nè quidquam ad hanc causam conducens, desiderandum restet, illud subjiciemus, prout à Photio jam corruptum, in præfata Photiana Synodo recitatum fuit, quod sic se habet.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei, Commonitorium fratribus Paulo, & Eugenio Episcopis, similiter & Petro Presbytero Cardinali, nostris Constantinopoli Legatis.

640 „ Cùm primùm, Divinâ favente „ gratiâ, & intercessionibus Sanctorum Apo„ stolorum, Constantinopolim ingressi fueri„ tis, illùc divertite, quò præcipiet Impera„ tor; & antequàm Imperatorem visitaveri„ tis, nulli alii Apostolicas literas tradere „ velitis. Cùm coràm Imperatore fueritis, „ literas illi tradetis hujusmodi verbis illum „ alloquentes: Salutat vestrum ex Deo Re„ gnum spiritalis vester Pater Dominus Jo„ annes Apostolicus Papa, tuam ex Deo po„ tentiam suis orationibus singulis diebus „ Sancto Deo commendans, ut ille, qui vo„ bis hoc dedit desiderium propter Ecclesia„ sticam pacem, tribuat vobis gratiam suam, „ & consoletur vos suâ fœlici protectione, & „ perficiat in bonis desideria vestra. Si ro„ gaverit Imperator, antequàm literas le„ gat, sivè Capitula responsionis nostræ, hu„ jusmodi verbis illi respondete: Si jubet „ imperium vestrum, videat Epistolas. Et si „ dixerit: Quid continent Epistolæ? Illi „ respondete: Salutationes continent, & „ omninò rectè perficiunt.

641 „ Postridiè salutaturi Photium san„ ctissimum accedite, & Epistolam illi tra„ dite, salutantes illum decenter talibus „ verbis: Salutat te Dominus noster Joan„ nes Apostolicus Papa, & vult habere te „ fratrem, & comministrum, sicut scripsit „ Imperator, ut propter pacem Ecclesiæ re„ ciperemus Sanctissimum Patriarcham Pho„ tium fratrem & comministrum nostrum, „ exaudiremus preces vestras, & præcipe„ remus, ut coràm nobis veniat ad Syno„ dum. Et ut recipiat ipsum universa Ec„ clesia, juxtà tenorem literarum nostrarum, „ illum recipite ut comministrum nostrum, „ atque ut Ecclesiæ Romanæ gratiam ha„ beat, surgentes illi dicite: Mandat „ Dominus noster Sanctissimus Papa, ut om„ nes, qui in diversis locis extrà terminos „ extiterint, sivè Episcopi, sivè Presbyteri, „ sivè quivis alii fuerint; & noluerint huc„ usquè vobis communicare, vestro opere & „ labore uniantur Ecclesiæ Dei,& fiant unum „ vobiscum. Qui, si venerint, recipite illos „ ut pater recipit filios, eosque monebit sæ„ piùs, ut propter pacem Dei Ecclesiæ idem „ sentiant cum Apostolico, ut unius sint „ cum ipso voluntatis, recipientes videlicet „ Photium Sanctissimum Patriarcham, & „ cum illo unà communicantes. Si autem „ venerint quicumque anteà fuerant ordi„ nati, accipiant ab Episcopia ipsis victum, „ & vestitum necessarium.

642 „ Præsidentibus vobis in Synodo „ unà cum prædicto Sanctissimo Patriarcha, „ & Legatis Orientalibus, unà cum reliquis „ Archiepiscopis, Metropolitis, & omnibus „ Sacerdotibus Constantinopolitanæ Eccle„ siæ, primùm legantur literæ ad Imperato„ rem missæ; & interrogetur Synodus, si „ illas recipit, & si observat testimonia, quæ „ continent literæ ipsæ. Quibus annuenti„ bus, hæc dicite: Dominus noster Sanctis„ simus Papa, omnium Ecclesiarum curam „ gerens, salutem etiam vestram, & unionem „ & pacem procurans, misit nos servos suos, „ ut dispersos congregemus, & dissidentes „ conciliemus, & Ecclesiæ misericordiæ ma„ num porrigamus, lapsos erigamus, ut om„ nes uno ore glorificemus Patrem cum Fi„ lio, & Spiritu Sancto.

643 „ Sequentes Canones nostrorum Pa„ trum dicimus, ut post obitum Photii San„ ctissimi Patriarchæ, nullus à civili dignita„ te Constantinopolitanam Sedem ascen„ dat, quemadmodùm etiam literæ nostræ „ testantur.

644 „ Volumus etiam, ut coràm Syno„ do prædictum Photium Sanctissimum Pa„ triarcham oretis, ut neque Pallium in „ Bulgariam mittat, neque ordinet quem„ quam in ipsa Provincia. Si enim hæc fe„ cerit, juxtà sacros Canones illum ar„ guemus.

645 „ Volumus prætereà, ut coràm uni„ versa Synodo promulgetur, quòd Syno„ dus habita adversùs prædictum Patriar„ cham Photium tempore Hadriani Sanctis„ simi Papæ, tùm Romæ, tùm Constantino„ poli, ex nunc habeatur nulla, & irrita, „ & non numeretur cum alia sancta Sy„ nodo.

646 „ Advertite, ut juxtà mandatum „ nostrum ità ambuletis, neque muneribus „ vos corrumpi sinatis, neque adulationi- „ bus, neque minis & terroribus declinetis, „ sivè ad dexteram, sivè ad sinistram, sed re- „ giam viam incedite, tanquàm habentes lo- „ cum & potestatem nostram, quam vobis „ propter Ecclesiæ pacem sumus impertiti, „ ut vestro labore & diligentiâ dignè gra- „ tiam nostram, & Apostolicæ Sedis obti- „ neatis, & nostræ communionis sitis hære- „ des. *Hactenus Commonitorium.*

Sequuntur subscriptiones.

„ Zacharias Episcopus Ecclesiæ Ana- „ gninæ, & Bibliothecarius Apostolicæ Se- „ dis in hoc Commonitorio pro receptione „ Photii Sanctissimi Patriarchæ, propriâ ma- „ nu subscripsi.

„ Martinus Episcopus Ecclesiæ Narnien- „ sis in hoc Commonitorio Apostolicæ Se- „ dis pro restitutione Photii Sanctissimi Pa- „ triarchæ, propriâ manu subscripsi.

Ità eodem modo subscripserunt infrascripti Episcopi.

„ Dominicus Episcopus Triventi. Flo- „ rius Episcopus Marturensis. Gaudericus „ Episcopus Velitrensis. Stephanus Episco- „ pus Ferentinas. Leo Episcopus Sabinen- „ sis. Petrus Episcopus Forosempronensis. „ Leo Episcopus Terracinensis. Walpertus „ Episcopus Portuensis. Simeon Episcopus „ Fundensis. Joannes Episcopus Siminorum. „ Benedictus Episcopus....... Gregorius „ Episcopus Sylvæ Candidæ. Bonifacius „ Episcopus Bleranorum. Theodorus Epi- „ scopus Gallesiensis. Stephanus Episcopus „ Nepesinus.

Subscriptio Presbyterorum Cardinalium.

„ Germanus Presbyter, Tituli Sancto- „ rum Joannis & Pauli. Petrus Presbyter, „ tituli Sanctæ Balbinæ. Hadrianus Pres- „ byter, tituli Sancti Laurentii. Joannes „ Presbyter, tituli Sanctæ Cæciliæ.

Diaconi Cardinales.

„ Paulus Diaconus subscripsi. Leo Dia- „ conus subscripsi.

Hactenus subscriptiones.

647 At corruptum à Photio hoc monitorium, ex ipsius genuinis suprarecensitis literis satis manifestum fit. Indubium est, quemadmodùm in literis, ità & in monitorio, Joannem Photio injunxisse, ut veniam peteret coràm Synodo, quod in hoc monitorio desideratur. Sicut enim à Joannis literis hoc idem sustulit Photius, ità quoquè ab ipso monitorio abrasit. Immutavit etiam eâ, quæ de restituenda Bulgariç Diœcesi Ecclesiæ Romanæ Joannes scripserat. Non enim verosimile est, in monitorio injunxisse Legatis, ut rogarent Photium pro hac restitutione, quandò in suis literis absolutè restituendam præcipit, adjectâ quoquè excommunicationis pœnâ. Deniquè id, quod de abrogatione Concilii œcumenici, celebrati sub Hadriano II., in causa ejusdem Photii, in ipso legitur monitorio, longè abest à verò, est prorsùs adjectum à Photio; quoniàm in literis Joannis genuinis non habetur, sed in falsatis dumtaxat à Photio, ut in eis videre est. Immò ex ipsa subscriptione Patrum monitorio adjecta, quam fortè intactam Photius reliquerat, nihil sibi præjudicare cogitans (mendax enim non semper omnia advertit) apparet, nihil de abolenda Synodo Joannem in monitorio posuisse; nam quemadmodùm Patres illi fatentur se subscribere pro receptione Photii: *In hoc Commonitorio pro receptione Photii sanctissimi Patriarchæ propriâ subscripsi manu*; ità quoquè fassi fuissent se subscribere pro abolitione Concilii œcumenici, quod erat majoris momenti. Immò ipse Joannes in Epistola data ad Photium 250., & in altera sequenti, data ad Imperatores Orientis post Photianam Synodum, apertis verbis protestatur, se Acta illius Synodi recipere in ea tantùm parte, quæ respiciebat Photii restitutionem, juxtà ipsius mandata, nullâ penitùs factâ mentione de abolitione VIII. œcumenicæ Synodi; undè addit: *Et si fortassiè nostri Legati in eadem Synodo contrà Apostolicam præceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.*

648 Sic itaque & literis, & monitorio Joannis Papæ corruptis atque falsatis, Synodum in Regia Constantinopolis Urbe habuit Photius Anno Domini DCCCLXXIX., Pontificatus Joannis Papæ VIII. Anno VII., Imperii Basilii XIII., inchoatâ à mense Septembris Indictione XIII., consedisse in ea cum Apostol. Sedis Legatis CCCLXXXIII. Patres, Acta ipsa produnt, apud Baronium ad hunc Annum, sub num.64., licèt non dubitet fateri, nomina tantorum Patrum majori ex parte esse à Photio conficta: „ In prima „ Actione, *inquit*, Synodi Photianæ perpe- „ ràm ab ejus Auctore octavæ nuncupatæ, „ non habentur ex instituto antiquo Eccle- „ siæ usu dies, & Consul, sicut in aliis sub- „ sequentibus Actionibus. Totus enim fuit „ Photius in componendis suo more nomini- „ bus Episcoporum. In prima enim Actione „ recitatur numerus Episcoporum trecento- „ rum octuagintatrium. In omnibus magna „ adulatio, & Græca vanitas & levitas. *Hæc Baronius.* Quæ porrò in ea acta sunt, in septem continentur Actionibus, si reverà acta sunt quæ in eis Photius recenset.

649 In prima namque Actione habetur in primis Photii jactantia, quòd nimirum Joannes Papa semel, & iterùm per suos Legatos eum inviserit, primùm per Paulum, & Eugenium, inde per Petrum. A' mendacio quidem incipit, quoniam constat ex ipsis Joannis supra recitatis literis ad Photium datis, primos Legatos, Paulum scilicet, & Eugenium nequaquàm communicasse cum Photio, de quo ipsemet conquestus est in literis ad Joannem missis. Absolutâ porrò Photii jactantiâ, surgens Joannes quidam Heracleæ Thraciæ Episcopus, multa contrà Romanam effutiit Ecclesiam, eique mala omnia, quæ acciderant, adscribens. Multa quoquè contrà Nicolaum, & Hadrianum Romanos Pontifices protulit, laudans Joannem Papam; Synodum ad præterita curanda mala congregatam, fassus est; Multa, quæ, ut fatebatur, passus erat injustè Photius, declamavit. Deindè inducuntur Legati, quasi munera Apostolica, vestes scilicet Sacerdotales, & ornamenta Episcopalia à Joanne Papa missa, obtulissent Photio. Nec finè mendacio, cùm ex Joannis literis constet, talia non fuisse missa donaria; si enim misisset, ex more non tacuisset Joannes.

650 Secunda Actio legitur habita die xvi. Novembris, Indictione xiii., in qua primùm lectę sunt Joannis literę ad Basilium, & ad Photium datæ, corruptæ tamen à Photio, prout scilicet Photius inde habito priùs sermone in sui laudem, maximam in Ignatium humanitatem se exhibuisse jactavit, dùm viveret, qua etiam, jam defunctum, se eum prosequuturum pollicitus est. Lectæ porrò sunt literæ Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Basilium datæ, eo fine, ut octava Synodus œcumenica destrueretur. Deindè introductus est Thomas Metropolita, qui fuit unus ex tribus Legatis Orientalium Sedium in viii. œcumenica Synodo, aliis duobus, ut illic dicitur, mortuis; procuratum est à Photio, ut hic pœnitens recantet palinodiam de ministerio adhibito in dicta œcumenica Synodo. Lecta est post hæc Epistola Theodosii Patriarchæ Hierosolymorum ad Photium scripta, tota, ut Photius volnit, encomiastica. Lectæ sunt quoquè Epistolæ Patriarchę Antiocheni, nomine pariter Theodosii, & Abrahami Metropolitæ Amidorum, illa ferè tota versabatur in laudem Photii; hæc verò acrem continebat invectivam contrà octavam Synodum. Et ità absoluta est Actio secunda.

651 Die porrò xviii. ejusdem mensis, convenientibus iterùm, celebrata est Actio tertia, in qua primùm lecta est Epistola Joannis Papæ, data ad Ecclesiam Constantinopolitanam, & Episcopos eidem subjectos, & ad Patriarchas Orientis. Cùmque in eis literis fateretur Joannes, se pacem Ecclesiæ Orientalis procurare, Photiani Episcopi conclamarunt, quòd jam antè Joannis literas Photium sequentes Patriarcham pace fruerentur; hujusmodi verò literas omninò superfluas fuisse. De Diœcesi Bulgarica Sedi Apostolicæ restituenda, ut in præfatis literis continebatur, dixerunt, negocium ad Imperatorem remittendum, cùm ageretur de Imperii terminis. Lecta posteà est Epistola Theodosii Episcopi Hierosolymitani, data ad Imperatorem, qua miserias suas deplorabat, propter receptas à Saracenis molestias, petens eleęmosynarum subsidium. Et denique falsatum Joannis monitorium recitatum est, & absoluta est Actio tertia.

652 Porrò habita est Actio iv. mense Decembri, feriâ v. in vigilia Nativitatis Domini: In ea introductus est Legatus Patriarchæ Antiocheni, lectæque sunt literæ ab eo contraditæ, quæ plura in laudem Photii continebant: asserebatur quoquè in eis, Legatos missos ad viii. Synodum, non Patriarcharum fuisse Legatos, sed Saracenorum. Introducti indè sunt duo Patricii, quasi pœnitentes de gestis eorum contrà Photium in viii. Synodo, affirmantes, se à falsis Legatis deceptos. Posteà recitata sunt quinque Capitula, quasi à Legatis Apostolicæ Sedis proposita. Primum, de Diœcesi Bulgariæ; alterum, de non eligendo Laico in Patriarcham; Tertium; nè Patriarcha assumatur de aliena Ecclesia; Quartum, de abroganda Synodo viii. contrà Photium habita. Quintum deniquè, ut excommunicarentur qui cum Photio communicare renuissent. Quæ omnia Synodus recepit, excepto Capitulo de Ecclesia Bulgarica, quod Imperatoris voluntati commissum fuit.

653 Demùm habita est Actio v. Die xxvi. mensis Januarii, ineunte Anno Domini DCCCLXXX., in qua de septima Synodo habitus est sermo, decretumque est, ut ab omnibus inter œcumenicas reciperetur. Citatus porrò est Metrophanes Metropolita Smyrnensis, qui pro Ignatio plurimùm laboravit, & dira sustinuit, & habitus est ut Schismaticus, eò quià secutus Ignatii partes, noluerit cum Photio communicare. Deindè suggerentibus Apostolicæ Sedis Legatis, ut Photius fingit, decretum est, nè excommunicati, & depositi à Romano Pontifice recipiantur à Photio, & è converso, nec recipiantur, nec restituantur à Romano Pontifice depositi, & ejecti à Photio.

654 Ad hæc verò tres Canones hac in Actione conditi sunt: primus, nè depositi à Photio, vel excommunicati ab eo, absolvi, aut restitui possint à Romano Pontifice; sicut depositi à Romano Pontifice, nec recipi, nec absolvi possint à Patriarcha Constantinopolitano: quo Canone voluit Photius se æquare Romano Pontifici, demptâ appellatione ad Sedem Apostolicam, sibi omni jure debita, atq; roborata etiam per Sardicenses Canones.

655

655 Secundus Canon: nè quis relinquens Episcopatum, trãsiens ad statum monasticum, Episcopatũ retinendi haberet ampliùs facultatem, nec ad illum revertendi aditus patefieret. Qui certè Canon repositus est à Gratiano in sua collectione caus. 7. quæst. 1. cap. 45. *Temporis*, & hoc veluti ac si esset conditus in legitima Synodo, non advertens editum in hoc Photiano Conciliabolo.

656 Tertius deniquè Canon editus est adversùs Sçculares Magistratus, carceribus mancipantes, vel verberantes Episcopos. Quo Canone sibi Photius consulere voluit, magìs quàm aliis. Ad hæc verò sequutæ sunt omnium subscriptiones, in primis verò Legatorum Apostolicæ Sedis cum detestatione omnium Synodorum sub Hadriano Pontifice contrà Photium collectarum.

657 His porrò quinque in Ecclesia absolutis Actionibus, iterùm convenerunt in Palatio, in aureo triclinio sic dicto, ubi Actionẽ VI. habuerunt, præsente Basilio Imperatore. in qua, Photio suggerente, exhibita, & recitata est Fidei definitio, comprobata in septem œcumenecis Synodis, adjectâ contestatione, nè quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omninò. Porrò recitatum est Symbolum Nicenum, & Constantinopolitanum, reprehendentes Latinos, quòd addidissent verba illa, *Filioque*, quæ non habentur in Niceno, neque in Constantinopolitano. Subscripsit porrò Imperator cum improbatione eorum, quæ contrà Photium acta fuerant in VIII. Synodo. Subscripsit quoquè eodem modo Imperatoria Filius.

658 Deniquè die XIII. Martii in magna Ecclesia iterùm convenientes, celebrata est Actio VII., ubi iussa est legi Fidei definitio in præcedenti Actione probata, additis, & multiplicatis Anathematismis, si quis quid ei adderet, vel minueret. Et ità absoluta est Photiana Synodus, œcumenica dicta, & conclamata ab universis Schismaticis.

659 Exaltat hanc Synodum Nilus Schismaticus Metropolita Rhodi, qui in suo de Synodis libello, sic de hac scribit Synodo: „ Sancta, & œcumenica octava Synodus „ trecentorum octoginta Sanctorum Patrum „ habita est, imperante Basilio Macedone, in „ qua Synodo coaluit pax cum Occidentali „ Ecclesia, ac reliquis Patriarchis, manifestè „ profitentibus occidentalibus in hæc verba: „ *Nos ità legimus, ac credimus, ut vos, & absquè ulla additione Symbolum Sanctum, ut „ ità se habens, sit verè Symbolum veræ Fidei. „ Sed & eos qui addunt, aut detrahunt quid, „ anathematizamus*. Aderant illic Joan„ nes Papa Romæ (*hoc falsum*) Photius Con„ stantinopolis, & Legati Romanorum Ec„ clesiæ, Paulus, & Eugenius Episcopi, & „ Petrus Presbyter ac Cardinalis, aliique „ Patriarchæ per Legatos: quibus congre„ gatis pro communi Ecclesiarum concor„ dia, Presbyteri senioris Romæ conclama„ runt, decorum est, nihil aliud innovari, „ sed veterem definitionem, & toto orbe „ obtinentem ac celebratam, legi, & confir„ mari.

660 „ Cùmque Sanctum Symbolum abs„ que adjectione, sicuti se habet, lectum „ fuisset, Sancta Synodus acclamavit: Nos „ secundùm Servatoris doctrinam, & Apo„ stolorum traditionem, ac præterea secun„ dùm canonicos Sanctarum œcumenica„ rum septem Synodorum typos definitionẽ „ sinceri ssimæ Christianorum Fidei antiqui„ tùs à Patribus ad nos usque propagatam, „ mente, & linguâ comprobamus, & omni„ bus constanter annunciamus, nihil detra„ hentes, nec adiicientes menti, nec verbis, „ nihil immutantes, nihil adulterantes.

661 „ Posteà Legatis Romæ, & tota „ Synodus acclamavit, si quis edat aliud „ Symbolum, aut hanc definitionem com„ moveat, vel adiiciat, detrahatvè quidpiam „ huic Sacrosanctoque Symbolo, quomodò „ lectum est, anathema esto. Hæc etiàm in „ Romanis Canonibus actorum bujus Syno„ di comperiuntur ex Epistola Joannis Papæ „ Romani ad Photium Patriarcham Con„ stantinopolis. Et tua fraternitas novit, „ quòd cùm ad nos venit, qui nuper ab ea „ missus est, ut probaret nos super Sancto „ Symbolo, invenit nos illud conservantes „ intemeratum, prout antiquitùs nobis tradi„ tum fuerat; neque quidquam adiicientes, „ detrahentesvè, cùm probè noverimus, iis „ qui talia audent, gravem imminere con„ demnationem. Rursùm igitur significa„ mus reverentiæ vestræ, ut de hoc articulo, „ ob quem inter Ecclesias Dei scandalum „ exortum est, ità de nobis persuasum ha„ beas; quòd non modò dicimus hoc, sed & „ eos, qui primùm ausi sunt suâ temeritate „ hoc facere, eos transgressores Divinorum „ Sermonum censemus, & interversores, „ Theologiæ Domini Christi, Sanctorum„ que Patrum, qui synodicè Symbolum „ hoc Sanctum acceperunt, eosque cùm Ju„ da collocamus, quod idem ac ille sint ausi, „ non Dominicum quidèm Corpus morti tra„ dentes, sed fideles, qui sunt Corporis ejus „ membra, lacerantes, & alios ab aliis di„ scerpantes. *Hactenus Nilus*, totus intentus, ut hujus Concilii auctoritate firmetur dogma de processione Spiritus Sancti à solo Patre. Cæterùm Epistolam Joannis Papæ, quam citat adversùs processionem Spiritus Sancti etiàm à Filio, confictam prorsùs à Photio, nemò est qui non agnoscat. Sic enim se habet.

Joan-

Joannes Episcopus servus servorum Dei, Photio Reverendissimo, & catholico fratri Patriarchæ Constantinopolitano, gratiam desupèr ad opera salutarem.

662 „ Non ignoramus, quòd nonnulli „ eorum, qui apud vos sunt, pacis parùm „ studiosi de nostra Ecclesia, & de Nobis ip„ sis, veritate neglectâ, malè loquuntur. „ Resque eò progressa est, ut parùm absit, „ quin tua fraternitas de nobis, & de iis, qui „ nobis sunt subditi, malè sentiat. Et illi „ quidèm nacti sunt occasionem, sicut etiàm „ ego ipse affirmarem hujusmodi proposito „ satis congruam. Veritas tamèn ipsa, uti „ se habet, nullo pacto est adulterata, ne„ què vitiata, ut procedens sermo rem ma„ nifestam faciet, & Deus hoc ipsum nobis „ suo testimonio desupèr confirmabit. Ve„ rùm illi instar eorum, qui vinum aqua mi„ scent, & adulterantur, nonnulla à seipsis „ falsa fingentes, & excogitantes adhibent. „ Oportet enim, ut Dæmon, qui ab initio „ mali opifex fuit, & inter nos, & Deum „ inimicitias posuit, ac deindè nostrum pri„ mum parentem à Dei amore separavit, & „ Creatori suo inimicum illum constituit, „ etiàm nùnc aliquos habeat sui Ministros, „ & hos ipsos impellat, ut inter Ecclesias „ scandalum aliquod concitent.

563 „ Ego verò ad Deum potiùs aucto„ rem, & largitorem oculos dirigens, qui „ inimicitias, etiàm in Cruce, sua morti tradi„ dit, pro viribus illorum omnium, qui „ malis delectantur, ora obstruere contendo. „ Et hac de causa etiàm, antequàm tua fra„ ternitas aliquid mihi significet, hæc tibi „ manifesta facere decrevi, ut de rebus no„ stris satis edoctus, aures minùs præbeas iis, „ qui contendere, & conviciari student; sed „ ipsos rejicias potiùs & respuas, efficias „ præterea, ut alii eorum verbis fidem non „ adhibeant.

664 „ Novit etiam tua fraternitas, quòd „ cùm nuper ad nos accessit is, qui à te mis„ sus est, & de sancto Symbolo nos consu„ luit, quomodò invenit nos illud inconcus„ sum, sicut nobis ab initio traditum est, con„ servare, neque aliquid addidisse, vel de„ traxisse, cùm rectè noverimus, quòd eos, „ qui talia facere audent, gravis condemna„ tio expectat. Reverentiæ itaquè tuæ ite„ rùm significamus, ut de hac additione in „ Symbolo (*ex Filio scilicet*) tibi satisfacia„ mus, quòd non solùm hoc non dicimus, „ sed etiam, quòd eos, qui principio hoc di„ cere suâ insaniâ ausi sunt, quasi transgres„ sores divini verbi condemnamus, sicut „ Theologiæ Christi Domini eversores, & „ Sanctorum Pontificum, & reliquorum San„ ctorum Patrum, qui synodicè convenien„ tes, sanctum Symbolum nobis tradiderunt, „ & unà cum Juda illos collocamus, quod „ eadem ipsa, quæ illi patrare non sunt vè„ riti, non quia Dominicum Corpus morti „ tradiderunt, sed quia Dei fideles, qui sunt „ ejus membra, schismate segregarunt, & „ invicem diviserunt, & ità æterno igni illos „ præcipites dantes, & multò magis seipsos, „ ut fecit prædictus Judas indignus Christi „ discipulus, suffocarunt.

665 „ Arbitramur autem, tuam Reve„ rentiam rectè nosse, cùm sis sapiens, & do„ ctrinâ præditus, quòd dùm, ut reliqui no„ stri Episcopi nobiscum idem sentiant, totis „ viribus contendimus, non mediocrem id „ nobis molestiam affert. Et reverà rem adeò „ gravem tàm citò commutare, nullus id „ facere posset, licèt brevi tempore ortum „ habuerit, nec multorum annorum spatio „ fuerit confirmata. Et hac de causa rationi „ congruum nobis visum est, nè violenter „ aliquis cogatur à vobis additionem illam „ dimittere, quam ipse adjecisse Symbolo se „ noverit, sed potiùs mansuetudine aliquâ „ hujusmodi homines admonere, & paulatim „ à blasphemia revocare: *Pascite*, inquit, „ *Summus Apostolorum Petrus, qui in vobis* „ *est, gregem Dei, providentes, non coactè,* „ *sed spontaneè, neque ut dominantes in Cle*„ *ris, sed forma facti gregis*. Qui igitur ità „ nos accusant, ac si talia malè sentiamus, „ non jure nos accusant. Tuam itaquè decet „ fraternitatem, neque scandalum aliquod „ adversùs nos pati, neque à reliquo Eccle„ siæ corpore proscindi, sed potiùs nobiscum „ fidei agones sustinere cum prudentia & „ longanimitate; & alios, qui à veritate de„ clinaverunt, ad illam amplectendam revo„ care, ut pro his eandem nobiscum merce„ dem recipias. Valè in Domino Reveren„ dissime, & Catholice Frater. *Hactenus con*„ *ficta sub Joannis nomine Epistola*.

666 Huic Epistolæ innixus Nilus conatur probare auctoritate Romani Pontificis, Spiritum Sanctum à solo procedere Patre. Verùm à Photio ipso sub mentito Joannis nomine confictam, præter multos probat Baronius ad Annum Domini DCCCLXXIX., sub num. 59., eò quòd ipsemet Photius in Epistola, quam de hoc eodem argumento scripsit ad Archiepiscopum Aquilejæ, de qua suo loco dicemus, de hac Joannis Epistola vel minimam mentionem facit. Si enim ejusmodi literas accepisset, magno certè præconio exhibuisset, vel citasset; eò magis, quòd etiam mentiendo, tradit in eadem Epistola, aliquos ex Romanis Pontificibus id idem docuisse. Scribit pariter ad præfatum Episcopum Aquileje, Legatos missos à Joanne Constantinopolim, in Synodo antiquæ Fidei professioni, additamento, *Filioque* carenti, subscripsisse, nullo facto verbo de Joannis Epistola. *Hæc ex Baronio*. Itaque verosimile est,

ad suos decipiendos Græcos præfatam supposuisse Epistolam; proindèque non est usus eâ, agens cum Latinis, certò certiùs sciens, facilè ab eis potuisse de falsitate convinci, adhibito etiam ipsius Romani Pontificis testimonio, si opus fuisset. Longè etiam abest à stylo Joannis, ut ex ejus genuinis Epistolis manifestè liquet. Longè quoquè aliena est à gravitate Romani Pontificis, servato stylo nimis abjecto.

667 Subjungit Baronius, Joannis VIII. temporibus in Romana Ecclesia absque aliqua ambiguitate usu receptum, ut Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedere diceretur; probatque ex eo, quòd Joannes Diaconus scribens ad hunc ipsum Joannem Pontificem quatuor à se elaboratos libros Vitæ S.Gregorii Papæ, lib.4. cap.75., ubi agit de Dialogis ab eo scriptis, & in Græcum à Zacharia Papa translatis, justè quæritur, quòd cùm ipse Sanctus Gregorius, lib.2. cap. ult., asseruerit disertis verbis, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, illi textum corrupuerint, illaque verba, *Filioque*, abradendo, illi abstulerint, eos magnoperè redarguens, quòd audacter nimis, sicut & impudenter, Sancti Gregorii textum ità corrupuerint, planè significans, Romanam Ecclesiam nihil diversum ab ipso Sancto Gregorio Papa sentire, nec Joannem, ad quem scribit, ab ea sententia discrepare. *Ità ex Baronio*.

668 Porrò, in appendice ad Libellum Synodicum hujus Constantinopoliani Conciliaboli, magis, quàm Synodi legitimæ, mentio habetur, his verbis: „ Ignatio circà An„ num Domini DCCCLXXVII. mortuo, „ Photius, consentiente Joanne IX. Papa „ Romano, qui VIII. aliàs solet nominari, in „ Solium Patriarchale reductus est à Basilio „ Imperatore. Habita indè Synodus est Epi„ scoporum Constantinopoli, in qua de unio„ ne cum Joanne his verbis, quæ apud Bal„ samonem reperiuntur, est actum. Statuit „ sancta & universalis Synodus, ut si qui ex „ Italiæ Clericis, vel Episcopis, in Asia, vel „ Europa, vel Lybia versantes, sub vinculo, „ vel depositione, vel anathematizatione „ apud Sanctissimum Papam Joannem fue„ runt, ut ii quoquè sint ejusmodi etiam apud „ Photium sanctissimum Patriarcham Con„ stantinopolitanum in eadem pœnæ defini„ tione, idest, vel depositi, vel anathemati„ zati, vel segregati; & quos Photius qui„ dèm sanctissimus noster Patriarcha, Cleri„ cos, vel Laicos, vel Episcopalis, vel Sa„ cerdotalis ordinis in quacumque Parochia, „ segregationi, vel depositioni, vel anathe„ matizationi subjecerit sanctissimus quoquè „ Papa Joannes, & Sancta Dei Romano„ rum Ecclesia eodem pœnæ judicio habeat; „ privilegiis, quæ adsunt Sanctissimæ Ro„ manorum Ecclesiæ Sedi, & ejus Anti„ stiti, nihil penitùs innovatis, nec nunc, „ nec imposterùm. *Hactenus ex Libello Synodico*.

CAPUT XX.

De hujus Synodi auctoritate, & reliquis Ioannis VIII. cum Photio gestis.

669 HAnc Synodum, œcumenicam Græci schismatici pronunciant, ut sanctam, atque in Spiritu Sancto congregatam venerandam proclamant, eamque, abrasâ legitimâ & œcumenicâ VIII. sub Hadriano celebratâ, illius loco substituunt. Hinc Theodorus Balsamon in sua Canonum collectione tres hujus Synodi recenset Canones, veluti in œcumenica conditos Synodo. Hanc pariter Zonaras in altera Canonum collectione & interpretatione loco octavæ posuit. Ità se egit Nilus Metropolita Rhodi in Libello de Synodis, quos posteà secuti sunt cæteri Schismatici. Hinc Marcus Ephesius in Synodo Florentina, Act. sextâ, hanc eandem pro œcumenica citavit, ut etiam in superioribus fati sumus, inquiens: „ Synodus hæc, de qua loquitur vestra Re„ verentia, continet Acta adversùs Photium „ (*legitima nimirum* VIII.) tempore Joan„ nis Papæ, & Hadriani. Posteà celebrata „ est altera Synodus, quæ Photium resti„ tuit, & priorem Synodum abrogavit. Hæc „ Synodus, quæ octava etiam est appellata, „ facta est sub Joanne Papa, cujus Joannis, „ inquam, Papæ extant pro Photio Epistolæ. *Hæc Ephesius*.

670 Hanc porrò ut legitimam videtur agnovisse Innocentius III., qui in Epistola data ad Episcopum Faventinum, electum in Episcopum Ravennatem, quæ habetur lib. 1. Decretal. tit. IX. cap. XI. *Post translationem*, citat Canonem secundum ejusdem Synodi, ubi dicitur: *Ut si quis Episcopus ad vitam monasticam descendere, & pænitentiæ locum implere voluerit, Antistitii dignitatem non ampliùs retineat. Monachorum enim instituta ad obedientiæ & disciplinæ rationem pertinent, minimè verò ad Magisterii, & præfecturæ; atque eorum sunt, qui non alios pascere, sed pasci profitentur*. Etenim Faventino Episcopo ad Archiepiscopatum Ravennatem translato, Præpositi, & Canonici Faventini jus eligendi in primum Canonicum summo consensu detulerant. Ipse verò Joannem Canonicum Regularem Sancti Fridiani Sarnatensem, olim Episcopum, in Faventinum Episcopum postulavit. At requisitus Innocentius, respondit: „ Postulationi hujus videbatur Con„ cilii Constantinopolitani Capitulum ob„ viare, in quo statutum est: *Ut quicum„ que de Pontificali dignitate ad Monacho„ rum vitam, & pænitentiæ locum descenderit*,

„ *rit, nequaquàm ulteriùs ad Pontificatum* „ *resurgat*.

671 Gratianus porrò in suo Decreto, caus. 7. quæst. 1. sub Cap. XLIV. disertis verbis eandem Synodum recipit, recitato enim Gregorii Canone de Sedium mutatione, postulante temporum necessitate, subjungit: *Undè in quinta Actione Constantinopolitanæ Civitatis Synodo CCCLXXXIII. Patrum sub VIII. Joanne Papa, cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus, Apocrisiarii Papæ dixerunt*. Et statim subjungit, recitans secundum Canonem præfatæ Synodi: „ Hoc nequam apud nos habeatur, ut „ quicumque de Pontificali ordine & habitu „ ad Monachorum descenderit vitam, ulte„ riùs possit in Episcopatum reverti. Item, „ præcipit sancta Synodus, ut quicumque „ de Pontificali dignitate, habituque ad Mo„ nachorum vitam & pœnitentiæ descenderit „ locum, nequaquàm ad Pontificatum re„ surgat. Monachorum enim vita subjectio„ nis habet verbum & discipulatus, non do„ cendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. *Hæc ex Gratiano*.

672 Nihilominùs apud universos Catholicos indubitatum est, præfatam Synodum esse prorsùs reprobatam, quid, quid Græci jactent, nec Innocentius III. eam recepit; & licèt citet Canonem secundum ejusdem Synodi, non ideò hoc, quasi existimaret eam legitimam, sed potiùs, aut lapsus memoriæ, aut deceptus ex aliqua Canonum collectione, in quam potuit incidisse, quià existimavit editum in Synodo prima Constantinopolitana, ut ejus sequentia indicant verba, cùm statim subjungat: *Undè contrà dictum Concilium (cùm sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur) nullatenùs videbatur eorum postulatio admittenda*.

673 Gratianus porrò utiquè præfatum Canonem inseruit in suo Decreto, ut editum in hac Synodo, quia non visus est ei bonis moribus, aut Ecclesiasticæ contraire disciplinæ, sicut & multa alia inseruit ad propositam conducentia quæstionem, etiam ex Apocryphis deprompta. Exposuit tamen illum, nimirum habere locum in iis Episcopis, qui ob crimen, & pœnitentiæ agendæ causâ ad statum monachalem transeunt, non de illis, qui aliis de causis, quas etiam Innocentius exponit, ad Monasteria, relicto Episcopatu, transeunt. Mens tamen Photii in eo condendo Canone talis fuit, ut Ignatium, qui è Solio Patriarchali pulsus, in Monasterium secesserat, ad Ecclesiæ regimen redire non potuisse, & à Sede Apostolica, & octava Synodo illegitimè restitutum fuisse, imperitis persuaderet. Cæterùm ab ipsomet Joanne VIII. omnia antefatæ Synodi gesta, restitutione dumtaxat Photii exceptâ, primùm reprobata fuisse, ex infrà recensendis palàm fiet.

674 Absolutâ Synodo, Imperator Basilius, & Photius literas fecerunt ad Joannem Papam, quas Apostolicæ Sedis Legatis, Paulo scilicet, Eugenio, & Petro, Romam reversuris, contradendas, Pontifici dederunt. In eis namque literis, dissimulatis quæ in ea Synodo acta erant contrà Romanorum Pontificum Nicolai, & Hadriani, atque Synodi VIII. œcumenicæ Decreta, necnon & quæ contrà ipsiusmet Joannis mandata egerant, agique permiserant, nil aliud continebatur, quàm reddita, Photio restituto, pax Ecclesiæ Constantinopolitanæ; restitutio Ecclesiæ Bulgaricæ Apostolicæ Sedi, ut Joannes jusserat; & quod in promptu erat Classis expedienda versùs Italiam contrà Sarracenorum incursiones. Photius verò addebat suis in literis, omnia cessisse secundùm votum Pontificis; tantùm se misericordiam coràm Synodo non rogasse, quòd proprium illud sit eorum, qui aliquid inìquè gesserunt, suæ certè non immemor superbiæ. Nec aliud Legati oretenùs, Romam jam reversi, retulere Pontifici, cæteris actis pariter dissimulatis. At Pontifex relectis præfatis literis, & auditâ Legatorum relatione, non discordante ab eis, propter transgressum mandatum de petenda à Photio venia coràm Synodo, suspicatus est, non in hac dumtaxàt parte, sed in aliis quoquè Capitibus Legatos mandata sua prætergressos, undè datis responsis, tùm ad Imperatorem, tùm ad Photium, in fine cujusque Epistolæ protestatur, nihil aliud de gestis in ea Synodo probare, quàm Photii restitutionem; cætera verò, si fortè gesta præter ejus mandata, prorsùs reprobare. Ad Imperatorem ergò his verbis rescripsit,

Imperatoribus Augustis.

675 „ Post innumeras sollicitudines, quibus nimirum oneratur Imperiale fastigiū, „ laudabile clementiæ vestræ cognoscimus „ Christianissimi Imperatoris esse proposi„ tum, per quod submotis omnibus discor„ diarum, & zizaniorum seminibus, quæ in „ agro Dominico humani generis inimicus „ asperserat, Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ piis„ simæ mentis affectu consulere voluistis. In „ quo scilicet animi voto ac desiderio, quan„ tùm rebus humanis favère Divina Provi„ dentia dignetur, sollicitudo clementiæ ve„ stræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ „ in Catholica Ecclesia misericordem per „ auctoritatem & judicium Sedis Apostoli„ cæ, quæ, Christo Domino delegante, totius „ Ecclesiæ retinet Principatum, nihil impa„ catum, nihil voluit esse diversum, cùm „ omnes schismaticâ pravitate divisos, vel „ zelo quolibet separatos, atque dispersos, „ clementi affectione, vel studio ad veræ pa-

„ cis soliditatem, concordiæque sincerissimæ unanimitatem revocare, & in uno Christi ovili cum proprio Pastore, Photio videlicet confratre, & comministro nostro, aggregare curavit. Pro quibus videlicet nostri pastoralis magisterii officium est, apud Serenitatis vestræ Augustalem clementiam assiduâ semper sollicitudine omnimodis intercedere, ut vestræ pietatis Majestas, more christianissimorum Imperatorum, benigna circà omnes existat; & quasi, Deo contemplante, populum Domini sibi commissum fœlici regat semper & gubernet intuitu, nec ampliùs patiatur, eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti, quatenùs post hoc vitæ præsentis imperium, cœleste adipisci, & in æternum cum Domino retinere valeatis.

676 „ Nunc itaque pro tanta devotione, animique vestri sinceritate, quam non solùm verbis, sed lucifluis etiàm operibus circà Ecclesiam Sancti Petri, & nostram Paternitatem ostendistis, immensas postDeum Serenitati vestræ gratias agimus. Primò quidèm, quòd Dromones vestros, qui pro defensione Terræ Sancti Petri, in nostro manerct servitio, nobis misistis. Secundò autèm, quòd Monasterium Sancti Sergii intrà vestram Regiam Urbem constitutum, quod Sancta Romana Ecclesia jure proprio quondam retinuit, Divinâ inspiratione repleti, pro honòre Principis Apostolorum nostro Præsulatui reddidistis. Tertiò verò, vobis grates multas referimus, quià Bulgarorum Diœcesim pro amore nostro, gratanti animo Sancto Petro, ut justum erat, permiseritis habere. Undè obnixè petimus, ut vestro potenti solatio Sanctam Romanam Ecclesiam in hoc periculoso tēpore in omnibus adjuvare, defendereque non dedignemini; quatenùs ex hoc vestra Imperialis Gloria Apostolicis suffragantibus meritis, per cunctas Mundi partes magis ac magis accrescat, & apud Omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat.

677 „ Et iterùm humiliter petimus, ut in hujus bonæ voluntatis, ac pietatis affectu, quem pro amore Dei circà Ecclesiam Christi habetis, immobiles permaneatis; quoniàm nos Augustalem Excellentiam vestram ulnis extensis amore paterno amplectimur, & honore debito veneramur, atque assiduis orationibus nostris juxtà sacrosancta Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Corpora fusis, omnipotenti Domino commendare studemus, ut pro tantis beneficiis, quæ Sancto Petro impenditis, ipse vobis, & in hoc præsenti sæculo vestrum Sanctum Imperium cum omni prosperitate, magìs ac magìs conservet incolume, clarisque semper dignetur ubique decorare triumphis; & in Cœlesti postmodùm regione sempiternam gloriam, & Beatitudinem cum Sanctis, & electis suis habere concedat. Nam & ea, quæ pro causa restitutionis Reverendissimi Photii Patriarchæ Synodali Decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortassè nostri Legati in eadem Synodo contrà Apostolicam præceptionem egerint, nos, nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis. Data Idibus Augusti, Indictione XIII. *Hactenus Joannis Epistola ad Basilium, & Filium reddita.* Ad Photium porrò in hæc scripsit verba.

678 „ Hoc nostri semper certaminis, & laboris fuit; hoc nostri voti existit, ut pro orthodoxæ Fidei integritate, seù pro statu, & pace omnium Dei Ecclesiarum, quarum curam constringimur, adeò operam demus, quatenùs dispersa congregentur, congregata conserventur, & ut quidquid inhonestum, vel aliter quàm se rectitudo habet, per providentiam Dei, Sanctorum Apostolorū meritis suffragantibus corrigatur, omni conamine, juxtà officium nobis commissum, speculando satagimus.

679 „ Hujus rei gratiâ, more Apostolico Sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ misereri volentes, decrevimus, ut unius incrementum nullius fieret detrimentum; quin potiùs omnium manifestum existeret adjutorium. Convocatâ nostrâ Ecclesiâ, quantùm ad præsens tempus coegit necessitas, auctoritate, & potestate Apostolicâ dictę Constātinopolitanæ Ecclesiæ consuluimus, & Legatis nostris directis, ut inoffenso pede incederent, instituimus; de cujus scilicet unitate pacis, sivè concordiâ gratulamur, & cunctipotenti Domino laudes innumeras referentes, licèt ei, qui tanta bona servis suis largitur, condignas grates agere non possimus, hunc benedicimus, & assiduis vocibus glorificare studemus. Gloria namque sit illi, & omnis laus, ac virtus, cujus majestate, & semper perlaudabili gratiâ certatâ ad rectitudinem reducuntur, prava diriguntur, contumacia retunditur, humilitas exaltatur, zizania quandòque evelluntur, scandala amputantur, & omnis bonitas augumentatur: undè non in nobis, sed in eodem Domino, gloriemur, jucundemur, & exultemus in misericordia ejus, qui dicit: *Confidite, quia ego vici Mundum*. Et in alio loco: *sine me*, inquit, *nihil potestis facere*; sed cùm nos scriptis, & verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decreverimus, mirandum valdè est, cùr multa, quæ nos statueramus, aut alitèr habita, aut mutata esse noscantur; & nescimus cujus studio, vel neglectu variata monstrentur.

680 „ Cæterùm scribens subintulisti, quòd, te innuens, nonnisi ab iniqua geren-

tibus

„ tibus misericordia sit quærenda; quòd, & „ nos de his, qui Deum se scire non fantur, „ licèt dispensatoriè fatemur; tamèn nos, „ quod lectum est, exagerare nolumus, nè „ quod dignum est, judicare cogamur; ideo- „ que talis excusatio sileat, nè hoc dicentes, „ illa sententia tangat, quâ dicitur: *Vos estis, „ qui justificatis vos coràm hominibus; Deus „ autèm novit corda vestra; quià quod homi- „ nibus altum est, abominabile est apud Deum.* „ Igitur laudabilis tua prudentia, quæ dici- „ tur humilitatem scire, non molestè ferat, „ quòd ab Ecclesia Dei miserationem jussa est „ postulare: quin potius se, ut exaltetur hu- „ miliet, & fraternum discat erga sui mise- „ rentem servare affectum. Quia nos, si tu „ debitam devotionem & fidelitatis incremen- „ ta erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & „ nostram parvitatem observare studueris, & „ ut fratrem amplectemur, & ut charissimum „ proximum retinebimus. Nam & ea, quæ „ pro causa tuæ restitutionis synodali decreto „ Constantinopoli misericorditer acta sunt, „ recipimus. Et si fortasse nostri Legati in „ eadem Synodo contra Apostolicam præce- „ ptionem egerunt, nos nec recipimus, nec „ judicamus alicujus existere firmitatis. *Ha- ctenus Ioannes ad Photium.*

681 Proinde liquidò apparet, Joannem præter Photii restitutionem, cujus rei gratia dumtaxat Legatos Constantinopolim miserat, ut ex ejus literis, & Commonitorio etiam constat, & pro repetenda, & recuperanda Ecclesia Bulgarica, & obtinendo à Basilio adversùs Sarracenos Italiam infestantes auxilio, cætera in ea Synodo gesta, disertis verbis reprobasse. Neque has literas utcumque misit Joannes Papa: quoniam aucta in eum suspicione de perperam ibidem gestis, selegit Marinum Episcopum, commissa ei Legatione, eumque Constantinopolim misit, exploraturum omnia synodica gesta, & ut quæ per priores Legatos, præter Sedis Apostolicæ mandata acta erant, vel in synodo, ipsis annuentibus, decreta, & definita fuerant, ejusdem Apostolicæ Sedis auctoritate prorsùs infirmaret.

682 Profectus itaquè Constantinopolim Marinus, & contraditis, tum Principi, tum Photio Pontificiis literis, cùmque cognovisset cuncta, quæ præter sententiam Romani Pontificis synodicè definita Constantinopoli fuerant, summâ animi constantiâ, Zelo Divini honoris, ac fidei succensus, infirmavit, irrita fecit, ac nullius roboris & firmitatis, juxta tenorem Epistolarum Joannis, declaravit. Cujus rei causâ indignatus Basilius, instigante fortasse Photio, jussit Marinum carceribus mancipari, ubi spatio triginta dierum detineri fecit, indèque extractum cum contumelia remisit. Hæc quidem Stephanus Papa V. recenset in ejus data ad eundem Basilium Epistola, ubi post plura scribit: „ Ne- „ que enim hoc dicimus ad tui contumeliam: „ Te enim in universo Orbe Deo dilectum „ prædicamus; sed tantum ad nostram defen- „ sionem, & Marini majorem gloriam, qui „ eadem sensit & sapuit cum Prædecessore & „ Doctore nostro Sanctissimo Papa Nicolao. „ Et quidem voluit adimplere, quæ illi ante „ visa fuerant, in maximum devenit apud „ vos contemptum, & ludibrium Divinus il- „ le Marinus. Et cum noluerit simul duci „ cum jis, qui aliena sentiebant, & quæ ip- „ se coràm tua Majestate synodicè gesserat, „ dissolvere & annullare, ac irrita reddere; „ propterea triginta diebus carcere fuit de- „ tentus: Id sibi gloriæ potius tribuens, quàm „ contumeliæ, pro veritate pati. *Hæc Stephanus Papa.*

683 Post hæc verò idem Joannes decessorum suorum Nicolai I. & Hadriani II. sententias in Photium confirmavit, novoque anathemate ipsum ritu solemni conclamato damnavit: Ita Raderus in præfat. ad VIII. Synodum œcumenicam, scribens: „ Videntur „ enim Puntifices notari, quod Photium post „ mortem Ignatii ad Patriarchium admiserint: „ quod Baronius quoque observavit. Joan- „ nem enim octavum eo nomine pessimè vul- „ gò audisse, Papissamque appellatum, quod „ ab Eunucho Photio se circumveniri, deci- „ pique passus sit. Id quod ipse Pontifex pro- „ bè sensit, unde in publicum ambonem pu- „ blicè progressus, Photium, veteri anathe- „ mathe renovato, novo insuper mactavit. *Hæc Raderus.* Qui in appendice ad eandem VIII. Synodum apud Baronium ad annum Domini DCCCLXXX. sub num. II. referens Epistolam Formosi Papæ ad Stylianum Episcopum datam, ex quodam antiquissimo monumento aut codice in Bibliotheca columnensi reperto, ait ad calcem ejusdem Epistolæ adesse seriem sententiarum synodicarum & decretorum Romanorum Pontificum, quæ pronunciata sunt adversùs Photium, in qua recensitâ Hadriani secundi sententiâ in Concilio centum & viginti Episcoporum contrà Photium latâ, hæc alia legi testatur.

684 „ Hanc sententiam promulgavit Pa- „ pa Hadrianus, & Archidiaconus ejus Joan- „ nes, qui illi successor fuit. Atque alta vo- „ ce coràm ipso ita proclamavit: In Photio „ completum videmus; Domine sanctissime „ & œcumenicæ Papa illud psalmi: *Dixit „ peccator ut delinquat in semetipso, non est ti- „ mor Dei ante oculos ejus. Posuit in Cælum „ os suum*, & graveolens ejus guttur aperuit „ Photius adversùs Clavigerum Apostolicæ „ Sedis. Accendatur itaque ut ignis Zelus „ tuus, & accingere ut vir super femur tuum, „ & contumeliam Apostolicæ Sedis, ut justus „ Judex, vindica, & falce sententiæ tuæ ab- „ scinde memoriam ejus, & illos qui eum se- „ quuntur, vel tuenrur, anathematis vincu- „ lo constringe, & nisi propria voce vel scri- ptio-

„ ptione ipsum damnaverint, ut neque laica-
„ li communione recipiantur. Qui hæc dixit
„ Joannes, Hadriano in Sede successit, &
„ anathemate Photium damnavit, quando
„ ille seduxit Eugenium & ejus Socios, qui
„ pro rebus Bulgariæ venerant: Cum enim
„ accepisset Evangelium & amhonem consen-
„ disset, omnibus audientibus dixit: *Qui-*
cumque non habet damnatum Photium divi-
nà sententià, sicut ipsum reliquit Nicolaus
& Hadrianus Sanctissimi Papæ Prædecessoris
mei: sit anathema. Hæc ibi.

685 Sed & in eadem præfatione apud Labæum in notis ad VIII. Synodum, hæc alia reperiri in præfato codice, scribit idem Raderus, nimirum: „ Photius autem etiam se-
„ cundò Sedem Constantinopolitanam per
„ fraudem occupavit, malisque artribus im-
„ petravit dispensationem, cùm Paulum &
„ Eugenium Episcopos postea à Joanne VIII.
„ damnatos, corrupisset, & Joanni ipsi fu-
„ cum fecisset. Unde factum est, ut Catho-
„ lici Græci Photium nunquam pro absoluto
„ & restituto, legitimoque Patriarcha agno-
„ scerent, Latini verò & Romani Pontifices
„ omnibus modis execrarentur. Stylianus
„ porrò tandem etiam corruptus, à Pontefi-
„ cia auctoritate descivit: ad quem Joannes
„ Nonus Pontifex Maximus Epistolam dedit,
„ quæ Breviarium sequitur, & post Episto-
„ lam, Epistolæ ipsius declaratio cujusdam
„ Scholiastæ Græci, qui Photium à duode-
„ cim Pontificibus damnatum, ait: quorum
„ pirmus *Nicolaus I., Hadrianus II. alter:*
„ *Joannes VIII. tertius Marinus I. Hadria-*
„ *nus III. Stephanus VI. dictus V. Formosus*,
„ *Bonifacius VI. Stephanus VII. dictus VI.*
„ *Romanus I. Theodorus II. Joannes IX., qui*
„ *anno Christi nongentesimo obiit*. Hæc ex Radero.

686 Cæterùm Joannes IX. in Epistola data ad Stylianum Episcopum Neocesareæ, profitetur se eadem sentire, & eodem loco habere Photium & omnes Patriarchas Constantinopolitanos ab Ignatio usque ad Antonium, quo habuerunt omnes sui prædecessores Romani Pontifices, inter quos & Joannem pariter VIII. enumerat, inquiens: „ Volumus
„ igitur, ut etiam nunc secundùm eandem
„ regulam decreta Sanctissimorum Pontifi-
„ cum Prædecessorum nostrorum inconcussa
„ maneant. Quapropter Ignatium, & Pho-
„ tium, & Stephanum, & Antonium, sicut
„ Sanctissimus Papa Nicolaus, & Hadria-
„ nus, & Joannes, & sextus Stephanus, &
„ universa Romana Ecclesia hucusque te-
„ nuit, etiam nos eodem ordine illos recipi-
„ mus & tenemus, & illis qui superfunt eo-
„ dem ordine, eodem pacto nobiscum manus
„ præbeas hortamur. *Hactenus Ioannes* IX.
Ex quibus omnibus palàm concluditur, Joannem VIII. & Photianam reprobasse Synodum & Photium anathemate damnasse. Unde ab hoc tempore interrupta est Joannis cum Photio communicatio, quem pertinacem in lata excommunicatione reliquit.

CAPUT XXI.

De Photii Gestis ab obitu Joannis Papæ VIII. ad obitum usque Basilii Macedonis.

687 Biennio ferè post latam in Photium excommunicationem decessit Joannes XVIII. Kal. Januarias labentis anni Domini DCCCLXXXII. Indictione XV. Imperii Basilii Macedonis anno XVI. cum sedisset annos X. & diem unum: Cui datus est successor, tredecim exactis vacantis Sedis diebus, Marinus ab aliis perperàm Martinus II. nuncupatus, creatus summo omnium consensu V. Kal. Januarias. Fuit Oppido Gallesio Oriundus: vir magnæ constantiæ: qui cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ esset Diaconus, missus est cum Donato & Leone Constantinopolim à Nicolao I. excommunicandum Photium: indèque iterum cum Donato & Stephano Episcopis missus est Constantinopolim ad deponendum Photium & restituendum Ignatium, ab Hadriani II. Nicolai successore, ipsòque præsidente unà cum duobus recensitis Episcopis nomine antesati Hadriani, celebrata est VIII. œcumenica Synodus, ut superiùs recensita produnt ejusdem Synodi Acta: „ Hic
„ *scribit Auctor ejus vitæ*, dum Sanctæ Ro-
„ manæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis esset,
„ missus est cum Donato atque Leone Con-
„ stantinopolim, ad insinuandam Photio ana-
„ thematis sententiam, qua à Nicolao Papa
„ perculsus erat. Cum Donato & Stephano
„ tempore Hadriani II. iterato munere Lega-
„ tionis Apostolicæ functus, Constantinopo-
„ li Photium deposuit, Ignatium restituit,
„ atque sacrosanctæ œcumenicæ Synodo octa-
„ væ præsedit. *Hactenus ibi*.

688 Ad superos inde evocato Hadriano, ac substituto Joanne VIII. creatus est Episcopus, cùmque Eugenius, Petrus, & Paulus, missi ab Apostolica Sede Constantinopolim, pro causa restitutionis Photii, pro repetenda Bulgarica Diœcesi, prævaricati essent, iterum tertiò ab eodem Joanne Marinus Constantinopolim missus est, ubi dira magna animi constantia passus est, ut supra fati sumus; unde & Auctor vitæ ejus scribit: „ Creatus à
„ Joanne Pontifice Episcopus, tertiam Le-
„ gationem obiturus, tertiò missus est Con-
„ stantinopolim, ad ruinam illam reparan-
„ dam, quæ per Petrum, Paulum, & Euge-
„ nium tres Sedis Apostolicæ istuc pro Pho-
„ tio restituendo ad Synodum ablegatos facta
„ erat. Cùmque ibidem summâ animi con-
„ stantiâ coràm Basilio Imperatore, cuncta,
„ quæ prædicti tres Legati perperam gesse-
rant,

„ rant. irrita reddidissent, triginta diebus, „ *inquit*, Stephanus in Epistola ad Basilium „ Imperatorem carcere detentus fuit.

689 Itaque, cum optimè novisset Photii facinora, non minori fidei Zelo succensus factus Pontifex, ac in Diaconatus, & Episcopatus extiterat munere, initio Pontificatus sui, Photium omniaque ejus gesta damnavit, atque Photianam Synodum, falsò œcumenicam VIII. à schismaticis nuncupatam, penitùs reptobavit: Cujus rei causâ permotus Basilius adversùs eum insurrexit, & non esse legitimum Pontificem nec ritè electum, missis Romam Epistolis, pronunciavit: innixus rationi, quod cum Marinus jam esset Episcopus, non poterat eligi in Pontificem. Hæc omnia pariter in Marini vita: ubi dicitur: „ Initio „ Pontificatus sui Photium, omniaque ejus „ acta, ad munus Episcopale spectantia damna. „ vit, atque acta conciliabuli pseudoctavi „ planè reprobavit: Qua de causa Basilius „ Imperator graviter offensus, furore gravi „ incensus, Romam scribens dicebat, Ma- „ rinum non esse Pontificem, eò quòd alte- „ riùs Ecclesiæ Episcopus jam ante ordinatus „ fuisset, aliaque multa adversùs eundem „ Papam sanctissimum effutiens, folio Ponti- „ ficio eum deiicere fatagebat. *Hactenus ibi.* Etenim non consueverat Ecclesia Romana eum, qui unius Ecclesiæ erat ordinatus Episcopus, in Pontificem & Romanum eligere Episcopum, sed propter excellentem Marini virtutem, & confessionis gloriam, universo suffragante Clero, cunctoque assentiente Romano Populo, translatus est ad Episcopatum Ecclesiæ Romanæ, fortè primus omnium ex hactenus creatis Pontificibus Romanis, ex ordine Episcopali assumptus.

690 Hoc porrò tempore, sub Marini videlicèt Pontificatu, Aquilejensis Episcopus, cujus proprium ignoratur nomen, schismaticus & in dogmate de Processione Spiritus Sancti cum Græcis sentiens, decreta ad Photium Legatione, datisque literis illius pro suo dogmate tuendo auxilium postulat, atque rogat per Epistolam instrui, ut adversùs Latinos validis pugnare possit argumentis. Photius verò gratulanter hoc accepit, & datis responsis, compluribus argumentis conatus est probare Spiritum Sanctum à solo procedere Patre, blasphemiam esse dicere, à Filio quoque procedere. Hanc Photii Epistolam recenset Baronius ad annum Domini DCCCLXXXIII. sub num. 5. cui præfixus est titulus. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani ad Archiepiscopum Aquilejæ, videlicèt Venetiarum, de his qui blasphemo ore, Spiritum Sanctum à Filio etiam procedere affirmant.* Incipit postea: *Beatitudinis tuæ literæ nobis allatæ*,

691 Exorditur verò à commendatione Legati (is enim Episcopus erat, schismaticus ab eodem Aquilejensi Episcopo ordinatus) quem de prudentia & doctrina, aliisque virtutibus collaudat: „ Vidimus, *inquit*, enim „ hominem prudentia magis; quàm canitie „ venerandum, virtute præterea non minus „ quàm prudentia exornatum, & mentis con- „ stantia prudentiam suam firmantem, at- „ que (ut unico verbo dicam) tali gratia „ præditum, qua par est eum fulgere, qui „ à Deo accipit, ut Sacerdos statuatur tre- „ mendorum mysteriorum nostrorum, vestra „ etiam dignum doctrina, & manuum impo- „ sitione. Talem quidem esse eum, qui li- „ teras Beatitudinis tuæ nobis attulit, expe- „ rientia ipsa nos docuit. *Hæc & alia in antefati Legati commendationem.* Progreditur inde commendans sapientiam, virtutemque ipsiusmet Aquilejensis Episcopi, posteaque ad propositam quæstionem sermonem vertit: „ Cadent enim, *inquit*, unà cum aliis bonis „ à pietatis gloria & ab ipsomet Divino Spi- „ ritu, dum ipsius Sancti Spiritus detrahunt „ dignitati, dicentes illum à Filio procede- „ re, & secunda quadam processione illum „ contumelia afficientes, quasi unica proces- „ sione non sint contenti.

692 Ut autem probet Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, allegare non veretur consueto mendacio, testimonia Romanorum Pontificum, atque illorum decreta, præcipuèque Magni Leonis, & alteriùs Leonis junioris, necnon ipsius Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum Patriarchalium; ait namque: „ Quomodo enim non erit absurdum, „ vel potius quomodo non omnem blasphe- „ miæ excessum superat, ipsismet Dominicis „ verbis adversari? Traditioni etiam, & „ doctrinæ refragari, quæ ubique apud ma- „ gnas Patriarchales Sedes viget? Atque ut „ ejus prædecessores omittam: Leo siquidem „ Romanus Pontifex, tum Senior, tum il- „ lum sequutus junior, eadem sentire cum „ Catholica & Apostolica Ecclesia, & San- „ ctis Pontificibus, qui eos præcesserunt, & „ Apostolicis Decretis agnoscuntur. Et prior „ quidem Leo Quarta Generali Sancta Sy- „ nodo multas laudes est assecutus non solùm „ pro sacris illis viris, quos nomine suo Le- „ gatos misit: verum & pro sua Epistola, qua „ Nestorius & Eutyches damnati fuerant, in „ qua Spiritum Sanctum à Patre procedere „ prædicavit, juxtà præcedentia synodica de- „ creta, non autem à Filio.

693 „ Similiter & Junior Leo, qui non „ solùm nomen, verum etiam fidem illius est „ æmulatus: Hic siquidem Leo Junior pieta- „ tis fervens Zelator, ut nullo pacto barbara „ lingua corrumperetur immaculatæ nostræ „ fidei doctrina, Græca lingua, ut initio „ dictum est, Occidentalibus Sanctam Tri- „ nitatem glorificandam, & celebrandam tra- „ didit. Et non solùm sermone & mandato id „ faciendum curavit, verum etiam quibus- „ dam ancilibus, quasi clipeis constructis & „ columnis erectis illam inscripsit, & in conspe-

„ spectu omnium statuens ad Ecclesiæ valvas „ collocavit, ut hoc pacto facilè & incorru- „ ptè possent omnes pietatem edifcere,& nul- „ lo pacto istiusmodi occultis depravatoribus „ & novatoribus pateret aditus depravandi nostram Christianorum pietatem, & secundam causam filium introducendi præter Patrem Spiritus Sancti, qui procedit à Patre, eodem honore & dignitate, qua genitus est Filius.

694 „ Nec hi duo soli Sacri Viri, qui in „ Occidente micuerunt, pietatem integram „ conservarunt: (non ità enim Occidenta- „ lium Ecclesia Doctorum copiâ caret) ve- „ rum etiam alius ipsorum innumerabilis nu- „ merus, qui unà cum superiùs dictis viris „ pietate præstant. Cum igitur Romana Ec- „ clesia, unà cum quatuor aliis Patriarcha- „ libus Sedibus eadem sentiret & confitere- „ tur, & in petra verborum Domini fundata „ & firmata esset Ecclesia (contra quam ne- „ que inferi portæ, ora videlicèt hæretico- „ rum portis carentia, ullo pacto prævalere „ posse ipsamet veritas confirmavit) unde & „ ex quibus nova hæc emersit adversùs Spiri- „ tum Sanctum blasphemia? Et quomodo non „ erit multis lacrymis digna atque suspiriis? *Hæc Photius de Romanorum Pontificum testimonio.* Sed mendacissimè, quoniam nemo ex Romanis Pontificibus dixit Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Scripturæ quoque, quas in progressu Epistolæ allegat, & aliorum Patrum testimonia, solùm fatentur, Spiritum Sanctum à Patre procedere, quod quidem verum est, sed non dicunt à solo Patre, nec excludunt processionem à Filio, licèt de hac explicitè non loquantur. Versutia Photii ad incautos decipiendos talia congessit: quæ omnia peroptimè refutata sunt ab Ugone Aeheriano, Gennadio & aliis, & nos plura superiùs suo loco retulimus.

695 Sed paulò post è vita migravit Marinus ubi sedisset in Pontificatu annum I., & dies XX. obiit namque XV. Kal Februarias, anno Domini DCCCLXXXIV. Imperii Basilii XVIII. Caroli Tertii Imperatoris Orientis anno IV. Indictione II. Et biduo post renunciatus est, Romanus Pontifex Hadrianus hujus nominis II. creatus XIII. Kalendas Februarias, ut adnotat Baronius, natione Romanus: qui sui decessoris sectatus vestigia, licèt solicitatus à Basilio, ut cum Photio communicaret, nullo pacto adduci potuit, quin & ejusdem decessoris acta in Photium confirmavit, & in eadem censura & damnatione eum esse pronunciavit: adeout Imperator ira succensus, contumeliosas ad eum misit literas, quas Hadrianus morte præventus minimè recepit, sed acceptis à Stephano illius successore, ut par erat, ab eo responsum accepit. Hæc omnia in vita Hadriani III. apud Labæum: ubi dicitur: „ Solicitatus à Basilio „ Imperatore, ut cum Photio in rebus fidei „ & Religionis communicaret, non tantùm „ non petitioni ejus aquievit, verum exem- „ plo prædecessoris sui Marini eundem tan- „ quam laicum acerrimè est insectatus. Quo „ facto Imperator gravissimè contrà eum com- „ motus, hostiles ei literas contumeliis ple- „ nissimas transmisit. Hadriano priùs hac vi- „ ta functo, quam literas Imperatoris mi- „ nacissimas accepisset: accepit eas Stepha- „ nus, reddiditque ad Basilium eam Episto- „ lam, quam supra in appendice octavæ Sy- „ nodi impressam invenies. *Hæc ibi.*

696 Cûmque Hadrianus sedisset annum I. Menses III. diesque XIX. ad Dominum migravit VII. Idus Maji, anni Domini DCCCLXXXV. Imperii Basilii anno XIX. & Caroli III. Imperatoris Occidentis anno V. currente Indictione III. atque in ejus locum suffectus est Stephanus natione Romanus, ex Patre Hadriano, de Regione Via lata, in ordine V. cognominatus verò VI. Vir utique genere nobilis, sed virtute nobilior; Erat enim, ut in ejus vita legitur, corpore castus, animo benevolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus,, ingenio facundus, mœrentium consolator, pupillorum, & inopum enutrior, & ut generaliter uno verbo cuncta comprehendantur, omnium virtutibus florum adornatus. Hic cum in initio sui Pontificatus Basilii Macedoniis calumniosas ad decessorem suum datas accepisset literas, fidei Zelo & Religionis succensus, sequentes dedit ad eundem Imperatorem literas.

Epistola Stephani Papæ Romani ad Basilium Imperatorem, quando postremò scilicèt vitæ suæ tempore, seductus ille à Photio, contrà Sanctum Papam Marinum Romam scripsit.

697 „ Vestræ serenitatis literas ad Ha- „ drianum Prędecessorem nostrum missas ac- „ cepimus, valdèque mirati sumus magnifi- „ centiam tuam, quæ hactenus æquitatis ar- „ bitra fuit, talia scribere ausam; præser- „ tim cum pia potentia tua norit, regiam po- „ testatem non esse capacem Sacerdotalis, at- „ que Apostolicæ nostræ dignitatis. Quam- „ vis enim ipsius Christi summam imperando „ similitudinem in terris geras, tamen res „ tantum politicas & civiles curare debes, „ quod etiam ut diutissimè facias, optamus. „ Quemadmodùm igitur vobis rerum tempo- „ ralium Principatus à Deo est traditus, ita „ nobis per Coryphæum Apostolorum Pe- „ trum rerum spiritualium Principatus. Ac- „ cipe quæso bonam in partem quæ subiicio. „ Datum tibi est, ut cures, quo pacto ty- „ rannorvm impietatem, & immanitatem po- „ tentiæ ferro præcidas, subjectis tuis jura „ administres, leges condas, terra marique „ exercitum rite componas. Hæc sunt capita „ curæque Imperii vestri.

698 „ Nostri verò cura gregis tanto præ-
„ stantior est, quantum est inter Cœlestia ac
„ terrena discrimen. Audi Dominum ad Pe-
„ trum dicentem: *Tu es Petrus, & super*
„ *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &*
„ *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*
„ De vestro verò Imperio, quid ait? *Nolite*
„ *timere eos qui corpus occidunt, animam autem*
„ *non possunt occidere.* De credito nobis mi-
„ nisterio quid porrò addit? *Tibi dabo claves*
„ *regni Cœlorum*; & quæ sequuntur. Ob-
„ testor igitur tuam pietatem, ut Principum
„ Apostolorum instituta sequaris, magnaq;
„ veneratione prosequere. Omnium enim in
„ Orbe terrarum ordo & Pontificatus Eccle-
„ siarum, à Principe Apostolorum Petro Ori-
„ ginem accepit, per quem & nos sincerâ &
„ incorruptâ doctrinâ instruimus omnes, &
„ docemus. Tua verò Majestas nè ex mini-
„ mis conjecturam faciens ad majora investi-
„ ganda gradum faciat: quin perpendat po-
„ tiùs, qua hæc auctoritate aggrediatur.

699 „ Is qui adversùs Sanctissimum Ma-
„ rinum tuas Deo obsequentes aures, inqui-
„ navit, contrà Dominum Nostrum Jesum
„ Christum, nutu suo cuncta temperantem,
„ execratam linguam ausus est exerere. Quis
„ verò ille est, qui adversùs intemeratum il-
„ lius Sponsum & Sacerdotem, contraque
„ Matrem omnium Ecclesiarum ausus est ver-
„ bum effutire? Errat, qui existimat Disci-
„ pulum esse supra Magistrum, & servum su-
„ pra Dominum. Obstupescimus omninò,
„ dum tuam perspicacem mentem, clarissi-
„ mamque prudentiam circumventam ità cer-
„ nimus, ut adversùs illum Sanctum Virum
„ alienum quippiam cogitaris. Etenim, qui
„ vir ille fuerit, nobis etiam tacentibus lapides
„ clamabunt: *Muta fiant labia dolosa, quæ*
„ *loquuntur adversùs Deum iniquitatem*, aut
„ adversùs justum: Si è grege Dei, quod
„ opto, ovis es, limites Principis Aposto-
„ lorum nè transilias. Dic, age, qui te ità
„ seduxit, ut œcumenicum Pontificem con-
„ viciis & scommatis lacesseres, Sanctamque
„ Ecclesiam Romanam maledictis lacesseres,
„ cui oportet ut summa te cum veneratione
„ subiicias? An non intelligis, hanc omni-
„ bus Ecclesiis præesse? Qui te Pontificum ju-
„ dicem constituit? Quorum sacris institutis
„ edoctus es, à quibus ad Deum pro te pre-
„ ces effunduntur. Tenes illud sacrum oracu-
„ lum: *Nolite tangere Christos meos, & in*
„ *Prophetis meis nolite malignari.* Hoc gene-
„ ratim de Sacerdotibus est dictum. Tu te
„ ipsum Deo exequas, qui Angelos ejus ju-
„ dicare audes. Nam Propheta dicit: *Labia*
„ *Sacerdotis loquuntur judicium, & legem ex*
„ *ore ejus requirent: Angelus enim est Do-*
„ *mini Omnipotentis.* Quomodo judicas eos,
„ qui uni Dei judicio sunt subjecti, qui soli
„ potestatem acceperunt ligandi atque sol-
„ vendi? Vide in quod te barathrum præci-
„ pitaris. Ajunt, augustissime Imperator,
„ in te Jobi mansuetudinem & patientiam es-
„ se: & miror ut sis deceptus & abruptus.

700 „ Scripsisti illum (*scilicèt Marinum*)
„ non esse Episcopum. Unde nosti? Si non
„ nosti, quomodo damnasti? Magna Ponti-
„ ficum est potestas. Non ignoras historiam
„ Beati Ambrosii, quæque sint ejus in Theo-
„ dosium Imperatorem acta. Qui dicunt Ma-
„ rinum anteà fuisse Episcopum (eoque ad
„ aliam Sedem non potuisse transferri) osten-
„ dant hoc. En dilecte & veneratione prose-
„ quende Imperator, si erat per Canones pro-
„ hibitus, ut non erat, per Sanctorum Pa-
„ trum cœtum, judicium & auctoritatem in
„ primo gradu poterat collocari. Verùm di-
„ vina providentia, cum quod esset, è re Ec-
„ clesiæ nosset, eum (*scilicèt Marinum*) in
„ Sancti Petri Principis Apostolorum throno
„ collocavit. Quid verò eximius ille Grego-
„ rius cognomento Theologus, nonnè Nan-
„ zianzium translatus est, & Meletius Se-
„ baste Antiochiam? Dositheus (*sive Theo-*
„ *dosius*) Seleuciâ Tharsum Ciliciæ, Beren-
„ tius ex Archiphoenice Tyrum, Joannes
„ Gordoliâ Præconnesum, Theodorus Apa-
„ mæâ Selybriam, Alexander Cappadociâ
„ Hierapolim, multique alii variis in locis
„ ex suis Sedibus in alios thronos sunt trans-
„ lati.

701 „ Dicat Majestas tua, quibus ac-
„ cusatoribus aut quibus testibus convictum
„ de iis, quæ obiiciebantur, Sanctum Ma-
„ rinum condemnasti? An ignoras quid in
„ prima Synono Nicæna, præsidente ibi San-
„ cto Constantino, Beatus Sylvester Papa,
„ de non judicando supremo throno (per Le-
„ gatos) pronunciavit? Quid ergò pecca-
„ vit Sancta Romana Ecclesia, ut perditi ho-
„ mines te impulerint, ut linguam tuam in
„ illam exerceres & vibrares? Nonnè illa pro
„ veteri Synodorum more, te imperante Le-
„ gatos Constantinopolim misit? Nonnè pro
„ eadem Synodo magnam curam gessit? Quæ-
„ ris ad quem miserit Ecclesia Romana? Uti-
„ que ad Photium Laicum. Quod si Patriar-
„ cham haberes, frequentiùs eum Ecclesia
„ nostra reviseret. Sed heu, ejusmodi tam
„ illustrem Civitatem, atque in Dei tutela
„ sitam, Pastore carere, solaque tua regiâ
„ præsentia illustrari? Quod nisi nos tui amor
„ & desiderium reprimeret, faceretque ut Ec-
„ clesiæ nostræ injuriam toleraremus, sanè
„ coacti fuissemus graviores pœnas, quam
„ adhuc est ab aliis usitatum, qui nos præ-
„ cesserunt, in transgressorem Photium con-
„ stituere, qui in nos tam indigna & impia
„ convicia evomuit.

702 „ Sed hæc non in tuam contumeliam
„ proferimus (te enim ubiquè gentium ut
„ Deo dilectum deprædicamus) sed ad no-
„ stram dumtaxat defensionem, majoremque
„ Photii ignominiam. Marinus summa pie-

„ tate præditus cum ea sentiret, ea defende-
„ ret, quæ decreta erant à Prædecessore no-
„ stro, Doctore Sanctissimo Papa Nicolao,
„ velletque illa ad unguem exequi, in sum-
„ mum apud vos contemptum venit. Et quia,
„ uti dictum est, cum iis, qui aliena sentie-
„ bant, consentire recusavit, nec acta syno-
„ dica, coràm tua Majestate quondam à se
„ transacta rescindere & antiquare voluit, ad
„ triginta dies in carcere est habitus? quod
„ ipsum sibi pro veritate passo, gloriæ potiùs
„ quàm contumeliæ duxit.

703 „ Sed tu alter Constantine, cur il-
„ lum (*Constantinum Magnum*) non es imi-
„ tatus, qui Libellos contrà Sacerdotes sibi
„ oblatos igni tradidit, quod se indignum es-
„ se diceret, qui Sacerdotes judicaret? Qua-
„ propter fili spiritalis, te monemus ut Ro-
„ manam Ecclesiam oppugnes. Cum verò ac-
„ cepissemus è tuo statu natum Sacris Ordi-
„ nibus initiatum, magna sanè animi volu-
„ ptate perfusi sumus. Rogo tuam Sacram
„ Majestatem, uti celoces munias, rebus-
„ que necessariis ab Aprili ad Septembrem
„ usque instruas, mittasque qui portus no-
„ stros maritimave loca contrà Agarenorum
„ populationes tueantur. Cætera taciti su-
„ stinemus, cum nobis nè oleum quidem sup-
„ petat pro Ecclesiæ luminaribus ad cultum
„ Dei necessarium, cui Gloria in sæcula. Amen.
Hactenus Epistola Stephani. Desumpta ex Appendice ad VIII. Synodum apud Labæum tom. VIII. Concil. Quæ pariter extat alteriùs versionis tom. IX. inter Stephani Epistolas.

704 At vità functo Basilio, ejusmodi literas accepit filius ejus Leo, qui Patri in Imperio successit, obiit Basilius anno Domini DCCCLXXXVI. sui Imperii anno XX., Pontificatus Stephani VI. anno II. Caroli III. Imperatoris Occidentis, anno VI. Indict. IV. antè cujus obitum, supplicante Senatu, Leonem filium suum, quem in carcerem detruserat, extrahi jusserat. Opera enim perfidi Theodori Santabareni Episcopi Eucharitarum, per calumniam iram Patris Leo promeruerat. Defuncto enim Constantino Basilii primogenito, anno sui Imperii XIII. salutatus est à Patre Imperator Leo alter filius jam adultus, quòd cum non placuisset Sanctabareno, per insidias egit, ut de medio tolleretur: Rem narrat Cedrenus, inquiens: „ Sed Leo filius ejus
„ jam adultus, & Martinacii filia uxore ducta,
„ à Patre Imperator salutatus, Sanctabareno
„ non delectabatur, sed eum veneficum appel-
„ labat & præstigiatorem, & Imperatoris dece-
„ ptorem. His ille veluti spiculis quibusdam
„ ictus ad ultionem insurgit; simulatàque
„ erga Leonem benevolentià: *Cum sis*, inquit,
„ *adolescens Imperator, & cum Patre veneris*
„ *& equites, pugio etiam tibi deferendus est,*
„ *quo & contra feram utaris, & patri porri-*
„ *gas, cum res tulerit, aut etiam insidiatores*
„ *ejus ulciscaris:* Is, dolo non animadverso,
„ pugionem, ut ille suaserat, in calceo fert.
„ Eo pugione Sāctabarenus ad delectationem
„ Leonis usus: *Imperator*, inquit, *filius*
„ *tuus tibi insidiatur. Indicio illud est, quod*
„ *in venatu pugionem occultum gerit.* His au-
„ ditis venatum exit Basilius, Leo Patrem
„ comitatur. Inventus est pugio in calceo
„ Leonis occultatus, visus est vera dixisse de-
„ lator. Rei defensio non admittitur, ardet
„ iracundia Pater contrà filium. In quodam
„ Imperatorio cubiculo ipsum concludit: &
„ (ut quidam tradunt) ei oculos eruere in
„ animo habebat, Sanctabareno ad id eum in-
„ stigante. Idque omninò futurum fuisset,
„ nisi Patriarcha & Princeps Senatus multis
„ precibus Imperatorem à sententia deduxis-
„ sent. *Hæc Cedrenus.*

705 Sic reclusus mansit Leo usque ad ultimum annum Imperii Basilii Patris, quo, ut fati sumus, postulante & supplicante Senatu, extractus est: Unde Curopalatus sic ait: „ Mul-
„ to interjecto tempore, ex quo in carcerem
„ conjectus est, cum Senatus sæpè pro ipso
„ voluisset deprecari & variis de causis pro-
„ hibitus fuisset, tandem opportuna oborta
„ est ei occasio, qua posset, quod in animo
„ habebat, & studiosè curabat, perficere.
„ Erat quędam avis in Regia, in Cavea inclusa
„ ad spectaculum & oblectationem audien-
„ tium, & videntium, Psitacus avi est no-
„ men, quæ humanam vocem imitans, mul-
„ tum loquitur: quæ quidem sive ab aliquo
„ edocta, sive alioquin casu, sæpè, *heu*, *heu*
„ *Domine Leo*, pronunciabat. Cùmque ali-
„ quando lautum fecisset Imperator convi-
„ vium, & accersiti Principes Senatus cum
„ eo simul essent, avisque sæpè id quod mo-
„ dò diximus loqueretur: Mœsti convivæ à
„ cibis abstinentes cogitabundi sedebant.
„ Quod animadvertens Imperator, causam
„ ab eis, cur non comederent, percontaba-
„ tur. At illi perfusi lacrymis; quem cibum,
„ inquiunt, ò Domine comedemus, quibus
„ ab istius rationis expertis, aut tale quid
„ dicitur convicium, cum tamen ratione præ-
„ diti & Domini nostri studiosi habeamus?
„ Nam hoc animal ratione carens suum Do-
„ minum requirit, nos antem genio indul-
„ gentes, Dominum, qui nihil peccavit obli-
„ ti sumus. Qui si peccasse convincitur, &
„ in parentem dexteram armasse, omnes nos
„ manu nostra eum interficiemus, neque ejus
„ unquam explebimur sanguine. Si verò de
„ quibus accusatus est, calumniam coarguit:
„ quoad lingua calumniana tantum in ipsum
„ poterit? Mollitus igitur talibus verbis Im-
„ perator, tunc ipsos sedere jussit, seque rem
„ diligentiùs spopondit exploraturum: Ne-
„ que sanè multò post ad suum ingenuum re-
„ diens, è custodia eductum sibi prestò esse
„ jubet filium, ademptaque ei lugubri veste
„ & supervacua, quæ in luctu excreverat co-

„ ma, pristinum ei Imperii honorem restituit. „ Neque sanè multò post, diarrhæa morbo „ correptus paulatim tali tabe consumabatur, „ ordinatisque, ut sibi videbatur, Imperi re- „ bus, instituto hærede & successore Leone, „ decessit, è vita, cum regnasset cum Michae- „ le Imperatore annum unum, deinde solus „ undeviginti. *Hæc Curopalates*.

CAPUT XXII.

De Leonis VI. Imperio, ejusque gestis in causa Photii sub Stephano VI. Romano Pontifice.

706 Eodem ergò die Basilii obitus, Leo Regni gubernacula suscepit, & receptis Stephani Papæ literis ad patrem, ut fati sumus, directis, atque perlectis, cùm Sanctabareno, qui per calumniam in causa suæ carcerationis fuerat, adversaretur, & cujus gesta longè etiam anteà detestaretur, proindèq; nec Photium eidem Sanctabareno intimè conjunctum, cujus operâ apud Basilium patrem fuerat introductus, rectis oculis conspiceret, captâ à Stephani literis occasione, ac sub prætextu, quòd tàm Sanctabarenus, quàm ipse Photius, consilium iniissent de eligendo in Imperatorem cognato Leonis, statim Photium è Throno deposuit, ac in Armenorum Monasterium relegavit. Sanctabarenum verò sceleltissimum hominem, magum, præstigiatorem, sectâ Manichæum, specie solùm, vel nomine Christianum, flagellis cæsum, ac oculis orbatum Athenas, in exilium misit. Justo siquidèm Dei judicio, ut ille, qui per calumniam egerat, ut filius principis luminibus privaretur, ipse, eodem præcipiente, obcęcaretur. Sed & in locum Photii, consentienthus Sacerdotibus catholicis, substituit Stephanum fratrem suum germanum. Quomodò hæc se habuerint, recensentur in appendice ad VIII. œcumenicam Synodum apud Labæum, tom. VIII. Conciliorum, post Epistolam Stephani VI. ad Basilium datam, qua recensita pag. 1395., subjungitur.

707 „ Hæc Epistola missa quidèm est ad „ Imperatorem Basilium, sed vitâ functo „ jam parente, Leo Basilii filius eam accepit, qui, cùm vim & auctoritatem Epistolæ „ perspexisset, pessimis Photii artibus deprehensis, subitò cunctos veritatis Sacerdotes, à damnato Photio acerbè divexatos, „ revocavit; ejectoque tyranno Photio, qui „ per vim Thronum invaserat, Stephanum „ germanum suum in Patriarchio collocavit; „ & vocato Styliano Neocæsareæ Metropolita, cognomento Mapa, cęterisque Episcopis, Monasteriorum Præpositis, Presbyteris, Diaconis, aliisque eximiis pietatis „ propugnatoribus, qui unà cum eo gravia „ fuerant in illa persecutione perpessi, ad „ eos in hunc modum verba fecit. Nostrum „ à Deo profectum Imperium, re benè priùs „ agitatâ, virum impium de Throno deturbavit, justèque vos à tyrannide illius liberavit, cum quo ut inviti communicetis, „ nequaquàm ego vos urgebo; quin potiùs „ vestram pietatem oro, obsecroque, ut cum „ fratre meo sentiatis, unumque ovile fiat. „ Quod si absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate, quæ Photium anathemate damnavit, „ cum fratre meo, ut qui à Photio Diaconus sit consecratus, communicare recusetis, agite, Romam scribamus, libellumque supplicem ad Papam mittamus, ut anathematis censurâ absolvat eos, qui à Photio sunt initiati. *Hæc loco antedicto*. Quibus peractis, tàm Imperator, quàm Stylianus literas supplices fecerunt ad Romanum Pontificem pro antedicta obtinenda dispensatione. Undè subjungitur ibidem: *Scripsit igitur Imperator ad Papam, undque Mappa Neocæsareæ Metropolita cum sociis, cujus Epistola est hujusmodi.*

Longè Sanctissimo, Beatissimoque Stephano, Domino & œcumenico Papæ, Stylianus Neocæsareæ Euphratesinæ Provinciæ Episcopus, servus servorum Dei, & qui mecum sunt Episcopi, omnesque reliqui Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, omnesque ad Orientem & Occidentem Cænobiorum Præfecti, Presbyteri, Monachi, & Anachoretæ.

708 „ Catholica Dei, Apostolicaque Ecclesia semper de suis oppugnatoribus triumphat. Etenim scriptum est: *Franget Deus adversarium ejus*; & qui adversatur Ecclesiæ ejus, hostis Dei est. Varia sanè & multiplex, sacer venerabilis Pontifex, variis „ ætatibus mali Dæmonis ars fallendi hominesfuit, cùm alios aliter à recto calle ad „ devia & obliqua avertit. Hoc verò potissimùm in Dei Ecclesia facere consuevit, ubi „ quod rectè fit, laudandum; quod impiè, „ maximoperè formidandum.

709 „ Itaquè cùm in Ecclesia Dei opportuna quædam receptacula impietatis „ suæ reperisset, Imaginum sacrarum venerationem & cultum, tùm Christi, tùm intemeratæ Genitricis ejus, & famulorum „ Dei, ex benè constituto Ecclesiæ statu sustulit. Sed jam Dei beneficio, Ecclesia nostra splendorem suum per Imperatorum pietatem recuperavit, sectæque Iconomachorum invisum Deo dogma exterminatum „ est.

710 „ Quid verò recti, bonique omnis „ inimicus Dæmon? Aliam rursùs per Gregorium, cognomento Ashestam, Eulampium, & Petrum, eorumque sectatores, „ tempestatem concitavit, per quas membra

„ Christi inter se distrahere, & à Sanctissimo „ Patriarcha suo Ignatio avellere non dubitavit. Quos tamen Patriarcha cùm sæpiùs „ ad Synodum citatos, & quantâ poterat „ humanitate tractatos, curare vellet, nè ab „ Ecclesia Dei refecti, malo insidiatori prædà fierent, sanare non potuit; quapropter depositos anathemati subjecit. Qui „ Legatos cum literis ad Sanctissimum Papam Romanum Beatum Leonem, qui tùm „ Pontificatum gerebat, miserunt, illum sibi, „ ac si essent læsi, ultorem petentes; Papa „ ergò datis ad Ignatium literis, voluit, ut „ Patriarcha suo nomine Legatum Romam „ destinaret, per quem de Schismaticorum „ causa cognosceret. Nec diù moratus Patriarcha, Lazarum Monachum, & fidei „ confessione clarum, qui omnia, quæ ad „ Gregorium pertinebant, optimè noverat, „ cum literis misit, qui Papæ causam diligenter exposuit. Itaquè eandem in Schismaticos sententiam tulit, quam anteà in „ eosdem tulerat Ignatius.

711 „ Leone deindè ex humanis sublato, „ rursùm illi Benedicto, qui Leoni successit, „ de eisdem rebus molesti fuerunt. Enimverò & ipse Benedictus Vir Sanctissimus, „ re diligenter excussâ, sententiam adversùs „ illos secundùm Ignatium pronunciavit.

712 „ Qui Photio posteà Constantinopolitanæ Ecclesiæ perduelli, & schismatico, politicoque Magistratu fungente, socio, & adjutore nisi apud Bardam Cæsarem, & Michaelis Imperatoris avunculum, „ qui & ipse ab Ignatio Patriarcha ob incestas nuptias arguebatur, Ignatium de throno per vim detrahunt, non paucis in eum „ confictis criminibus, & Imperatori imponunt; qui, pulso Ignatio, Photium à Schismaticis designatum, subitòque uno, eodemque die à Gregorio deposito consecratum, „ intrusit. Quo tempore simùl & Antistites, & lectissimus quisque Sacerdotum, & „ quicumque insignes erant in Ecclesia (in „ quibus & ego postremus eram) propter „ sacrilegam hanc Photii in Ecclesiam irruptionem avulsi sunt. Multos tamèn ille suis „ partibus adjunxit donis, alios minis, alios „ tormentis fractos circumvenisset.

713 „ Præcereà suâ manu per scriptum „ testatus est, nullam se adversùs Ignatium, „ aut Sacerdotes ab eo consecratos accusationem instituturum. Sed non ità multò „ post violato suo Chirographo, concilium, „ vel potiùs latrocinium in nobili Sanctorum Apostolorum æde, atque mœchus legitimum Patriarcham Ignatium gradu motum, anathemati devovet. Insuper cùm „ suam ipsius impietatem abundè firmare „ vellet, Romam veterem vestram ad Sanctissimum Papam Nicolaum, qui tùm ad „ Ecclesiæ clavum sedebat, Episcopos, assentiente Imperatore, misit, Legatosque ab „ eo petivit, qui Constantinopolim venirent, & acta à se contrà Ignatium observarent.

714 „ Quod & factum est, missique cum „ literis commendatitiis ad Michaelem Imperatorem, & Photium, Rhodoaldus, & „ Zacharias, qui cùm Constantinopolim appulissent, Synodus celebrata est, corruptique Legati Romani à Photio donis, minis ab Imperatore territi, mandata Pontificis neglexerunt; damnatoq; Ignatio, Photium contrà Pontificis decretum in Patriarchali Throno collocarunt, atque ad „ Apostolicam Cathedram cum Regiis, & „ Photianis literis reverterunt. Hic Monachus & Archimandrita Theognostus rei indignitate commotus, veste mutatâ, clam & „ ipse Romam sæculari habitu properavit, „ causamque Ignatii Sanctissimo Papæ Nicolao totam exposuit, qui mox coactâ Synodo, suos Legatos Rhadoaldum & Zachariam, ut qui contrà decreta fecissent, „ honore Episcopatus exuit. Aliàque rursùm celebratâ Synodo, Photium adulterum & invasorem anathemate vinxit, Ignatiumque Patriarcham Germanum renuntiavit, actaque omnia Michaeli, & Photio „ transmissa, declaravit.

715 „ Postquàm autem Imperium ad Basilium est devolutum, divino ille concitatus spiritu, acta Romæ à Papa Nicolao de „ Photii exauctoratione, & Ignatii restitutione, rata habuit, Ignatiumque ab exilio revocavit, Photiumque dejecit, & Legatos ad Apostolicum Thronum, ex Ignatii & Photii suâque parte, misit, atque synodicum Photii contrà Nicolaum volumen „ ex fabulis & mendaciis conflatum adjunxit; sed Nicolao mortuo, Legati Hadrianum successorem offenderunt, apud quem „ Legationem totam exposuerunt.

716 „ Hadrianus Papa rursùm indicto „ Concilio Provinciali, eadem Beati Papæ „ Nicolai contrà Photium decreta confirmavit, selectosque religiosos Viros, Constantinopolim misit; ibique Concilio Generali coacto, præsentibus etiam Patriarcharum Orientalium Vicariis, rursùs est „ in Photium damnationis sententia pronunciata, ut qui, more adulteri, Ecclesiam „ Constantinopolitanam invasisset, deponens „ eum, & anathemati subdens, Ignatiumque „ restituens.

717 „ Sed necdùm Photius impietatis „ consilia abjecit, aut quievit, sed impios „ quosdam præstigiatores & impostores conduxit, perjurosque calumniatores apposuit, atque Sanctissimum Ignatium indignissimis modis vitâ spoliandum curavit. „ Quin & Ignatio suo adhùc in Throno residente, ille ab œcumenico Concilio exauctoratus, exceratusque, Photius in Provincia Constantinopolitanâ complures or-

di-

„ dinationes fecit; & cum armata manu, „ quemadmodùm impius olim Macedonius „ in Ecclesia Dei, Symmistis nostris in Augusto Sophiæ Templo Deo operantibus, „ insiliit. Quem cùm sacrificantes in locum „ sacrificii irrumpentem cernerent, rem sacram inchoatam reliquerunt, indèque profugerunt. Photius autem Sacerdotes Domini Symmistas nostros renitentes, multis „ plagis afflictos ad se pertraxit, vel invitos. „ Ego verò, & qui mecum erant Episcopi, „ Presbyteri, Diaconi, juxtàq; mecum omnes ad Orientem & Occidentem Cœnobiorum Præsides, vitæque monasticæ & solitariæ cultores, quos nemo facilè numeraverit, Dei beneficio integri, intactique „ permansimus, penitùsque nos ab ejus societate sejunximus, nec anteà, nec posteà „ communione illius inquinatos.

718 „ Is verò, cùm, ut dictum est, Patriarchatum contrà canonicas Sanctiones „ iterùm invasisset, multos reddidit perplexos, qui asserebant, à se non receptum iri „ Photium, donec à Romana & Apostolica „ Sede esset confirmatus. Quod cùm ille „ advertisset simpliciores, in hunc modum „ circumvenit Paulum, & Eugenium Episcopos, Joannes Papa ad Patriarcham Ignatium de causa Bulgaricæ Provinciæ miserat, quos, defuncto jam Ignatio, Photius „ excepit, partimque donis corrupit, partim regiis minis perculsos, impullt, ut in „ conventu Cleri, Episcoporum, & universi „ Populi testarentur, se à Papa Joanne adversùs Ignatium missos, ut Ignatium anathemate ferirent, & Photium Patriarcham „ renunciarent. Atque hinc factum est, ut „ plurimi Symmistarum nostrorum sint ab illo decepti.

719 „ Photius porrò cum & vestro Apostolico Throno vellet imponere, Ignatii „ Patriarchæ nomine Symmistarum illius, libellum composuit, quò sacram Apostolicæ „ Sedis Sanctitatem rogitabant, ut Photium „ reciperet, & hunc libellum ad vos misit. „ Hinc Petrus Presbyter à vobis hùc ad Urbem Regiam missus, re cum Paulo & Eugenio communicata, Photium, velut jam „ ab Apostolica Sede receptum, unà cum illis proclamavit. Indè Photius omnia impunè ausus, politicas quoquè curas suscipere, atque ità & ipsa Regiam potestatem „ sibi sensim usurpare cœpit.

720 „ Abbatunculum enim quemdam obscurum & ignobilem, præstigiatorem insuper & magum sibi adjunxerat, cujus pater, „ cognomento Sanctabarenus, sectà Manichæus, arte magus erat; qui & deprehensus, nè etiam comprehenderetur, ad Bulgaros adhùc Idolorum, Dæmonumque cultores profugit, ubi fidem & Christum ejuravit. Hujus ergò, quem dixi, filius Abbatulus in Urbe Regia Constantinopoli „ relictus, à Barda Cęsare admodùm adolescens, in Studitarum Cœnobium traditus „ est, ibique detonsus. Cùmque adolevisset, „ omnique scelere pectus imbuisset, Photio, „ moribus simillimo, adhæsit, quem Photius „ in priore Patriarchatus tyrannide Sacerdotem consecravit. Photio verò post factam ab œcumenica Synodo publicam sui „ exauctorationem, de Throno dejecto, Abbatulus, de quo sæpè dictum, Sanctabareni filius suggerit, ut aliquem ex Palatinis Imperatori familiaribus venetur; „ per illum enim Photium posse restitui affirmabat. Repertus ergò Nicetas à cubiculo, „ cognomento Clæusa, qui plurimis captus „ donis, comparata à Sanctabareno præstigiatore pharmaca, esculenta, & poculenta medicata, Imperatori apponit; invisumque priùs Photium, charum illi, gratumq; „ reddit.

721 „ Ergò Ignatio adhùc in Patriarchio sedente, Photium Imperator è loco, „ qui Stenum dicitur, in Regiam accersit, „ atque in Palatio contubernium assignat, ut „ Photius Patriarcha potiùs esset, quàm Ignatius, quamvis Thronum teneret. Quarè, „ ut suprà narrabamus, etiam consecrationes celebrabat, adeòque Imperatori invisum reddidit Ignatium, ut illum etiam malè perditum iret. Ignatio igitur ità per scelus sublato, continuò Photius Thronum „ invasit, secùm habens Sanctabarenum, „ quem etiam Imperatori familiarissimum „ reddidit, atque Euchaitorum Episcopum „ creavit; Cœnobiaque illustria aliis in Provinciis sita, aliisque Episcopis subjecta, „ ipsos eripuit, & Sanctabareno tradidit, „ itaut Euchaitorum Ecclesiæ jungerentur, „ suosque Episcopos à Sanctabareno initiatos acciperent.

722 „ Hic unà cum Photio contrà religiosissimum Imperatorem, qui nunc rerum „ potitur, Leonem, init consilium pessimum, „ patremque Basilium à filio, tanquàm insidiatore, & patris voluntati repugnante, „ alienissimum reddidit. Nam cùm Basilius „ exitiali morbo correptus esset, jamque in „ ultimis versaretur, putaverunt (Photius, „ & Sanctabarenus) se, Basilio mortuo, Filioque procùl amoto, facilè Regnum occupaturos, illudque, vel per se, vel per „ alium, quem vellent, administraturos. „ Sed enim, Dei providentiâ, antequàm ad „ exitum perducerentur, dissipavit. Quamvis enim Leo filius à patre Basilio in ordinem redactus, privatus ageret, & in custodia teneretur, patre tamen extincto, Imperium tenuit, & Photium multa impiè, „ nefarièque ausum, de Throno mox dejecit, & nos multis ærumnis (quod ei non „ obsequeremur) afflictos, in libertatem vindicavit.

723 „ Cùm autem sciamus, nos ab Apostolica vestra Sede regi & gubernari debere, propterea nostris exiguis literis vestram venerandam dignitatem rogamus, utì populo, qui non sinè gravi causa Photium admisit, veniam, misericordiamqne indulgère velit; Nam priùs Rhadoaldi & Zachariæ Legatorum vestrorum auctoritate inductus hoc fecit, qui Photium ab initio Patriarcham in Sede Constantinopolitana collocarant; deindè de Eugenii & Pauli, qui Photium denuò ad communionem admiserunt, nè unà cum Photio in exitium trahatur, & infinita vis hominum aliorum ab Ecclesia proscribatur. Hoc enim in Ecclesia usu receptum est.

724 „ Nam quartum Concilium Generale, impietatis antesignanum Dioscorum, Beatissimi Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani interfectorem, tanquàm hæreticum & parricidam, quique ausus esset in Sanctissimum Papam Leonem excommunicationem torquere, exauctoravit; Consecratos autem à Dioscoro, aut illum sequutos & lapsos, factosque fidei persecutores, per pœnitentiam recepit. Nicæna quoquè VII. Synodus Iconomachorum duces quidèm damnavit; verumtamèn eorum sectatores, cùm eos impietatis pœniteret, admisit. Quapropter par est, ut & tua singularis virtus Photium quidèm jam tùm à principio schismaticum, & à Schismaticis contrà sacras leges inauguratum, aliaque multa facinora ausum, proscribat. Sed per fraudem ab illo circumventos, rogamus, ut commiseratione, veniâque per dispensationem prosequere, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ pax reddatur, & non sint alii quidèm Apollo, alii Cephæ, alii demùm Pauli, & ità corpus Ecclesiæ, quod unum est, distrahatur, sed omnes Christum Deum, velut unum Caput, communemque omnium nostrum Salvatorem uno ore celebremus, mandata ejus pariter prædicemus, nè propter unius scelus tanta hominum multitudo funditùs intereat.

725 „ Etenim nos, ut diximus, cum jussu Deo dilectorum Principum Constantinopolim evocati venissemus, multis nos ad Photianorum communicationem hortantibus, jurantibusque ab Apostolica Sede per dispensationem illis permissum esse, ut ritè Sacerdotum munere fungi possint; fidem tamen illis nequaquàm habendam putavimus, donec à tua Sanctitate certiùs aliquid & firmiùs afferatur. Nullus porrò eorum, venerande Pontifex, vel ipso Deo teste, qui cum Photio communicarunt, suâ id voluntate fecit, sed vi compulsus eorum, qui tùm rerum potiebantur, Quamobrèm rogamus tuam Sanctitatem, utì desperabundi populi miserearis. Rogat te ipse Petrus, cujus locum, Thronumque, ut administres, fortitus es, qui à communi cunctorum Domino, etiam iis, qui scientes, volentes peccant, septuagies septies didicit ignoscere. Exaudi nos; sic tutè etiam supernam Dei clementiam experiaris, ut deprecatu Sanctissimæ Dei Genitricis, Virtutum Cœlestium, Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, ac Beatorum omnium, quàm diutissimè Apostolicam Ecclesiam administres. *Hactenus Styliani, ac aliorum Episcoporum & Sacerdotum Epistola.*

726 In hac porrò Epistola universa Photii causa compendiosè descripta continetur, quoniàm ab hoc tempore, relegatus sinè ulla restitutionis spe, reliquum suæ vitæ spatium insumpsit, obiit in eo exilio, sed quandò, aut quo mortis genere, nescitur. Græci schismatici ut Sanctum colunt; alii pœnitentiam de anteactis egisse ante obitum produnt, sed res prorsùs incerta est; nec est reperiri monumenta, quod ostendat, in communione catholica decessisse.

727 Cæterùm nedùm Stylianus nomine totius Ecclesiæ Constantinopolitanæ pro dispensatione antedicta obtinenda scripsit, verùm & ipsemet Leo Imperator, quæ tamen non extant. Et quoniàm circà Photii depositionem dissentibat Stylianus in suis literis ab Imperatore, scribens, Photium à Principe dejectum: *Patre tamen extincto*, ait, *Imperium tenuit*, & *Photium multa impiè, nefariéque ausum, de Throno mox dejecit*. Imperator verò dicebat in suis, Photium spontè se abdicasse, quietamque sibi vitam elegisse; proindè Stephanus utriusque perlectis literis, & perspectâ ejusmodi contradictione, judicium suspendit, optans meliùs informari, æquum ei non videbatur acquiescere iis, quæ ab Imperatore scripta erant de spontanea Photii abdicatione, nè probare quodamodò videretur illius illegitimam sessionem. Non enim locus erat renuntiationis, ubi nulla erat possessio legitima, & ut fur & latro Photius Thronum possederat, & ut talis ab eo erat ejiciendus, nullâ expectata, nec attentâ renuntiatione. Et hujus rei causâ Pontifex, suspenso, ut fati sumus judicio, ad Styliani Epistolam ità respondit.

Stephanus servus servorum Dei cunctis ubiquè terrarum degentibus Episcopis, & Clericis reliquis.

728 „ Catholica Christi Dei nostri Ecclesia ædificata suprà firmam petram, quæ est Apostoli Petri confessio, etsi quamplurimis tempestatum fluctibus, & turbinum procellis agitetur, tamen solidatur magis, & crescit. Nec mirum videri debet, si malignus Ecclesiæ membra tentamentis aggrediatur, quandò idem Caput Ecclesiæ Do-

„ Dominum nostrum Jesum Christum tentare non dubitavit.

729 „ Quarè mirandum non est, si satis invisum ab Ecclesia Photium ejecistis, qui ipsam quoquè vivificam Crucem, per quam omnia sacra Sacerdotii ministeria peragantur, à qua ipse fons sacri Baptismatis sanctitatem accipit, judificatus est. Si ergò is, quem modò dixi, laicus (Photius) viam regiam instititisset, & à Patrum decretis & sanctionibus non recessisset, nunquàm in tantam insaniam incidisset. Hinc illi, qui humilitatem Christi, hoc est, venerandam ejus Crucem irriserunt, non secùs ac primogenita Ægypti percussi sunt. Tunc quidquid Israelis signatum erat, salvum fuit. Quid enim sanguis Agni in Israelitarum postibus erat aliud, quàm Crux patientis Christi, qua credentium frontes insigniuntur? Qui ergò salutarem Crucem contemnit, Evangelico gladio mactatur.

730 „ Sed de Photio vos quidèm ità scripsistis; Nos verò lectis Imperatoris literis, eas plurimùm à vestris discrepare animadvertimus. Ità enim illæ: *Photium vitam privatam & quietam amplexum, spontè animi per chirographum sese Patriarchatu, humilitate superbiæ antepositâ, id quod privata ejus testatur vita, abdicasse.* Hinc nos ancipiti cogitatione distracti hæremus: multùm enim differt voluntaria abdicatio à violenta ejectione. Quarè non absque diligenti totius rei indagatione nullam possumus sententiam proferrè; quapropter & nupèr sententiam distulimus; & oportet, ut ab utraq; parte Reverendissimi Episcopi Legati mittantur, ut omni discussâ dubitatione, veritateque ex omnibus partibus exploratâ, quod Deus suggesserit, judicare possimus. Etenim Sancta Romana Ecclesia, velut speculum quoddam & exemplar Ecclesiis cæteris proposita est; quæ, si quid definierit, id omnibus sæculis firmum, inconcussumque maneat. Par ergò est, ut absque causæ cognitione judicium & sententia non pronuntietur. *Hactenus Epistola Stephani.*

731 Intereà Stephanus Patriarcha Constantinopolitanus decessit Anno III. Leonis Imperii, suæque pariter Sedis, Domini verò Anno DCCCLXXXVIII., Pontificatus Stephani VI. Anno IV., Indictione VI., de cujus obitu Curopalates sic breviter: *In sequenti Anno*, inquit, *nempè tertio Imperatoris Leonis*, *Stephanus Imperatoris frater*, *& Patriarcha excessit è vita*, *in cujus locum suffectus est Antonius, cognomento Cauleos*. Antè ejus obitum à Romano Pontifice cum eo dispensatum fuisse, ut non obstante, quòd in Sacris fuisset à Photio initiatus, Sedem Patriarchalem propter Photii ejectionem obtentam, catholicis Sacerdotibus consentientibus, retinere potuisset, scribit Baronius ad Annum Domini DCCCLXXXVI. sub num. 28. *Nam*, inquit, *ille sedisse*, *atque cum ipso idem Stephanus Papa communicasse invenitur*. Et post Baronium, idem tradit Binius in notis ad vitam Stephani VI., ubi ait: „ Cùmque Stephanus in locum Photii substituendus, à Photio ordinatus esset, Stylianus Episcopus Neocæsariensis cum Leone Imperatore per literas Stephanum Pontificem Romanum rogarunt, ut hac in re Apostolicâ auctoritate cum designato Stephano Patriarcha Constantinopoleos Photii successore dispensare non dedignetur; quam gratiam à Sede Apostolica, post causæ diligentem cognitionem, impetratam esse, communio utriusque Sedis deinceps usurpata & frequentata, satis apertè testari videtur. *Hactenus Binius.*

732 At in Monologio Græcorum inter Sanctos relatos legitur sub die XVII. Maji, quo fortè obiit, cum hoc nimìrum Elogio: „ Sancti Stephani Patriarchæ Constantinopolitani, Basilii Imperatoris filii memoria. Hic Basilii quidèm illustris Romanorum Imperatoris filius fuit. Et propter simplices ejus mores, atque prudentiam & quietem, virtutisque sublimitatem, adhùc juvenis, Imperatoris, & sacræ Synodi, Clerique totius, & populi suffragio, Dei beneplacito atq; judicio Constantinopoleos Patriarcha fuit electus. In magno autem & sacro Throno collocatus, & magnum habens creditum gregem, totius illius Ecclesiæ curam gerens, vigil Custos & verus Pastor, ad orthodoxæ fidei pascua proprias agens pecudes, mendicos miserans, viduas, & orphanos protegens, injuriamque patientes ab iniquorum exuens manibus, Deumque colens in omnibus. Sic itaquè faciens, & carnem continentiâ consumens, in ipso ætatis flore ad Christum migravit. *Hæc ibi*. Addit Baronius ad Annum Domini DCCCLXXXVIII. sub num. 9., quòd Nicephorus Philosophus in Oratione funebri, quam habuit in obitu ejus successoris Antonii, testatur, hunc Stephanum à fasciis Sanctum fuisse. Et cùm legantur diversæ novellæ Constitutiones Leonis, ad statum Ecclesiarum pertinentes, ad eundem Stephanum Patriarcham datæ, indubium est, eo consulente, pro Ecclesiarum bono, atque etiam Ecclesiasticorum exactâ firmandâ disciplinâ, à Leone editas; quoniàm propter diuturnum Photianum schisma eversa penitùs erat Ecclesiastica disciplina, cunctaque ad Ecclesias, & Sacerdotum, atque Monachorum, & Clericorum statum pertinentia prorsùs confusa.

733 Itaquè sublato Stephano, & substituto in Patriarchali Throno Antonio, ut fati sumus, decreta est Legatio ab ipso Leone, Styliano, cæterisque Episcopis ad Stephanum Papam, prout ipse anteà mittendam jus-

jusserat, selecto Viro nobili, & palatino ad hoc munus obeundum, datisque literis tenoris sequentis.

Longè Sanctissimo, Beatissimoque Stephano Papæ œcumenico, Stylianus Episcopus Neocæsareæ, meique Symmistæ Episcopi, Eusebius Episcopus Nazianzi, Joannes Episcopus Cumanorum, Joannes Episcopus Leontopoli, cæterique Episcopi in superiore Epistola præfixi.

734 „ Divinas, sacrasque sanctæ, magnificæque, excellentissimæ Pontificiæ dignitatis vestræ literas tenuitas accepit, „ magnamque indè voluptatem percepit(post „ exordium Epistolæ, quo Apostolici Throni illustre Elogium continetur, hæc diserte præscripta sequuntur.)

735 „ Continebat veneranda Pontificatus tui Majestas literis suis, Serenissimum „ Imperatorem nostrorum literas cum nostris „ non consensisse. Hujus rei causa hæc est: „ Qui Photium sponte renunciasse dignitatem scripserunt, illi ipsi Photium, ut Sacerdotem, receperunt. Nos autem nullum „ in Photio agnoscentes vestigium Sacerdotii, secundùm legitimum & canonicum „ laudatissimorum Pontificum Nicolai, & „ Hadriani judicium, quemadmodùm & sancta & œcumenica Synodus Constantinopoli à Legatis Apostolicæ Cathedræ, & „ trium Orientis Thronorum Vicariis celebrata promulgavit. Quomodò potuimus „ in hunc modum damnatum, tanquàm spontè abdicatum, scribere? Illud verò mirari „ subiit, quo pacto, quem à firma Christi „ petra rejectum, in exordio Epistolæ scripseras, eundem posteà in fine Epistolæ, „ tanquàm legitimum Antistitem, judicandum scripseris. Quomodò modò is, qui „ rejectus est, judicabitur? Nonnè sic Patrum Sanctorum prædecessorum decreta „ infringuntur? Tamen, si quis in Photium curiosiùs velit inquirere, is, opinor, damnationem ejus magis etiam confirmabit.

736 „ Ut enim alia mittamus, illa, quæ „ contrà integerrimum, & reverà Sanctissimum Papam Marinum confixit, quo loco „ ponis? Quæ te tamen non ignorare certò „ scimus, quemadmodùm & literæ tuæ ad „ laudatissimum Basilium Imperatorem nostrum declarant. Sed nos rursùm ad preces conversi, pro illis, qui vi receperunt, „ deprecamur & oramus, ut Encyclicas literas ad Orientis Patriarchas mittas, ut ipsi „ quoquè dispensationem nostram ratam habeant, confirmentque & obsignent; præsertim cùm sapientissimus noster Imperator roget, qui nos ex tenebris, & umbra „ mortis eduxit, lumenque libertatis impertivit.

737 „ Non est contrà Canones, Photium „ quidèm esse damnatum, eos verò, qui invitì eum receperunt, per pœnitentiam in „ gratiam recipi, hoc enim & magnus ille „ Athanasius Patriarcha Alexandrinus ad „ Rufinum scripsit: In Conciliis hæresiarchas dumtaxàt, & Auctores schismatum „ eliminandos, cæteros autem per dispensationem recipiendos, pax toti Mundo & nobis in Christo Jesu, per gloriosissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, & Deiformium Angelorum, & clarissimorum Apostolorum, Sanctorumque omnium preces „ multiplicetur. *Hactenùs Epistola.*

738 Hisce cum literis profectus Romam Episcoporum, & Principis Legatus, reperit Stephanum vitâ jam functum,, reddiditque illius successori Formoso. Sexto namque sui Pontificatus Anno excessit è vitâ Stephanus, Anno Domini DCCCXCI., Imperii Leonis Anno VI., Indictione IX., Pontifex laudatissimus, cui malè Leo Hostiensis tribuit scelus patratum à Sergio schismatico; eique datus est successor Formosus, religione, morum integritate laudatissimus, quem Anastasius in vita Nicolai Papæ, magnæ sanctitatis Episcopum nominat, cujus sanctitatem maximè etiam collaudat Hincmarus Rhemensis, prout tradit Flodoardus, lib.3. Histor. Rhemensis, cap. 20. Errat pariter Leo Hostiensis suprà relatus, qui in Historia Cassinate, lib.1. cap. 48. collocat Formosum post Hadrianum. & ante Stephanum; cùm Luitprandus, Flodoardus, & cæteri illius ævi Scriptores referant, post Stephanum V., aliter VI. nuncupatum, electum Formosum, licèt tumultuaria quodammodò electione, elevante se contrà eum Sergio Diacono. Hic ergò accepit literas Styliani ad decessorem suum datas, Legatumque Leonis, & Episcoporum honorificè suscepit, quibus perlectis, cunctis perpensis, post maturam deliberationem, consulens bono Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sequentem fecit Epistolam.

Epistola, qua ad præcedentem respondetur, data à Sanctissimo Papa, & successore Beati Stephani, Formoso ad eundem Stylianum.

739 „ Literas Sanctitatis tuæ ad Sedem „ Apostolicam datas, sanè quàm libenter accepimus. (*Et post multa alia, quæ continebat Epistola, hæc sequuntur.*) Petis misericordiam, & non addis, quomodò, aut cuinam, Laico, an Sacerdoti: Si Laico, veniâ dignandus est, ut qui à Laico dignitatem acceperit. Si Sacerdoti non perpendis, honorem ab illo nullum tribui posse, „ qui ipse honore careat. Photius nihil dare „ potuit, prætèr damnationem, quam per im-

„ impiæ manus impositionem habuit, damnationemque dedit. Quomodo dignitatem accipiat is, qui damnato Socius adhæret? Cave nedum pro consecrato rogas, consecrantem potiùs foveas, id quod à Domino dictum est: *aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos; aut facite arborem malam, & fructus ejus malos. Numquid potest ficus uvas proferre, aut vitis ficos?* Æquum ergò esset ab hac Ecclesia, ad quam talia spectant, gravissimas constitui pœnas, per quas Ecclesia vestra perfectè repurgaretur. Sed cuilibet nos clementia, & benignitas, ut alia quidem toleremus, alia verò stirpitùs convellamus.

740 „ Quapropter à latere nostro religiosissimos Episcopos Landulphum Capuanum, & Romanum misimus, quibus cum ut tua sanctitas conveniat, hortamur, Theophylactum quoque Ancyræ Metropolitam, & Petrum fidelem nostrum. Ità tamen, ut ante omnia, sententia damnationis ab antecessoribus nostris œcumenicis Pontificibus, in Synodis; in prævaricatorem, & legum violatorem Photium pronunciata, atque à nostra insuper humilitate confirmata, in perpetuum inconcussa, immutataque permaneat. In eos verò, qui à Photio consecrati sunt, clementem sententiam tulimus, ut datis libellis supplicibus fateantur se peccasse, veniam per pœnitentiam petant, polliceanturque nihil se ampliùs hujùsmodi peccaturos. His ità peractis, tua sanctitas ex nostro mandato, unà cum supradictis Legatis, cætera omnia transigat, nihilque in his addat, dematque, neque immutet. Ità enim illis ut Laicis, à nobis & tua reverentia in fidelium communionem receptis, offensa omnis & scandalum tolletur. Quibus confectis, si quis illorum vobiscum communicare recusaverit, sciat se à nostra communione exclusum. Valete in Christo. *Hactenus Formosi Epistola.* Quæ cum superioribus recensitis extat in additione ad VIII. œcumenicam Synodum apud Labæum tom. 8. Concil. Habentur quoque prælibatæ Epistolæ inter Epistolas præfatorum summorum Pontificum, licèt alteriùs versionis.

741 Itaquè Apostolicæ Sedis Legati, quos Formosus selegerat venientes Constantinopolim, redditisque Pontificiis literis, cuncta juxtà sibi demandata composuere, pax per eos reddita est Ecclesiæ Constantinopolitanæ, firmataque utriusque, Occidentalis scilicèt & Orientalis Ecclesiæ unio, sedatumque est, tam perniciosum schisma: Imperante præfato Leone VI. anno sui Imperii VI. Clavum Petri tenente Formoso I. sui Pontificatus anno, Domini verò anno DCCCXCI. Indictione IX. sedente in Throno Patriarchali Ecclesiæ Constantinopolitanæ Nicolao cognomento Mystico, Antonii successore, qui biennio post suam inthronizazionem decesserat anno superiori.

742 Sed quid de Photio? Diximus suprà, quosdam in ea esse sententia, ut in unitate Catholicæ Ecclesiæ decesserit, inter quos ex Orthodoxis extat Manuel Calecas, libro 4. contrà Græcos. Inter schismaticos id idem testantur Michael Anchiali in Dialogo cum Emmanuele Comneno, Maximus Margunius in Dial. Græci cum Latino, & Auctor de separatione Ecclesiæ Romanæ à Græca, apud Leonem Allatium, lib. 2. de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis cap. 6. sed certè errant: quoniam in Breviario Synodi VIII. ad ingressum Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ exaratum, apud Labæum, in Appendice sæpè citata contrarium tradit, scribit namque in eo Auctor, qui Photium videre potuit, & alloqui: „ Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum usque diem, à Papa nempè Leone usque ad Formosum, excommunicatus fuit. Nam annos undecim adhuc politicus excommunicatus fuit, quod cum Gregorio Syracusano communicaret. Et alios quatuor supra triginta annos, postquàm sacris initiatus est. Etenim Leo, Benedictus, & Nicolaus, Gregorium propter varias & graves noxas anathemate damnarunt. Ubi verò Photius à damnato consecratus est, cum propter alia illius facinora, tum quod sacris à Gregorio esset initiatus, à novem Pontificibus Romanis, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano III., Stephano, & Formoso anathematis fulmine est ictus.

743 *Deinde subjungit idem Breviarii Auctor*: „ Nec ullus ex iis, qui Nicolaum sunt sequuti, illos (Gregorium & Photium) absolverunt: nec enim potestatem habuerunt: Joannes Eugenium & allegatos in Bulgarorum causa, superstite adhuc Ignatio Constantinopolim miserat, quos (mortuo jam Ignatio) comprehensos Photius miris modis vexavit, donec communicando cum Photio omnes imponerent. Qui Romam reversi à Joanne Papa in ambone publicitùs sunt damnati, & exauctorati. Isti igitur novem, Pontifices, & alii sex Patriarchæ quatuor Catholicorum Patriarcharum, Ignatius, Constantinopolitanus, Sophronius & Michael Alexandrini, Nicolaas Antiochenus, Sergius & Theodosius Hierosolymorum, illos excommunicarunt. Prætereà, qui ad VIII. Synodum convenerant Patriarcharum Legati, ubique denique communi omnium consensu, Photium, & Gregorium, illorumque inaugurationes damnavernnt. Hos igitur à tot Patriarchis damnatos unum Patriarchium absolvere nō potest, qui totos quadraginta quinque annos nunquam soluti fuerunt, quos & civilis lex ad decennium, aut tricennium con-

stringit. Photium porrò, qui se ipsum solverat, quomodo uni absolvere licebit? Imò quomodo non arctiùs constringendus erit, ut qui censuras ipsas contemnat.

744 Et post aliqua hæc alia subnectit: Quæ omnia cum à Photio perpetrata sint, quomodo non mentiuntur, qui affirmant illum à Papa Joanne fuisse absolutum? Qui ab altero ligatus est, ab altero solvi non potest. Quemadmodùm neque Papa Joannes Photium à priore Pontifice ligatum absolvere potuit. Neque per modum dispensationis fieri posse, quis côncedat. Etenim D. Chrysostomus ait, ibi esse dispensandum, ubi non sit prævaricandum, quemadmodùm & ipse fecit cum Ephesinis Episcopis propter Simoniam damnatis, Sacramentorum usum in Sacrario indulsit, cum ob rem sacram munera accepissent, quod se defenderent, id se ex diù jam usurpato mure factitasse, atque in id criminis incidisse. Has omnes ob causas, fieri non potest, ut Ecclesia Romana eos, qui ad quadragesimum quintum annum usque ab ipsis Patribus excommunicati manserunt, hodieque manent, per dispensationem in Sacerdotium restituat. Pulchrum est, inquit magnus ille Maximus, pacem colere. Rectè, sed cum iis, qui in religione, seù side conveniunt: tum enim præstat bello pax, cum pax ad honestam & æquam concordiam ducit. Nè verò mihi hanc tu concordiam appellites, sed discordiam potiùs & sectionem. Tunc enim pacis numen atque rem valere judico, cum Sanctorum Patrum & decretis & auctoritati non repugnamus, aut contraria molimur. Quid dicis? Orthodoxos fuisse tum, cum excommunicarentur, atque idcircò illos nunc resipiscentes Sacerdotio restituendos? Apagè. Multi Orthodoxi prævaricati sunt, & anathemate mactati: sed ad Sacerdotii gradum nunquam redierunt. *Hactenus ibi*.

745 Itaque hæc non cohærent, cum iis, quæ scribit Manuel Calecas loco supra citato, ubi inter alia ait. Mortuo Ignatio, Joannem VIII. indignatione contrà Photium simulatè deposita, Patriarcham appellasse, misisseque illi omnia, quæ à Romano Episcopo iis, qui nuper instituebantur, mitti erant solita: Ac ideò Photium voti compotem effectum pugnam adversùs Romanum Pontificem posuisse, & Patrem illum ac Sanctum, ad extremum usque vitæ spiritum agnovisse. Hoc quidem omninò à veritate alienum antefati Breviarii demonstrat historia. Et quidem non abnuo asserere, Photium à Joanne VIII. nequaquam fuisse absolutum, quoniam mandatum datum Legatis de recipiendo Photio, ut antefati sumus, non fuit absolutum, sed sub certis conditionibus, præcipuèque ut veniam peteret coràm Synodo, id quod nequaquam præstitit Photius: proindeque prævaricati sunt Legati ipsum recipientes non purgata conditione; & tantum absuit, ut Joannes haberet pro absoluto Photio à suis Legatis recepto, quod & ipsos Legatos deposuit & à communione segregavit: Et in Photium excommunicationis sententiam à suis antecessoribus latam publicè confirmavit. Certè Romanus Pontifex ut intelligenda sunt Breviarii verba, ligatum Photium in sua permanentem contumacia, solvere non poterat, non quia non habeat potestatem solvendi à suis antecessoribus ligatos, si resipiscunt, sed quia Photius incapax semper fuit recipiendi beneficium absolutionis, nunquam resipiscens, semperque in suo fixus errore, & in sua firmus contumacia.

746 Ac denique demus Photium à Joanne absolutum; nonnè & post Joannem, Marinus & cæteri Romani Pontifices usque ad Formosum renovarunt, atque in eum anathemata pronunciarunt? Constant hæc ex antedictis, & habentur in ipsis eorundem Pontificum superiùs recensitis literis. Itaquè de Photii sæpè reiterata excommunicatione, satis constat, de ipsius verò pœnintentia, & absolutione nullibi scriptum quidpiam reperitur: unde veriùs erit asseri, excommunicatum & segregatum decessisse: sicut & scholiastes ad antefatum Breviarum innuit, dum ait: *Mortuo Basilio Imperatore, Leo Basilii filius Photium de Sede depulsum, in exilium ejecit, in quo tandem miserè periit*.

CAPUT XXIII.

De Styliani Lapsu.

747 Sic rebus compositis, sedatoque schismate, contigit Formosum ad Dominum migrare, die XIX. Kal. Januarii VI. sui Pontificatus anno, Domini verò anno DCCCXCVI. Imperii Leonis VI. anno XI. inchoata Indictione XV. post cujus obitum orto schismate intrusi sunt in Petri Cathedra Bonifacius, & Stephanus VI. dictus VII. sed post dies quindecim pulsò Bonifacio, firmatus est in Throno Stephanus, cui, licèt indigno, ad vitanda majora mala, & schismata, adhæsit Clerus Romanus, quem in Sede priùs intrusum confirmavit: vir fanè pessimæ indolia: sed ulciscente Numine quadriennio post, anno scilicèt Domini DCCCC. prævalente factione adversùs Adelbertum Etruriæ Principem cui Stephanus favebat, detrusus est in Carcerem, ubi biennio exacto, sui Pontificatus anno VI. strangulatus vitam clausit: cui successit Romanus Patria Galesianus Constantini filius, qui acta Stephani contra Formosum reprobavit: sed quatuor dumtaxat sedit menses; postquam Pontificatum accepit Theodorus hujus nominis II. Patria Romanus, qui viginti exactis à sua inthronizatione

tione diebus obiit: Eique datus est successor Joannes IX. Patria Tiburtinus, filius Rampoaldi, professione Monachus, ordine verò Diaconus, creatus anno Domini DCCCCI. Qui congregata Synodo, decreto synodico acta pariter Stephani contrà Formosum irrita reddidit.

748 Hoc itaque regnante Pontifice, Stylianus Mapa Episcopus Neocesareæ, ad quem Formosus per Legatos superiùs recensitas scripserat literas, deceptus ab amicis & cognatis, cum Photianis communicans prvçaricatus est: sed ut licitè se hoc facere Orthodoxis ostenderet, conatus est dispensaaionem extorquere à Joanne Papa pro antesatis Photianis, deditque ad eum hujus argumenti supplices literas. Itá in suprà relato Breviario, ubi dicitur: „ Neque ignorandum prætereà, Mapam „ illum Neocesariensem Metropolitam, Sty„ lianum, Septennio (*sive ut Baronius adno„ tat, novennio*) postquàm Epistolam à For„ moso, de qua supra scriptum est, accepe„ rat, stolidà per amicos & cognatos super„ biâ elatum, relicto veritatis tramite (nem„ pè communicando cum Photianis) in con„ traria versum dogmata, scripsisse Romam, „ petivisseque ordinationem ipsius, & facul„ tatem communicandi cum Photianis.

749 At hujusmodi literæ desiderantur, quid porrò egerit Pontifex Styliani literis receptis, subjungit Breviarii auctor, inquiens: „ Papa verò Joannes cum hujusmodi Mapæ „ petitionem accepisset, perpendissetque: „ veritus nè fortè per irrisionem, & contem„ ptum hæc scripta essent, nevè Græci lude„ rent Romanos, si illorum petitioni satisfe„ cissent: neque concessit quod petivit, ne„ que sua manu (ad Stylianum) rescripsit „ sed ad illius literas in hunc modum res„ pondit.

Epistola Joannis IX. responsiva ad Epistolam Styliani.

750 „ Gratias quas par est, honoratis„ sime frater, tuæ charitati habemus, quod „ nunquam à matre tua, Sancta, inquam, „ Catholica, Apostolicaque Romana Eccle„ sia deficere volueris: nulla quippe tormen„ ta, exilia nulla, nec artes & lenocinia ul„ la, te ab Ecclesia matre tua avocare potue„ runt. Omninò tamen spero tuarum ardore „ precum dura illorum pectora, qui ad Bea„ tam destinati sunt vitam, flexum iri, pa„ cem diù expetitam postliminio reddituram „ (quod sanè per quam certis futurum argu„ mentis apparet) & schismatis dissidium, „ quod ad quadragesimum jam annum dura„ vit, ad pristinam sanitatis concordiam re„ ductum iri. Quæcumque enim hactenus „ tua Mater Ecclesia damnavit, tu damnasti, „ & quæ probavit, tu probasti.

751 „ Quapropter & nunc Sanctissimo„ rum Pontificum, qui nos præcesserunt, „ decreta, eodem esse loco, incorruptève „ volumus observari. Itaquè Ignatium, Pho„ tium, Stephanum, & Antonium eodem nos „ loco, quo Sanctissimus Papa Nicolaus, & „ Joannes, & Stephanus VI. totaque Eccle„ sia Romana habuerunt, habemus, recipi„ mus, & tenemus. Et quicumque ex or„ dine ab illis consecratorum supersunt, ma„ num præbemus, atque ut tu pariter no„ biscum illis manum porrigas, monemus. „ Pacem quoque illis, & communionis gra„ tiam reddimus, si tamen ipsi leges à nobis „ præscriptas observaverint. Sed Chirogra„ phum tuum, quod fecisti, licèt diù mul„ tumque à nobis quæsitum, reperire tamen „ nusquam potuimus. *Hactenus Epistola cui Scholiastes hæc subjungit.*

752 „ Consideranda sunt porrò probè „ meditata hujus Epistolæ verba. Neque „ enim hic Papa absolvit, aut recipit Photium, „ illiusve ordinationem; sed priorum Pon„ tificum sententias confirmavit. Cum au„ tem dixit; *Nulla tormenta, vel exilia,* „ *vel fraudes, vel lenocinia adulterorum, te* „ *à Matre tua Ecclesia Romana potuerunt* „ *avellere*; Tyrannum utique & persecuto„ rem, & lenonem seu adulterum insinuavit „ Photium. Ulteriùs verò progressus osten„ dit, nec eos qui Photio in Patriarchatu suc„ cesserunt ad quadragesimum usque annum, „ salvos, sanève secutos fuisse, soloque no„ mine Sacerdotes extitisse. Præcepitque „ priorum Pontificum decreta contrà Pho„ tium & Gregorium Syracusanum edita, „ nulla ratione violanda esse. Cum rursùs „ dixit: *Eodem nos loco, quo priores Pontifi„ ces, habemus, ac tenemus*, Ignatium qui„ dem consecratum apertè dicit, cæteros autè „ perindè quasi pro non consecratis habendos.

753 „ Sextus porrò (Stephanus fuit) à „ Nicolao, qui Nicolaus primus Photium „ damnavit, & Ignatium absolvit: secundus, „ Hadrianus: tum Joannes VIII.; deinde „ Marinus: quintus Hadrianus III. postea „ Stephanus VI. Hunc Formosus; Formo„ sum alii quatuor sunt sequuti, Bonifacius, „ Stephanus VII., Romanus, Theodorus, „ & post hos omnes Joannes IX. qui hæc scri„ psit. Cùm porrò dixit: *Quemadmodùm to„ ta Ecclesia ad hodiernum usque diem tenuit*, „ complexus est omnes, qui se processerunt „ & sequuti sunt Pontifices, quorum decre„ tis se quoque stare dicit. Ut fieri non pos„ sit hæc duo simul vera esse: ut decreta il„ lorum servet, & per illorum decreta, exau„ ctoratos ad Sacerdotium omninò recipiat. „ Sed pacis dumtaxàt communionis gratiam „ ritu laicorum illis impertiendam signare de„ claravit. *Hactenus Scholiastes*. Post hæc verò quid egerit Stylianus nihil literis proditum reperitur.

CAPUT XXIV.

De Constantinopolitano Schismate occasione quarti Matrimonii Leonis VI.

754 SEdato Photiano Schismate novum exortum est dissidium in Ecclesia Constantinopolitana occasionatum à quartis nuptiis Leonis Imperatoris hujus nominis VI. cognomento sapientis, de quo suprà, id illi prohibente Nicolao, cognomento Mystico Patriarcha Constantinopolitano, qui Imperatorem minimè obtemperantem, coacta Synodo, ab Ecclesia segregavit: Ille verò indignatus Nicolaum de Throno ejecit, substituto in ejus locum Eutymio; unde exortum est ea in Ecclesia dirum schisma. At quomodò res se habuerit narrat Curopalates: inquiens: „ Cum Imperator tertia uxore defuncta, quartam super induceret, Zoen „ nomine, eas nuptias Nicolaus Patriarcha „ benedicere recusavit, sed & Thomam Pre„ sbyterum, qui benedixit; Presbyteri ho„ nore privavit. Quin insuper ab ingressu Ec„ clesiæ Imperatorem prohibuit: qui licèt ro„ gatus, cum recipere in Ecclesiam eum nol„ let, persuasione Samonæ Patricii, Impe„ rator eum è solio exturbatum exulare jus„ sit, relegarique in Monasterium ab ipso „ conditum, dictum Galacrenornm. Facta „ sunt hæc initio Mensis Januarii. Cum nec „ multo interlapso tempore, substitutus est „ in locum ejus Euthymius, vir pius & sum„ ma virtute præditus, quem ajunt, Sacer„ dotium renuentem, divino fuisse oraculo „ impulsum, ut illud susciperet. *Hæc Curopalates*.

755 In Annalibus verò Eutychii Episcopi Alexandrini, hæc leguntur: „ Cum Leoni „ Imperatori Romano mortua esset uxor nul„ la relicta prole, aliam ille uxorem ducere vo„ luit; at prohibuit ipsum Nicolaus Patriar„ cha Constantinopolitanus, dicens: Non „ est tibi licitum uxorem ducere, siquidem „ Anagnostes es, & precibus Sacerdotum „ consecratus: quod si uxorem duxeris, non „ licèt tibi ad Altare accedere. Cui Leo: „ Uxorem ducere cupio, quo sit mihi filius, „ qui post me regnum hæreditario possideat. „ At non permisit ipsi Patriarcha conjugium. „ Scripsit ergò Leo Imperator ad Patriar„ cham Romanum, Michaelem Patriarcham „ Alexandrinum, Eliam Mansuri filium, Pa„ triarcham Hierosolymitanum, & Simonem „ Zamacki filium, Antiochenum, rogans ut „ ad ipsum accederent, quo dispicerent, li„ ceret necnè ipsi uxorem ducere. At noluit „ eorum quispiam ad ipsum accedere, nisi „ quod singuli nomine suo Legatum mitte„ rent. Ac Legatis se adjungentes Episcopi „ quidam Constantinopoli, de negotio Im„ peratoris dispicientes, matrimonium ipsi „ licitum pronunciarunt. Quare uxorem „ duxit: natusque est ipsi filius, quem Con„ stantinum appellavit. Cùmque Nicolaum „ Patriarcham Cathedrâ abdicasset, consti„ tutus est ipsius loco Eutymius Patriarcha „ Constantinopolitanus. *Hactenus ibi*, Sed admodum confusè.

756 Constantinus autem Porphyrogenitus in præambulis ad edictum unionis, quod habetur lib. 2. juris Orient. clariùs hanc historiam enarrat, inquiens: „ Imperator ille „ doctissimus Leo, primam quidem uxorem „ habuit sanctam Theophanonem, ex qua „ filiam procreavit. Sed ea citò rebus huma„ nis excessit. Itaque cum hæc sancta mulier „ migrasset ad Dominum, Zoe Styliani Tzaut„ zæ, qui ex proceribus & amicis Imperato„ ris erat, filiæ jungitur. Illa quoque brevi „ temporis spatio sine liberis extincta ter„ tiam duxit Eudociam ex Opsicii Provincia „ oriundam, olim dicta Mæonia, formæ no„ mine selectam: quæ in puerperii doloribus „ unà cum infante moritur. Imperator au„ tem ineffabili dolore correptus, quod nul„ los sustulisset liberos, eorum gignendorum „ desiderio, quartam quoque duxit uxorem „ Zoan Carbonopsinæ filiam, quæ ei Con„ stantinum parit. Verùm Patriarcha Nico„ laus & Metropolitani Imperatorem ab Ec„ clesia segregant, eamque segregationem „ nonnulli Pontificum brevi spatio definien„ dam, non in longum tempus extendendam „ ajebant, illis in hoc non assentientibus. „ Itaque dissidia inter eos erant, magnaque „ seditio, atque Imperatorem magnopere de„ precantem & orantem, alii recipiebant, alii „ contumaciter reiiciebant. Cùm autem Prin„ ceps ipse prudens esset, atque unde discor„ dia Pontificum orta esset, haud ignoraret: „ loco Patriarcham Nicolaum movet, Eccle„ siæque finibus expellit, ut mendacem, & „ qui multoties quidem jurejurando confir„ masset, ac promisisset, se Imperatori gra„ tiam pœnæ facturum, ac totidem vicibus „ animum mutasset, remque datâ operâ ex„ traheret. Ejus loco Patriarcham constituit „ Patrem suum spiritualem Eutymium, vi„ rum multis annis exercitatione solitaria no„ bilitatum, denique Prophetici spiritus par„ ticipem. Is Imperatorem à pœna facit im„ munem, atque à vinculo diuturno liberat, „ & ad communionem admittit. Sed erant „ adhuc multi Pontifices, qui dispensationi „ Patriarchæ non assentiebantur, præsertim „ ji, qui ab expulsi Nicolai partibus stabant. *Hæc ibi*.

757 Primam ergò uxorem Leonis Sanctissimam fuisse Græci decantant, miracula quoque post obitum edidisse affirmant; Martinacii filiam facit Zonaras, à Basilio Patre Leoni filio adulto jam nuptui traditam, anno Domini

mini DCCCLXXIX. Imperii Basilii XIII. *Sed Leo filius ejus jam adultus, & Martinacii filiâ uxore ductâ à Patre Imperator salutatus*. At in Græcorum Monologio sub die XVI. Decembris, quando ejus memoria à Græcis celebratur, & ubi ejus sanctitas speciali elogio decoratur, dicitur filiam fuisse cujusdam Constantini viri illustris, triumque Imperatorum consanguineam. Sic enim legitur: *Beatæ Theophaniæ Leonis sapientis Principis memoria*: „ Beata Theophania Constantinopoleos fœtus & Regina, Constantini filia fuit illustria, trium Imperatorum consanguinea. „ Cujus Mater Anna similiter erat sterilis, „ ut illa prior Anna Samuelis Prophetæ genitrix, sed cum viro frequenter orans Sanctam Dominam nostram Dei Genitricem, „ quæ præsertim ad Bassi colebatur, Sanctam concepit Theophaniam, & natam virtutibus instruxit, literas quoque docens. „ Cùm verò Basilius illustris Imperator filio „ Leoni sapientissimo vellet uxorem conjugere, nec hac meliorem inveniret, ipsam illi „ despondavit. Coronata verò, & Imperatrix effecta, pauperum tamen non obliviscebatur, sed solitam retinens virtutem, & „ eleemosynam, Deo, qui sibi Cœlorum „ quoque donavit regnum, piè famulabatur: *Hactenus de Theophania in Monologio*,

758 Potuit fortasse Martinacium nomen quoque habuisse Constantini, nè contraria auctor Monologii referat. Cæterum Glicas, quorundam miraculorum hujus Theophaniæ meritis, à Deo patratorum meminit. Unde Curopalates tradit Leonem Augustum in honorem præfatæ Theophaniæ defunctæ, pulcherrimum erexisse templum Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum proximum. Porrò secundam uxorem Leonis, quam Constantinus Porphyrogenitus filiam dicit Styliani, Zoen appellatam, illius Styliani filiam fuisse censendum est, ad quem scripsit diversas Constitutiones Novellas, quæ ejusdem Leonis in jure leguntur: Cui & scripsit Constitutionem XI. qua pœnam statuit tertiò nubentibus: cujus est titulus: *Ut qui tertium Matrimonium contrahunt, Sacri Canonis pœnæ obnoxii sint*. Novella porrò constitutio ad hunc modum se habet,

759 „ Oportebat nos, cùm divina manu formati, menteque ac ratione præditi sumus, quorundam brutorum præstantiæ „ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehensione vacat, neque à justis vituperationibus libera est: sed tantò obnoxior, „ quantum Brutali naturæ rationabilis prudentia antecellit. Oportebat, inquam, homines, cùm in aliis, tum præcipuè in castitate matrimoniali à Brutis non vinci. „ Multa autem animantium genera, conjuge mortuo, perpetuam viduitatem amplectuntur, alterisque nuptiis priores, velut „ congestâ terrâ obtegere nolunt. Verùm „ quoniam hanc imbecillitatem turpem non „ esse, quamquam turpissima sit, existimans, natura primo suo matrimonio contenta non est, sed nullo pudore tacta, ad „ secundum etiam procedit. Quin cùm illam „ hic saltem sistere deberet: non tamen id facit. Et quamquam per sacram legem non „ liceat, à secundo matrimonio ad tertium „ prorumpit, haud dubiè constitutam in tertium matrimonium pœnam, quod non exerceatur, contemptui habens, idque eò magis quod civilis lex, quæ nescio de causa „ spiritus pœnam constituentis decreto non „ consentiat, sed hoc à reprehensione porrò „ liberat, qui post alterum matrimoniale „ consortium à matrimoniis abstinere nolint, „ Idcircò quæ spiritui placent, sequentes, „ statuimus, ut qui ad tertium matrimonium „ pervenerint, pœnæ, quam in ipsos sacer „ Canon promulgavit obnoxii sint. *Hactenus Leonis Novella*.

760 Et fanè mirandum, eum, qui tertias damnat nuptias, quartis copulari. Huic tamen Constitutioni, ut sibi impunè liceret quartò nubere, nova edita Constitutione derogare cogitabat, statuereque cuilibet impunè licere secundò non solùm, sed & tertiò & quartò nubere: Id quod à Patriarcha prohibitus ei fuit, ut scribit Curopalates, inquiens: *Cogitabat Imperator, sibi multis viris ad id operam navantibus, legem ferre, qua liceret homini eidem tres, vel quatuor uxores ducere, verum hoc omnibus viribus prohibuit fieri Patriarcha*. Non enim agebatur de pluribus uxoribus simul habendis, sed successivè, defunctis prioribus, quæ erat controversia de qua agebatur, & propter quam ortum fuerat dissidium, inter Nicolaum Patriarcham, & ipsum Leonem.

761 Nitebatur Nicolaus antiquis Neocæsariensis Synodi Canonibus pœnam statuentibus, plures, licet successivè, contrahentibus, ut Can. III.: „ De his qui frequenter uxores ducunt, & de his, qui sæpiùs nubunt, „ tempus quidem pœnitentiæ, quod his constitutum, observabunt: sed conversatio & „ fidea eorum tempus abbreviabit. *Et Canone VII*. Presbyterum convivio secundarum „ nuptiarum interesse non debere, maximè „ cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere. *Itemque & Canoni IV. Magni Basilii ad Amphilochium*. Trigamorum & Polygamorum, eundem Canonem „ definimus, quem in Digamis, proportione; Annum enim in Digamis, alii verò „ duos annos; Trigamos autem sæpè tribus „ & quatuor annis segregant. Id autem non „ ampliùs conjugium, sed Polygamiam appellant, vel potiùs castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ „ quinque Maritos jam habuerat; *quem nunc*, inquit, *habes, non est Maritus tuus*. Neme quod digni non sint, qui à Digamiæ mensura

„ surâ exciderunt, ut vel mariti vel uxoris „ nomine appellentur. Consuetudinem autem accepimus in trigamis quinquennii separationem, non à Canone, sed ab eorum „ qui præcesserunt consequentia. Oportet „ autem non eos omninò arcere ab Ecclesia, „ sed dignari auditione duobus vel tribus annis: & posteà permitti quidem consistere, „ seu in fidelium esse congregatione, à boni „ tamen communione abstinere, & sic postquàm pœnitentiæ fructum aliquem ostenderint, communionis loco restituere. *Hactenus* Basilius.

762 His itaque stantibus Canonibus, quasi lege receptum erat in Ecclesia Orientali, à tertiis & quartis nuptiis abstinendum, & licèt tertiæ nequaquam dissolverentur, sed cum taxatâ à Basilio contrahentibus pœnitentiâ admitterentur, ad quartas transire nefas putabatur: quoniam nullo existente Canone pro quarto nubentibus, inferebant omninò fore illicitas & invalidas quartas nuptias, hoc ex eodem Canone Basilii deducentes, propter ibidem Christi verba ad Samaritanam allegata, *quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir*. Maximè quoque favere poterat testimonium Sancti Gregorii Nazianzeni orat. 37. ubi explicans Pauli verba in Epistola ad Ephesios cap. 5., ait: „ Hac enim oratione secundas nuptias deprecari mihi videtur; Si enim duo Christi sunt; duo quoque viri sint, & duæ uxores: si autem „ unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una „ etiam caro sit, secunda non respuatur. Quod „ si secundùm prohibeat, de tertia quid dicendum? Primùm lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas: qui „ autem hunc numerum excedit, porcinus „ planè est. *Hæc Gregorius*.

763 Ad exactam porrò hujus historię veritatem, quam confusè, & nimis compendiosè Scriptores Græci recensent, recolenda sunt quæ ipse Nicolaus mysticus revocatus ab exilio scripsit ad Romanum Pontificem in ea Epistola, quæ incipit: *Inde principium scribendi sumam, Beatissime Pater, undè nobis tot mala promanarunt*, quæ habetur apud Labæum in Additione ad tom. IX. Concil. pag. 1264. necnon apud Baronium ad annum Domini DCCCCXII. sub num. 6. cujus est titulus: *Sanctissimo Papæ veteris Romæ Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus, de Trecamia à Romanis recepta*.

764 Ait namque in ea: ante contractas Leonis cum Zoe nuptias, post obitum tertiæ uxoris, ex ea filium genuisse, quo genito nuptias cum eadem affectasse, ut hac via susceptam legitimaret prolem, Episcopos verò atque universum Clerum restitisse, coacta ab ipsomet Nicolao Synodo, in qua pariter vetitum fuisse, ait, nè solemni & Imperiali pompa baptizaretur puer, nisi priùs dimissa Zoe Imperatorem verò simulatè consensum præbuisse: „ Post *inquit*, uxoris obitum subiit „ optimi atque dilecti nobis Imperatoris animum, quartum quoque Connubium experiri velle: quod nemo ante, nedùm privatus, verum etiam amplioris gradus sub „ ditione Romana ausus fuerat. Quæ enim „ tam effusè petulans libido, refragantibus „ Sanctorum Canonum sancitis non cohibetur; nisi summo Imperio suffulta, licere „ sibi censeret, quidquid concupisset? Vicit ergò ad extremum amor, quartaque „ jam uxor expetita est: puer autem obtentui assumptus, qui pridem ab ea genitus, „ successione Imperii nullo prolis adhuc subsidio innixi destinabatur. Quod quidem „ fieri minimè debuerat: neque enim partus „ subsecutus illegitimam conjunctionem ratam effecit. Alioqui obvium unicuique & „ in promptu foret legibus illudere. Hunc „ Imperatoris conatum Ecclesiæ Orientalis, „ pro eo gravitas rei postulabat, tam molestè „ tulit, ut conspiranti Antistitum consensu, „ solemnem illam pompam Augustorum filiis „ exhiberi solitam (id enim pater flagrantissimè cupierat) in baptizando puero vetuerit, nisi priùs à se mulieris missionem juraret Imperator. Quod & ore præstitit promptissimè, quamvis aliud animo occulto velaret.

765 His peractis antè triduum à baptizato puero, Zoe mater in Palatium ingreditur multo cum comitatu, causâ celebrandi, eâ quâ cum decet magnificentia, nuptias cum Principe, ubi coràm magnatibus & nobilibus, consueta Imperiali pompa, non vocato Patriarcha, imò contempto, & nullius ordinis Ecclesiastici viro præsente, nuptiæ celebratæ sunt: „ Nondùm enim triduum, *inquit*, „ à baptismo filii effluxerat, cum pueri mater in Palatium, ut Principis decet nuptam apparatu regifico accitur: cæremoniæ „ expediuntur nuptiales, nullius Sacerdotis „ interventu, Imperatore ipso & Sponsi & Auspicis munus exequente. *Hæc Nicolaus*. Unde constat errare Europalatem superiùs relatum dicentem, Thomam quemdam Sacerdotem has nuptias benedixisse, eaque de causa Presbyterii honore privatum, cùm ipse Patriarcha testetur, absque Sacerdotis interventu præfatas nuptias fuisse celebratas.

766 Subjungit inde, se quantum potuit Principem rogasse, ut ab instituto desisteret, expectaretque quid veteris Romæ Pontifex hac in causa definiret, sed frustrà: „ Quod „ quidem, *subnectit*, non aliter ac si fundamenta totius fidei convellerentur, non „ Præsules modo, Clericosque cujuscumque „ ordinis commòvit: verùm etiam totam simul Civitatem perculit. Me autem quid „ agere tunc aliud oportuit, quàm quod amico Antistiti Excubitori de Ecclesiæ dignitate, Principisque salute, dies noctesque „ cogitanti agere par erat. Primùm quidem

ad

„ ad genua ipsius, imò ad pedes usque pro-„ volutus, & monebam eum, ut errantem, „ & ut Imperatorem obsecrabam, vereretur „ fastigium dignitatis Augustæ, in qua non „ secùs ac in facie, vel tantillum quidèm ma-„ culæ oculi vix potest, agnosceret longè se „ sublimiorem Regem tàm inauditum faci-„ nus cœlitùs ulturum; non ideò Principes „ legibus exsolvi, ut vitam per omne scelus „ impunes ac infrenes agant, sed ut sibi leges „ ipsi sint, virtutis præscripto mores compo-„ nentes. Postremam conditionem afferebam „ lacrymis obortis, aut saltèm secubaret à „ à muliere tantisper, donec acciti Romæ „ veteris, cæterarumque Patriarchalium Se-„ dium Legati, nobiscum quid facto opus „ esset, disceptarent. His ergò tunc verbis „ nihil profuturis (obstruxerat enim tunc „ aures ejus amor) Regem fatigabam.

767 Cùmque ergò Nicolaus se frustrà laborare novisset, congregatâ Synodo, ut innuit Constantinus Porphyrogenitus suprà allegatus, Imperatorem ab Ecclesia segregavit: *Verùm Patriarcha Nicolaus*, ait Constantinus, *& Metropolitani Imperatorem ab Ecclesia segregant*. Licèt hoc in sua Epistola non referat Nicolaus, immò dissensisse inter se Episcopos, notat Constantinus, dùm subnectit: *Eamque segregationem nonnulli Pontificum, brevi spatio definiendam, non in longum tempus extendendam ajebant, illis in hoc non assentientibus. Itaquè dissidia inter eos erant, magnaque seditio*. Putabant fortè aliqui secundùm rigorem Canonis Basilii procedendum; alii verò cum summo Principe molliùs adeundum existimabant. Porrò pœnâ subiisse Imperatorem, & pro absolutione postulasse, tradit pariter idem Constantinus, inquiens: *Atque Imperatorem magnoperè deprecantem, & orantem, alii recipiebant, alii contumaciter rejiciebant*.

768 Intereà Imperator causam suam Romam detulit, scripsitque ad Joannem Papam, & ad cunctos Orientis Patriarchas, quatenùs per se, aut per suos Legatos ad ipsum accederent pro hujus causæ definitione, ut etiam Euthymius suprà relatus scribit. Quarè Joannes, hujus nominis IX., receptis Imperialibus literis, statim ad Principem Legatos destinavit, dato eis mandato, ut licitas præfatas declararent nuptias, ratasque pronuntiarent, dispensando Apostolicâ auctoritate super Canones Orientales, pœnas ejusmodi contrahentibus statuentes. Itaquè venientes in Regiam Civitatem Apostolicæ Sedis Legati, habito conventu cum Vicariis aliarum Ecclesiarum Patriarchalium Orientis,& compluribus aliis Episcopis, & Metropolitis, excluso Nicolao Patriarcha, pronuntiatum est licitum Leonis Matrimonium. Ità Euthymius jam relatus; & ipsemet affirmat Nicolaus in eadem Epistola, ubi post suprà recensita statim prosequitur, inquiens.

769 „ Cùm interim Romam advenirent „ Legati, quos ille (sic enim publicè sermo-„ nibus divulgabatur) connubio firmando „ evocarat. Res sanè si quæris hominibus „ nostris indignissima est visa, summoque „ cum dedecore conjuncta; quippè quæ pro-„ curationem mihi debitam aliis deferret, „ Provincias Patriarchales, jampridèm inter „ se Patrum sanctionibus discretas, turpiter „ confunderet, nefarium scelus olim ab Ec-„ clesia dirâ execratione vetitum, in jus de-„ nuò, nullo servato jure, revocaret. *Hæc ille*. Conquestus, quòd hoc negotium definiendum, aliis fuerit commissum. Quòd porrò exclusus fuerit à conventu, causa esse potuit, quòd Apostolicæ Sedis Legatos contempserit, licèt ipse se ab hoc crimine purgari contendat per ea, quæ subjungit, dùm ait.

770 „ Non ignoro à calumniatoribus ja-„ ctatum,me per superbiam Legatorum con-„ spectum, atque colloquium spreviſſe, quasi „ verò mihi integrum fuerit, aut palàm adire „ viros summâ passim invidiâ flagrantes, ob „ rumorem, quem plerique sparserant, adesse „ reprobatarum à nobis nuptiarum asserto-„ res; aut ipsi Imperatori non suaserim, se-„ cretum nobis in Palatio cum Legatis con-„ grediendi locum daret, ubi, remotis arbi-„ tris, de quæstione ipsa nuptiali discepta-„ remus. Quod ille facere neglexit,in meam „ unius perniciem animo intentus, quam „ quidèm ità confusis dolis est aggressus.

771 Prolatâ itaquè, ut sati sumus, de validitate Matrimonii sententiâ, cunctis, qui in eo conventu intervenerant, cum Apostolicæ Sedis Legatis consentientibus, eique subscribentibus, indignè ferens Nicolaus, ut indicant illius verba suprà allegata, nè fortè revertentibus præfatis Legatis, & aliarum Sedium Patriarchalium Vicariis, Nicolaus novum tumultum, dissidiumque excitaret, consulentes paci Ecclesiæ Constantinopolitanæ tàm Imperator, quàm cæteri, decretum fuit, amovendum Nicolaum, atque in exilium relegandum, aliumque loco ipsius substituendum in Throno Patriarcham, primas partes in eo habentibus prædictis Apostolicæ Sedis Legatis, ut conqueritur Nicolaus in eadem Epistola, ubi de sua amotione & exilio, atque relegatione, sic subjungit.

772 „ Primum omnium nonnullos no-„ strorum Præsulum partim donis, partim „ pollicitationibus illectos, quasi suas pecu-„ liares adversùs me copias conscripsit; de-„ indè me jussit in Regiam accersiri ad con-„ vivium, quod illi instruere quotannis in „ Beati Triphonis festo moris erat. Accedo „ imperterritâ fretus conscientiâ, solemni „ cœtui intersum, epulis accumbo; inter „ sacra mensæ deniquè abripior, atque na-„ vigio impositus, in exilium agor immi-„ tissimum, non amico, non famulo, non li-

„ libro deniquè, cujus lectione me solari „ possem, fugam comitante; ubi non tàm „ hiemis rigore, rerumque omnium egestate „ pressus, quàm Custodum violentia penè „ enectus, diù mansi. Pari inclementiâ in „ reliquos sanioris consilii sævitum est; car- „ cere relegatione, vinculis afflicti omnes, „ deliquisse pœnâ tantummodò creduntur. „ Accessit, nè quid planè nobis deesset mali, „ aut superesset præsidii, Legatorum asperi- „ tas; qui, non secùs ac si Româ ad indicen- „ dum nobis bellum hùc delati essent, nos „ indignissimis modis oppugnarunt; tantum „ miserorum odium, tantus contemptus or- „ dinis homines incesserat. Et quidèm de- „ cebat, Primatum Ecclesiasticum sibi vin- „ dicantes, rem totam seriò inquirere, at- „ que ad Summum Pontificem referre. Non „ autem per summam injuriam, atque ludi- „ brium eorum damnationi assentiri, qui „ nullius affines culpæ, Principis indigna- „ tionem incurrerunt ob id solùm, quia for- „ nicationis labem sunt abominati. Verùm „ estò, duos, aut tres Viros, delatorum hinc „ calumniis, indè potentiorum prece, seù „ pretio expugnatos, humani aliquid, cùm „ homines sint, pati potuisse. Occidentales „ Præsules meris inimicorum mendaciis in- „ ductos, innocentium exilium suo confir- „ masse suffragio, quis ferat? Præsertim cum „ indictâ causâ aliquem damnare, nè Barbari „ quidèm, nedùm Romani moris usquàm fuit. *Hæc ille*.

773 Apparet ergò ex hac Epistola tota hujus facti historia; sed indè Nicolaus adhùc in sua persistens sententia, etiam ab exilio reversus, conatur ostendere, præfatum matrimonium omninò illegitimum, nec licuisse in eo Romano Pontifici dispensare, prout in eadem Epistola subjungit, inquiens: „ At fa- „ cto dispensationis nomen, ut audio, præ- „ tenditur, quasi verò per ullam dispensa- „ tionem liceat fidei dignitatem, Ecclesiæ „ disciplinam, imminuere, effractisque Cano- „ num repagulis fornicationem introducere „ in sancta; aut non inter nascentis Evan- „ gelii initia hujusmodi crimen Apostolo- „ rum sanctionibus, unà cum immolatitiis „ & suffocato, vetitum non fuerit. Dispen- „ satio, ni fallor, cùm sibi imitandam pro- „ ponat Dei miserationem, quæ delictum „ aufert, non fovet, salutaris quædam con- „ descensio censenda est; peccatori quidèm „ manum, ut se humo attollat, porrigens, „ non autem jacere permittens lapso. Non „ describo quæ in hanc sententiam retulit „ Vas Electionis, cùm nota sint omnibus; „ miror magis, cùr nos eo potissimùm rele- „ gamur nomine, quod vestigiis inhærentes „ Patrum, damnata ab illis non permittimus; „ Ecclesiæ decreta, animarum nobis à Deo „ creditarum salutem, Principis gratiâ, seù „ indignatione potiora ducimus.

774 Deindè insurgit adversùs asserentes, quartas nuptias non esse fornicationem; atque: „ Non deerunt fortassè qui objicient, „ errori suo latebram quærentes, hoc, de „ quo eis est, matrimonium esse merum, non „ autem fornicationem. Itanè verò Matri- „ monium vocatur immunda cum quarta „ muliere conjunctio? Et quid aliud est vim „ inferre verbis, si dira lascivientis animi „ libido tàm honesto nomine prætenditur? „ Honorabile connubium Paulus appellat, „ & genialem torum impollutum. Cùr igi- „ tur eos, qui hujuscemodi culpæ subcubuè- „ re, sacri Canones ab Ecclesia ejiciunt? „ Cùr brutalem hanc luxuriam, & fines hu- „ manos supergressam vocant? At Romanis „ id in more positum (non enim desunt qui „ id dicant, laudi ne id vobis, an vitio ver- „ tentes, non sat scio) nam apud vos, si fa- „ mæ credimus, non modò quarta uxor, ve- „ rùm quinta, & sexta, & super hanc alia, „ atque alia permittitur, usque ad Orci fau- „ ces in exhausta illa dispensatione omnes „ prosequente, illud subindè Apostoli ver- „ bum ingerente; *Satiùs est nubere, quàm* „ *uri*. Quasi verò ille intemperantiæ patro- „ nus induci debeat, qui nè omnibus quidèm „ secundas nuptias suasit, dùm ait: *Dico* „ *autem innuptis, & viduis, bonum esse illis* „ *sic permanere; quòd si continere nequeunt,* „ *nubant*. Viduis quidèm mulieribus per- „ mittens secundum connubium ob sexus „ imbecillitatem; Viris autem non item, „ nisi his tantùm, qui matrimonii jugum „ nondùm sunt experti: his enim, *nubere sa-* „ *tiùs, quàm uri*. Alioqui, si cum quarta mu- „ liere connubium est, cùr illud Clemens „ tàm apertè damnat? Clemens, inquam, „ ille alumnus, atque auditor Petri; sic enim „ apud eum legimus: *Monogamia quidèm* „ *naturæ, atque legi consentanea est; Diga-* „ *mia verò post promissionem illegitima, non* „ *ab conjunctionem, verum propter menda-* „ *cium; Trigamia intemperantiæ indicium;* „ *quæ autem trigamiæ additur aperta fornica-* „ *tia est, & indubia incontinentia*.

775 Deniquè, ut totam concludamus Epistolam, hæc alia subnectit: „ At non „ unus è plebe, sed Imperator est, qui id ag- „ greditur, cui voluntati refragari nefas. „ Præclarè sanè: An quia omnes ille digni- „ tate supereminet, ideò nobis enitendum, „ ut inquinatior quoquè reliquis appareat? „ Eàdem ratione pedum, nè luto respergan- „ tur, summam curam adhibebimus, capi- „ tis prorsùs nullam? Apage, nonnè vides „ ad Principis vitam, tanquàm ad exem- „ plum populorum conformari mores, pro- „ numque magis esse prava imitari, naturali „ quadam ad deteriora humani ingenii incli- „ natione? Quòd si principibus Viris, quia „ potestas à Deo major eis attribuitur, ideò „ nequam agere plùs licet. Quid inter eos, & Ju-

„ & Jumenta differet, quæ copia reddit effe- „ ratiora, contumelioſioraque? Potentes po- „ tenter examinabuntur, monet ille. Quin- „ immò, ſi in idem crimen Tribunus, & Mi- „ les gregarius impegerit, magis hoc illum „ diſciplina puniet Caſtrenſis; adeò dignitas „ non mitigat, ſed incendit pœnam.

776 „ Neque verò à me in eum ſenſum „ hæc dicuntur, ut velim diris à vobis im- „ peti Imperatorem tale nefas auſum, ip- „ ſumque Sergium Pontificem prædeceſſo- „ rem veſtrum. Non ea mens animo, nec „ tantæ vindictæ amor Dei ſervos decet. Am- „ bo hac vita exceſsère pridèm, Supremi om- „ nium Judicis Tribùnal adituri. Ille verò „ antequàm hinc emigraret, agnovit flebili- „ ter errorem ſuum, veniamque à Deo pe- „ tiit, me inter primos hortatore, ac depre- „ catore (aderam enim tunc fortè ab exilio „ reverſus, ab eoque Eccleſiæ gubernationi „ reſtitutus) in eos animadvertendum, Bea- „ tiſſime Pater, qui ſuperſunt, qui tot in „ me, tantaſque turbas criminationibus fal- „ ſis excitarunt. Ità tuæ erunt partes, id à „ te dignitas primùm tua, Romanæque Se- „ dis decus exigit; id, qui nunc rerum po- „ titur Imperator, miſſo ad te Palatii Magi- „ ſtro, noſque omnes obnixè petimus atque „ obſecramus. Deus Sanctitatem tuam in- „ columem ſervet. *Hactenus Epiſtola*.

777 Ex qua primùm notandum venit, Nicolaum Sergio Papæ tribuere diſpenſationem præfati quarti matrimonii Anaſtaſii decelſori, ad quem Anaſtaſium videtur hæc directa Epiſtola. Cùmque in ſerie Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum, græcè ſcripta, apud Baronium ad Annum DCCCCI., ſub num.2., dicatur, Nicolaum Patriarcham ejectum è Throno Anno XI. à ſua prima inthronizatione, ſubſtituto Euthymio in ejus locum, cohærere non videntur Nicolai dicta. Etenim, ut habetur in eadem ſerie Patriarcharum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, in corpore juris Orientis inſerta, Antonius Patriarcha, qui poſt ejectum Photium à Leone ſapiente, Stephano ſucceſſerat, poſt biennium exceſſit è vita, Anno nimirum Domini DCCCXC., quandò Nicolaus hic, cognomento Myſticus, ad Thronum fuit evectus. Si ergò Anno XI. ſuæ Sedis, occaſione anteſatarum nuptiarum fuit depoſitus, neceſſe eſt aſſeri, hoc accidiſſe Anno Domini DCCCCI., quo poſt obitum Romani ſucceſſoris Stephani V., dicti VI., Pontifex renunciatus fuerat Theodorus, & poſt Theodorum, qui diebus tantùm viginti ſederat, Joannes, hujus nominis IX. Et ità hac ſuppoſita ſerie, magis ſub Joanne IX., quam ſub Sergio, Nicolaum Myſticum è Throno ejectum fuiſſe, dicendum videtur.

778 Ad hæc verò, ſcribit idem Nicolaus Myſticus in anteſata Epiſtola, ſe, jubente Leone, revocatum ab exilio, fortè extremo Leonis Imperii tempore, & præſentem fuiſſe illius morti. Et in altera Epiſtola, quam fecit ad Joannem Papã X., ſcribit per Annos XV., plùs, minùſque, ærumnarum fluctibus jactatum, inchoandos certè à quo exorta fuit de quartis nuptiis Leonis controverſia; *Quot, quantiſque*, inquit, *ærumnarum fluctibus per XV. Annos jactati ſumus (tot enim plùs, minùsvè effluxère, ex quo primùm ſcandala Eccleſiam Conſtantinopolitanam pervagata, omnia turbarunt*. Quibus ſtantibus, ſequitur, Nicolaum ab exilio revocatum, ſaltèm ante diem XI. menſis Maji, vel Junii, Anni Domini DCCCCXI., quo Leo ſapiens objit; atqui ab electione Sergii in Romanum Pontificem, & Leonis exceſſum, quinque ad ſummum effluxèrunt anni. Etenim Joanni IX. ſucceſſit Benedictus IV. Anno Dñi DCCCCV., qui expleto ſui Pontificatus anno, objit in Domino, Anno ſcilicet DCCCCVI. Huic ſubrogatus eſt Leo, hujus nominis V., qui à Chriſtoſaro Sedis Apoſtolicæ invaſore, poſt dies quadraginta è Sede pulſus, recluſus eſt in carcere, eodem Chriſtoſaro invaſore, Pontificiam dignitatem ſibi uſurpante. Hic porrò cùm ſeptem menſes Sedem Pontificiam tenuiſſet, dejectus eſt à Sede violenter ab altero invaſore, ſcilicet Sergio, hujus nominis III., & ſtrictiſſimis vinculis, atque in carcerem truſus, per vim inductus, vitam & habitum monaſticum ſuſcepit. Ab Anno ergò ad ſummum DCCCCV. labente ſumi poſſunt initia Pontificatus Sergii, quinquennio, vel ſexennio ante Leonis obitum: Et ideò his omnibus attentis, non videtur poſſe ſuſtineri quod ipſemet Nicolaus ait, ſub Sergio Papa fuiſſe ejectum è Throno, amandatumque in exilium. Et potiùs credendum eſt memoriâ lapſum Sergium loco Joannis poſuiſſe, niſi velimus amanuenſibus & tranſcribentibus errorem adſcribere. Et quidèm numerando annos quindecim ab exorta nuptiarum controverſia uſque ad id tempus, quo Nicolaus ſcripſit ad Joannem Papam X. pro ineunda concordia perfecta cum Eccleſia Romana, ut infrà dicemus, quod accidit Anno V. Pontificatus Joannis, reperiemus nullatenùs ſub Sergio, ſed magis ſub Joanne IX. Ipſum è Throno ejectum.

779 Id porrò, quod etiam eſt notandum, ſpectat ad dogma, ſivè controverſiam de quartis nuptiis, quas conſtanter Nicolaus Myſticus, ab exilio revocatus, prorsùs illieitas pronunciat, & meram eſſe fornicationem conteſtatur, conaturque probare in eadem anteſata ad Romanum Pontificem data Epiſtola. Et quidem ex illa Pauli ſententia in priori ad Corinth. cap.5., ubi ait: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego; quòd ſi non ſe continent, nubant; meliùs eſt enim nubere, quàm uri*. Ex quibus verbis infert, vix Paulum viduis propter ſexus imbecillitatem ſecundas con-

cedere nuptias. Sed quidèm non rectè, quoniam Apostolus nullam ibi præscribit limitationem ad secundas, vel tertias nuptias, & ratio ab eo allegata, *si non se continent, nubant; meliùs est enim nubere, quàm uri*; militat tàm pro secundis ineundis nuptiis, quàm pro tertiis, & quartis, & ulterioribus.

780 Dicit insuper Paulus in eodem capite, vers. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat; tantùm in Domino: Beatior autem erit, si sic permanserit.* Ubi vult, mulierem viro tantùm alligatam, quandiù vir ille vixerit, quo mortuo, solutam dicit, facultatemque nubendi alteri, cui vult, tribuit; & quidèm absque ulla limitatione, & generaliter sententiam pronunciat; nam sicut mortuo primo viro, soluta est, & alteri nubere potest, pariformiter soluta est, mortuo secundo, & tertio, & quarto, & deinceps, & semper alteri nubere poterit. Id quod adnotat magnus Doctor Augustinus in lib. de Bono Viduitatis, cap. 13., ubi in terminis quæstionem de tertiis & quartis nuptiis proponit, inquiens: „ De tertiis, & de quartis, & de ultrà pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Undè, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed nè culquam brevitas hujus responsionis meæ fortè displiceat, uberiùs disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim affert aliquam rationem, quarè secundæ nuptiæ non damnentur: tertiæ damnentur; nam & ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui: *non audeo plùs sapere, quàm oportet sapere*, quis enim sum, qui putem definiendum quod nec Apostolū video definisse? Ait enim, *Mulier alligata quandiù vir ejus vivit*. Non dixit, primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus, sed, *mulier*, inquit, *alligata est quandiù vir ejus vivit; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat tantùm in Domino: Beatior autem erit, si sic permanserit*. Quid huic sententiæ, quantùm ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi possit, ignoro. *Hactenus Augustinus*.

781 Deindè Divus Hieronymus in Apologia ad Pamachium pro libris adversùs Jovinianum, quoniàm duriùs visus est in eis libris de matrimonio loqui, se explicans cap. 2., & allegata suprà recensita Pauli sententia, ait: „ Qui secundas nuptias, tertiasque concedit in Domino, primas cum Ethnico prohibet. Aperiant, quęsò, aures obtrectatores mei, & videant, me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino, qui secundas & tertias non damnavi, primum potui damnare matrimonium? *Et cap. 7.* Porrò, *inquit*, ubi de digamis, & trigamis differentes diximus, meliùs est, licèt alterum, & tertium, unum virum nosse, quàm plurimos; idest, tolerabiliùs est uni homini prostitutam esse, quàm multis, nonnè statim, cùm hoc dixerim, subjecimus? Siquidèm & illa in Evangelio Samaritana, sextum maritum habere se dicens, arguitur à Domino, quòd non sit vir ejus. Ego etiam nùnc liberà voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam; & ità licere quinto, & sexto, & ultrà, quomodò & secundo marito nubere. Sed quomodò non damnantur istæ nuptiæ, ità nec prædicantur, solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ. Undè & in alio loco dixi: ubi unus maritus exceditur, nihil refert secundus, aut tertius sit, quia definit esse monogamus: *Omnia licent, sed non omnia expediunt*. Non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici posset, octogamos; habeat & cuilibet octavuum maritum, & esse definat prostituta. *Hæc D. Hieronymus*.

782 Et ità constat ex doctrina Augustini & Hieronymi, nedùm secundas nuptias, verùm licitas esse & tertias & quartas, quam disciplinam ab initio recepit & approbavit Sancta Romana Ecclesia, quæ in Synodo Florentina, in decreto pro unione Armenorum: *Exulate Deo salutari nostro*, definiens, ait: „ Quoniā nonnullos asseritur quartas nuptias, tanquàm condemnatas respuere, nè peccatum, ubi non est, esse putetur, cùm, secundùm Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab ejus lege soluta, & nubendi, cui vult in Domino, habeat facultatem; nec distinguat, mortuo primo, vel secundo, vel tertio. Declaramus non solùm secundas, sed tertias, & quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulteriùs à conjugio abstinentes, in castitate permanserint; quia sicut viduitati virginitatem, ità nuptiis castam viduitatem laude, ac meritò præferendam esse censemus. *Hæc ille*.

783 Concedimus per antiquos Canones indictam pœnitentiam pluriès nubentibus, negamus tamen ex hoc inferri, esse illicitas & invalidas iteratas successivè nuptias, nam si ex pœnitentia rectè concludi posset earundem invaliditas, etiam secundæ nuptiæ proscriptæ essent ut invalidæ, quoniàm & pro secundis quoquè sancita est per Canones pœnitentia; & tamen Græci secundas minimè damnant, imò Canon 111. Neocæsariensis Concilii, non loquitur solùm de secundò nubentibus, sed etiam de tertiò, fortè & quartò, cùm sit titulus: *de his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, qui sæpiùs nubunt*. Sed frequentèr uxores ducere, ac sæpiùs nubere, non est tantùm bis nubere, sed pluriès nubere, sivè bis, sivè ter, sivè quartò, indefinitè lo-

loquens, nec declarat præfatas nuptias invalidas; vult solùm, quòd Canones pœnitentiales pro sæpè nubentibus serventur. Et Patres Synodi Laodicenæ, propter Cataphrygarum, & Montanistarum errorem statuentium secundas nuptias prorsùs illicitas, rigorem primorum Canonum ex parte temperarunt, edito Canone primo, ubi dicunt: *De his, qui secundùm Ecclesiasticam regulam liberè ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore transacto, vacent orationibus & jejuniis, quibus etiam, juxtà Indulgentiam, communioni reddi decrevimus.* Et hoc fortè, nè ex diuturna pœnitentia videretur Ecclesia Catholica quasi consentire errori Cataphrygarum.

784 Basilius porrò in Canone IV. ad Amphilochium, etsi diuturniorem pœnitentiam statuat trigamis, quàm bigamis, non tamen omninò nullas censet trigamorum nuptias, quibus, postquàm fructus pœnitentiæ dignos ostenderint, in communionem recipiendos decernit. De quatrigamis non loquitur, quoniàm rarò accidit, aliquem quartò nubere, & ex mente ipsius in hoc casu solùm inferri posset, oportuisse quatrigamos diutiùs pœnitere, eâ servatâ proportione, quæ de bigamis ad trigamos, inter quatrigamos & trigamos. Non enim Basilius trigamos decernit esse segregandos quasi nulliter nubentes, sicut nec ullus Canon statuit hoc. Et certè, si hujusmodi nuptiæ essent invalidæ, per sacros Canones deberent sejungi, & sejungendos in Synodis definitum esset, quòd in nulla Synodo, nullovè Canone est reperiri.

785 Porrò Gregorius Nazianzenus videtur duriùs fanè loqui; non tamen ex illius verbis inferri licèt, nullas esse quartas nuptias; tertias vocat iniquitatem, non tamen dicit nullas, quartas porcinas, ex modo loquendi exagerativè, propter incontinentiam nubentium, nàm quo pluriès quis nubit, eò magis incontinens arguitur, & plùs recedit à nuptiarum significato; significant namque nuptiæ unionem Christi cum Ecclesia, ut docet Paulus: *Sacramentum hoc magnum: Ego dico in Christo cum Ecclesia.* Et sicut unus est Christus, & una Ecclesia, sic sola monogamia perfectè repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, à qua repræsentanda recedit bigamus, plùs trigamus, magis ac magis quatrigamus, & ulteriùs. Cujus rei causâ talia loquitur Gregorius, cùm dicat: *Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, & duæ uxores; si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit; secunda autem respuatur*, non quòd sit invalida secunda conjunctio, sed quia non significat perfectam unionem Christi cum Ecclesia. Et ità mens ejus est explicanda de tertia conjugali conjunctione, quam exagerando appellat iniquitatem, & de quarta, quam dicit porcinam.

786 Deniquè allegatum à Nicolao Mystico testimonium ex Apocrypho Clementis, licèt nullius firmitatis sit, quia ex Apocrypho, & nullius auctoritatis libro desumptam: attamèn eo admisso, non perindè infertur ex eodem, Clementem quartas, ut invalidas, damnare nuptias; nàm dùm dicit: *quæ trigamiæ additur, aperta fornicatio est, & indubia incontinentia*, hyperbolicè loquitur, & per quandam exagerationem. Etiam Basilius in antefato Canone tertias nuptias castigatam appellat fornicationem: *Trigamos autem*, inquit, *sæpè tribus & quatuor annis segregant. Id autem non ampliùs conjugium, sed polygamiam appellant, vel potiùs castigatam fornicationem.* At per hoc non infertur de mente Basilii, quòd sit propria & peccaminosa fornicatio, sed propter nubentium incontinentiam, incontinentium fornicationi comparat; & hoc pacto verba Clementis allegati sunt intelligenda, dato quòd Clementis essent.

787 Adducit ad exemplum idem Basilius illud Christi Domini ad Mulierem Samaritanam: *Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus maritus*; & ait, non ità dixisse, quasi reverà non esset maritus, sed solùm quia, qui à digamia excedunt, non sunt digni, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur: *Et ideò*, inquit, *Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat*, quem nunc, *inquit*, habes, non est maritus tuus, *nempè quòd digni non sint qui à digamiæ mensura exciderunt, vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* Concedit Basilius quartò & quintò nubentes esse maritos, licèt digni non sint propter distātiam à vera significatione unionis Christi cum Ecclesia, & propter nubentium incontinentiam, ut vocentur mariti. Et hoc pacto maritalis trigamorum, vel quadrigamorum, & ulteriùs nubentium conjunctio, non est digna, ut vocetur conjunctio matrimonialis, licèt sit talis, sed magis appellanda castigata fornicatio; non quòd sit vera & propria fornicatio, sed propter recessum à significato ejusdem maritalis conjunctionis, & propter nubentium intemperantiam.

788 Hoc pariter modo exagerando ait idem Basilius in secunda Epistola canonica ultimo Canone: *Quarè lege tertium matrimonium non celebratur. Verumtamèn ea, ut Ecclesiæ inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quæ solutò, ac profusà fornicatione sunt magis expetenda.* Cæterùm non irritantur tertiæ, nec quartæ nuptiæ. Pluriès nubentibus pœna imposita est in antiquis Ecclesiæ præcipuè Orientalis Canonibus, propter incontinentiam, ad ostensionem scilicet illorum incontinentiæ. Sunt inregulares secundùm Canones in universa Ecclesia receptos, quoniàm illud iteratum &

consumatum matrimonium non significat ampliùs conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut fati sumus: & quia incontinentiæ signum est, ut etiam diximus: at non decet Altari ministrare eum, qui incontinentiæ signa dedit: cum præcipuè Sacerdotes, & Clerici, verbo & exemplo alios ad castitatem inducere debeant. Prohibetur insuper Præsbyteris ut non intersint convivio bigamorum, nec secundas benedicant nuptias: quoniam illa solemnitas quæ primis dumtaxat debetur nuptiis, cum non pereat, maneatque adhuc, non est reiteranda in secundis, & ulterioribus nuptiis. Et ita Urbanus III. in cap. *Virautem: Extra de secundis Nuptiis*, inquiens: *Vir autem & mulier ad Bigamiam transient, non debet à Presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti sint: eorum benedictio iterari non debet.*

789 Sed & inter Canones Arabicos Concilii Nicæni, decerptos ex quatuor Regum ad Constantinum libris, apud Labæum tom. 2. Concil. pag. 367. habetur sub cap. VII. Constitutio de matrimonio Viduarum, seu de Bigamis, ubi non damnantur Bigami, nec Trigami, nec ulteriùs nubentes, sed quomodo cum eis agendum dumtaxat statuitur: unde sic habet constitutio. „ Viduorum, & Viduarum matrimonia sincerè, & sanctè divulganda sunt, & in vulgus hominum indicenda, nec dotis, nec reliquarum conditionum ad matrimonium spectantium prætermittendus est contractus. Tamèn coronarum benedictio eis adhibenda non est: hæc enim semel datur tantùm in primis nuptiis; nec iteranda: quia permanens est, & indelebilis: loco ejus igitur propitiatorias fundat pro illis Sacerdos preces. Si verò alter eorum viduus non fuerit, ipse solus accipiat coronæ benedictionem, unà cum paranymphis, quoscumque vult. Hæc autem constitutio æque communis est viris, & mulieribus. Convivia autem celebrare in nuptiis viduarum, quæ bis, aut pluries nubunt, minimè fas est, nec Sacerdotibus licèt earum adesse commessationibus, & epulis, quia id ex consilio Sacerdotum haud factum fuit. Sacerdotibus enim non licèt conviviis, & gaudiis adesse, ubicumque suas non impertiuntur benedictiones, quoniam Sancti Deo sunt, & Divinis ejus præsunt ædibus, Missæ Sacrificium offerendo, & quotidianas concinendo laudes in ipsius templum, adeoque omni honore & veneratione sunt digni. *Hactenus Constitutio*. Ubi inter alia notanda præcipuè veniunt verba illa: *Convivia autem celebrare in Nuptiis Viduarum, quæ bis, aut pluries nubunt, minimè fas est*. Quibus verbis supponit constitutio aliquem bis, & pluries posse nubere, & cum pluries nubentibus eandem regulam servandam statuit, ac cum tantùm bis nubentibus: ut ex hoc ostendatur ejusdem valoris & ordinis esse tertias & quartas Nuptias & ampliùs, ac sunt secundæ.

790 Verum tamen est, Ecclesiam Orientalem severiorem disciplinam ac in re bservasse, non tamen ex lege Apostolica, sed municipali, & statutis Conciliorum Provincialium. Occidentalem verò Ecclesiam mitiorem extitisse, tum ex suis Canonibus, tum ex recepta consuetudine, est manifestum: unde Beatus Hieronymus in Epistola ad Geruchiam de Monogamia, refert in Urbe Roma fuisse de plebe hominem qui viginti successivè nupserat uxoribus, fœminam quoque quę vigintiduos sepelierat maritos: „ Rem dictu, rus, *inquit*, incredibilem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum, Romanę Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem: vidi duo inter se paria, vilissimorum, è plebe hominum comparata, unum, qui viginti sepelisset uxores: altera quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio, virorum pariter ac fœminarum, post tantas rudes quia quem priùs efferret: vicit maritus, & totius Urbia populo confluente, coronatus, palmam tenens, adoreamque per singulos sibi acclamante, uxoris multinubæ feretrum præcedebat. *Hæc Sanctus Hieronymus*. Sed satis de hac materia, & ad historiam iterùm sermo vertendus est.

791 Ut ergò ex Epistola Nicolai Mistici in superioribus fati sumus, ipsemet Nicolaus ab exilio revocatur, ipsomet jubente Leone Imperatore, & in Thronum restitutus est, expulsò Eutymio: nec diù post vita functo Leone, Alexander ejus frater pro parvulo Constantino Leonis filio, Regni suscepit gubernacula: Unde Curopalates scribit: *Leone autem vita functo Alexander frater ejus Juvenis, qui vigesimum ætatis annum transiegisset, habenas Imperii suscepit, simul regnante Constantino Leonis filio puero*. Addit porrò hunc Alexandrum Nicolaum ab exilio revocasse, sed ut fatis fati fumus, à Leone ipsum revocatum, ipse Nicolaus testatur. Cæterùm ea quæ subjungit de ejectione Eutymii, potuit utique sub Alexandro accidisse: Ait namque Curopalates: „ Alexander igitur simulatque ad Imperium pervenit, accersitum mittit Nicolaum Patriarcham, jam anteà ejectum, è Galacrenis, ubi degebat exul, & de Sede Euthymio ejecto, Nicolaum iterum reduxit. Et cum eo sedens in Magnaura, facto silentio, Euthymium Patriarcham abdicavit, quem addicti Nicolao Clerici, simulatque abdicatus est, veluti agrestas in invadentes feræ, percutere, pugnos infligere, colaphis cædere, sacram barbam evellere in cervicem impellere, aliasque intole-

„ tolerabiles pœnas ipsi infligere, eqnitem „ vocantes, & adulterum, ut qui ad alienam „ uxorem ingressus esset, nempe Nicolai Ecclesiam accepisset. At religiosus ille vir „ clementer, & æquo animo hæc perferebat. „ Hæcille, qui paulò post subjungit: *Euthymius in exilium ad Agathi loca missus, „ paulò post excessit, è vita; & in Urbem introductus in suo Monasterio sepelitur.*

792 Acta sunt hæc sub Anastasio Papa III. anno Domini DCCCCXI. Indictione IV. anno Leonis VI. XXVI. qui & primus fuit Imperii Alexandri, & Constantini. Cùmque anno sequenti obiisset Alexander, solus imperavit Constantinus, sed sub tutoribus, inter quos adnumeratus est Nicolaus Patriarcha. De Alexandri morte, hæc scribit Curopalates: „ Alexander autem sexta Junii mensis, lotus & pransus, vinoque ebrius, post „ meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis, præ „ cibis, quibus se ingurgitaverat, atque „ ebrietate, reversus in Palatium multo, è „ naribus ac pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. *Hæc ille*. Idque in ultionem Divini Numinis ei accidisse, ob illatas Euthymio contumelias, scribit Aretas Cæsariensis apud Lippomanum tom. 3.

793 Cùmque Nicolaus non sede tantùm potens, sed administratione pollens Imperii esset, utpotè pueri Principis tutor, memor injuriarum antiquarum, quas passus fuerat sub Leone, à quo suadentibus Apostolicæ Sedis Legatis, è throno depositus, & in exilium missus fuerat, scripsit ad Anastasium Pontificem superiùs recitatam querelis plenam Epistolam. Mortuo inde Anastasio, & Leone, qui Anastasio successerat, Pontificatum invasit Joannis hujus nominis X. Episcopus Ravennatis, potiùs Antipapa quam Papa, ut auctores illius vitæ scribunt: eoque sedente, & anno V. sui Pontificatus, & pariter V. Imperii Constantini VIII. Leonis filii, Domini verò DCCCCXVI. pro perfectà ineunda concordia inter Romanam & Orientalem Ecclesiam, à Nicolao Patriarcha unà cum Constantino Principe, decreta est ad eundem Pontificem Legatio, & missus Basilius Protospatharius, & aurei Triclinii præfectus, datis ad Joannem tenoris sequentis literis.

Joanni Beatissimo Papæ.

794 „ Quot quantisque ærumnarum fluctibus per quindecim annos jactati simus, „ (tot enim plus minusvè effluxere, ex quo „ primùm scandala Ecclesiam Constantinopolitanam pervagata, omnia turbarunt) „ & meminisse mihi permolestum est, Beatissime Pater, & memorare scienti tibi supervacuum. Læta potiùs amicis, & coexcubitoribus impartiri juvat, Ecclesiæ nempe „ pacem subsecutam, conspirantemque omnium Ordinum in his quæ sunt fidei con- „ sensum. Cum eò in eo esset res, ut nulla „ ampliùs spes humanis experimentis, nostra „ metientibus superesse videretur: affulsit „ subitò illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicèt & Deus Noster Jesus Christus, qui sævam illam hyemem atque tempestatem communis hostis „ operâ coortam in ipsa Halcyonia mutavit: „ adeòut nullum penitùs dissensionis vestigium remanserit, nulla odii cicatrix: omnes velut ex condicto veterum obliti, idem „ planè sentiunt, omnes Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ eos obuiis ulnis diù expectarat, optatissimum eunt in amplexum. Et „ nostræ quidem ita se res habent.

795 „ Verùm quia & vestram fraternam „ dilectionem, cujus ergà nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus & consuetam Ecclesiis unionem „ optamus: ideò has ad vos dare literas decrevimus, ut omnis offensionis memoriâ „ depositâ, Sanctitatem vestram ad sinceram „ amicitiam, atque conjunctionem animorum, Pastoribus populorum debitam, provocaremus; quæ tum demùm missis hinc „ inde Legatis coalescet, cùm judicatum „ fuerit concorditer, quartum connubium, „ quod dissensiones & scandala in Ecclesiam „ invexit: non rei ipsius, sed personæ causâ „ permissum esse; suadente tunc occasione „ lenitatem atque affectum ergà Principem „ indulgentiorem, nè repulsâ ipsius animus „ offensus deteriora moliretur. Sic enim & „ Sanctitatis tuæ nomen ex Sacro Ecclesiæ „ Constantinopolitanæ albo, ut mos olim „ erat, unà cum nostro rursùs celebrabitur; „ & nos omni ex parte gaudio repleti, jucunditate pacis perfruemur.

796 „ Enim verò ut huic curæ sedulò incumbas, te iterùm atque iterùm rogat Deo „ dilectus Imperator, oratore Romam ad „ tuam Sanctitatem destinato charissimo Viro Basilio Protospathario, & aurei Triclinii præfecto, cui nos comitem itineris, „ curarumque conscium adjunximus Eulogium, honorabilem Presbyterum. Hos tu, „ Beatissime Pater, & excipies (uti spero) „ fronte hilari, & nos mutuis legationis officiis remunerabis: Joanni Venerabili Episcopo, cujus apud nos jam experta virtus „ id munus, si expediri videbitur, injungens, aut alicui alii moribus illi non absimili, qui si quà sunt adhuc correctionis indicia, doctrina atque consilio emendare valeat nobiscum, juxtà Ecclesiasticas Constitutiones. Vale in Domino Beatissime „ Pater. *Hactenus Nicolai Patriarchæ Epistola ad Joannem.*

797 At Joannes his receptis literis, petitioni annuens, misit Theophylactum & Carum Episcopos Apocrisiarios Constantinopolim, ut ea quæ pacis erant agerent, dato quoque

que

què mandato, ut compositis rebus Constantinopolis, in Bulgariam proficiscerentur, pro pace tractanda inter Simeonem Bulgarorum Regem & Imperatorem Constantinum, qui ad invicem bellum gerebant. Profecti ergò Legati Constantinopolim, firmata est utriusque Ecclesiæ pax, ut scribit Nicolaus Mysticus in Epistola data ad Simeonem Regem Bulgarorum apud Baronium ad annum Domini DCCCCXVII. sub num. 4., inquiens: „ Hæc de Legatione Romana, cujus adventu (cùr enim tibi sub Christi signis, quamvis adversùs Christianos Diaboli fraude pugnanti commune gaudium invideam?) scandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impositus est finis, pax Clero reddita, cætus sacri mira animorum conspiratione habiti: Et ut verbo dicam, Romana, ac Constantinopolitana Ecclesia ità in unam eandemque coalita est fidem, ac consensionem, ut ampliùs vetet, quominùs nos optatissima illorum communione, & sanctificatione perfruamur. *Hæc Nicolaus*. Verùm præfati Legati indignè habiti sunt à Bulgarico Principe, nec quidem auditi, ut in eadem Epistola recenset idem Nicolaus.

798 Intereà ad Dominum migraverat Euthymius, sed illius adhærentea, nondùm rectè coherebant cum Nicolao & qui ex parte ejus erant: qui tamen Anno Domini DCCCCXX. Imperii Constantini anno IX. & pariter IX. Pontificatus Joannis, Indictione VIII. ablegatis dissidiis, in unum coaluerunt: sic adnotat Curopalates, inquiens: *Julio autem mense, Indictione VIII. Ecclesiæ unio facta est, unitis Metropolitanis & Clericis, qui à Nicolao Patriarcha & Euthymio divisi fuerant*. Et facta est summa cum magnificentia translatio Corporis Euthymii, è loco exilii ad Regiam Constantinopolis Civitatem.

799 Deindè anno sequenti, Indictione IX. publicatum est edictum unicnia in causa nuptiarum, editum à Constantino VIII. Imperatore, cognomento Porphyrogenito, de quo Theodorus Balsamon in Nomocanone Photii, & in notis ad Epistolam Basilii ad Amphilochium, ait: „ Unionis verò decisio, & tomus qui editus est, sub Constantino Porphyrogenito & Romano, Constantino quidem Imperatore, Socero autem ejus Romano Patris Imperatoris auctoritatem & dignitatem obtinente, anno ab origine Mundi scilicèt sex millesimo quadringentesimo vigesimo nono, Indictione IX., & qui singulia annis legitur in suggestu, mense Julio, hæc dicit circa finem. *Deinceps autem communi sententia, ac judicio pronunciavimus, ex præsenti anno sex millesimo quadringentesimo vigesimo nono, Indictione IX., neminem oportere se quarto matrimonio jungere, sed esse omninò reiiciendum. Et si quis ad hujusmodi conjugium venire voluerit, esse omni Ecclesiastica Congregatione privatum, & ab ipso in Sanctum Templum ingressu alienum, donec in conjugio permanserit. Hoc enim etiam Sanctis Patribus qui nos præcesserunt, visum est. Nos verò etiam sententiam apertiorem reddentes, ipsum ut Christianæ Reipublicæ alienum judicamus*. Cæterùm integrum edictum habetur in volumine Juria Græcorum, quod ita se habet.

Tomus unionis, sive expositio factæ unionis in Ecclesia Constantinopolitana, Constantini & Romani tempore: quorum ille tunc imperabat, hic ea dignitate fulgebat, quod Imperatoris Pater audiret.

800 „ Dominus Deus Noster Jesus Christus Discipulis suis & Apostolis, atque iis, qui cum his digni evaserunt hæreditate ipsius, eximium quoddam bonum, nimirum pacem reliquit; hoc suis indicium tradens affectionis ergà ipsum, si vinculo pacis constricti, spiritus unionem non dissolverent: cum priùs ipse suo nobis exemplo, quænam ejus de pace sententia sit, ostendisset, qui supra omnem sublimitatem positus, ad infirmam nostram extremitatem descenderet, perindèque ad nos carnis & sanguinis particeps factus sit, ut à se invicem divisos ad unitatem redigeret. Hinc illis etiam, qui ejus in doctrina sunt instituti, hæreditatem hanc reliquit ut pacem inter se colant. Neque dumtaxat hoc, verum etiam ut alios inter se dissidentea ad pacem trahant.

801 „ Enim verò cùm rea ita comparata sit, indè ab initio in hoc usque tempus haud cessavit illius mali seditiosa improbitas Sacrum Ecclesiæ corpus, modò hanc, modò illam causam movens, perturbare. Sed enim hic talis est. At pacis auctor, ac Magister Christus, Deus ille noster, qui dixit inferorum portas Ecclesiæ suæ non prævalituras, semper ista scandala in ipsius mali caput convertens Ecclesiæ suæ pacem illibatam conservat. Hic ipse Christus pax nostra, Deus Pater, Pontifex, verus Pastor, Sanctis castissimæ Sponsæ suæ, nimirum Ecclesiæ, liberis à se invicem divulsis, providentiâ, gratiaque sua unionem restituit, eosque rursùs ad matria inculpatum sinum congregavit: atque ipsi quidem matri concessit, ut ob congregationem liberorum gauderet; sibi verò gloriæ ac laudis oblationem ab ore uno, atque uno corde profectam, tribuit: omnibus autem illis, qui non ad turbolentam Dœmonis voluntatem declinant, sed pacis auctoris manda-

„ datum colunt, atque observant gratiarum „ actionis præstationem. Enim verò superioribus temporibus accidère scandalorum „ occasiones tales, quales ex fanè fuerunt, & „ quovis tempore, malo se commovente, sapientes Ecclesiarum gubernatores idoneam „ medicinam invenerunt,

802 „ Nunc autem, quod Ecclesiam ex „ causa matrimoniali perturbari contigerit, „ quando istud ipsum matrimonium reprehensione non caret, ad ejus prohibitionem „ sacrum Ecclesiæ judicium fert, nè progressu fiat ulteriùs, hæve nuptiæ locum inveniant. Sic enim & nunc & imposterum à „ vigentibus scandalis immunes se se reddant, „ quicumque contentionem & rixam non potiùs amant, quàm Christi pacem. Quippè „ remota occasione, ex qua nata fuere scandala; causa nulla est quæ prohibeat, quominùs pacis studiosi pacem colant. In quovis enim negotio sic comparata res est. Cum „ causa fallax procreationis absurdorum remota est, ad elegantiam pristinam redeunt, „ quæ inde vitium contraxere: sic cùm à „ morbo corpus est occupatum, ubi morbi „ causa recessit, integra valetudo redit. „ Et Mari ventorum violentiâ turbato, postquam tempestas cessavit, tranquilla serenitas revertitur.

803 „ Quamobrèm nos publicè congregati Pontifices, atque Sacerdotes, quibus non sibimetipsis (nam mitto dicere, „ aliis) placere lubuit, sed visum potiùs „ est, Ecclesiæ pacem seditionibus anteferre, quando de matrimonialibus occasionibus scandala nata fuerunt, ea ipsa „ purganda putavimus, atque cavendum, „ nè deinceps ipsis in hominum vitam irrepentibus, tum Ecclesia perturbetur, tum „ eorum vita, quibus sic vivere libitum est, „ damnabilis evadat. Ac proinde sententiâ „ judicioque communi decernimus, nè ab „ hoc anno præsenti, qui est annus Mundi „ sex millesimus quadringentesimus vigesimus octavus, Indictionis octavæ, quartas „ Nuptias ullus contrahat, sed ut prorsùs „ eæ reiiciantur: Quod si quis ad ejusmodi „ conjugium, progredi decreverit, ab omni „ cœtu Ecclesiastico exclusus esto, & ab ipso „ in sanctam ædem ingressu tantisper alienus, „ donec in hoc conjugio permanserit. Hoc „ enim Sanctis quoque Patribus, qui ante „ nos vixere, visum fuit. Ac nos fanè sententiam reddentes apertiorem, eum velut „ alienum à Republica Christianorum abdicamus. Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio. *Ità in terminis in decreto* „ *unionis*.


804 Sed, & de tertio quoque Matrimonio in eodem decreto nonnulla sancita leguntur, quæ summariè recensebimus. Sancitum ergò est: *Ut si quis ad annum quadragesimum provectus, & neque naturæ motus reverentiâ, neque vitæ decentis, & honestæ, quæ à Christianis requiritur, habita ratione, sed vitiosa tantùm libidine victus, ad tertium se Matrimonium projecerit: omnia accuratione & diligenti observatione adhibita, perceptionis Sacramenti ad quinquennium exors sit, neque de hoc tempore ullo modo quidquam decidatur*. Ità ibi. In hoc enim unum annum pœnitentię adjunctum ad Canonem IV. Basilii, manifestum est, qui Trigamos tres, vel quatuor tantùm annos, segregandos definit, & quidem ex consuetudine.

805 Deinde statuitur, ut si de prioribus uxoribus extent liberi, & post quadragesimum suę etatis annum ad tertias nuptias quia transire voluerit, nullo pacto ei permittatur. *Est enim fanè quàm iniquum* dicitur ibi, *intempestivæ libidini Patrem indulgere: nec liberis, è prioribus Matrimoniis susceptis prospici, atque caveri, ut mœroris expertes sint, & perturbationis, & aliorum, quæ generi mortalium ex fœcunda multorum liberorum procreatione solent accidere*.

806 Denique in eo verò, qui trigesimum habet annum, & ex prioribus uxoribus liberos genuerit, si tertiò nupserit, statuitur pœna, absque spe veniæ, ut per annos quatuor exors sit participationis Sacramentorum: *Cum satis pateat*, dicitur ibi, *eum nulla alia re, quàm intemperantiæ motum, & quod carnalis libidinis mancipium sit, ad ejusmodi se Matrimonium conferre*. Quibus elapsis annis, decretum est, ter tantùm in anno ad participationem Sacramentorum admittendum, semèl scilicèt in Resurrectione Domini Nostri Jesu Christi, semèl in obdormitione Beatæ Mariæ Virginis, & semèl in Natalitio die Christi Dei Nostri præcedente etiam jejunio. Si porrò qui ad talem ætatem annorum triginta pervenerit, & ex prioribus uxoribus liberos non susceperit. Si ad tertias transierit nuptias, nulla vi hujus decreti, sancita est pœna, sed eam dumtaxàt exequendam decernitur, quæ in usu hactenus fuit: *quandoquidem*, inquiunt, *sobolis procreationem appetere, non ejusmodi quiddam est, quod veniam non mereatur. Condonandum erit hoc Matrimonium, & eà tantùm pœnà, quæ dudum & hue usque fuit in usu mulctandum*.

807 Circa verò primas & secundas nuptias, etiam cautionem adhibendam sancitur: *Enim verò*, ibi, *nec secundas, nec primas citrà cautionem admittimus, sed eas quoque si contrahendas statuimus, nullam ut improbam causam habeant, vel ex raptu, vel ex præcedente clandestino stupro, sed ut legitima sint, & inquinationibus, hujusmodi ac impuritate scortationum careant*. Contravenientibus porrò sancitur pœna separationis à perceptione Sacramentorum per septennium, nisi urgeret mortis periculum. Hæc ergò in decreto unionis de nuptiis & Matrimonio sancita habentur in Regia Gi-

Civitate Constantinopolis, ab universis Sacerdotibus ibique existentibus, & fortè præsentibus etiam Apostolicæ Sedis Legatis Theophylacto & Caro, Imperatore ipso consentiente: & quidem pro Ecclesia dumtaxat Orientali, minimè pro Occidentali, quæ talia decreta non admisit. Firmata tamen hoc decreto pax est in Ecclesia Orientali, sedatumque prorsùs schisma exortum inter Euthymianos, & eos qui ex parte Nicolai erant. Pax quoque cum Ecclesia Romana, ut fati sumus, hoc eodem tempore perfectissimè constabilita est.





HISTORIA POLEMICA
DE GRÆCORUM SCHISMATE.
PARS QUARTA.



1 Nicolao Mystico Ecclesiam Constantinopolitanam moderante, atq; quovis Schismate in Oriente sublato, Romæ tyrannide Widonis Marchionis Tusciæ, suadēte turpissima fœminâ Marotiâ ejus uxore, Joannes X. Romanus Pontifex ejectus è Throno, & in carcerem reclusus moritur, Anno sui Pontificatus XVI., & pariter XVI. Imperii Constantini Porphirogeniti, Dñi verò CMXXVII., Indictione xv., eique in Sede Pontificia successit Leo, hujus nominis VI., Christophori Primicerii filius, qui & similem cum decessore suo expertus est exitum, nàm cùm sedisset menses VI. & dies XV., captus & incarceratus, cursum vitæ absoluit, subrogato in ejus locum Stephano, hujus nominis VII., dictus tamen VIII., Romanus patriâ, ac Theudemundi filius.

2 Sub hujus Stephani Pontificatu, Anno II., & Imperii Constantini XIX., Domini verò Anno DCCCCXXX., Indictione II. moritur Nicolaus Mysticus, & in Patriarcham Constantinopolitanum eligitur Stephanus Archiepiscopus Amaseæ, ut scribit Curopalates, inquiens: *Quo pariter anno Constantinopoli defuncto Nicolao Patriarcha, in locum ejus subrogatur Stephanus Archiepiscopus Amaseæ*. At paulò post Stephanus Papa pariter obiit Romæ, cùm sedisset Annos duos, mensem unum, & dies quindecim, invadente post ejus obitum Petri Cathedram Joannne, hujus nominis XI., quondam Sergii Pseudopapæ ex Scorto Marotia filio.

3 Hoc porrò Pontifice Ecclesiam Dei moderante, Stephanus Patriarcha Constantinopolitanus, cùm illi præfuisset Ecclesiæ Annos duos, & menses undecim, Curopalate teste, excessit è vita Anno Dñi CMXXXIII., Imperii Constantini XXII., Pontificatus antefati Joannis XI. Anno III., Indictione VI., selecto in successorem Theophylacto Eunuco, Constantini Imperatoris filio, cui, cùm adhùc esset in puerili ætate (agebat enim tùm Annum XVI., ut notat Curopalates) datus est Triphon Monachus in coadjutorem, donec Theophylactus ad legitimam perveniret ætatem; cujus rei causâ nonnulli scribunt, Triphonem in Patriarcham ad tempus fuisse electum. Hic porrò Theophylactus ab eodem Joanne XI., sic jubente Alberico, qui Romæ tyrannidem exercebat, ut Imperatori rem gratam faceret, obtinuit pro se, & successoribus suis privilegium utendi Pallio absquè alia Romani Pontificis permissione, ut deplorat Luitprandus in relatione suæ Legationis.

4 Et licèt hic Theophylactus improbus fuerit, à communione tamen Romanæ Ecclesiæ nequaquàm recessit; vixit namque sub hoc Joanne, & sub Leone VI., Stephano quoquè IX., Marino item II., Agapito, & Joanne XII. Romanis Pontificibus, nec legitur vel minimum exortum cum aliquo ex iis diffidium. Objit ergò Anno I. Pontificatus Joannis XII., Imperii Constantini XLIV., Domini Anno DCCCCLVI., Indictione XIV. Sic notat Curopalates, scribens: „ Mensis Februarii vigesimaseptima, Indictione „ XIV. decessit è vita Theophylactus Patriar- „ cha, Sacerdotio functus Annis vigintitri- „ bus, diebus vigintiquinque, sexdecim An- „ nos natus, quandò contrà Canones Eccle- „ siæ accepit gubernacula, & sub Pedagogis, „ heù, usque ad aliquod tempus vitam trans- „ egit, atque utinam id semper ille fecisset. „ Videhatur enim gravis & moderatus; sed „ cùm jam ad maturiorem pervenisset ætа- „ tem, permissus suo modo vivere, nihil ex „ iis, quæ turpissima essent, aut omninò in- „ terdicta prætermisit, venales proponens „ Ecclesiasticos Ordines, & creationes Epi- „ scoporum, & alia faciens, quæ veris Epi- „ scopis indecora sunt. *Hæc, & alia Curopalates*.

5 In defuncti porrò locum, electum Polyectum Monachum, virum morum gravitate & sapientiâ præstantem, subjungit, inquiens: „ Tertia Aprilis mensis, eâdem Indictione, in locum ipsius Patriarcha eligitur Polyectus Monachus, Constantini alumnus atque discipulus, à parentibus exectus, diùtiùsque in monastica vita laudabiliter versatus, quem Imperator ob excellentem sapientiam & simplicitatem morum, & inopiam delegit Patriarcham. *Hæc ille*.

6 Post hæc verò Constantinus Imperator Porphyrogenitus moritur Anno Domini DCCCCLX., sui integri Imperii XLIX., Joannis XII. Pontificatus Anno V., Indictione III., die IX. Novembris, ut notat Curopalates, de cujus obitu ita scribit: „ Anno autem sui Imperii post Romanum xv. Septembri mense, Indictione III., Anno Mundi sexmillesimo quadringentesimo octavo, exit Constantinus Imperator in Olympum montem, specie quidèm, ut Patrum, qui illic degebant, precibus armaretur, reverà autem cum Thedoro Cyzici Præsule conjungeretur, qui tùm ibi commorabatur, cùmque eo de abdicando Polyecto Patriarcha Constantinopolitano consultaret. Illùc igitur profectus, sivè corporis morbo, sivè rursùs à filio veneno infectus, dolens recessit, & ad extremum Septembris mensis in lecto decumbens, ad Regiam Urbem pervenit, nonâque Novembris mensis vitâ functus est, infectis rebus, de quibus consuluerat, relictis, cùm vixisset omne vitæ tempus, annis quinquaginta quatuor, & menses duos, regnasset autem cum patre, & Alexandro puero, atque matre, annos tresdecim, deindè cum Romano, qui tyrannidem occupavit, annos vigintisex; & postquàm ille Imperio excidit, solus rerum potitus, annos quindecim. *Hactenus Curopalates*.

7 Constantino successit Romanus ejus filius, cui præceptum dederat de non ineundo connubio cum externis gentibus. Hic porrò eodem primo sui Principatus Anno, Basilium ejus filium per Polyectum Patriarcham coronare fecit. Non tamèn diù Imperium tenuit, immaturo fato functus tertio sui Imperii Anno, Domini DCCCCLXIII., Joannis XII. Pontificatus Anno VIII., Othonis Orientis Imperatoris Anno II., die xv. Martii, Indictione VI., suæ ætatis Anno XXIV., ut tradit Curopalates; eique non filius Basilius successit, licèt jam coronatus, sed Nicephorus Phocas, victoriis clarus, ab Exercitu acclamatus, & à Polyecto Patriarcha eodem anno, die XVI. mensis Augusti coronatus, ut idem testatur Auctor.

8 Hoc eodem in Oriente imperante Principe, ea Romæ evenère, quæ in vita Joannis XII. referunt Scriptores, nimirum de ipsius Joannis ejectione, Leonis VIII. substitutione, iterùmque Joannis restitutione, & adulteri expulsione, cæteraque in hujusmodi causa gesta; post quæ non diù post excessit è vita Joannes, Anno videlicèt Domini DCCCCLXIV. pridiè Idus Maji, Reginone teste, cui datus est successor Benedictus, hujus nominis V., licèt non sinè tumultu electus, Leone Pseudopapâ complura adversùs eum moliente, adeoùt coactus fuerit exilium pati, in quo brevi tempore cursum vitæ suæ sanctissimum absoluit. Mortuò porrò Leone, & Ecclesia in libertate posita, Clerus universus, & Plebs cuncta Joannem Narniensem Episcopum in Petri Solio collocarunt, qui fuit hujus nominis XIII. Et licèt ipse propter aliquorum tyrannidem in sui Pontificatus initio è Throno exturbatus fuisset, attamen vindictam in perduelles assumente Othone Occidentis Imperatore, brevi restitutus fuit.

9 Intereà Nicephorus Phocas Orientis Imperator post multa patrata scelera, factâ conjuratione, suàque propriâ consentiente Uxore, à conjuratis occiditur Anno Domini DCCCCLXIX., sui Imperii Anno VII., Pontificatus Joannis XIII. Anno IV., Othonis Occidentis Imperatoris Anno VIII., Indictione XII., Imperium arripiente Joanne, cognomento Zemisces, cui, post actam de commisso delicto pœnitentiam, factâque promissione elargiendi suas pauperibus facultates, à Polyecto Patriarcha Diadema Regium impositum fuit in magno Templo, ipso Natalis Domini nostri Jesu Christi die, ut narrat Curopalates. Sed paulò post, nimìrùm post dies trigintaquinque, ex quo Joannem Imperatorem coronaverat, objit Polyectus Patriarcha, atque in ejus locum substitutus est Basilius Monachus Scamandrenus, boni nominis vir, ut Cedrenus, Curopalates, & alii Græci adnotant Scriptores.

10 Anno indè III. Imperii Joannis Zemiscæ, Othonis Anno XI., Domini verò DCCCCLXXII., Indictione xv. objit Joannes XIII. Papa, VIII. Idus Septembris, cùm sedisset Annos VI., menses XI., & dies V., cui successit Domnus, sivè Dominus, patriâ Romanus, creatus XII. Kalendas Octobris, qui tres dumtaxàt sedit menses, fato functus die XIV. Kalend. Januarias; ac die sequenti, nimìrùm XIII. Kalend. ejusdem mensis subrogatus est Benedictus, hujus nominis VII., patriâ Romanus, Hildebrandi filius, qui Bonifacium tyrannum, & Apostolicæ Sedis invasorem abire coegit; quo tempore vitâ functo Othone I. Occidentis Imperatore, Imperii habenas suscepit alter Otho, hujus nominis II. ejus filius.

11 Joannes quoquè Zemisces Orientis Imperator, peractâ Syriacâ expeditione, victisque Sarracenis, objit Constantinopoli, veneno Damasci priùs sumpto, Anno Domini

ni DCCCCLXXVI., Benedicti VI. Anno II. vel III., Othonis II. Imperatoris Occidentis Anno III., Indictione IV., die IV. mensis Decembris, succedentibus ei in Imperio Basilio & Constantino Romani quondam Imperatoris filiis. Sed & ante obitum Joannis Zemisces, ipsâ Indictione III. Basilius Patriarcha Constantinopolitanus criminis accusatus atque convictus, synodali decreto deponitur, substituto in ejus locum Antonio Monacho Studita, ut scribit Curopalates; sed Bardâ adversùs Imperatores rebellante, spontè Antonius se abdicavit; nullo tamèn subrogato, quoadusquè vixit: objit porrò Anno Domini DCCCCLXXXI., Indictione IX., & in ejus locum suffectus est Nicolaus, cognomento Chrysoberges, eodem Curopalate teste.

12 Anno indè DCCCCLXXXIV. objit Romæ Benedictus VII. Papa, eratque Annus IX. Imperii Basilii & Constantini, Othonis III. Imperatoris Occidentis Annus I., vitâ jam functo Romæ superiori anno Othone II., currente Indictione XII., seditque Annis IX., & ex hac vita migravit die X. mensis Julii, dato ei in successorem Petro Episcopo Papiensi, qui sibi nomen indidit Joannis XIV. Sed hic ab invasore Bonifacio, qui, mortuo Benedicto, Romam iterùm venerat, captus, atque vinculis alligatus, in Arce Sancti Angeli detrusus, inediâ & fame vitæ cursum consumavit: verùm quatuor elapsis mensibus à patrato scelere, repentinâ morte miserè interiit; quo ità sublato, communi omnium suffragio electus est in Romanum Pontificem Joannes, hujus nominis XV., patriâ Romanus, Leonis filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter.

13. Sub hoc porrò Pontifice habita est Constantinopoli Synodus à Nicolao Patriarcha coacta, imperantibus Basilio & Constantino, pro omninò eliminandis dissentionibus, quæ adhùc pullulabant in causâ quarti Matrimonii, ut produnt Acta Synodica, relata lib. 2. Juris Græcorum, post Edictum Unionis, de quo suprà. In ea nàmque Synodo infrascripta anathemata dicta sunt.

I. „ Universa, quæ contrà sanctos Patriarchas Tharasium, Nicephorum, & Methodium scripta, vel dicta sunt, anathema.

II. „ Uninversa, quæ præter Ecclesiasticam traditionem, & doctrinam, & dispositionem Sanctorum Patrum innovata, gestaque sunt, vel imposterùm agentur, anathema.

III. „ Calumniantibus Sanctam Ecclesiam, quòd quartas nuptias admiserit ob dispensationem Dei benignitate factam, atque propter assumptionem, unionemque fratrum nostrorum, quos præcedentium scandalorum causa sejunxerat, anathema.

IV. „ Audentibus dicere, quòd Ecclesia illibatam puritatem sanctimoniæ suæ non retineat, sed inquinamento quodam affecta sit propter eam filiorum ipsius junctionem, quæ per Dei gratiam facta est, divisorum quidèm à se invicem per scandalum jàm olìm admissum, ut per abolitionem & abdicationem ejusdem denuò copulatorum, anathema.

V. „ Contemptui sacros, divinosque Canones Sanctorum Patrum nostrorum habentibus, qui & sacrosanctam Ecclesiam fulciunt, & universam Rempublicam christianam ornantes, ad divinam pietatem redigunt, anathema. *Hactenus Anathemata*.

14 Post hæc Nicolaus Patriarcha objit, ut ait Curopalates, cùm sedisset Annos duodecim, & menses octo, substituto in ejus locum Sisinio. Romæ quoquè pauló post objit Joannes XV., Anno videlicèt Domini DCCCCXCVI., Imperii Basilii & Constantini XXI., Othonis III. Occidentis Imperatoris Anno I., Indictione IX., Nonis Maji, cùm sedisset Annos decem, & aliquot menses, dies verò XI. sepultusque est in Basilica Sancti Petri in Oratorio Sanctæ Mariæ, cui canonicè electus, successit Gregorius, hujus nominis V., antè Bruno vocatus, natione Germanus, atque Othonis Imperatoris consanguineus. At verò Crescentii studio, qui tyrannidem Romæ affectabat, creatus est in schismate Pseudopapa Joannes XVI., natione Calaber, tunc Episcopus Placentinus. Verùm Romam veniente Othone, & expugnatâ Urbe, de Pseudopapa, atque fautore Crescentio dirum sumpsit supplicium, ambobus post varia tormenta miserè necatis. Ex quo facto & Roma libertatem obtinuit, & Gregorius in suo Throno quievit. Sed non diù vixit, sedit tantùm Annis duobus, mensibus VIII., diebus verò IV., objitque pridiè Nonas Februarias, Anno Domini DCCCCXCIX., Indictione XII., Anno Imperii Basilii & Constantini XXIV., Othonis III. Occidentis Imperatoris Anno IV.

15 Huic porrò datus est successor Gerbertus Archiepiscopus Ravennatis, dictus Sylvester, hujus nominis II. Et hoc eodem anno defuncto Sisinio Patriarcha Constantinopoleos, creatus est in Patriarcham Sergius Abbas, ex progenie Photii, à quo parùm degenerans, conatus est & ejusdem Photii calumnias adversùs Sanctam Romanam Ecclesiam instaurare, licèt ad separationem ab eadem Ecclesia minimè devenerit, fortasè ipsis Imperatoribus contradicentibus. Diù Ecclesiam Patriarchalem rexit, cùm sedisset in ea ab obitu Sisinii Annos XX., teste Curopalate. Excessit nàmque Anno Domini MXIX., Indictione II.

16 Hoc porrò Patriarcha moderante Ecclesiam Constantinopolitanam, Romæ objit

Sylvester II., Anno Domini MIII., Indictione I., Imperii Constantini & Basilii Anno XXVIII., die 12. Maji, sui Pontificatus Anno V. jàm inchoato, vacante Imperio Occidentali, jàm vitâ functo Othone III. ferè biennio anteà. At post Sylvestri obitum exortis in Ecclesia Romana dissidiis, prævalente Comitum Tusculanorum factione, subrogatus est Joannes XVI., si à numero Romanorum Pontificum eradatur ille schismaticus Placentinus, qui voluit appellari Joannes XVI., eo tamèn incluso, erit hic XVII., qui cùm sedisset menses V. & aliquot dies, obiit, eodemque Anno in hujus locum creato altero Joanne, cognomento Fasano, hujus nominis XVII. vel XVIII. Hic verò Joannes vixit in Pontificatu ab hoc Anno ad Annum usquè Domini MIX., quo XV. Kalendas Augusti objit, Indictione VII., Anno Imperii Basilii & Constantini XXXIV., adhùc vacante Imperio Occidentali; & post mensem unum, & dies XIII. vacantis Sedis subrogatus est Petrus Episcopus Albanensis, qui appellari voluit Sergius, hujus nominis IV., qui cùm sedisset Annos II., menses VIII., & dies XIII., ex hac vita migravit die XIII. mensis Maji, Anno Domini MXII., Basilii & Constantini Imperii Anno XXXVII.

17 Defuncto itaquè Sergio, creatur Romanus Pontifex Benedictus, hujus nominis VIII., natione Tusculanus, adversùs quem in schismate contrà sacros Canones erectus est Gregorius, & prævalente suâ factione ejectus est Benedictus, qui ad Henricum Regem Germaniæ confugit; & anno sequenti Romam cum Exercitu veniente antefato Rege, perterritus Gregorius, fugam arripuit, relictâ Cathedrâ ipsi Benedicto, qui præfatum Regem in Imperatorem coronavit, coronatâ quoquè Kunegunda sanctissima illius uxore.

18 Anno posteà VIII. Pontificatus Benedicti, Domini MXIX., Imperii Basilii & Constantini XLIV., Henrici Occidentis Imperatoris Anno VI., Indictione II. Constantinopoli objit Sergius Patriarcha, in cujus locum suffectus est Eustachius primus Presbyterorum, qui erant in Templo Regiæ.

19 Sub hoc Patriarcha Romæ ex hac vita migravit Benedictus VIII. tertio Kal. Martias, Anno Domini MXXIV., Imperii Basilii & Constantini Anno XLIX., Henrici Imperatoris Occidentis Anno XI., Indictione VII., cùm sedisset Annos XII.; & eodem sui obitus die, potentiâ Principum, & pecuniæ largitione, ut Scriptores referunt, Apostolicam Sedem invasit Joannes Gregorii Comitis Tusculani filius, ac defuncti Benedicti frater germanus, dictus Joannes XX., licèt ab aliis dicatur XIX., excluso, ut suprà fati sumus, Episcopo Placentino; à nonnullis verò XVIII., hoc excluso, & altero Joanne, qui immediatè Sylvestro II. per Procerum Romanorum potentiam subrogatus fuit. Ad hunc, Eustachio suggerente, Basilius Imperator nobilem Legationem cum muneribus misit, petens, quatenùs de ejus consensu liceret, Ecclesiam Constantinopolitanam in suo Orbe, sicut Roma in universo, universalem dici, & haberi. Joannes verò honorificè suscepit Legatos, non remissa à Basilio recusavit munera, quibus fortasse impulsus petitioni annuere paratus erat; sed per literas Wilelmi Abbatis Monasterii Sancti Benigni admonitus, à proposito destitit, nihilq; concessit, ut scribit Glaber lib. 4. cap. I. Posteà præfatus Pontifex intelligens, Sedem Apostolicam à se injustè detineri, acturus pœnitentiam, seipsum abdicavit. Cujus facti ædificatus Clerus Romanus, ipsum in Pontificem canonicè elegit, ac ità in ea dignitate legitimè ad mortem usquè persevera it.

20 Anno I. hujus Pontificatus ad Dominum migravit Henricus Imperator, designato priùs in successorem Conrado, licèt propter diffidentes Principes, nonnisi post biennium Imperii regimen susceperit. Anno II. ejusdem Pontificis objit Constantinopoli Eustachius Patriarcha, & paulò post Basilius Imperator, cùm imperasset Annos quinquaginta; mortuus nàmque est Anno Domini MXXV., mense Decembri, Indictione IX., repentino morbo correptus, relicto integro Imperio Constantino ejus fratri. Eustachio porrò datus est successor Alexius Monachus, & Monasterii Præfectus, quo adjutore in Republica administranda Constantinus utebatur.

21 Deindè Anno V. Joannis Pontificatus ex hac vita migravit Constantinus Anno III. post fratris obitum, Dñi verò MXXV., Conradi Imperatoris Occidentis Anno II., Indictione XI., in cujus locum successit Romanus ejus consanguineus, qui priori repudiatâ Conjuge, Zoe filiæ Constantini nupserat. Et Anno V. hujus Imperii, Conradi Imperatoris Occidentis Anno VII., Dñi MXXXIII., Joannes XX., sivè XIX., aut XVIII. objit Romæ VI. Idus Novembris, cùm sedisset Annos IX., menses VIII. & aliquot dies, sepultusque est in Basilica Sancti Petri inter Portam Argenteam, & Romanam. At eo defuncto Benedictus, hujus nominis IX., Alberici Comitis Tusculani filius, Benedicti VIII., ac Joannis XX. nepos, ætatis Annor. XVIII., quasi per tyrannidem Pontificatum usurpavit, nemine verò propter parentum potentiam contradicente.

22 Anno I. Pontificatus Benedicti IX., cooperante Zoe Romani uxore, strangulatus ipse Romanus periit, evecto ad Imperium Michaele Paphlagone, quem Zoe adultera in deliciis habebat: erat enim arte argentarius, nimiæ tamen pulchritudinis vir, cujus rei causâ amore ergà eum succensâ, Marito proprio non pepercit; & hunc Maritum fecit, & simùl

ſimul Imperatorem. Indè Anno ejus VI. Conradus quoquè Occidentis Imperator vita functus eſt XIII. ſui Imperii Anno, Michaelis Imperatoris Orientis Anno VI., Domini verò MXXXIX., Indictione VII., Nonis Junii, poſt cujus obitum per aliquot annos Imperium Occidentale vacavit.

23 Porrò Michael Paphlago Imperator Orientis, cùm regnaſſet Annos VII., menſes VIII. objit, datis priùs pænitentiæ ſignis; poſt cujus obitum à Zoe Auguſta coronari viſum eſt Michaelem, cognomento Calaphatem, filium Stephani patruelis Imperatoris, quem & in filiū adoptavit; ſed ingratus tanto beneficio, paulò poſt depoſitam è Throno Zoen, nec in Monaſterium ingredi permiſit, ſed in exilium amandare voluit; cujus rei causâ indignatus Populus, factâ ſeditione, captus, & oculis orbatus, è Throno dejicitur. Indè revocatus ab exilio Conſtantinus, cognomento Monomachus, undè à Joanne fratre Michaelis Paphlagonis amandatus fuerat, junctusque Zoe in matrimonium, coronatus eſt Imperator die XI. menſis Junii, Anni Domini MXLII., Pontificatus Benedicti IX. à morte Conradi Imperatoris Occidentis III., Indictione X. Et Anno I. hujus Imperii moritur Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in quem locum ipſius eſt ſubrogatus Michael, cognomento Cerularius, qui pariter à Joanne germano Michaelis Imperatoris actus fuerat in exilium ob affectatam tyrannidem, ut ſcribit Curopalates.

24 Intereà Romæ Benedictus IX., ſivè vi ſibi illatâ, ſivè ſuâ ſponte Pontificatū Romanæ Eccleſiæ ceſſit, ſui Pontificatus Anno XI., Domini verò MXLIV., Imperii Conſtantini Monomachi Anno II., Indictione XII., in cujus locum malis artibus, atque datâ pecuniâ ſucceſſit Sylveſter III. Epiſcopus Sabinenſis; ſed vix tribus elapſis menſibus, Benedictus operâ ſuorum Comitum Tuſculanorum iterùm ad Pontificatum reverſus, Sylveſtrum prorsùs dejicere conatus eſt. Verùm his duobus de Pontificatu contendentibus, Joannes quidam Romanus Archipresbyter eandem Sedem invaſit, adeoùt tres eſſent Pontifices. Hunc porrò Eccleſiæ ſtatum commiſeratus Gratianus quidam Romanus Presbyter, ſingulos adiit, & à Sede Sanctâ cedere, datâ & collatâ iis pecuniâ, non ad emendam ullam ſpiritualem dignitatem, ſed ad redimendam, quam vocant vexam Eccleſiæ, perſuaſit. Hinc omnium primus Benedictus ſeipſum Pontificatu abdicavit, indè & reliqui duo idem præſtiterunt, receptâ reddituum portione ſibi aſſignatâ.

25 Itaquè hac viâ ſublato ſchiſmate, Clerus, & Romanus Populus memor tanti beneficii, unanimi conſenſu ipſum Gratianum in Romanum Pontificem elegerunt, & mutato nomine, Gregorium VI. vocaverunt. Qui biennio poſt in Synodo Sutrina coràm Henrico Germanorum Rege celebrata, nullius criminis reus, nullo teſtimonio convictus, atque nullâ judicatus ſententiâ, ad ſchiſma dumtaxàt, quod imminebat, vitandum, ſpontè ſe abdicavit, cùm ſediſſet Annos II., & menſes VIII., creato in ejus locum, operâ & ſtudio ejuſdē Regis Henrici Suidgerus Bambergenſis Epiſcopus, natione Germanus, creatus Romæ in Vigilia Nativitatis Domini Anno Chriſti MXLVI., qui ſibi nomen indidit Clementis, hujus nominis II.; ſed nono menſe à ſua promotione ex hac vita migravit, cui ſucceſſit Damaſus, hujus nominis II. Epiſcopus Brixienſis, anteà Poppo appellatus, qui ab Henrico Rege, Clero, & Populo Romano præſentatus, communi omnium ſuffragio electus fuit Anno Domini MXLVIII. verùm ſedit tantùm dies XXIII., & defunctus eſt Præneſte.

26 Eo itaquè defuncto, Benedictus IX. iterùm Romanam Sedem tertiò invaſit, cujus rei causâ uſque ad annum ſequentem Sedes vacavit. Intereà Cardinales miſsâ Legatione ad Henricum Regem, petiverunt ſuo nomine eligi, & præſentari aliquem idoneum, qui, Benedictum jàm tertiò Sedem Apoſtolicam invadentem, ejicere poſſet. Imperator verò auditâ petitione, delegit Brunonem Tullienſium Epiſcopum, ex Comite Daſpurgenſi, & ex nobili Francorum Familia oriundum, virum aliundè ſanctiſſimum; qui Romam privato habitu, unà cum Ildebrando Cluniacenſis Monaſterii Priore veniens, Thronum Pontificium conſcendere noluit, niſi priùs à Clero Romano eligeretur. Electus ergò Romæ, & coronatus, nomen Leonis IX. ſibi indidit. Et ſub hoc ſanctiſſimo Pontifice, operâ & ſtudio Michaelis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani, conflatum eſt novum ſchiſma inter Eccleſiam Orientalem, & Occidentalem, omnium deterrimum, quoniàm nunquàm hactenùs ſatis extinctum, de quo in hac quarta, & ultima Parte acturi ſumus.

CAPUT I.

De origine novi Græcorum Schiſmatis ſub Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano.

27 JAm ſub Euſtachio Patriarcha, ut antefati ſumus, antiqua revixit ambitio, nomen ſibi uſurpandi œcumenici Patriarchæ, miſsâ ad hunc effectum ad Romanum Pontificem Legatione per Baſilium Auguſtum, quatenùs ejuſdem Pontificis accedente conſenſu, hujuſmodi titulo quietè, ac pacificè Patriarchæ Conſtantinopolitani frui liberè, & uti poſſent. Cùmque id minimè obtineri potuiſſent, licèt Euſtachius, & poſt

poft eum Alexius nihil moliti fuerint, Michael tamen Cerularius Latinis infenfiffimus, alterius Michaelis fchifmatici, ac Photii fecutus veftigia, nomen univerfalis Patriarchæ, quafi jure fibi debitum ufurpavit, licèt non ab initio fui Patriarchatus, fed decennio poft, ad tempus retento in corde perfidiæ fuæ veneno.

38 Tempore, quo Michael ifte Thronum Conftantinopolitanum confcendit, Ecclefiæ omnes Patriarchales Orientis perfectiffimè erant cum Sancta Romana Ecclefia conjunctæ, ac Romanum Pontificem, cui communicabant, univerfalis Ecclefiæ Chrifti vifibile Caput agnofcebant, Primatumque fuper totius Orbis Ecclefias tenuiffe, recta fide profitebantur, atque in facris Diptycis nomen Romani Pontificis retinebant: Sic poft Ecclefiam Conftantinopolitanam Antiochena, fic Alexandrina, & Hierofolymitana; quarum Patriarchæ poft illorum electionem fuæ fidei profeffionem ad Romanum Pontificem, expetentes illius communionem, mittere confueverant.

29 Erat Annus Domini MLIII., Pontificatus Leonis IX. Annus V., Conftantini Monomachi Imperii V., Henrici II. Imperatoris Occidentis VII., Indictione VI., & Annus X. Patriarchatus Michaelis Cerularii, quandò Antiochenus Patriarcha Petrus noviter electus, atque ordinatus, ad Leonem IX. fuæ fidei profeffionem mifit, communionem poftulans, & fuæ ordinationis confirmationem, ut ex literis ejufdem Pontificis ad eum datis, quarum initium eft: *Grotulamur vebementer in Domino*, fatis perfpicuum fit. Id quod infenfo tulit animo Michael, qui fuper univerfas Orientis Ecclefias Primatum affectabat. Quarè, ut præfatas Ecclefias fibi fubjugaret, cogitavit priùs eas avellere à communione Ecclefiæ Romanæ, quod, ut faciliùs poffet, afcito in fuæ perfidiæ focium Leone Archiepifcopo Acridiæ in Bulgaria, conatus eft antiquas adversùs Romanam Ecclefiam, à prioribus Schifmaticis ementitas, renovare calumnias, novasque fuperaddere; atque non folùm inter Græcos, verùm & inter Latinos evulgare voluit, ut ex literis datis ad Joannem Tranenfem in Apulia Epifcopum infrà recenfendis, palàm demonftratur. Capita verò criminationum, quæ ab initio expofuit, & in præfatis literis continentur, funt: Quòd Ecclefia Latina, contrà Chrifti Domini inftitutionem, in azimo Euchariftiam conficiat. Quòd Sabbatum cuftodiat. Quòd de fuffocatis comedat. Et quòd in Quadragefima Alleluja non cantet. Sed proceffu temporis àlias à Photio, & altero Michaele criminationes adinventas, iterùm renovavit, & fuperaddidit, ut infrà fuis in locis dicemus. Literæ ergò datæ ad Epifcopum Tranenfem, ejufmodi continentes criminationes, quæ prima hujus fchifmatis femina projecerunt, ad hunc modum fe habent.

Michael univerfalis Patriarcha novæ Romæ, & Leo Archiepifcopus Acridiæ Metropolis Bulgarorum, dilecto fratri Joanni Tranenfi Epifcopo.

30 „ Dei magna dilectio, & jucunda
„ compofitionis vifcera flexerunt nos fcribe-
„ re ad tuam Sanctitatem, & per te ad univer-
„ fos Principes Sacerdotum, & Sacerdotes
„ Francorum, & Monachos, & Populos, &
„ ad ipfum Reverendiffimum Papam, & me-
„ mores de Azimis, & Sabbatis, quæ my-
„ fticè indecenter cuftoditis, & communi-
„ catis Judæis. Etenim Azima, & Sabbata
„ ipfi cuftodire à Moyfe juffi funt: noftrum
„ verò Pafcha Chriftus eft. Qui ut non jux-
„ tà legem inveniretur adverfarius, & cir-
„ cumcifus eft, & legale Pafcha celebravit
„ primitùs. Sic illo difcedente, noftrum no-
„ vum operatus eft.

31 „ Et hoc manifeftum eft in Evange-
„ lio, fecundùm Matthęum. De myfticæ Cœ-
„ na loquens Evangelifta, fic quoquè inquit:
„ *Primà autem die Azimorum acceſſerunt Di-*
„ *fcipuli ad Jefum, dicentes: Ubi vis, ut paremus*
„ *tibi comedere Pafcha?* qui ait: *Ite in Civita-*
„ *tem ad quemdam, & dicite ei: Tempus meum*
„ *propè eft; apud te facio Pafcha cum Difcipu-*
„ *lis meis*. Et poft pufillum: *Vefpere autem*
„ *facta difcumbebat cum duodecim, & edenti-*
„ *bus illis, dixit: Amen amen dico vobis, quia*
„ *unus veftrum me traditurus eft*. Et poft pu-
„ fillum dicente Juda: *Numquid ego fum,*
„ *Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixifti*. Hucufque,
„ ò Dei homines, univerfa legalis Pafchæ
„ funt.

32 „ Deindè, quæ myftici & noftri funt,
„ addidit Evangelifta, & dicit: *Edentibus*
„ *autem illis, accepit Jefus panem, fregit, &*
„ *dedit Difcipulis fuis, & dixit: Accipite, &*
„ *comedite: Hoc eft Corpus meum, quod pro*
„ *vobis tradetur. Et accipiens Calicem, gra-*
„ *tias egit, & dedit illis, dicens: Hic eft San-*
„ *guis novi Teftamenti*. Dicendo enim, *novi*,
„ oftendit quo modo ea, quæ veteris fuerunt
„ Teftamenti, ceffaverunt. Afpicite quo-
„ modò panem Corpus fuum fub novo Te-
„ ftamento vocavit, ficut vivificum, & ple-
„ num fpiritu, & ficut caloris demonftrati-
„ vum. Vos quidèm *Panem* nos *Arton* dici-
„ mus. *Artos* autem interpretatur elevatus,
„ & furfùm portatus à fermento, & fale ca-
„ lorem, & elevationem habens: Azima au-
„ tem nil diftat à lapide fine anima, & à lu-
„ to lateris deorsùm confumptæ terræ, &
„ ficco luto comparatæ, quas cum amaritu-
„ dinibus Moyfes comèdere miferis Judæis
„ femèl in anno legem conftituit, dicens.

33 „ Quoniàm malæ passionis & tribulationis symbola sunt; & nostrum Pascha gaudium, & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium ad Cœlum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem; qui panis omni suavitate repletus est: Azimæ verò, neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum. Aut non audistis Jesum dicentem Discipulis suis: *Quia vos estis sal terræ, & quoniàm simile est Regnum Cœlorum fermento, quod accipiens mulier, abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum?* Mulierem Sanctam Ecclesiam vocat; satis verò tribus modis repletis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quorum nequaquàm lutolentæ Azimæ sunt participes. Dicit enim & David de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, qui ante Moysen, & Abraham Cœli, & Terræ, & cæterarum creaturarum agnoscens Dominum, exurgens, obtulit illi panem & vinum. Ideò dicit divinus Apostolus: *Quoniàm si consumatio per Leviticum Sacerdotium erat, non secundùm ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat*, quæ lex lutolenta constituit, Azima Judæis custodire.

34 „ Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios primâ Epistolâ, de his loquens, ait: *Fratres, ego enim accepi à Domino quod tradidi vobis; quoniàm Dominus nocte, qua tradebatur, accepit panem, gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & de Calice: *Hic est Calix, novum Testamentum in meo Sanguine: Hoc facite quotiescumquè bibetis in meam commemorationem. Quotiescumquè manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Azimæ verò, neque commemorationem habent Domini, neq; mortem illius annunciant; sicut Mosaycæ, & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ, & per novum Testamentum; hoc est, per sanctum Evangelium, & per Christum maledictæ & derelictæ.

35 „ At Sabbata verò quomodò in Quadragesima judaicè observatis? Aut non audistis Evangelium, loquens: quia transeuntes Discipuli in Sabbatis, cœperunt iter agere, evellentes spicas, & comedentes. Dicebant autem Judæi ad Christum: *Vide quid isti faciunt in Sabbatis?* Qui dixit: *Etiam: An nescitis quid egit David, cùm esuriret ipse, & qui cum eo erant, quomodò intravit in Templum, & panes propositionis comèdit? Et quia Sabbatum propter hominem factum, non homo propter Sabbatum.* Qui dicebant: *Quoniàm homo iste non est ex Deo, qui Sabbatum non custodit.* Et iterùm loquente Christo in Sabbato ei, qui manum aridam habebat; similiter & ei, qui Dæmonis spiritum habebat, in Sabbato mundato, & murmurantibus Judæis, & multa dicentibus, dicit Christus: *Hyppocritæ unusquisque vestrum non solvit asinum à præsepe, aut bovem suum, & ducit adaquare?* Et Paralitico similiter, quem sanum fecit. Et ideò hi, qui Sabbata cum Azimo custodiunt, neque Judæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cujus capilli nec nigri sunt, nec omninò albi.

26 „ Quomodò autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? Aut nescitis, quòd omnis animalis sanguis sit in anima ipsius, & qui comedit sanguinem, animam comedit? Et idcircò secundùm hoc Gentiles ex toto sunt: Illi autem occidunt, aut plangentes comedunt.

37 „ Et iterùm *Alleluja* in Quadragesima non psallitis, sed semèl in Pascha tantummodò, quod interpretatur: *Dominus venit, laudate; Hymnum dicite, & benedicite eum.* Ergò secundùm hoc, neque Domini Dominum, neque benedictus qui venit, psallitis. Et istud verò, *Alleluja*, hebraicè dictum est. Cùr tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos, & vosmetipsos, sicut qui debent judicari ex his à Deo? Non derelinquitis quod dicitis, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus, & cæteri docuerunt? Decepistis vosipsos, & populum in istis.

38 „ Quæ verò scripsi, ea sunt, quæ Petrus, & Paulus, & cæteri Apostoli, & Christus docuit, & Sancta atque Catholica Ecclesia suscepit, & custodit religiosè, quæ & vos correcti custodite. Azima verò, & custodias Sabbatorum projicite miseris Judæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus, ut fiamus puri in recta & immaculata fide, & unus grex, unius Pastoris Christi. Cujus in Cruce Divino Sanguine inebriati, laudamus puri purè Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, universa Mosayicæ Legis, & ab eo custodita derelinquentes sinè Deo Judæis, qui velut cæci perquirentes Christum, lumen miserunt, permanentes in umbra, sicut insipientes perpetuò.

39 „ Hæc autem, homo Dei, & multotiens ipse cum populo, agnoscens, docuisti esse, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus, & ut habeas salutem animæ tuæ, mitte Principibus Sacerdotum, & Sacerdotibus, & adjura, ut per hæc seipsos corrigant, & Dei populum, ut Dei mercedem in istis habeas; & si hoc feceris, propono per secundam scriptionem majora, & perfectiora his tibi scribere

fidei

„ fidei verâ ostensione, & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. *Hactenus Epistola*.

40 Hac receptâ Epistolâ Episcopus Tranensis, Humberto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Episcopo Sylvæ Candidæ, tunc Trani commoranti, eam communicavit, qui, utpotè in Lingua Græca peritissimus, in Latinam transtulit, atque ad ipsum Leonem IX. Romanum Pontificem detulit. Hic verò hujus admiratus novitatis, optimè norens ex ea novi schismatis semina esse jactata, audaciam Michaelis, atque Leonis Acridiani arrogantiam statim reprimere volens, fatis prolixam ad eos fecit Epistolam, qua reprehendit eos, quòd superbiâ elati, & audaciores facti, conati fuerint Romanam Ecclesiam à Sanctissimis Apostolis Petro, & Paulo edoctam, novâ præsumptione instruere; quæ, cùm sit omnium Ecclesiarum Mater ac Magistra, ejus est cunctas Orbis Ecclesias instruere & docere, non ipsa ab aliis instrui & doceri. Incipit prælibata Epistola: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*. A' pace à Christo Domino suis in hæreditatem Discipulis relictâ, exorditur; deindè ad eos sermonem convertit, quòd hanc pacem in sancta Dei Ecclesia novâ docendi præsumptione ausi sint perturbare. Hinc ait.

41 „ Tu charissime nobis, & adhùc dicende in Christo frater, & Antistes Constantinopolitane; Tuque Leo Acridane, dicimini Apostolicam & Latinam Ecclesiam novâ præsumptione, atque incredibili audaciâ, nec auditam, nec convictam palàm damnasse, pro eo maximè, quòd de Azimis audeat commemorationem Dominicæ Passionis celebrare. Eccè incauta reprehensio vestra: Ecce bona gloriatio vestra, quandò ponitis in Cœlum os vestrum, cùm lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus & conjecturis antiquam fidem confodere ac subvertere moliatur. Eccè, nisi quantociùs resipiscatis, incorporati & adnumerati, quod absit, eritis in cauda Draconis, quæ tertiam partem Stellarum Cœli traxit, & in terram misit. Eccè jàm post mille, ac fermè viginti à Passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualitèr memoria Passionis ejusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seù, qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis Senis, cui specialitèr Christus Filius Dei vivi dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est*. Non ergò perpenditis, quantâ impudentiâ dicatur, Pater, qui est in Cœlis, abscondisse à Principe Apostolorum Petro cultum, seù ritum visibilis sacrificii, per dispensationem Unigeniti sui, cui per semetipsum plenissimè revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis Divinitatis Filii sui? Et cui non per Angelum, nec per Prophetam, sed proprio ore ipse Dominus Angelorum, & Prophetarum sic repromittit in sequentibus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

42 Et, ut exemplis quoquè ostendat auctoritatem, atque Ecclesiæ Romanæ magisterium super ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam, nedùm etiam super totius Orbis reliquas, recenset exortas sub diversis ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ hæreses, à Sancta Romana Ecclesia expugnatas, atque & schismata ambitione suorum Præsulum enata, ab eadem Sancta Apostolica Ecclesia sedata: „ Dicendum videtur, *inquit*, ex parte, quantas Constantinopolitana Ecclesia per Præsules suos suscitaverit pestes, quas viriliter expugnavit, potrivit, & suffocavit Romana & Apostolica Sedes. *Hæc ille*, qui indè tales Patriarchas hæresum & schismatum inventores enumerat, incipiens ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, Ecclesiæ Constantinopolitanæ invasore, quem signiferum Arii extitisse scribit, & progrediens per singulos ad Joannem usque Patriarcham, qui primus omnium ausus fuerat sibi titulum & nomen Patriarchæ œcumenici usurpare, ad retundendam Michaelis superbiam, qui in Epistolæ titulo se Patriarcham œcumenicum appellaverat, ait.

43 „ Successit quoquè huic Joannes, cujus superbiam, quamvis universus Mundus capere nequiverit, angustus tamen cespes post non multum temporis compressit. Hic nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit, ubi se à cunctis œcumenicum Patriarcham, idest universalem, & dici, & scribi debere decrevit. Pro qua utiquè præsumptione à Beatis Pontificibus Pelagio, & Gregorio dignâ perculsus est excommunicatione. Cujus contagii macula adhùc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit; ut nunc quoquè vos ipsos œcumenicos Patriarchas & appellare, & scribere non timeatis. Et certè nomen illud à Sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo ob reverentiam Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Sanctissimo decessori nostro Leoni Papæ, & præclarissimo Doctori, successoribusque ejus fuit oblatum. Sed nec ab illo, nec ab ullo successorum ipsius constat hactenùs receptum. Et cui post Christum Jesum hoc nomen magis poterat aptari, quàm successoribus Petri? Sed imitanda humilitas Reverendorum Pontificum, attendens, quòd ipse Princeps Apostolorum non inveniatur dictus universalis Apostolus, superbum refutavit vocabulum penitùs, quò videbatur par dignitas subtrahi cunctis per Orbem Præsulibus, dùm uni

„ uni ex toto arrogaretur, tanquàm ſinguli
„ dicerent verbis & factis, quòd Magiſter
„ eorum, & primus crucifigendus inquit:
„ *Non ſum dignus caput ſursùm ponere, ſed*
„ *declinare vultum in terram*.

44 „ Veſtra ergò fraternitas videat, quan-
„ ta apud ſe protervia tumeat, quæ nec ob-
„ blatum ſibi à quoquam, nec conceſſum,
„ ſed potiùs denegatum, & ſub anathematis
„ interpoſitione ab Apoſtolica & prima Se-
„ de, & à Sanctis, atque orthodoxis Patri-
„ bus interdictum ſuperſtitioſum vocabulum,
„ tantæ obſtinationis contumacia, per qua-
„ dringentos jàm à Beatiſſimo Papa Grego-
„ rio & ampliùs annos, uſurpare non ceſſat.
„ Et qualitèr exemplo Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, & ſuorum, parati eſtis pro fratri-
„ bus animas ponere, qui per tot tempora
„ nolniſtis ſaltèm inane nomen, & totius Ec-
„ cleſiæ unitatem ſuâ inſolentiâ ſcandalizans,
„ deponere? Et quid efficit in veſtris menti-
„ bus totiès declamata in auribus illa glo-
„ rioſi Apoſtoli Pauli profeſſio, qui dicit:
„ *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Qui
„ non ſolùm pro ſcandalo aliorum non uri-
„ mini, ſed etiam ſcandalo veſtro quotidiè
„ uritis Eccleſiam Dei? *Hæc Leo*, adversùs
„ inane œcumenici Patriarchæ nomen Mi-
„ chaelis.

45 Deindè ad dignitatem, & primatum Apoſtolicæ Sedis oſtendendum, iterùm ſermonem convertit; id quod Evangelicis & Apoſtolicis probat Scripturis, & Magni Conſtantini confirmat decreto. Fidem illibatam à Sanctis Apoſtolis Petro traditam, & Paulo, Latinam Eccleſiam, Romanamque Sedem retinuiſſe ſemper, docet, ſubjungens indè:
„ Quapropter à tanta amentia jàm reſipiſci-
„ te, & Latinos verè Catholicos, atque
„ maximi Petri familiariores Diſcipulos, in-
„ ſtitutionisque ejus devotiores ſectatores,
„ ceſſate ſubſannando azimitas vocare, aut
„ Eccleſias illi denegare, ſeù tormenta, ſicut
„ cœpiſtis, inferre, ſi vultis nunc & ſemper
„ pacem & portionem habere cum Petro.
„ Cujus doctrinam & traditionem in Epiſto-
„ la ad Romanos, ſapientibus & inſipienti-
„ bus debitor ille Gentium Doctor, ad ter-
„ tium Cœlum, & in Paradiſum raptus, ſic
„ per omnia commendat, dicens: *Primùm*
„ *quidèm gratias ago Deo meo per Jeſum*
„ *Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides ve-*
„ *ſtra annunciatur in univerſo Mundo*. Ex
„ cujus Capituli occaſione Beatus & Catho-
„ licus Doctor Auguſtinus, in Latinaq; Lin-
„ gua clariſſimus, atque noſter Chryſoſtomus
„ ait: *Fides iſta, quam Romani habent, ipſa,*
„ *eademque eſt, & non alia, quæ in univerſo*
„ *Mundo annunciatur, & creditur; quæ non*
„ *ſolùm in terra, ſed & in Cœlis prædicatur*.
Hæc & alia plura in eadem Epiſtola, in cujus porrò finem hæc alia habet.

46 „ Sed quia jàm nunc videmur digreſſi
„ modum Epiſtolæ, alio exordio congruum
„ cenſuimus reſpondère veſtræ calumniæ,
„ quam confratribus, & Coepiſcopis noſtris
„ Apulis ſcriptum ad ſuggillationem noſtri
„ Azimi, & prædicationem veſtri fermenti,
„ non dubitaſtis dirigere. Inter hæc dirigi-
„ mus veſtris cavillationibus refragrantia ve-
„ nerabilium Patrum noſtrorum aliqua ſuper
„ his ſcripta. Deindè, ut Deus inſpirabit,
„ noſtra reſcripta, quatenùs multipliciter,
„ veſtra retundantur, & retrò ferantur jacu-
„ la, & quem non vultis, feriant; Nam ſi
„ vos non erubeſcitis, nec timetis de loqua-
„ citate, nos non tantùm erubeſcere, quan-
„ tùm timere debemus de taciturnitate; quia
„ de noſtra, multorum pendent animæ, quæ
„ falſis fratribus calumniantibus, & nobis ta-
„ centibus, habent perire.

47 „ Iſtâ autem vobis paternâ pietate,
„ ac germanâ dilectione interim reſcribimus,
„ in quibus ſatis declinaſſe nos credimus, nè
„ in illud Salomonis inciderimus: *Noli re-*
„ *ſpondère ſtulto juxtà ſtultitiam ſuam, ne ef-*
„ *ficiaris illi ſimilis*. Verùm, ſi non reſipue-
„ ritis, experiemini quod idem mox ſequu-
„ tus ait: *Reſponde ſtulto juxtà ſtultitiam*
„ *ſuam, nè ſibi ſapiens eſſe videatur*. Et illud
„ Apoſtoli: *Hæreticum hominem poſt unam*,
„ *& ſecundam correctionem devita: Subverſus*
„ *eſt enim qui ejuſmodi eſt, & delinquit pro-*
„ *prio judicio condemnatus*. Et cavendo in-
„ terdictum veteris Legis typicum, deincepa
„ non coquemus hædum in lacte matris ſuæ;
„ ſed impetiginem ejus & ſcabiem fricabi-
„ mus inſtanter mordaci aceto, & multò ſa-
„ le, quia cum dolore abſcindenda ſunt quæ
„ leni manu palpari, & ſanari non poſſunt,
„ ut Dominus admonet, dicens: *Si manus*
„ *tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum,*
„ *& projice abs te; & ſi oculus tuus ſcandali-*
„ *zat te, erue eum*.

48 „ Sed miſeratio Dei præcedens hæc
„ noſtra dicta, parcet & nobis, & vobis, ut
„ deinceps non ſit neceſſe circà queſtiones &
„ pugnas verborum occupari, ſed ex divinis
„ paginis noſtram in hoc Mundo peregrina-
„ tionem invicem conſolari, & pacificè ad-
„ hortari, ut Pſalmiſta canit: *Pax multa di-*
„ *ligentibus legem tuam, Domine, & non eſt*
„ *illis ſcandalum*. Quòd verò charitas & uni-
„ tas fratrum ipſa ſit lex Dei, oſtendit illud
„ Evangelii: *Hoc eſt præceptum meum, ut di-*
„ *ligatis invicem*. Quam nos ſinceram hic
„ conſervare, & in futuro ſine fine ipſam, quę
„ Deus eſt, perſpicere, qui vult omnes ho-
„ mines ſalvos fieri, & ad agnitionem veri-
„ tatis venire, dignetur concedere. Amen.
Hic finit Epiſtola Leonis IX.

CAPUT II.

De Legatione missa à Leone IX. Constantinopolim pro Ecclesiastica pace concilianda.

49 Receptis Michael antefatis Leonis Literis, simulatâ ad tempus perfidiâ, videri voluit zelator pacis, atque amator concordiæ; proindèque pacis literas ad eumdem Pontificem rescripsit, persuasione creditur magis Imperatoris, quam suâ sponte; nam eodem tempore inflatus spiritu superbiæ Ecclesiæ Alexandrinæ, atque Antiochenæ jura & privilegia convellere studebat, & illarum Episcopos, seù Patriarchas, sibi subjugare conabatur, ut Leo ipse in ea Epistola, quæ ad eum per Legatos misit, affirmat; idemque repetit & in altera ad Imperatorem data. Sed quoniàm ejusmodi dissidia videbantur Imperatori non prodesse, eâ tempestate rebus Imperii, propter Northmannos, qui à duodennio ante victis Græcis totam possidebant Apuliam, & tunc cæteras Provincias, præcipuèque Calabriam proximam invadere minitabantur, quippè qui nec locis Ecclesiæ Romanæ parcebant; ideòque effecit, ut Michael de ineunda cum Romano Pontifice concordia ageret, præfatasque pacificas scriberet literas, ut firmatâ pace, auxilio ejusdem Romani Pontificis, & armis Latinorum Principum, maximèque Henrici Imperatoris, apud quem plurimùm Leo poterat, faciliùs posset audaciâ refrenare Northmannorum, eosque debellare.

50 Hac eâdem de causa & ipsemet Imperator Constantinus, quasi ineundæ concordiæ mediator, ejusdem argumenti fecit ad eumdem Pontificem literas; petiitque in eis, ut missis Constantinopolim Legatis, de ejusmodi controversia definienda tractaretur, atque perfecta utriusque Ecclesiæ concordia firmaretur. Annuit præstò Leo, ut hac occasione & de conficiendo bello adversùs Northmannos, pariter cum ipso Imperatore ageretur. Quoniàm & tunc temporis ipsemet Pontifex in expeditione, quam adversùs eosdem Northmannos jura omnia pervertentes, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ loca invadentes, & expilantes, fecerat, captus fuerat, licèt honorificè tractatus, indèque relaxatus, ut scribit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 88. Selectis ergò ad hoc munus obeundum Humberto Cardinali, & Episcopo Sylvæ Candidæ, Friderico Archidiacono, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellario, & Petro Archiepiscopo Amalphitano, ut idem Leo Ostiensis cap. 89. refert, Constantinopolim unà cum literis, tùm ad Imperatorem datis, tùm ad Michaelem Patriarcham, direxit, Anno Domini MLIV., sui Pontificatus VI., Imperii Constantini Monomachi XII., Henrici II. Imperatoris Occidentis Anno VIII., Indictione VII., sicut notat antefatus Leo Ostiensis, inquiens: „ Eodem Anno gratiâ concordandi Romanam, Constantinopolitanamque Ecclesiam, „ Leo Papa prudentissimos Viros ad Imperatorem Constantinum, cognomento Monomachum, Apocrisiarios miserat, Fridericum scilicèt Cancellarium suum, & Humbertum Episcopum Sylvæ Candidæ, & Petrum Archiepiscopum Amalphitanum, qui ad Cassinense Monasterium primitùs advenientes, ac se fratribus devotè commendantes, itâ demùm viam suam profecti sunt. *Hæc ille*. Porrò literæ ad Imperatorem datæ, fuère tenoris sequentis.

Leo Episcopus, servus servorum Dei, glorioso & religioso Imperatori novæ Romæ Constantino Monomacho, dilecto filio, salutem.

51 „ Quantas gratias referre jugitèr debeamus creatrici & gubernatrici omnium „ Sanctæ & Individuæ Trinitati, super inenarrabili dono ejus, quo operatur omnia „ in omnibus, etiam ex tua devotione & religiosa industria, Gloriosissime Fili, atque „ Serenissime Imperator, perpendere possumus, qui te talem nostris exhibuit, & gratuitâ pietate providit diebus, cujus fidâ „ ope statum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ revelari, & terreni Imperii Rempublicam „ meliorari confidamus.

52 „ Tu enim post nimium longas & „ perniciosas discordias, primus pacis & concordiæ monitor, portitor & exoptatus exactor efficeris, & cum ipso Vase Electionis humillimo Paulo dicere videris: *Pro Christo Legatione fungentes, tanquàm Deo exhortante per nos, obsecramus, reconciliamini propter eum, qui est pax nostra, & facit utraque unum*. Etenim, velut religiosa, & egregiæ indolis proles, gemitus matris tuæ non obliviscèris; nec contemnendam, quia senuit, sed potiùs reverendam arbitraris, atque plenis charitatis visceribus, ad eam redire meditaris, ut uni Deo & Patri omnium tantò fias charior & propinquior, quantò eidem principali Matri benignior, atque humilior. Neque enim tuam prudentiam latet, quod in Ecclesiastico habent: *Benedictio Patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta*. Et illud: *Nè dimittas legem Matris tuæ, liga eam in corde tuo jugitèr*. Quę utiq; Proverbia magìs curant nobis „ commendare Matrem, quæ ad æternam vitam nos generat, & erudit, quàm illam, „ quæ ad mortem parit, & carnaliter diligit, „ & instruit. Cui, nisi illa successerit, ut rege-

„ generet, & refoveat, ista proculdubiò fe„ cundæ mortis filios suos destinat.

53 „ Porrò hæc Catholica Mater, & in„ corrupta Virgo, quamvis omnem terram, „ & fines Orbis occupaverit membris suis & „ repleverit: tamen unum caput omnibus re„ verendum, & suspiciendum exerit, & præ„ tendit. Quod quicumque exhonorat, fru„ strà se in ipsius membris computat. Illud „ autem quod fit, tua imperialis claritas om„ ninò novit: illud nimirum, quod Christi „ vos prætulit, & præeminere voluit univer„ fis, & subsequens Ecclesiæ pietas, & gene„ ralis Sanctorum Patrum consensus jugitèr „ hactenùs celebravit. Cujus venerabilem „ faciem tu quoque honorificare disponis, „ non ingratus illi, quæ tuum verticem dia„ demate terreni principatus decenter insigni„ vit, & tremendum, & amandum populis „ effecit, & ut in sempiternum regnes, chris„ mate adoptionis inunxit. Nempè ipsa an„ tiqua, & jam emerita Roma illum primum „ nobilissimum, & religiosissimum Constan„ tinum, cujus genealogiâ gloriaris, & po„ tentiâ magnificaris, cujusque de nomine „ dictam Urbem famosam regis, temporali„ ter edidit, nutrivit, provexit, & super „ omnes mortales constituit, nec à beneficiis „ cessavit, donec eundem æterni regni gloria „ cumulavit.

54 „ Unde multimoda gratiarum actio„ ne tuam excellentiam, gloriosissime fili, „ magnificando tanto majori super tua devo„ tione, & recognitione replemur gaudio, „ quanto copiosior animarum numerus ex tuo „ regimine pendet, tuoque innititur exem„ plo. Et ideo non cessamus orare commu„ nem Dominum, per quem reges regnant, „ & principes justa decernunt, ut in suo bene„ placito te conservet longæuum, & com„ pleat in bonis desiderium tuum. Porrò ego „ ipse qualiscumque Apostolicæ Vicarius Se„ dis, pro modulo humilitatis meæ, & pos„ sibilitatis supplere laborans vicem mihi „ commissæ dispensationis secundùm Deilo„ quum Paulum: *Væ mihi est, si non evan„ gelizavero: necessitas enim mihi incumbit „ maxima*, posituro rationem æterno, & di„ stricto judici, propter unius regimen Ec„ clesiæ; hoc est, de omnium Ecclesiarum „ merito.

55 „ Illa ergò solicitudine, qua omnibus „ Ecclesiis debeo invigilare, videns indisci„ plinatam, & alienam gentem, incredibili, „ & inaudita rabie, & plusquàm pagana im„ pietate adversùs Ecclesias Dei insurgere „ passim, Christianos trucidare, & nonnul„ los novis horribilibusque tormentis usque „ ad defectionem animæ affigere, nec infanti, „ aut seni, seu fœmineæ fragilitati, aliquo „ humanitatis respectu parcere, nec inter „ sanctum, & profanum aliquam distantiam „ habere, Sanctorum Basilicas spoliare, in„ cendere, & ad solum usque diruere, sepis„ simè perversitatem ejus redargui, obsecra„ vi, prædicavi, opportunè, importunèque „ institi, terrorem divinæ & humanæ vindi„ ctæ denuntiavi. Sed quia sapiens, ait: *Ne„ mo potest corrigere, quem Deus despexerit, „ & stultus non coerigitur*. Ideò obdurata, & „ obstinata ejus malitia permansit, ut de die „ in diem adderet pejora pessimis. Undè non „ tantùm exteriora bona pro liberatione „ ovium Christi cupiens impendere, sed su„ perimpendit ipse peroptans, visum est mi„ hi ad testimonium nequitiæ eorum, vel, si „ sic expediret, ad repressionem contumaciæ, „ humanam defensionem undecumque attra„ hendam fore, audiens ab Apostolo: Prin„ cipes non sine causa gladium portare, sed „ ministros Dei esse, vindices in iram omni „ operanti malum: & quia Principes non sunt „ timori boni operis, sed mali: & reges, at„ que duces missos à Deo ad vindictam male„ factorum.

56 „ Suffultus ergò comitatu, qualem „ temporis brevitas, & imminens necessitas „ permisit, gloriosi Ducis, & Magistri Ar„ gyroi fidelissimi tui colloquium, & consi„ lium expetendum censui, non ut cujusquam „ Northmannorum, seù aliquorum hominum „ interitum optarem, aut mortem tractarem, „ sed ut saltèm humano terrore resipiscerent, „ qui divina judicia minimè formidant. Inte„ reà nobis eorum pertinaciam salutari admo„ nitione frangere tentantibus, & illis ex ad„ versò omnem subjectionem fictè pollicenti„ bus, repentino impetu comitatum nostrum „ aggrediuntur: sed adhuc de victoria sua po„ tiùs tristantur, quàm lætentur.

57 „ Sicut enim tua pietas scribere cura„ vit ad nostram consolationem, pro ista sua „ præsumptione, majorem in proximo expe„ ctant sibi superventuram indignationem, „ post illam quam experti sunt, suæ catervæ „ diminutionem. Nos quoque divinum ad„ jutorium nobis adfore, & humanum non „ defore credentes, ab hac nostra intentione „ liberandæ Christianitatis non deficiemus, „ nec dabimus requiem temporibus nostris, „ nisi cum requie Sanctæ Ecclesiæ periclitan„ tis. Ad quam aquirendam, & obtinendam, „ habemus maximum ex divina pietate sola„ tium, & præsidium, carissimum, & claris„ simum Filium nostrum Imperatorem Henri„ cum, cujus de die in diem expectamus pro„ missum & proximum adventum, utpotè „ cum procinctu, & expeditione imperiali „ properantis ad nostrum subsidium. Ad quod „ etiam superna gratia tuam Serenitatem ani„ mavit, ut hinc inde vobis duobus, velut „ totidem brachiis inimicam gentem ab Ec„ clesia Christi propellentibus, & procùl ef„ fugantibus, afflictæ nunc Christianitatis „ reveletur decus, & Reipublicæ reformetur „ status.

58 „ Et quia abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate, Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sedes nimium diù obſeſſa fuit Mercenariis, & non Paſtoribus, à quibus ſua, non quæ ſunt Jeſu Chriſti, quærentibus, devaſtata jacebat miſerabiliter hactenùs: Divinum conſilium voluit meam humilitatem ſuſcipere tantæ Cathedræ pondus. Quo licèt plurimùm mei imbecilles prægraventur, & deprimantur humeri, non parùm mihi ſubeſt ſanctæ ſpei, quandòquidem ex utroque latere tales aſtât filii, religione, & potentia præclariſſimi.

59 „ Quapropter, devotiſſime fili, & Sereniſſime Imperator, collaborare nobis dignare ad revelationem tuæ Matris Sanctæ Eccleſiæ, & privilegia dignitatis, atque reverentiæ ejus, necnon patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, ſicut manifeſtè cognoſcere poteris ex venerabilium Prædeceſſorum noſtrorum, ſeu tuorum, ſcriptis & geſtis. Tu ergò magnus Succeſſor Magni Conſtantini, ſanguine, nomine, & imperio factus, ut fias etiam imitator devotionis ejus ergà Apoſtolicam Sedem, exhortamur; & quæ ille mirabilis vir, poſt Chriſtum eidem ſedi contulit, & confirmavit, & defendit; Tu juxtà tui nominis etymologiam, conſtanter adjuva recuperare, retinere, & defendere. Ità enim àpud Deum ſingulariter pugnans, cognominaberis, quod jam dudùm inter homines cognominaris. hoc ſanè glorioſiſſimus Filius noſter Henricus perficere molitur in ſuis partibus. Quæ omnia nobis & vobis pervenient feliciùs, & multipliciùs, ubi quantociùs, Dei gratia perveniente, & Beatiſſimis Apoſtolorum Principibus intervenientibus, & me qualicumque Vicario eorum mediante, & obtinente, firmiſſimum pacis, & amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus.

60 „ Præthereà confrater noſter Archiepiſcopus Michael exhortatorias ad concordiam, & unitatem direxit nobis literas: quem ad tam optabile, & neceſſarium bonum præmonentem, tantò neceſſe eſt nos devotiùs, & alacriùs ſuſcipere, quanto perſpicaciùs conſideramus non poſſe computari inter Diſcipulos Chriſti aliquem, qui fraternæ paci dedignatur aquieſcere, Domino ſuis dicente: *In hoc cognoſcunt omnes, quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: & Magno Paulo ſic proteſtante: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*.

61 „ Sed noverit tua claritas, ſuper præſumptionibus ejus multa, & intolerabilia jam dudùm perveniſſe ad aures noſtras, qualiter etiam aperta perſecutione in Latinam Eccleſiam exardeſcens, anathematizare non timuit omnes, qui Sacramenta attrectant ex azimis; & quod Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiqua dignitate ſua privare contendens, contra fas, & jus ſibi ſubdere nova ambitione appetit: & pleraq; quæ uſurpare dicitur, ſicut à noſtris Nuntiis diligenter agnoſcere poteris. In quibus ſi quod abſit, pertinax fuerit, pacem noſtram nullatenus retinere poterit, quia proculdubiò, ad nos revertetur, ſicut Dominus dicit, *ſi ille noluerit eſſe filius pacis*. Unde & Apoſtolus: *Si fieri*, inquit, *poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes*. Siquidem in vano Patremfamilias honorat, qui uxorem ejus exhonorat. Et fruſtrà Matrisfamilias caput, & faciem magnificat, qui vel minimos filiorum ejus impugnans, velut digitos pedum ejus conculcat: contra quem ſapientia Dei in Eccleſiaſtico ſic intonat: *Quàm malæ famæ qui fugit Patrem, & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat Matrem*. Confidimus tamen, quod præveniente gratia Dei invenietur innoxius ab his, aut correctus, aut citò reſipiſcet admonitus: & efficietur non qualis dicitur, ſed qualis à nobis piè deſideratur, & ſperatur.

62 „ Hinc jam tuæ gloriæ præſentes filios noſtros Sanctæque Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios per omnia commendamus, quatenus, ut decet liberaliter ſuſcipiantur, reverenter habeantur, benignè, & honeſtè tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantociùs nobis laudabiliter remittantur, nè tantum laborem illos fruſtrà arripuiſſe pigeat, nos mandaſſe pudeat. Porrò ex Amalphitano Epiſco nulla tibi ſuboriatur ſuſpicio, quia Romanus eſt omninò, & ab Amalphitanis diſcedens, familiariter nobiſcum vivit jam penè anno integro. Benedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione ſpirituali, repleatque omni gaudio, & pace, ut in præſenti Sæculo per longa tempora fæliciter domineris, & in futuro ſine fine cum Rege Regum, & Domino Dominatium, Regno Cœlorum beatè perfruaris, honorabilis, & deſiderabilis nobis in Chriſto fili, & glorioſe Auguſte. Amen. *Hactenus Epiſtola Leonis ad Conſtantinum*: Ad Michaelem verò Patriarcham alteriùs tenòris Epiſtolam ſcripſit ad hunc nimirum modum ſe habentem.

Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei, Michaeli Conſtantinopolitano Archiepiſcopo.

63 „ Scripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos pervenerunt, in quibus ad maximè neceſſarium, omnibuſque Chriſtifidelibus amplectendum bonum concordiæ, & unitatis exhortari ſtudes: quatenùs

,, nùs poſt nimium longas, & perniciosſas diſcordias filia ex propriæ Matris reconciliatione exultet. Ad quod utiquè te provocantem, & præmoneutem tantò promptiùs auſcultare cupimua, quantò vigilantiùa animadvertimua, hanc ſolam propriam, & ſpecialem virtutem piorum atque ſanctorum, cum cæteræ virtutes bonis, & malis eſſe poſſunt communes, Domino ſic præmonſtraute: *In boc cognoſcent omner quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem babueritis ad invicem*: Deiloquo Paulo proteſtante: *pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.*

64 ,, Unde plurimùm tuæ fraternitati gratulamur in Domino, quoniam ſummum deſiderium noſtrum tuâ induſtriâ anticipaſti: quod utique ſi aliquo frigore charitatis pigritareris exequi, noſtrâ debueras ſolertiâ præveniri. Nos enim, juxtà præſatum Apoſtolum, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus, quantò magis ergò tecum, quem videmua Eccleſiæ Dei valdè utilem, & neceſſarium poſſe fore miniſtrum, ſi non tranſgredi laboraveris terminos, quos Patres noſtri poſuerunt. Et quia Chriſtianæ perfectionis eſt, pacificum eſſe, etiam cum inimicis pacis, & ſpe correctionis, non conſenſu malignitatia: tantò ſollicitiùs debemua omnes occaſiones ſcandalorum de medio tollere, quantò tenaciùs optamus pacis amicos retinere.

65 ,, Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumor jam diù pertulit ad aures noſtras, quæ nos, partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiſcuſſa hucuſque reliquimus. Deniquè diceris Neophytus, & non gradatim proſiluiſſe ad Epiſcopale faſtigium: quod nullatenua eſſe faciendum, & Apoſtolus edocet, & venerabiles Canones interdicunt. Hinc nova ambitione Alexandrinum, & Antiochenum Patrierchas, antiquia ſuæ dignitatis privilegiia, privare contendens, contra omne fas, & jus tuo dominio ſubjugare conaria. Quod quanto tuo periculo tentea, omnibus ſanę mentis patet: quandoquidem vanagloria, & pompa ſæculari elatus, conſilium Divinitatis antiquum ſuper ſtabilimento columnarum ſuæ Eccleſiæ mutare contendia, quaſi ex ſallacibus divitiis prçjudicium facturna illi, qui cum verè & ſingulariter Dives eſſet, pauper pro nobis factus, delegit, ſuæ temporali Nativitati opidulum, & ſpeluncæ diverſorium, non quodlibet Regum Palatium. Cujus exempla quisquis horret ad ſortem illius pertinet, qui tunc per ſe, nunc autem per ſuos ſatallitea, dicere audet: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Sed non cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ meæ, viæ veſtræ, dicit Dominus*: qui diſpergit ſuperboa in ſurore ſuo, & reſpiciens omnem arrogantem humiliat, & exurgit ut non prævaleat homo, in cujua conſpectu non eſt Deus. Nè enim ſuperbia propter altitudiuem ſuam ſe conjunctam putaret Deo, dicit pſalmiſta: *Alta à longè cognoſcere excelſus Dominus.* Unde per ſemetipſum teſtatur: *Quod altum eſt hominibus, abominabile eſt apud Deum.*

66 ,, Qualis ergò & quàm deteſtabilis, atque lamentabilis eſt illa ſacrilega uſurpatio, qua te univerſalem Patriarcham jactas, ubique & ſcripto, & verbo, cum omnia Dei amicus hujuſmodi hactenùs horruerit honorari vocabulo? Et quis poſt Chriſtum convenientiùs poſſet inſigniri hoc vocabulo, quàm cui dicitur Divina voce: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Veruntamen, quia ille non invenitur univerſalis Apoſtolus dictus, quāvis Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus, nullus ſucceſſorum ejus tàm prodigioſo prænomine conſenſit appellari penitùs, licèt Magno Leoni Prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius, hoc ſancta decreverit Chalcedouenſis Synodus. Nempè animadvertebant non eſſe amicum Sponſi, qui pro Sponſo vellet amari: quin potiùs paranymphum, & Leonē Antichriſti, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.

67 ,, Ecce ille Joannes veſter, cujus veſanæ adinventionis adhuc hæredes permanetis, qui ſecundùm pſalmiſtam, per vos adhuc vocat nomina ſua in terris ſuis, cum interiit, non ſumpſit omnia, neque deſcendit cum eo gloria ad infernum: quia cum in honore eſſet non intellexit. Ipſe à Beatiſſimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio Succeſſoribuſque eorum pro hac inſolentia anathematizatus, in ſua pertinacia irrevocabilis periit, jamque per quadraginta & quadringentos annos ſuæ contumaciæ ſequaces præcipitare non ceſſavit. Quibus quid profuit ſuperbia, divitiarum jactantia, quid contulit? Tranſierunt omnia velut umbra. *Quid denique prodeſt homini, ſi totum Mundum lucretur, animæ verè ſuæ derrimentum patiatur?* Et quomodo animas pro fratribus habetis ponera, qui inane nomen, & univerſam Ecclecam ſcandalizans, dedignamini, deponere? Reſpice ergò, rogamus, ab hac inſania, nè illius conſors tu quoque, quod abſit, fias, de quo dicitur: *Omne ſublime videt, & ipſe eſt Rex ſuper univerſos filias ſuperbiæ.*

68 ,, Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot Sanctoa, & Orthodoxos Patres, per mille & viginti à paſſione Salvatoris annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicum-

„ cumque participarentur Sacramentorum „ ex azymis? Quam præsumptionem tuam, „ & fama nobis obtulit, & literarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestavit: quæ violenter adstruere conantur, „ fermentatum panem fuisse, quo Dominus „ Apostolis suis, corporis sui mysterium in „ Cœna commendavit. Quod omninò falsum „ esse ex utroque testamento facillimè deprehenditur: quia qui non venerat solvere „ legem, sed adimplere, juxtà ipsius legis „ præceptum ex azymis & vino vetus Pascha „ adimplevit, & protinus ex azymis & vino „ novum, sicut apertè Lucas narrat, Discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus „ finibus Israel, & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo. „ Quod si in Cœna Domini Jesu apparuisset, „ aut ipse, seu Discipuli ejus quoquomodo „ gustassent, justè sicut prævaricatores legis „ perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur justè. Sed qui peccatum non fecit, „ nec inventus est dolus in ore ejus quod passurus Discipulis mandavit, evidenter per „ Apostolum, in quo loquebatur, commemorans, inquit: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. Denique, „ *modicum fermentum totam massam corrumpit*. „ Ubicumque autem corruptio, ibi proculdubio naturæ deterioratio, & alicujus vitii susceptio.

69 „ Porrò nostrum Pascha ideò novum „ dicitur, quia illud vetus præceptum est „ Israelitis in memoriam suæ egressionis ex „ Ægypto: istud verò Christianis in memoriam Dominicæ passionis, qua ad Patrem „ transivit ex hoc Mundo. Sed quia tàm de „ his, quàm de aliis, quibus nos calumniaris, latiùs à nostris Nuntiis per alia scripta „ nostra, quæ deferunt, instrueris: hic breviter attigisse sit satis. Discat autem fraternitas tua, saltem admonita, cautè & „ humiliter loqui, nè aliquando Dominus „ dicat & tibi: *Ex abundantia cordis os loquitur*.

70 „ Scripsisti siquidem nobis, quoniam, „ *si una Ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiæ in toto Orbe terrarum haberent per te nomen nostrum*. Quid „ hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia caput & mater Ecclesiarum „ membra & filias non habet? Et quomodo „ potest dici caput aut mater? Credimus „ enim propter quod & loquimur, atque constanter profitemur: Romana Ecclesia adeò „ non est sola, vel sicut tu putas una, ut in „ toto Orbe terrarum quæcumque natio dissentit, superbè ab ea non sit jam dicenda, „ vel habenda Ecclesia aliqua, sed omninò „ nulla: quin potiùs conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum schismaticorum, & Synagoga Satanæ. Videris dicere illud Sancti Eliæ, tunc præsumentis de „ se: *Delictus sum ego solus*. Sed audi quid „ ille audivit à Domino: *Reliqui mihi septem millia virorum*. Quiesce, quiesce jam venerabilis frater, ab his superstitionibus, nè „ illud Salomonis in te dicatur: *Sunt qui se divites affectant, nihil habentes*. Simillimum nempè hoc est diabolicæ arrogantiæ, „ qui Regna Mundi à conditore omnium facta, putans sua esse, dixit illi. *Hæc omnia tibi dabo*.

71 „ Igitùr hinc jam ad cor redeatur, & „ tam perniciosa scandala de medio tollantur, „ & tunc, secundùm psalmistam. *Loquetur Dominus pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor*. Nam nos cum pertinacibus, & in errore suo permanentibus, pacem aliquam „ habere non possumus, nè operibus malignis communicemus: quia nec Dominum „ Christum alicubi talia fecisse invenimus: „ cum etiam in nativitate ipsius, Angeli pacem annuntiaverunt solummodò bonæ voluntatis hominibus. Qui etiam oculum „ scandalizantem eruendum, manum vel pedem scandalizantes, abscindendos innuat.

72 „ Cessent ergò hæreses, & schismata, „ & diligentibus legem Dei jam non erit scandalum, sed pax multa. Quicumque gloriatur Christiano nomine, cesset Romanam „ Sanctam, & Apostolicam Ecclesiam maledicere, & lacessere: quia frustrà Patremfamilias honorat, quisquis ejus uxorem „ exhonorat. Et frustrà Matrisfamilias caput, & faciem magnificat, qui minimos „ filiorum ejus impugnans, tamquam digitos pedum illius conculcat. Unde in Ecclesiastico dicitur: *Quam malæ est famæ, qui fugit Patrem; & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem*. Et in Proverbiis: „ *oculum qui subsannat Patrem, & despicit Matrem, effodiant eum Corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ*.

73 „ Confidimus tamen ex divina pietate, quod ab his innoxius, aut correctus „ invenieris, aut certè admonitus citò corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra jam ad nos non revertetur: sed super te requiescet ceu super pacis filium; „ Et regnabit inter nos germana charitas de „ corde puro, & conscientia bona, & fide „ non ficta: nec necesse habebis nobis supplicare, sed jubere. Super hæc sicut cœpisti, „ collabora, ut duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis „ tuam honorabilem fraternitatem S. Trinitas „ in perpetuum conservet. Data Mense Januario, Indict. VII. *Hactenus Epist. ad Michaelem*.

74

74 Itaquè hujufmodi cum literis profecti funt Apoftolicæ Sedis Legati Conftantinopolim, ac peracto fœliciter itinere, menfe Junio ejufdem Anni MLIV., Indictione VII. ad Regiam Urbem pervenerunt; ab ipfo Imperatore honorificè fufcepti, ut antefatus Leo Oftienfis his verbis tradit, inquiens: *Eos Imperator honorificè fufceptos, aliquandiù fecum in Palatio tenuit*. Quænam verò per eos acta funt, dicemus Capite fequenti.

CAPUT III.

De geftis Legatorum Apoftolicæ Sedis in Urbe Conftantinopolitana.

75 DEgentibus ergò in eadem Urbe, ac jam traditis, tùm Imperatori, cùm Michaeli Pontificiis literis, aggreffi funt refutare dicta, & fcripta Michaelis adversùs Ecclefiam Latinam, fimiliter & quæ adversùs eandem fcripferat Niceta quidam Monachus, cognomento Pectoratus, de Azimo, de Sabbato, & de Nuptiis Sacerdotum, Michaele verò vitante colloquium cum Legatis, Humbertus Sylvæ Candidæ, primus ex eifdem Legatis, editâ in fcriptis difputatione, feù refponfione ad objecta Michaelis, & Leonis Acridani, unà cum refponfionibus ejufdem ad librum Nicetæ Pectorati, quas juffu Conftantini Imperatoris in Græcum Idioma translatæ fuère, dementiam eorum palàm fecit; atque univerfis Græcis oftendit, finè fundamento, & per calumniam dumtaxàt, præfatos Viros talia Latinæ, atque Romanæ Ecclefiæ objeciffe.

76 Verùm Nicetas Pectoratus corripuit fe; atque fcripto fuo de Azimo, de Sabbato, & de Sacerdotum Nuptiis; coràm Imperatore, atque Proceribus, præfentibus iifdem Apoftolicæ Sedis Legatis, in Monafterio Studii, in ipfo die Nativitatis Sancti Joannis Baptiftæ, anathema dixit; atque die alterâ idem Niceta profectus ad Palatium Pipi, ubi morabantur Legati, initoque cum eis colloquio, & acceptâ fuarum propofitionum folutione, iterùm fuâ fponte anathematizavit omnia dicta, & facta, vel adversùm Apoftolicam Sedem temerè attentata; cujus rei causâ ab ipfis Legatis fuit in communionem receptus, atque eorum effectus eft familiaris amicus.

77 Permanente in fua duritie Michaele, præfati Legati, factâ diligenti inquifitione de univerfa Michaelis doctrina, invenerunt eum compluribus hærefibus coinquinatum, eifdem pariter infectos illius fectatores; quarum capita erant, quòd Dei dona vendebant; fuos hofpites caftrabant; caftratos verò ad Epifcopatum promovebant; quòd baptizatos, maximè à Latinis, rebaptizabant. Afferebant pariter, exceptâ Græcorum Ecclefiâ, Chrifti Ecclefiam, & verum facrificium, atque baptifmum ex toto periiffe Mundo. Neminem ad Sacerdotium promovendum, nifi priùs duxiffet uxorem. Infuper Moyfis legem maledictam pronunciabant. Spiritum Sanctum à Filio procedere omninò negabant, atque fermentatum omninò animatum effe affirmabant. Porrò carnalem Judæorum munditiam adeò fervabant, ut ante octavum diem, etiam periclitantes & morientes parvulos, non effe baptizandos, contendebant. Prohibebant etiam baptizari fœminas menftruatas, aut in partu periclitantes, etsì paganæ forent; ac deniquè à fua communione rejiciebant Clericos omnes, qui Latino more barbam radebant, & comâ tonfurati incedebant.

78 His ergò, aliifque de pluribus caufis, ipfe Humbertus Sylvæ Candidæ, & cum eo alii duo Apoftolicæ Sedis Legati, videntes Michaelis pertinaciam, & quòd nullo pacto ad colloquium eos admittere voluit, primùm in præfentia Imperatoris, & Optimatum ejus, vivâ voce fententiam excommunicationis generaliter pronunciarunt, his verbis conceptam: *Quicumque Fidei Sanctæ Romanæ, & Apoftolicæ Sedis, ejufque facrificio pertinaciter contradixerit, fit anathema maranatha, nec habeatur Chriftianus catholicus, fed Prozymita hæreticus: fiat, fiat, fiat*. Deindè fcripto nominatim eundem Michaelem, alliofque omnes ei adhærentes, eidem excommunicationi fubjecerunt die XVII. Kalend. Augufti in Ecclefia Sanctæ Sophiæ, pofitâ chartâ ipfius excõmunicationis fuper principale ejufdem Templi Altare, fub oculis totius populi, atque univerfi Cleri. Hujus excommunicationis meminit Leo Oftienfis loco fuprà citato, per hæc verba: *Quo tempore plerafque Græcorum hærefes corrigere ftudentes, Patriarcham tandèm Michaelem, & Leonem Acridanum Epifcopum, omnefque illorum complices auctoritate Apoftolicâ damnarunt*.

79 Intereà Romæ obijt Leo Papa, cujus obitus ab Auctore ejus vitæ ità defcribitur: „ Beneventi infirmatus in Comitatu Gunfri„ di Northmanni, olim hoftis fui, Romam „ delatus, fanctè & piè obdormivit in Domi„ no XIV. Kalendas Maji, poftquàm fediffet „ Annos V., menfes II., & dies VIII. Se„ pultus in Bafilica Sancti Petri juxtà fepul„ chrum Sancti Gregorii, miraculis celeber„ rimis claruit. *Hæc ille*. Cùmque delata fuerit fama obitus Leonis ad aures Legatorum, feftinarunt Romam reverti; proindè miffis exemplaribus chartæ excommunicationis antefatæ in diverfas Provincias, difpofitis quoquè & ordinatis Ecclefiis Latinis intrà ipfam Conftantinopolim, & pronunciato anathemate adversùs eos, qui communicarent cum Michaele, & cum ejus adhærentibus, petitâ à Principe licentiâ, eifque benignè conceffa, cum donis ab eodem Principe collatis, egreffi, iter arripuerunt. De mune-

neribus ab Imperatore eis collatis, hæc addit Leo Ostiensis: *Sed cùm intrà bos dies, defunctus jam Papa, redire disponerent, regiis illos donis secutus Imperator, Beato quoquè Petro munera per eos baud parva transmisit. Illorum insuper precibus, binas auri libras buic Monasterio, ex redditibus regiis, dari singulis annis instituit.*

80 At Michael Patriarcha acceptâ suæ excommunicationis chartâ, eam prorsùs corrupit, causas fortassè præfatæ excommunicationis allegatas in ea à Legatis, prorsùs abradens, aliasque substituens, quæ fortè populum irritare potuissent adversùs Legatos: quo facto, adiit Imperatorem, & nimiâ precum instantiâ egit, ut revocatis Legatis, permitteret cum eis in Ecclesia Sanctæ Sophiæ habere congressum. Annuit Imperator, & à Salambria, ubi jam pervenerant, suis literis revocavit: qui festinantes regressi, diverterunt ad Palatium Pigi. Cùmque Michael deprehendisset eos rediisse, conatus est eos adducere quasi ad Concilium in Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, eo fine, ut coràm populo ostensâ chartâ suæ excommunicationis ab eo, ut fati sumus, corruptâ & redactâ in terminos irritandi populum adversùs Legatos, ab eodem populo ibidem obruerentur. At Imperator præcavens, jussit nullum celebrandum Concilium, nisi & ipse adesset præsens. Renuente & contradicente Michaele, Imperator præcepit, Nuncios confestim arripere iter. Itâ in cassum abiit impia Michaelis machinatio.

81 Qui ardens rabie, irâque scandens, ausus est contrà ipsum Imperatorem popularem concitare seditionem, quòd annuerit Legatorum voluntati, in iis, quæ ipsi egerant, & contrà jura Orientalis Ecclesiæ, & antiquam eorum fidem, prout ipse fortassè potuit demonstrasse ex Legatorum charta ab eo corrupta. Hinc Imperator, ut seditionem tàm grandem vitaret, cosctus, Interpretes Latinorum, Paulum videlicet, & ejus filium Smaragdum, cæsos & detentos, Michael tradidit; & itâ tumultus ille conquievit. Verùm posteà accepto veracissimo exemplari excommunicationis latæ in charta à Legatis, sibi à Civibus, & à Civitate Russorum remisso, comperit, sacrilegum Michaelem chartam falsasse Legatorum, quem de falsario convicit. Ac proindè commotus, affines, & amicos ipsius honoribus privatos, à Palatio eliminavit, atque adversùs ipsum graves iras retinuit. Quæ quidèm omnia habentur in brevi Commentario rerum gestarum Constantinopoli ab Apostolicæ Sedis Legatis, tùm apud Baronium ad Annum Domini MLIV. sub num.19., tùm apud Labæum tom.9. Concil. pag.991., tùm deniquè apud Binium tom.7. Concilior. part.1. pag.251., ad hunc modum se habente,

Incipit brevis & succinta commemoratio eorum, quæ gesserunt Apocrisiarii Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis in Regia Urbe, & qualiter anathematizarunt Michaelem cum sequacibus suis.

82 „ Anno XII. Imperii Constantini Monomachi, Indictione VII., ipso die Nativitatis Beati Joannis Baptistæ, advenientibus à Domino Papa Leone IX. Apocrisiariis Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Humberto scilicet Cardinali Episcopo Sylvæ Candidæ, & Petro Amalphitanorū Archiepiscopo, Friderico quoq; Diacono, & Cancellario, à Monasterium Studii intrà Urbem Constātinopolitanam, Niceta Monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris, & Procerum ejus, insistentibus ipsis Nunciis Romanis, anathematizavit quoddam scriptum sub suo nomine contrà Sedem Apostolicam, & omnem Ecclesiam Latinam editum, & prætitulatum: *De Azimo, de Sabbato, & de Nuptiis Sacerdotum*. Insuper anathematizavit cunctos, qui ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam negarent, primam omnium Ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorumdem Nunciorum Romanorum, jussit idem orthodoxus Imperator præfatum incendi librum; sicque fuit discessum.

83 „ Sequenti autem die prædictus Niceta Urbe egressus, ultrò adiit ipsos Legatos intrà Palatium Pigi, à quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterùm spontè anathematizavit omnis dicta, & facta, vel tentata adversùs primam & Apostolicam Sedem. Sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porrò dicta, vel scripta eorumdem Nunciorum adversùs diversas calumnias Græcorum, & maximè contrà scripta Michaelis Constantinopolitani Episcopi, & Leonis Acridani Metropolitani Episcopi, atque sæpè dicta Nicetæ Monachi, jussu Imperatoris in Græcum fuère translata, & in eadem Urbe hactenùs conservata. Tandèm Michaele præsentiam eorum, & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati Nuncii XVII. Kalendas Augusti adierunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, Clero, ex more, ad Missas præparato, jam horâ tertiâ, die Sabbati, chartam excommunicationis super principale Altare posuerunt sub oculis præsentis Cleri, & Populi. Indè mox egressi, etiam pulverem pedum suorum excussère in testimonium illis, juxtà dictum Evan-

ge-

„ gelii, proclamantes: *Videat Deus, & judicet*. Hinc ordinatis Eccleſiis Latinorum „ intrà ipſam Conſtantinopolim, anathemate dato cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci, Romanum Sacrificium vituperantis, in oſculo pacis, acceptâ orthodoxi Imperatoris licentiâ, donisque Imperialibus Sancto Petro, & ſibi alacres, cœpère reverti xv. Kalendas Auguſti.

84 „ Sed nimiâ inſtantiâ precum Michaelis, ſpondentis tunc demùm ſe conflicturum cum eis, Imperator compulſus, à Solembria literis ſuis eos revocavit XIII. Kalendas Auguſti. Quo etiam die feſtinantes regreſſi, diverterunt ad Palatium Pigi. Quos præfatus hæreſiarcha comperiens rediiſſe, quaſi ad Concilium conabatur adducere in Eccleſiam Sanctæ Sophiæ ſequenti die, ut oſtensâ chartâ illorum, quam omninò corruperat transferendo, obrueretur ibidèm à Populo. Quod prudens Imperator præcavens, noluit haberi aliquod Concilium, niſi & ipſe eſſet præſens. Cùmque in hoc ei omnimodis Michael contradiceret, juſſit Auguſtus, ipſos Nuncios confeſtim arripere iter. Quod & factum eſt.

85 „ Porrò veſanus Michael dolens, ſuas non procedere inſidias, concitavit Imperatori ſeditionem vulgi maximam, velut Nunciis cooperata fuerit ejus voluntas. Undè Imperator coactus, Interpretes Latinorum, Paulum videlicet, ac filium ejus Smaragdum, cæſos & detentos, Michaeli tradidit; ſicque tumultus ille conquievit. Verùm Imperator poſt Nuncios Romanos directis ſuis, excommunicationis veraciſſimum à Civitate Ruſſorum ſibi remiſſum accepit, Civibuſque; ac tandèm Michaelem falſaſſe chartam Legatorum comperiit, atque convicit. Itaquè commotus, amicos, & affines ipſius honoribus privatos, à Palatio eliminavit; contràque ipſum uſquè nunc graves iras retinuit. Deniquè exemplar chartę excommunicationis eſt tale.

Humbertus, Dei gratià Cardinalis Epiſcopus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Petrus Amalphitanorum Archiepiſcopus, Fridericus Diaconus, & Cancellarius, omnibus Catholicæ Eccleſiæ filiis.

86 „ Sancta Romana prima, & Apoſtolica Sedes, ad quam, tanquàm ad Caput, ſolicitudo omnium Eccleſiarum ſpecialiùs pertinet, Eccleſiaſticæ pacis & utilitatis gratiâ ad hanc Regiam Urbem nos Apocriſiarios ſuos facere dignata eſt, juxtà quod ſcriptum eſt, deſcenderemus, & videremus, utrùm opere completus ſit clamor, qui ſinè intermiſſione ex tanta Urbe conſcendit ad ejus aures; aut ſi non eſt ità, ut ſciret. Quamobrèm cognoſcant antè omnia glorioſi Imperatores, Clerus, Senatus, & Populus hujus Conſtantinopolitanæ Urbis, & omnis Eccleſiæ Catholicæ, nos hìc perſenſiſſe magnum, undè vehementer in Domino gaudeamus, bonum; & maximum, undè miſerabiliter contriſtemur, malum. Nam quantùm ad columnas Imperii, & ejus honoratos, atque Cives ſapientes, chriſtianiſſima, atque orthodoxa eſt Civitas; quantùm autem ad Michaelem, abuſivè dictum Patriarcham, & ejus ſtultitiæ fautores, nimiâ zizaniâ hæreſes quotidiè ſeminantur in medio ejus.

87 „ Quia ſicut Simoniaci, donum Dei vendunt; ſicut Valeſii, hoſpites ſuos caſtrant, & non ſolùm ad Clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promovent; ſicut Ariani rebaptizant in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatos, maximè à Latinis; ſicut Donatiſtæ affirmant, exceptâ Græcorum Eccleſiâ, Eccleſiam Chriſti, & verum Sacrificium, atque baptiſmum ex toto Mundo periiſſe; ſicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt, & defendunt ſacri Altaris Miniſtris; ſicut Severiani, maledictam dicunt legem Moyſis; ſicut Pneumatomachi, vel Theomachi, abſciderunt à Symbolo Spiritus Sancti proceſſionem à Filio; ſicut Manichæi, inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum eſſe; ſicut Nazareni, carnalem Judæorum munditiam adeò ſervant, ut parvulos morientes antè octavum à Nativitate diem, baptizari contradicant; & mulieres in menſtruo, vel partu periclitantes, communicare, vel ſi paganæ, baptizari prohibeant; & capillos capitis, ac barbas nutrientes, qui comas tondent, & ſecundùm inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in communione non recipiant.

88 „ Pro quibus omnibus, & aliis pluribus factis ſuis, ipſe Michael literis Domini noſtri Leonis Papæ admonitus, reſipiſcere contempſit. Inſuper nobis Nuntiis illius, cauſas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præſentiam ſuam & colloquium denegavit, & Eccleſias ad Miſſas agendum interdixit. Sicut & priùs Latinorum Eccleſias clauſerat, & eos Azimitas vocans, verbis & factis ubiquè perſecutus fuerat, intantùm, ut in filiis ſuis anathematizaſſet Sedem Apoſtolicam, contrà quam ſe adhuc ſcribit œcumenicum Patriarcham.

89 „ Undè nos quidèm Sanctæ primæ & Apoſtolicæ Sedis inauditam contumeliam & injuriam non ferentes, catholicamque fidem ſubrui multis modis attendentes, auctoritate Sanctæ & Individuæ Trinitatis, atque Apoſtolicæ Sedis, cujus Legatione fun-

„ fungimur, & cunctorum orthodoxorum „ Patrum ex Conciliis septem, atque totius „ Ecclesiæ Catholicæ, anathemati, quod Do- „ minus noster Reverendissimus Papa eidem „ Michaeli, & ejus sequacibus, nisi resipi- „ scerent, denunciavit, ità subscribimus: *Mi- „ chael abusivus Patriarcha Neophytus, & so- „ lùm humano timore habitum Monachorum „ adeptus, nunc etiam criminibus pessimis à „ multis diffamatus, atque cum eo Leo Acri- „ danus Episcopus dictus, & Sacellarius ipse „ Michaelis Constantinus, qui Latinorum Sa- „ crificium profanis conculcavit pedibus, & „ omnes sequaces eorum in præfatis erroribus, „ & præsumptionibus sint anathema marana- „ tha cum Simoniacis, Valesiis, Arianis, Do- „ natistis, Nicolaitis, Severianis, Pneuma- „ tomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum „ omnibus hæreticis, imò cum Diabolo, & An- „ gelis ejus, nisi fortè resipuerint. Amen, „ Amen, Amen*, Hactenùs narratio.

CAPUT IV.

De Michaelis Cerularii gestis post recessum Legatorum.

90 Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum, ait Ecclesiasticus. Et alibi: *Homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem*. Itaquè Michael semper in deteriora vergens, satanico inflatus superbiæ spiritu animum adjecit, ut cæteras Orientis Patriarchales Sedes in suam traheret sententiam, & ab Ecclesiæ Romanæ communione divelleret; proindèque ferè encyclicam ad præfatas Patriarchales Sedes scripsit Epistolam, directam verò ad Petrum Patriarcham Antiochenum, quam communem fuisse voluit cæteris Patriarchis, Alexandrino nimirùm,& Hierosolymitano. In ea namque complura mendacia confixit adversùs Apostolicæ Sedis Legatos, & novas calumnias contexuit adversùs Latinam Ecclesiam, omnia ferè repetens, quæ longè anteà infernalis os Photii evomerat, ut in cunctis scelestissimo illi schismatico, atque hæretico similis efficeretur. Accusat in primis Legatos de superbia, & fasto, & quòd literæ nomine Romani Pontificis missæ per eosdem Legatos, nequaquàm fuisse ab eodem Pontifice scriptæ, sed confictæ à quodam Agyro Italiæ Militum Magistro, & Duce. Sed contrà Ecclesiam Romanam sequentia objicit.

I. Quòd Latini Azima consecrantes, cum Judæis communicent, nec aptam assumant materiam conficiendæ Eucharistiæ.

II. Quòd suffocata, Apostolico interdicta decreto, liberè, & præter conscientiam comedant.

III. Quòd præter Ecclesiæ consuetudinem, & Sanctorum Patrum instituta, Clerici barbam radant.

IV. Quòd judaizent in custodiendo jejunio Sabbati, contrà Apostolorum regulas.

V. Quòd immundorum Aanimalium carnibus indiscriminatim vescantur.

VI. Quòd Religiosi, sivè Monachi Latini, contrà Monachalia instituta carnes comedant.

VII. Quòd primam Quadragesimæ hebdomadam, necnon & Quinquagesimæ carnium esu violent.

VIII. Quòd sacro Symbolo particulam, *Filioque*, addiderint, ac ità malè de Spiritu Sancto sentiant.

IX. Quòd in Missa, sivè in sacra Liturgia, verba illa, unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum, altà voce pronuncient.

X. Quòd duo fratres, contrà sacros Canones, duas in uxores ducant sorores, & Sacerdotibus nubere prohibeant.

XI. Quòd in solemnioribus Missis, tempore communionis alter Ministrorum alterum osculetur.

XII. Quòd Episcopi Latini Annulo utantur, velut Ecclesiæ Sponsi.

XIII. Quòd Latini Episcopi ad bellum proficiscantur, & manus suas humano polluant sanguine.

XIV. Quòd contrà Catholicæ Ecclesiæ Canones baptizent per unicam tantùm mersionem.

XV. Quòd in conferendo Sacramento Baptismi, os baptizati sale repleant.

XVI. Quòd nec Sanctorum Reliquias, nec sacras Imagines venerentur.

XVII. Quòd tempore quadragesimali, *Alleluja*, dici, vel cantari prohibeant.

91 Hæc itaquè sunt præcipua Michaelis adversùs Latinos objecta, quorum aliqua habentur quoquè in ejus Epistola, data ad Episcopum Tranensem suprà recensita; universa porrò alia leguntur in Epistola, data ad Petrum Antiochenum, de qua in præsenti agimus, ubi etiam dicit, sed aperto mendacio, quòd à tempore Vigilii Papæ abrasus fuerit in Ecclesia Constantinopolitana à sacris Dipthycis nomen Romani Pontificis; proindè hortatur similia fieri in Ecclesia Antiochena. Sed recitemus integram Epistolam.

Michael sanctissimus & œcumenicus Patriarcha, cognomento Cerularius, Petro sanctiss. Patriarchæ Theopoleos magnæ Antiochiæ.

92 „ Beatitudinis vestræ legit humilitas „ nostra, & cùm ab eo, qui literas attulit, „ didicerimus, quòd benè, divinà favente „ gratià, secundùm eandem te habes, Dei beni-

„ benignitati, ut par est, gratias egimus, & „ longævam vitam, & tranquillam insuper „ precati sumus. *Et post nonnulla omissa*, „ *subjungit*.

93 „ Antè aliquod tempus, cùm novissemus ab iis, qui è vetere Roma ad nos venirent, de nobilitate & scientia Papæ videlicet Urbis Romæ nupèr defuncti, Leonis scilicèt; necnon quòd simùl nobiscum sentiret, & conveniret propter ea scandala, quæ de ipsis feruntur circà orthodoxam fidem, non pauca illi scripsimus nostris literis, multà humilitate, ut tu rectè vales cognoscere ex iisdem literis. Idque eà de causa fecimus, quoniàm ipsum lucrari volebamus; necnon, ut benevolum nobis & familiarem redderemus, quo per eum Francorum auxilium nobis procuraremus. Quas quidèm literas eùm Illi tradidissemus, qui ad Papam unà eum Imperatoris literis esset illas allaturus, responsiones accepturus, & nobis redditurus. Ille verò eùm has accepisset literas, & pervenisset ad Magistratum, & Ducem Italiæ, Argyrum nuncupatum, qui artificiosè ipsum decepit, eo videlicèt nomine, quo citiùs literæ ad Papam pervenirent, ipse illas accepit. Qui cùm omnia diligenter didicisset, nec unquam fuę superstitionis & vafriciei oblitus esset, sed semper ea moliretur, quæ Regię Urbi, & Romanæ damno essent; neque hac in re sui absimilis, sed nomina ipsa, quæ ab Imperatore Vestiarius accepta referebat, ipse etiam accepit, ut lucro suo omnia illis uteretur, id scilicet curans, ut viderentur prædictæ literæ hac de causa scriptæ pro ædificatione Castrorum, & cura de illis habenda. Et ità rem, quam dicemus, artificiosè paravit.

94 „ Cùm enim quosdam, quibus ille maximè confidebat, ut par est, accersisset, quorum unus est, qui, ut audivimus, Amalphitanorum Ecclesię aliquandò pręfuit; deindè verò ab eadē ejectus Ecclesia rationabilibus de causis, quinquēnio peregrinus vagatur. Alter verò nomine tantùm Archiepiscopus, re autem omninò alienus, cùm nulli Metropoli præfuisse unquàm reperiatur. Tertiò personam, quæ illi placuerit, tribuens, videlicet Cancellarii, idque coràm Romana dignitate insigni quadam versutia, ut talem se diceret, abduxit, ut posset per eum, quæ machinabatur obtinere, quasi quodam forti clypeo illo usus. Mearum itaquè literarum, dempto sigillo, & quæ in ipsis habebantur, cum legisset, & alia quædam ad nos, quasi Papæ nomine missa componens; & pro hujusmodi literis offerendis prædictos destinavit, miseris illis suadens (oh seductionem magnam, & illorum stultitiam!) ut ad Regiam Urbem venirent, & has literas darent mihi. Qui Urbem Regiam ingressi, potenti primò & sancto Imperatori se eos conspiciendos exhibuerunt, gravi quidèm & superbo habitu, & gressu, & supercilio.

95 „ Deindè verò cum ad nostram humilitatem venissent, quis dicere posset, quantâ superbiâ & arrogantiâ usi sint? eùm nec triviali salutatione nos salutassent, neque sua capita vel modicum quid inclinassent, & consuetam nobis venerationem exhibere dignati fuissent; neque à tergò Metropolitarum nobiscum in secreto congregatorum sedere ullo pacto voluissent, sed quasi pro ipsorum contumelia id factum putassent. Sed cùr non dicam, quæ his sunt absurdiora? Nec ipsi Imperatoris conspectui, & majestati omninò se inclinarunt, sed potiùs seipsos magnoperè extollentes, & quæ eos non decebant, cogitantes, cùm cruce & sceptris Regium ingrediuntur Palatium. Nihil igitur horum, ut par erat, cùm fecissent, Epistolam nobis sigillatam dederunt, & quamprimùm recesserunt. Quam cùm humilitas nostra accepisset, & sigillum aperire aggressus essem, & diligenter ipsum sigillum inspexissem, inveni illud depravatum, & literas doli, & malæ mentis plenas.

96 „ Illa enim per se manifestabant, quæ Agyrus Megalopolim cùm venisset, frequenter insussurabat humilitati nostrę, pręcipuè de fermentato. Quapropter non solùm semèl, sed bis & tertiò, & sæpiùs à nobis ejectus fuit à sacra communione. Exemplum nostrarum literarum ad Papam, necnon earum ad nos, quas Papæ nomine improbi isti attulerunt, in Grecam Linguam cùm vertissemus, ad tuam Beatitudinem misimus, ut cognosceres quid nos illi scripserimus, & quæ nobis allata Epistola significaret, ut apertè cognoscas, quòd non levem suspicati sumus suspicionem, sed veritatem ipsam sumus assecuti. Hæc verò techna apertiùs fuit deprehensa, & manifestata ab Archiepiscopo Tranensi, & Sincello, qui indè ad nos venit, & veram eorum mentem aperuit, ut diximus, potenti & sancto nostro Imperatori.

97 „ Jàm verò quoddam ad nostras aures pervènit, quòd tua Beatitudo prædictum Papam in sacris referat Dyptieis, necnon & idem faciat Alexandriæ, & Hierosolymorum Patriarcha; nec adduci possum, ut credam, vos tantà ignorantià detineri, præcipuè tuam incomparabilem virtutem. Nosti enim, quòd à sexta œcumenica Synodo hucusquè à sacris Dypticis dempta est Papæ commemoratio à nostra sanctissima Ecclesia, eùm Vigilius Papa, qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, ad Synodum non venisset, neque anathemata damnasset ea, quæ à Theodoreto adversùs rectam fidem, & duodecim Capitula Sancti Cyrilli scripta sunt, Epistolam prætereà Ibæ. Et

„ ex eo tempore usq; ad nostra tempora Papam à sanctissima nostra Ecclesia segregatum esse. Qua de causâ incredibile nobis „ omninò visum fuit, non adeò pro illis, „ quàm pro tua magna sapientia & singulari „ prudentia: Nec hoc solùm, verùm etiam „ quòd prædicti duo Patriarchæ, non solùm „ alios Azimis vescentes recipiunt, sed etiam „ ipsi aliquandò in Azimis sacrum conficiunt „ Sacrificium. Et nos quidèm cùm non haberemus in promptu hominē, per quem de hac „ re illos sciscitaremur, quin etiam nec aliis „ confidere volentes, rem totam tuæ Sanctitati requirendam relinquimus, ut de hac „ re cùm omnia diligenter fuerit scrutata, humilitati nostræ singula faciat manifesta. Et „ de his quidèm hactenùs.

98 „ Pervènit prætereà ad manus nostras „ per Illustrissimum Præfectum, & Ducem „ Antiochiæ, cognomento Durum, exemplar Epistolæ tuæ ad Gradensem, seù Aquilejensem Patriarcham, quod cùm legissem, „ concitato cursu de Azimis tantùm multa „ te dicere inveni, omissis aliis Romanorum „ erroribus, cùm multi sint, & gravissimi. „ Fortassè ità etiam scripsit Sanctitati tuæ, „ quòd de his quidèm humilitas nostra illi „ scripserat; sed de nulla istarum rerum, vel „ ipsi unquàm, vel Papæ, vel alii cuipiam „ Episcoporum ejus humilitas nostra significavit, & scripsit, præter eam Epistolam, „ cujus nunc exemplum ad te misimus. Sed „ ut videre licet, è rebus ipsis, & eorum gestis „ sunt illi omninò mendaciorum, & fraudis „ studiosi. Sed certò scito, quòd non unicâ „ tantùm sagittâ, Azimorum videlicet errore confossi sunt Romani (quod omnibus „ apertè patet) sed multis aliis diversis. Quapropter illos omninò aversari necesse est, „ & quæ quidèm Judæorum more peragunt, „ talia sunt, ut error, qui illis tribuitur de „ Azimo, & quòd suffocatum comedunt, & „ barbam radunt, & Sabbata custodiunt, & „ comedunt immunda, Monachi carnibus „ vescuntur, nidore videlicet suis, & larido „ omni, quod usquè ad carnem pertinet; & „ quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadragesimæ, & aliam etiam hebdomadam Quinquagesimæ, quià nos ovis „ tantùm, & lacte vescimur, & propterea casei hebdomadam illam appellamus.

99 „ Sed præter hæc talia, & ejusmodi „ se habentia in sacro Symbolo, hanc etiam „ adhibent addictionem, malè & perniciosè „ sentientes; ità enim se habet: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, „ qui ex Patre, Filioque procedit.* In sacra „ etiam Missa illud: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris „ per Spiritum Sanctum*, altâ dicunt voce. „ Præter hæc, nuptias Sacerdotum prohibet, „ illos videlicet, qui uxores habent, ut nullo „ pacto Sacerdotii dignitatem consequantur „ permittunt, sed innuptos manere volentes, „ qui Sacerdotes esse cupiunt. Duo etiam „ fratres duas ducunt sorores. Et in sacra „ Missa tempore communionis alter Ministrorum comedens Azima, alios amplexatur, „ & pacē illis largitur. Episcopi etiam Annulos gestāt in manibus, quasi uxores Ecclesias „ accipientes, & arrhabonem ferre dicunt.

100 „ Ad bellum etiam exeuntes, manus suas sanguine coinquinant, & in conspectu suo animas occidunt, & occiduntur; „ quemadmodùm etiam à nonullis, qui hoc „ affirmant, accepimus. Sacrum baptisma „ ità peragunt, ut eos, qui baptizantur, unicà mersione baptizent, *In nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti*, dicentes. Sale „ etiàm prætereà eorum, qui baptizantur, „ ora implent. Malè etiam Apostolicum illud accipientes, quod ait, modicum fermentum totam massam fermentare; ipsi „ verò ità scriptum habent: modicum fermentum totam massam corrumpit; contendentes, hac modica hujus verbi occasione „ tollere fermentatum, quod panem sublevat, & attollit. Quinimmò Sanctorum Reliquias illorum nonnulli non venerantur, „ nec sanctas etiam imagines. Sanctos etiam „ illos, & magnos Patres nostros Basilium, & „ Chrysostomum cum reliquis Sanctis non „ connumerant, nec illorum doctrinam omninò recipiunt. Alia etiam faciunt multa, „ quæ singula enumerare esset molestum.

101 „ Cùm itaquè hoc pacto vivant, & „ istiusmodi moribus sint educati, & quæ „ apertè sint legibus vetita, & interdicta, & „ execrata facere audeant, quomodò inter „ eos, qui orthodoxi sunt, collocandi ab iis, „ qui rectè sentiunt, judicabuntur? Numquid equidèm id ego crederem? Qui verò „ istos ità sentientes rectè facere fuerint arbitrati, eandem cum illis sortiuntur portionem. Nunquàm enim nos ipsos æmulabimur in hac ipsarum concordia & confessione; nec ità, inquàm, mente capti erimus, vel nostro sensu privati, ut hanc sequamur viam. Hæc verò, hac de causa, volulmus nos percurrere, ut scire valens tua „ Beatitudo, quæ ab istis peragantur, non „ putet eos circà Azima tantùm errare, quemadmodùm nos etiam hucusquè putavimus; „ sed cùm noverit alios, præter hæc, ipsorum „ errorēs, cum illis eos numeret, cum quibus digni sunt, ut connumerentur: quod „ verò omnium est gravissimum & intolerabile, & eorum amentiam satis superquè „ declarant, illud est. Dicunt enim, quòd „ non acceperunt hæc, tanquàm ut ab aliis „ edocerentur, sed potiùs, ut alios ipsi docerent; fore etiam ut persuadeant nobis, „ sequi eorum dogmata. Et hoc, inquiunt, „ cum imperii potestate, & inverecundia „ maiore, Dominus Deus Beatitudinem „ tuam custodiat incolumem multis anno-

rum

„ rum curriculis pro nobis Deum orantem. *Hactenus Epistola.*

102 In qua quis non videt quot mendacia, quot calumnias consarcinaverit miserrimus, & infelix schismaticus Michael? Legationem à Sanctissimo Leone Papa ipso, & Imperatore petentibus, tamquam fictitiam, & nequaquàm à Pontifice missam vituperat. Splendidoque mendacio Pontificias literas verè à Leone conscriptas, vel dictatas. ab Agyro militum Italiæ Duce, & Magistro, & ab ipsis Legatis confictas, calumniatur. Vagantes personas, & nullius veræ dignitatis insignitas mentitur fuisse Legatos: quos & calumniatur, quasi nulla salutatione dignati sint, dum ad ipsum accessserint; quando nunquam ad eum accesserunt, vitante ipso illorum colloquio, ut supra fati sumus: unde & de superbia, & fastu eos accusat, quos fortasse nec videre voluit, nec vidit. Sed & quæ obiicit adversùs Latinos, aut omninò falsa, vel levia nullavè observatione digna, aut omninò falsa, & calumniosa: non enim Sancta Romana Ecclesia sacras contemnit Imagines, & Sanctorum Reliquias; utrasque pio cultu venerata est, & veneratur. Sanctissimos Ecclesiæ Orientalis Patres, Basilium, Chrysostomum, Gregorios, Cyrillos, aliosque ejusdem Ecclesiæ Orthodoxos, recepit semper, & recipit, adeoùt nonnisi per calumniam, vel crassam ignorantiam contrarium asseratur à Michaele. De additione facta Symbolo, ac de Sacerdotum cælibatu, sicut & de Sabbati jejunio, atque nonnullis aliis Romanæ Ecclesiæ observationibus, satis supra pertractavimus, de cæteris, quæ obiicit, infrà brevi excursu agemus. Modò videamus quid deceptus hisce literis Petrus Antiochenus rescripserit; extat illius responsio apud Baronium, excerpta ex Vallicellana Bibliotheca, unde & suprarecensitam hauserat, ut notat ad annum Domini MLIV. sub num. 28. & 38. Hæc verò fine titulo, ità se habens.

Epistola responsiva Petri Patriarchæ Antiocheni, ad Michaelem Cerularium.

103 „ Quæcumque humani generis hostis adversùs sanctitatem tuam machinatus „ est, & quàm perversam mentem adversarii „ tui in te exercuerunt, attolentes capita sua „ in medio Ecclesiæ tuæ, satis superquè tuæ „ literæ nos edocuerunt; Sacratissime & Sanctissime Domine; Et magnoperè sumus mirati, dum eas legeremus, cùm non possemus coniicere, quo spiritu motus, nec „ quid sibi volens. Italus ille Agyrus ad tantum declinavit errorem, & profanus cum „ sit, sacra contrectare non dubitavit. Quid „ enim commune cani, & balneo? Ut ille „ in sæcularium ordine constitutus, eadem „ quæ ad Sacerdotes pertinent, nimia curiosè satagat, & hujusmodi literas, ut tu do„ cuisti, falsas excogitet, atque conficiat, „ ex quibus nihil magis quàm dedecus incurri debeat, re ipsa patefacta. Præsertim „ cùm Papa vita functus fuerit. Sed gratias „ Deo, qui corripit sapientes in eorum malitia, & non diù eorum figmenta latere permisit.

104 „ Habent præterea sacræ literæ sanctitatis tuæ, quod rumor quidam ad aures „ pervenit tuas, quod nos Papam in sacris „ Diptycis referimus, & hoc ipsum sciunt „ alii Sanctissimi Patriarchæ, & quod non „ oporteret tali inscitia nos detineri, me præcipuè ante alios, cum sciam, quod à sexta Sancta œcumenica Synodo ad hæc usque „ tempora (ut tuis verbis utar) in sacris Diptycis Papæ commemoratio, è medio sublata est, eà videlicèt de causa, quod Vigilius tunc temporis Papa ad Synodum non „ venit, neque ea damnavit, quæ à Theodoreto adversùs rectam fidem, & duodecim „ Capitula Sancti Cyrilli scripta fuerant: & „ ex eo tempore hucusque à nostra Sancta Ecclesia Papam segregatum fuisse. Hæc quidem cùm tuæ venerandæ literæ haberent, „ pudore nescio quo pacto confusus (crede „ mihi) præcipuè verò tuâ causâ, præsertim „ si eo pacto, quo ad nos scripsisti, eadem ad „ alios scripseris Beatissimos Patriarchas, cùm „ absque diligenti inquisitione, & exacta re„ rum cognitione, quæ non gesta sunt ac si „ gesta essent, vano rumore impulsus protuleris. Quomodo enim debebam ego hucusque in sacris Diptycis Papam referre, cum „ Sanctissima Ecclesia tua ipsum non referat? „ Cum ego sim ipsius Ecclesiæ alumnus, & „ æmulus, ut quivis alius, & verbis ejus, „ privilegis semper magnifaciens, & venerans?

105 „ Quòd verò de Vigilio perperàm „ dicitur, cùm res non ità se habeat, id quantum ignaviæ tribuat venerabilissimo Chartophylaci tuo, tutè ipse videris. Et si enim „ doctus est ille vir circa Rethoricam facultatem (ut accepimus) nondùm tamen eam, „ ut par est, Ecclesiasticarum rerum notitiam „ adeptus est. Fidem enim non habet, ut inquit Joannes Climacus, vinum, quod recens, è torculari expressum est. Et hac de „ causa oportet eum, cùm ad tantum gradum „ evectus fuerit diligenter & exactè, & non „ per transennam scripturas percurrere: substantia enim nostri Sacerdotii sunt eloquia „ à Deo tradita, videlicèt Sacrarum Scripturarum vera scientia, quemadmodùm Magnus nos docuit Dionysius. Vigilius enim „ Quintæ Synodi temporibus fuit, in quo de „ Origine, Evagrio, Didymo & aliis, Petro, „ & Severò, & Zoara, & de operibus Theodoreti actum est, non in sexta Synodo, cùm „ inter utramque Synodum centum & sexaginta novem intercesserint anni. Illum verò con-

„ contigit paulò ante à Diphytichis amoveri, „ quoniam ipsum cum Sancti. Patriarcha Mēna altercari accidit, & eum depositionis „ subiicere vinculo, quousq; iterùm Pontifices „ illi invicem conciliati inter se convenerunt.

106 „ Tempore verò sanctæ sextæ Synodi sacer Papa fuit Agathon, vir quidèm „ venerandus, & sacrarum rerum peritus. „ Et lege tu acta ipsa sextæ Synodi, quæ legi consueverunt Dominica post Exaltationem Venerandæ Crucis. Invenies enim ibi „ prædictum Agathonem Papam multis Encomiis honoratum. Et hac in re ego quidem testis fidus, & alii multi Ecclesiæ proceres, quod tempore beatæ memoriæ Patriarchæ Domini Joannis, Romanus Papa, „ Joannes etiam ipse nuncupatus, in sacris „ Diptycis habebatur. Et cùm Constantinopolim quadraginta quinque ab hinc annis „ venissem, inveni tempore beatæ memoriæ „ Patriarchæ Domini Sergii prædictum Papam in Missa unà cum aliis Sanctissimis Patriarchis relatum. Quomodo verò deinde „ ejus relatio, & commemoratio, è medio „ sublata sit, & quanam de causa, ignoro. „ Sed de his quidem res ita se habet, & aliud „ prætereà nihil. De Papæ commemoratione cupio te diligentiùs indagare.

107 „ Quicumque verò à te sunt enumerati Romanorum errores, percurrimus: & „ alios quidem illorum execrandos duxi, atque vitandos, alios verò incertos, & alios „ prætermittendos. Quid enim nostra interest, quod illorum Sacerdotes barbam radant? Quid etiam, quod illi annulos gestent in Symbolum contracti cum Sanctis „ Dei Ecclesia connubii? Nos etiam coronam „ in capite gestamus, pro veneratione proculdubiò Principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est super ædificata: „ Quòd enim impii illi ad contumeliam illius „ sancti excogitarunt; hoc nos piè ad gloriam, & honorem ipsius facimus. Romani „ quidem barbam radentes: nos verò capite „ coronam gestantes. Auro etiam exornamur „ & nos, Chirothecas, & manipulos & stolas auro contextas habemus.

108 Quod verò immundis rebus vescantur, & Monachi carnes comedant, & nidorem suillum: invenies etiam hujusmodi res, „ si diligenter inquiras, à nonnullis nostrorum fieri: Bithyni enim, & Thraces, & „ Lydi comedunt picas, & corniculas, & „ vultores, & Therrestres, Echinos, quorum usum indifferentem Patres nobis reliquerunt. Nulla enim creatura Dei est reprobanda, si cum gratiarum actione sumatur: Idque docet vas illud Sindonis, è „ Cœlo demissæ. Inquit enim Beatus Basilius: „ *Sicut in oleribus quod noxium est ab invicem segregamus, ità à carnibus, quod noxium est, ab utili distinguimus.* Herba enim est Aconitum, sicut caro vulturis; nihilominùs neq; to- „ sciamum comederet aliquis sanus mente, „ neque carnem canis attingeret absque aliqua magna necessitate urgente, itaùt qui „ comederet, non malè fecisset. In Leguminibus verò & oleribus nidorem suillum immiscere, hoc etiam à Sanctis Patribus permissum est decretum, præsertim illis apud quos „ bonum oleum non reperitur. Inquit prætereà in sua regula Beatus Basilius, quod ciborum differentia nihil prodest. Socii prætereà Sancti Pachomii sues alebant.

109 „ Sed malum est illud, & malorum „ pessimum, additio in Symbolo: si enim nostra Evangelia eadem sunt cum illorum „ Evangeliis, unde illa plura, quæ nos edocti, hujusmodi alienam additionem fecerunt? Sed ut videtur, amiserunt Romani exempla Nicænæ sanctæ Synodi, „ cum Vuandalica gens Romæ Imperio diù „ posita sit, à quibus fortasse Arianorum errorem sectantibus didicerunt, unica immersione: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (si vera sunt quæ scripsisti (Baptismum conficere. Nobis enim satis est, „ perfectam veritatis cognitionem, & confirmationem sapiens illud & salutare divinæ gratiæ Symbolum.

110 „ Docet enim nos perfectam fidem „ de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: Incarnationem prætereà Domini fidelibus manifestat, qui illam recipiunt. Illos itaque, „ qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt „ anathemate damnamus. *Si quis enim*, inquit Apostolus, *evangelizaverit vobis præter id quod evangelizatum fuit vobis, anathema sit*. Bonum est enim ad bonum respicere, præsertim cum neque Deus, neque fides aliquod patitur detrimentum, ad pacem semper inclinare, & fratrum dilectionem: Fratres enim nostri isti sunt, licèt rusticitate, vel ignoratione contingat illos „ sæpè à recto recedere, propriæ servientes voluntati. Nec oportet nos adeò exactam rerum diligentiam quærere inter barbaras „ gentes, quàm nos quærimus, qui circà literas versamur. Magnum enim erit: si apud „ illos absque aliquo errore Sanctissima Trinitas, vitæ origo, & causa prædicetur, & si „ Incarnationis etiam mysterium, juxtà nostram sententiam illi confiteantur.

111 „ Quod verò suffocata ipsi comedant, & duæ Sorores duobus Fratribus „ commisceantur, puto hæc fieri absque Papæ permissione, vel ab aliis Pontificibus „ hæc parvipendi. Id verò contigit fieri propter eorum audaciam, qui hæc facere non „ dubitant: qualia etiam in nostro Romano „ Imperio multa præter leges, etiam execranda, fieri contigit, quæ nos ignoramus. „ Invenies siquidem etiam in ipsa Constantinopoli, & extra eam multos, qui sanguinem suillum comedunt. Vide itaque, Venerabilissime Domine, quomodo nos multa co-

„ eorum, quæ à nostris perperam fiunt, negligentes, & prætermittentes, diligentiùs, quam par est, res alienas curiosè indagamus, & de illis verba facimus. *Hactenus Epistola*.

112 In ea namque videre est, Petrum hunc Antiochenum Patriarcham, non assentiri universis à Michaele objectis, nonnulla verò ut falsa reiicere, aliqua ut levia contemnere, plura dissimulare, & dissimulando prætertire. Etenim objecta illa de duobus Patriarchis in azimo conficientibus, ac de retento nomine Romani Pontificis in sacris Diptycis, palàm dissimulare videtur, solumvè asserit sua ætate in ipsa Ecclesia Constantinopolitana fuisse adhuc retentum. Nec ullo modo tangit objecta de Sanctorum Reliquiarum ac Imaginum veneratione, vel de Sanctorum Ecclesiæ Orientalis Patrum contemptu: quoniam calumnias omninò ferè apertè sciebat: maluit potiùs hæc prætermittere, quàm de mendacio redarguere Michaelem. Ut tamen ex parte ei adhærere videretur, solùm Latinos redarguit, quod addiderint Symbolo, Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere; in quo dogmate Ecclesiam Latinam errare tradit, timens fortè Patriarchæ Constantinopolitani potentiam, si ei in omnibus adversaretur, ad cujus nutum, sæpè Imperatorum potestate, amoveri, & destitui solebant Patriarchæ. Doluit utique in suis nupèr ad Leonem IX. datis literis, quòd Michael auferit Antiochenam Ecclesiam sibi subjugare, id quod non sine reprehensione præteriit Leo in literis datis ad eumdem Michaelem, conquestus etiam de ejusmodi usurpatione in literis datis ad ipsum quoquè Imperatorem. Petrus ergò cognoscens Michaelem jussa Pontificis contemnere, quinimmò & in cunctis adversari, cæpit Michaeli adhærere: quo pacto & cæteri Patriarchæ paulatim, timore magis ab initio, quàm amore, eidem Constantinopolitano adhærescentes sejuncti sunt à Communione Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ, factumvè sevissimum totius Ecclesiæ Orientalis, ac deterrimum schisma.

113 Intereà Constantinopoli ex hac vita migravit Constantinus Monomachus XII. sui Imperii anno, in eodem Monasterio quod ipse ædificaverat, cui successit Theodora Porphyrogenita Constantini X. Filia, atque Zoes Augustæ soror, cæsis nonnullis, qui temerè Imperium arripere tentare conati sunt, Curopalatâ teste. At Romæ post Menses XI. & dies XXIV. vacantis Sedis electus est Gebegardus ex Episcopo Eistetensi in Romanum Pontificem, ab Henrico II. Imperatore præsentatus, ipsis Romanis petentibus. Turbato namque Ecclesiæ Romanæ statu post Leonis IX. obitum, adhuc vivente Benedicto illo, factione Comitum Tusculanorum pluriès intruso, atque rejecto, Romanus Clerus missa ad Imperatorem Legatione petiit, ut de persona digna eligenda in Pontificem providere dignaretur: qui postulationibus ejusmodi inclinatus, hunc Romania præsentavit, qui indè canonicè electus nomen sibi indidit Victoris II. sic Leo Ostiensis lib. 2. cap. 90., inquiens: „ Defuncto sanctæ memoriæ Leone Papa, Hildebrandus tunc Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus à Romanis ad Imperatorem mittitur: ut quoniam in Ecclesia Romana, persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse, tamen vice Cleri, populique Romani Pontificem elegisset, adduceret. Quòd cum Imperator annuisset, Gebegardum Eistetensem Episcopum, cujus suprà meminimus de Romanorum Concilio postulavit.

114 Coronatus est itaque Romæ anno Domini MLV. Imperii Henrici II. anno IX. Theodoræ Porphyrogenitæ Orientis Imperatricis anno I. Indictione VIII. in die Cœnæ Domini. Hinc qui ejus vitam scripsit, ait: „ Victor, cui nomen Gebegardus erat, Ecclesiæque Eistetensi magna cum utilitate præsidebat, jussu Cleri Romani per Hildebrandum Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum ab Imperatore postulatus, Romam adducitur: & consensu universi Cleri, ac populi Pontifex anno Domini MLV. tempore Henrici III. Imperatoris eligitur, & in die Cœnæ Domini solemniter consecratur. Ab Imperatore eum sibi præsentari postularunt, quoniam in Ecclesia Romana, ut inquit Leo Ostiensis, persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat. *Hæc ille*. Fuisse porrò virum prudentissimum, ac in toto Regno cunctis ditiorem, idem Leo Ostiensis testatur.

115 Hoc porrò regnante Pontifice, obiit Theodora Augusta, cum imperasset annum I. & Menses IX. priùs creato. Eunuchorum suasione in Imperatorem, & in Successorem Michaele cognomento Stratonico: licèt sene, in arte tamen militari viro peritissimo: qui Theodosium Filium Constantini Monomachi, Imperium affectantem, superavit, & vicit. Sed paulò post eodem primo sui Imperii anno Alexius, sive Isaucius Comnenus concitata in Principem Seditione, Imperium tyrannicè usurpare conatus est, cui adhærescens Michael Cerularius, cogitur Imperator Tyranno Imperium cedere. Missos à Cerulario Metropolitas Michaeli ad suadendum ut cederet Imperio. Auctor est Curopalata, inquiens: „ Cum verò senex ipse Imperator Michael missos ad se Metropolitas interrogasset: Et quid pro Imperio tradit Patriarcha: & illi responderent, cœleste Regnum: statim deposita purpura, & cocco tintis calceamentis, veste privata indutus descendit. *Hæc ille*. Acciderunt hæc die ultima Mensis Augusti, Indictione X. Domini anno MLVII. Et Mense Septembri jam inthoato coronatus est Comne-

nenus solemni ritu ab ipso Michaele Patriarcha.

116 Paulò autem anteà, nimirum Mense Julii die XXVIII. Florentiæ objerat Victor II. Romanus Pontifex, cui mira Populi, & Cleri Romani consensione datus est successor Fridericus Abbas Cassinensis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, creatua die II. Augusti ejusdem anni MLVII. qui nomen sibi indidit Stephani IX. sive X. Hic porrò decrevit Legationem in Orientem ad Ecclesiam Constantinopolitanam, jam schismate Michaelis Cerularii scissam, Apostolicę, & Catholicæ Ecclesiæ communioni consociandam, designatis ad hoc munus obeundum Desiderio Abbate Cassinensi, Stephano Cardinale, & Mainardo posteà Sylvæ Candidæ Episcopo: verùm morte præventus, Legatio suum haud est sortita effectum, obiit namque Florentiæ IV. Kalendas Aprilis, Domini anno MLVIII. Imperii Isaacii Comneni anno I. Indictione XI. Hinc Legati, qui jam iter agressi fuerant, apud Barium commorantes, audita Pontificis morte, reversi sunt, ut scribit Leo Ostiensis, lib. 3. cap. 8.

117 At Romani audita Pontificis morte, qui potentiores erant, aut ex familia Comitum Tusculanorum, sive Ptolemæorum, vel Gregoriorum, aut Crescentiorum, universam Civitatem turbis replentes, vi & armis, quemdam Benedictum, alium à primo, Pseudopapam creant, & in Petri solio collocant, fugatis ab Urbe Cardinalibus, qui Florentiam venientes, canonicè in Romanum Pontificem elegerunt Gerardum Episcopum Florentinum, appellatum Nicolaum II. qui favore Henrici Regis, atque Godisridi Comitis Tusciæ fretus auxilio, Romam veniens ad initia Mensis Januarii, ejecto invasore, ac fautoribus illius excommunicatis, coronatus est: proût scribit Leo Ostiensis: undè Auctor vitæ ejus, sic scribit: „ Nicolaus, cui nomen erat Gerardus, ex Florentino Episcopo, per Cardinales ab Urbe fugatos, legitimè electus est Pontifex Romanus, anno Christi MLVIII. tempore regnatus Henrici IV. Antequàm verò consecraretur, & Romam mitteretur, hoc consilio Hildebrandi prudenter egerunt, ut ad expellendum, & faciliùs eiiciendum à Sede Schismaticum Benedictum, Legatione ad Imperatricem missa, approbatio Henrici Regis postularetur: nè fortasè, hac re intermissa, Rex sibi injuriam illatam existimans, schismaticis adhæreret, & intrusum defendena, periculum schismaticis augeret. Placuit consilium, petita, & obtenta est approbatio electi Nicolai Pontificis: simulque Godisrido Tusciæ Marchioni demandatum fuit, ut electum in Urbem inducat, & invasorem Sedis Benedictum inde eiiciat. Quod cum teste Leone Ostiensi, Mense Januario anni MLIX. effectum fuisset: Consecratus, „ & Nicolai nomine secundi appellatus, Romanæ Sedis invasorem cum suis fautoribus omnibus excommunicavit. *Hæc ille*. Addena indè eumdem Benedictum veniam petentem à Nicolao receptum fuisse ad communionem, apud S. Mariam Majorem, sed Sacerdotali officio privatum.

118 Eodem pariter anno Domini MLVIII. Imperii Isacii Comneni II. Michael Cerularius schismaticus, jubente Imperatore, è Sede ejectus in exilium amandatur ad Proconesum, ut tradit Curopalata, inquiens: „ Patriarcha autem inexplebili benevolentia fretus Imperatoris, contrà ipsum elatus est, non petitionibus modò, & admonitionibus utens, si quando alicujus rei, aut pro aliquo indigeret: verùm sępè minimè voti compos propter frequentes, & odiosas petitiones, minas, & absurdas increpationes adhibebbat, ac nisi pareret, Imperii amissionem minabatur, vulgare, ac tritum hoc dictum proferens: *Ego te condidi furne, & ego te deiiciam*. Aggressus est etiam croco tincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotii morem hunc asserens, & oportere his uti novum quoque Archiepiscopum. Nam inter Sacerdotium, & regnum nihil interesse, vel admodum parum, & in rebus pretiosioribus ampliùs fortasse, & magis colendum Sacerdotium.

119 „ Hęc audiens Imperator illum mussitantem studuit potiùs aliquid ipse perpetrare quàm pati. Quarè cùm Archangelorum dies Festus advenisset, egreditur Patriarcha ad suburbana loca, Sostenium nominata, ut ibi studiosè ac solemni ritu, quæ ad diem Festum pertinerent perageret. Imperator autem lucro sibi oblato, occasione arrepta, veritus nè quia tumultua, aut perturbatio fieret, turmam militum misit, qui communi lingua appellantur, Barangi, qui ipsum sine ignominia, è Throno ereptum, ac mulo impositum usque ad litus, quod est in Blachernis, impellentea deduxerunt & ipsum, & patrneles ejua, atque indè in lembum impositum, ad proconesum ubi exularet, perducendum curant. *Hæc Curopalata*, subjungena in eo loco paulò post obiisse Michaelem Cerularium, Imperatorem verò pœnituisse, atque ejus corpus honorificè importandum, atque in suo Monasterio sepelliendum demandasse. In locum porrò ejecti, atque defuncti Michaelis Cerularii, substitutus est Patriarcha Constantinus Licudex Protovestiarius, qui sedit ab hoc anno usque ad Domini annum MLXVI. sed antequàm ulteriùs progrediamur, ad examinanda potiora Michaelis objecta contrà Latinam Ecclesiam, accedamus.

CA-

CAPUT V.

De azimo, & fermentato.

120 *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico*, ait in proverbiis Sapiens, nemo enim fine aliqua, saltem ficta causa, ab aliquo cui conjunctus fuerat recedit. Certè hęretici omnes, atque universi schismatici, qui à Catholica recesserunt Ecclesia, ementitas causas consignare consueverunt, nè temerè se recessisse viderentur. Hinc in Photio vidimus, atque in aliis anterioribus schismatis auctoribus, defectionem Ecclesiæ Romanæ à recta fide, mendaciter tamen, pro suæ recessionis causa assignasse; cùm reverà, sola superbia, atque ambitio illorum, fuerit in causa. Sic ergò & Michael, ut secessionem faceret à Sancta Romana Ecclesia, & jugum subjectionis excuteret, multa eidem objecit Ecclesiæ, & quasi à fidei fundamento, & salutis deviasset, ab ea recedendum esse docuit, aliosque ut recederent est hortatus prout in superioribus retulimus. Incepit ergò calumnias texere ab azimo: Nam quoniam Latini Sacram Eucharistiam in pane ayimo conficiunt secundùm antiquissimam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli traditionem, defecisse ab Ecclesia Latina verum Sacrificium Corporis Domini Nostri Jesu Christi, debbachari cœpit, datis, ut vidimus literis, primò ad Episcopum Tranensem, indè ad Petrum Antiochenum, aliosque Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, & Primarios Episcopos: contendens nonnisi in fermentato, verùm Corpus Christi in Sacrosancta Eucharistia confici posse.

121 Et id quidem diversis allegatis rationibus, quarum prima est, quoniam non licèt deviare ab instituto Christi, nec materiam Sacramenti immutare, sed eam retinere debemus, quam ipse Dominus Jesus Christus firmavit, qui pro materia conficiendi Corpus suum in Eucharistia, non azimum panem designavit, sed fermentatum; Cùm in ultima Cœna, quando hoc Sacramentum instituit, usus sit pane fermentato, nequaquàm azimo; & hoc ex Evangelica historia primum probare nititur, sicut & Nicæta Pectoratus in suo quoquè Libello conatus est ostendere. Inquit ergò Joannes, cap. 13. *Ante diem Festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem &c. Et Cœna facta, cum Diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariottæ &c. surgit è Cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum præcinxit se: Deindè misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum suorum.* Itaquè stante hac narratione, die ante Festum Paschæ Dominus Jesus Cœnam fecit cum Discipulis suis, ac Sacramentum Eucharistiæ in ea instituit: Atqui Ante diem Festum Paschæ, nondùm erat dies azimorum, azimæ enim incipiebant in ipso die Paschatis, ergò Christus in ea Cœna non est usus azimis, sed pane fermentato usuali. Si ergò tunc consecravit, in fermentato, non in azimo consecravit,

122 Deindè ex eodem Evangelista cap. 18. legitur. *Ministri Judæorum adducunt Jesum ad Caipham in Prætorium, erat autem mane: & ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* non ergò Judęi ea hora Pascha manducaverant, & dies illa erat, quo Pascha eos manducare oportebat ex legis præscripto: eratque primus azimorum dies, ergò Dominus Jesus, qui sero, antecedenti die, Pascha manducavit, Cœnamque cum Discipulis suis fecit, ante dies azimorum talia egit, & ante Pascha Judæorum. Undè & idem Joannes cap. 19. dùm notat tempus quo Pilatus sententiam protulit, sedens pro Tribunali, ait: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta*, hoc est erat Vigilia Paschæ, seu dies præparatoria, in qua disponebantur omnia, quæ pro celebranda Pascha, necessaria erant: & sic ad Vesperam prima azimorum dies, & non ea, in qua Christus manducavit Pascha.

123 Itaquè Nicætas Pectoratus in Libello contrà Latinos, conatur ostendere Feria V. qua Christus cœnavit cum Discipulis, fuisse XIII. diem Lunæ, non XIV. ac proindè non adhùc incepisse azimorum tempus: sic enim discurrit: „ Non erat azima, *inquit*, in V. „ Feria, cùm esset Luna XIII. & non XIV. secundùm XV. Lunam fuerat institutum azima fieri, sicut & agnus ad Vesperum XIV. „ diei jussum est immolari, secundùm quàm „ immolatus est Christus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & Crucifixus in XIV. die Lunæ Feriæ VI. in Sabbato autem erat Festum „ azimorum: quando azima comedit, & Apostolis suis facere in novo testamento tradidit: quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azima jam post Resurrectionem à mortuis? Non videtis, quia manifestè ex rebus arguimini, quoniam non „ tunc erant azima, cum mysteria novi testamenti traderet Apostolis Christus.

124 „ Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysis: loquitur enim: *Hæ sunt Festivitates Domini, & ipsæ sanctæ, quas vocabitis in temporibus suis. In primo Mense in quartadecima die Mensis inter medium Vesperum erit Pascha Domino, & in quintadecima die Mensis hujus dies Festum azimorum Domino. Septem enim diebus azima comedetis.* Ecce enim & ex legislatione „ Moysis didicistis: quoniam non tunc azima, „ quando post Cœnam, secundùm diem V. „ Feriæ Christus tradidit per fractionem panis, novi testamenti mysterium. Ante Festum enim azimorum hoc fecit, cum esset

„ XIII. dies Mensis. Quintadecima enim „ die Mensis, ut legislatio habet Moyses, erat „ Festum azimorum, & Christus in Feria VI. „ Crucifixus secundùm XIV. diem Mensis, „ quando debebant Judæi immolare agnum, „ Sabbato autem secundùm XV. diem Mensis, „ cùm esset Festum azimorum, in Sepulchro „ jacuit sepultus. *Hæc Pectoratus*.

125 Insuper probat non fuisse diem azimorum, nec Christum azima comedisse, eo quod tàm Mathæus cap. 26. quàm Lucas capite 22. & Paulus in primo ad Corinth. cap. XI. de eadem Cœna ultima, mentionem facientes, non dicunt Christum accepisse, & fregisse azimum, ac Discipulis suis tradidisse: sed panem: *accipiens Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit Discipulis*. Et hoc quidam adnotat Michael Cerularius, & cum eo Leo Acridanus in Epistola adversùs Latinos, data ad Episcopum Tranensem: ubi relatis Evangelicis verbis: *Accepit Iesus panem*, & ea quæ sequuntur, ait: „ Aspicite quomodo „ panem corpus suum sub novo testamento „ vocavit, sicut vivificum, & plenum spiritu, & sicut caloris demonstrativum. Vos „ quidem *panem*, nos *Arton* dicimus. Artos „ autem interpretatur elevatus, & sursum „ portatus, à fermento, & sale, calorem & „ elevationem habens: azima autem nil di„ stat à lapide sine anima, quas cum amari„ tudinibus Moyses comedere Judæis semel „ in anno legem constituit. *Hæc Michael*.

126 Pectoratus item allegat Canone XI. sextæ Synodi sub Agathone Papa, in quo dicitur: „ Nemo eorum, qui in Sacerdotali „ ordine enumerantur, vel Laicus Judæo„ rum azima comedat, vel ullam cum eis fa„ miliaritatem ineat, vel in morbis accersat, „ vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum „ eis in balneis lavetur. Si quis autem hoc „ facere aggressus fuerit, si sit quidem Cleri„ cus, deponatur; si autem Laicus, segre„ getur. *Hæc ibi*. Et Pectoratus ait: si enim traditum fuit vobis ab Apostolis comedere azima, quomodo Agathon Sanctissimus Papa, vester præcessor, cum præesset sanctæ sextæ Synodo sub Constantino Imperatore, & Divinus Gregorius Agrigentinorum Episcopus non obsistere, cum sanctæ hujus Synodi Divini Patres adversum azima legem constituissent à nemine fidelium hoc fieri?

127 Sed ad perfectam hujus rei intelligentiam præmittenda sunt, quæ in sacris veteris testamenti eloquiis de Pascha, & de azimis exarata leguntur: in quibus Christiani omnes convenire debent. Primò enim in libro Exodi cap. 12. ante exitum filiorum Israel de Ægypto, hoc præceptum dedit: *Decima die Mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias & domos suas*. Et post aliqua: *Erit autem Agnus absque macula, masculus anniculus: juxtà quem ritum tolletis, & hædum. Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem Mensis hujus. Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad Vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus*. Et posteà. *Comedetis festinanter: Est enim Phase, idest transitus Domini, & transibo per Terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, & in cunctisDiis Ægypti faciam judicia: Ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos. Nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti*. Hæc ergò prima lex de Pascha facienda, sivè de Agni Paschalis festivitate.

128 Deindè & hanc solemnitatem, & azimorum in futuris generationibus eodem die quolibet anno celebrandam præcepit, eodem cap. 12. libri Exodi, inquiens: *Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azima comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel, à primo die, usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem Festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis azima: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo*.

129 Deindè repetit Moyses, inquiens: *Primo Mense, quartadecima die Mensis ad Vesperam comedetis azima usque ad diem vigesimam primam ejusdem Mensis ad Vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tàm de advenis, quàm de indigenis terræ. Omne fermentatum, non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azima*.

130 Sed & post egressum filiorum Israel de Ægypto, de ejusmodi solemnitate locutus est iterùm Moyses in libro Levitici, cap. 23., inquiens: *Hæ sunt ergò Feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo, quartodecima die Mensis, ad Vesperam, Phase Domini est: & quintadecima die Mensis hujus, solemnitas azimorum Domini est. Septem diebus azima comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo*. Et in lib. num. cap. 28. *Mense autem primo, quartadecima die Mensis Phase Domini erit: & quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azimis. Quarum dies prima venerabilis, & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea*.

131

131 His ergò stantibus constat, quartamdecimam diem primi mensis ad vesperam incœpisse Azimorum solemnitatem. Primus enim mensis, Martius erat, qui à Judæis Nisan appellabatur, juxtà illud Exodi cap. 12. *Mensis iste, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Et in lib. Hester cap. 3. vers. 7. *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan*. Et vers. 12. *Vocatique sunt Scribæ Regis mense primo Nisan*. Qui mensis initium sumebat à Novilunio proximo Æquinoctio vernili. Dies enim Novilunii erat prima mensis dies; ac indè dies decimusquartus præfati mensis aliquandò incidebat, & incidit in mense Aprili, computato Anno juxtà cursum Solarem; quoniàm Hebræi computabant Annum secundùm cursum Lunarem, ut constat ex allegatis Testibus.

132 Et licèt in libro Levitici dicatur, Pascha celebrandum die XIV., & die XV. esse Azimorum solemnitatem: *Quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est; & quintadecima die mensis hujus solemnitas Azimorū Domini est*; non indè sequitur, quòd die decimaquarta ad vesperā non comederint Azima, quoniàm, ut in eodem Levitici capite, sub vers. 32. à vespera usquè ad vesperam diei sequentis, celebrabantur Judæorum festa: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. Et in libro Exodi cap. 12. vers. 18. apertis verbis jubetur, ad vesperam diei XIV. comedendum Azima: *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azima, usque ad diem XXI. ejusdem mensis ad vesperam*.

133 Porrò Solemnitas Paschalis, sivè Agni Paschalis ab Azimorum solemnitate prorsùs distincta fuit: Illa enim ad vesperam diei XIV. celebrabatur, quandò Agnus Paschalis parabatur in victimam, & immolabatur, indèque in legali Cœna comedebatur; qua legali Cœnâ absolutâ, solemnitas acta erat; & instituta fuit in memoriam beneficii recepti ex conservatione Primogenitorum Israel, eo tempore, quo Primogenita Ægyptiorum ab Angelo exterminatore interficiebantur, juxtà ea, quæ ex libro Exodi retulimus. Hæc verò Azimorum solemnitas originem habuit ex eo, quod Populus Israel in nocte egressionis de Ægypto Azima tantùm comederunt, juxtà illud Exodi cap. 12. *Observabitis Azima; in eadem enim ipsa die educam Exercitum vestrum*. Et exeundo, farinam asportantes, absquè fermento, cùmque in deserto essent, subcinericios & Azimos panes sibi fecerunt, ut habetur in eodem cap. vers. 34. *Tulit igitur Populus conspersam farinam, antequàm fermentaretur, & ligans in palliis, posuit super humeros suos*. Et vers. 39. *Coxeruntque farinam, quam dudùm de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes Azimos*. Et hæc solemnitas per dies septem celebrabatur, hoc est, à primis vesperis diei XIV. usquè ad vesperam diei XXI. Hinc primis vesperis diei XIV. celebrabatur solemnitas Paschalis, fiebatque Cœna legalis, in qua de Agno jàm immolato comedebatur, & incipiebat Azimorum solemitas, in qua nonnisi de Azimis vesci licebat, hac solà existente differentiâ, quòd eàdem die & vesperâ absolvebatur Paschalis solemnitas; Azimorum verò incipiebat, continuatura per continuos dies septem.

134 Et quidèm ex libro Deuteronomii cap. 16. hæc eadem colligi possunt, ubi primò Moyses agens de Phase celebranda, ait: *Observa mensem novarum frugum, & verni primùm temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniàm in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisq; Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Pergit posteà: *Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniàm in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usquè mane*. Itaquè hac lege præcipitur, ut eo vespere, quo Pascha immolatur, non comedatur fermentatum, dicens, *non comedes in eo fermentatum*. Et infrà ait: *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quandò egressus es de Ægypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Eodem ergò vespere, quo comedebatur Phase, interdictum fuerat fermentatum, & solùm Azima vesci licebat. Quibus omnibus firmatis, ut ad nostram propositam difficultatem redeamus, ex tempore, quo Christus Dñus Pascha celebravit, & Agnum Paschalem comedit, secundùm Evangelica eloquia, licebit inferre, de Azimis tunc comedisse, nequaquàm fermentatum, ac in Azimo consecrasse, & fracto, suis tradidisse Discipulis.

135 Scribit Sanctus Matthæus cap. 26. *Primà die Azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicut præceperat eis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum 12. Discipulis suis*. Prima ergò dies Azimorum, in qua Judæi Pascha immolabant, vespere Christus Dominus Pascha fecit cum Discipulis suis. Undè Marcus cap. 14. ait: *Et primo die Azimorum, quandò Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Et Lucas cap. 22. *Venit dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem*,

dicens: Euntes, parate nobis Pascha, ut manducemus. Atqui primâ die Azimorum, quandò Judæi solebant occidere Pascha, erat dies Lunæ xiv., juxtà superiùs allegata, & vespera illius diei incipiebat Azimorum solemnitas, nec licebat habere fermentatum, sed solùm Azimum panem, eoqua ad præscriptum legis Moysis tantùm vesci. Igitur Christus in ea Cœna, quando Pascha comedit, solo Azimo usus est pane, ut lex ipsa præcipiebat. Non ergò in fermentato Eucharistiam confecit, benè verò in Azimo.

136 Sed dicunt nonnulli ex Græcis, prefatos Evangelistas errore lapsos talia scripsisse, Joannem verò, ultimum Evangeliorum Scriptorem, illorum errorem correxisse.

137 Audistis blasphemiam in Spiritum Sanctum? Dictante Spiritu Sancto sacrarum Scripturarum Scriptores, velut illius Amanuenses scripserunt; ut enim loquitur Petrus Apostolorum Princeps Epist. 2. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquandò Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Dicere ergò, tres Evangelistas errore lapsos, idem est ac dicere, ipsum Spiritum Sanctum errasse. Si enim in sacra Scriptura vel levis error concedatur, nullius erit auctoritatis. Undè B. Augustinus in Epistola 9., data ad Hieronymum, ait: *Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferretur, cujus pondere contentiosa falsitatis subruatur improbitas? Statim enim, ut protuleris: si aliter sapit, qui contrà nititur è dicit illud, quod prolatum erit honesto aliquo officio, Scriptorem fuisse mentitum*.

138 Deindè non est, undè dici possit, Joannem priores correxisse Evangelistas, qui cap. 13., agens de tempore Passionis Domini, scribit: *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*. Deindè & Cœnam describit, & lotionem pedum, & Judæ proditionem, & sermonem, quem habuit ad Discipulos, & cætera ad Christi Passionem pertinentia. Si ergò antè diem festum Paschæ & Cœnam fecit, & cætera alia, & indè captus est; pridie Paschæ hæc evenère, antè solemnitatem Azimorum, idest Lunâ xiv., primâ Azimorum die ad vesperam inchoanda, ut cæteri Evangelistæ affirmant. Passus est Jesus in die solemnitatis Azimorum feriâ sextâ, captus feriâ v. post vesperam, & post Agni, & Azimorum esum. Et biduo antè ejus Passionem Principes Sacerdotum consilium inierunt de capiendo Jesu. Hæc omnia optimè notat Beatus Augustinus in Epistola 86., data ad Casulanum, ubi agit de jejunio quartæ, & sextæ feriæ.

139 „ Cùr autem, *inquit*, quarta & sex„ ta maximè jejunet Ecclesia, illa ratio red„ di videtur, quòd considerato Evangelio, „ ipsa quarta Sabbati, quam vulgò quartam „ feriam vocant, consilium reperiuntur ad oc„ cidendum Dominum fecisse Judæi. Inter„ misso autem uno die, cujus vespera Do„ minus Pascha cum Discipulis manducavit, „ qui finis fuit ejus diei, quem vocamus „ quintam Sabbathi, deindè traditus est eâ „ nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui „ dies Passionis ejus manifestus est, pertine„ bat. Hic dies Azimorum primus fuit à ve„ spera incipiens. Sed Matthæus Evangeli„ sta quintam Sabbati dicit fuisse primam „ diem Azimorum, quia ejus vespera se„ quente futura erat Cœna Paschalis, quâ „ Cœnâ incipiebat Azimum, & ovis immo„ latio manducari.

140 „ Ex quo colligitur, quartam Sab„ bati fuisse, quandò ait Dominus: *Scitis* „ *quia post biduum Pascha fiet, & Filius Ho*„ *minis tradetur, ut crucifigatur*. Ac per hoc „ dies ipse jejunio deputatus est, quia sicut „ Evangelista sequitur, & dicit: *Tunc con*„ *gregati sunt Principes Sacerdotum, & Se*„ *niores populi in atrium Principis Sacerdo*„ *tum, qui dicebatur Caiphas, & consilium* „ *fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occide*„ *rent*. Intermisso autem uno die, de quo „ dicit Evangelium: *Primâ autem Azimo*„ *rum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicen*„ *tes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* „ Hoc ergò die intermisso, passus est Domi„ nus, quòd nullus ambigit sexta Sabbati, „ quapropter & ipsa sexta rectè jejunio de„ putatur. *Hactenus S. Augustinus*.

141 Id verò, quod Græci asserunt, Christum Dominum eo anno anticipasse uno die esum Agni, ac proindè non die xiv. ad vesperam Pascha comedisse, sed die xiii. Est omninò excogitatum, non enim cuiquam licebat hoc agere; nemini concessum fuit contrà præscriptum Legis determinatum diem, Pascha anticipare; quoniàm sicut observantes Legem, præcepta, & cæremonias in Lege descriptas, diversis repleti fuerant benedictionibus, sic & compluribus maledictionibus subjecti erant transgressores. Undè in Deuteronomio cap. 28. scriptum est: *Si audire nolueris vocem Domini tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te*. Et vers. 58. *Nisi custodieris, & feceris omnia verba Legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, augebit Dominus plagas tuas*. Hoc & in Levitico cap. 26. pariter habetur, dùm dicitur: *Si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoquè hæc faciam vobis; visitabo vos in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras*. Christus ergò Dominus, qui non venit solvere Legem, sed adimple-

plere, prout ipse testatus est, non est probabile, voluisse in hoc tàm rigoroso præcepto Legem præterire, ac irritum reddere præceptum de Pascha celebrando die XIV. per unius diei anticipationem.

142 Deindè in duobus reum visum fuisse Dominum, evidens est, si Pascha anticipasset, & in Pascha manducando, fermentato usus fuisset; quoniàm non solùm præceptum erat, ut Pascha die XIV. comederetur ad vesperam, verùm, ut cum Agno Azima vesceretur, prout ex suprà allegatis Scripturæ locis fit manifestum. Et certè Judas, qui Cœnæ præsens fuit, & cui Dominus intinctum panem eadem in Cœna porrexit, ut notat Joannes cap. XIII., optimè hujusmodi Legis transgressionem observasset, ac Principibus Sacerdotum, & Senioribus Populi, qui quamlibet occasionem illum perdendi quærebant, indicassent. Et ità ex præscripto Legis poterant eum morti addicere, præcipiente Deo per Moysen, ut quicumque comedisset de fermentato, à primo die usque ad septimum, exterminaretur: *Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel*. Undè optimè Judæi, Pilato quærenti, quam accusationem haberent adversùs Jesum, hanc non omisissent, dicentes, fermentatum in Paschate comedisse, aliosque comedere fecisse, ac ideò, secundùm legem, fore morti addicendum. At de hoc nequaquàm fuit accusatus, sed per calumniam de aliis per falsos testes assertis, ut Evangelica narrat Historia: ergò non est verosimile, Christum cum Pascha fermentatum comedisse. Quæ ratio urget, sivè Pascha celebraverit die uno anticipato, sivè eodem die, secundùm Legis præscriptum, quia si eodem die, jam omne fermentatum interdictum erat; si die antecedenti, jam cum Pascha solùm Azima comedi licebat; & ità in utroque casu habitus fuisset, ut Legis transgressor.

143 Cùm verò dicunt, Pascha Judæorum celebratum fuisse ad vesperam diei Passionis Domini, quoniàm Joannes tradit, Ministros Judæorum non introisse in Prætorium, nè contaminarentur, ut manducarent Pascha, dicimus nomine Pascha, non venire tantùm Agnum, qui comedebatur ad vesperam diei XIV., sed quodcumque sacrificium, quod spatio septem dierum à vespera diei XIV. offerebatur, & manducabatur. Quæcumque ergò immolabantur spatio illorum dierum Phase, idest Pascha nuncupabantur. Undè in Deuteronomio cap. 16. dicitur: *Observa mensem novarum frugum, & vernum primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo; quoniàm in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus, in loco, quem tibi elegerit Dominus Deus tuus*. Et quoniàm nonnisi qui sanctificati fuerant, ac mundi, Phase hujusmodi vesci solerent, ideò Pharisæi noluerunt manè ingredi Prætorium, nè contaminarentur, ut possent manducare Pascha, hoc est de oblatis eodem die, & sequentibus diebus septem.

144 Porrò, juxtà mentem Sancti Joannis Chrysostomi, Homil. 84., probabile est, Sacerdotes, & Seniores populi, & qui necem Christi procurabant, eâdem nocte, licèt XIV. & verè paschali, nequaquàm comedisse Pascha, differentes contrà præscriptum Legis ad vesperam diei XV. cupiditate occidendi Christum, occupati toto illo die vespere, & majori parte noctis in perfidis consiliis, & tractatibus de Christo capiendo, omiserunt manducare Pascha, eaque parare, quæ ad talem esum necessaria erant, ad diem sequentem, legem violando, transferentes. Ait ergò Chrysostomus: *Non intraverunt in Prætorium, nè contaminarentur, sed ut comederent Pascha*:
„ Quid igitùr dicendum est? Videlicet cu-
„ piditate ità occidendi Christum, eos le-
„ gem dissolvisse, & aliâ die Pascha come-
„ disse? Neque enim Christus tempus Pa-
„ schatis violasset, qui sub vesperam illud
„ comederit, sed illi audacissimi homines, &
„ vel sexcentarum Legum conculcatores,
„ cùm enim irâ accensi valdè essent, & sæpè co-
„ nati occidere ipsum, minimè potuissent, ex
„ insperatò cùm eum cœpissent, tempus Pa-
„ schatis negligere maluerunt, modò arden-
„ tes cædo animos suos explerent. *Hactenus Chrysostomus*.

145 Ex quo testimonio evincitur, Christum Dominum debito à Lege præscripto tempore Pascha comedisse, idest die XIV. Lunæ ad vesperam; Sacerdotum verò Principes & Pharisæos in alteram diem transtulisse contrà Legis decreta, in quo legem violasse testatur. Ac ità fit manifestum, Salvatorem nostrum, debito tempore Pascha celebrantem, Azimo usum, nequaquàm fermentato. Hinc Sanctus Hieronymus in cap. 26. Matthæi, ait: *Prima Azimorum XIV. primi mensis, quandò Agnus immolatur, & Luna plenissima est, & fermentatum abjicitur*. Immò idem Chrysostomus notat Homil. 83., quòd licèt Principes, Sacerdotes, & Pharisæi, Legum conculcatores, distulerint Pascha manducare in sequentem diem, non sic tamèn universus populus, & plebs cuncta; undè ait: *Tunc immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum ipsâ nocte, in qua comederunt Pascha, tantà insaniâ, tantoque furore agitabantur*. Itaquè constans est Sancti Joannis Chrysostomi sententia, Christum Dominum Lunâ XIV. ad vesperam Pascha comedisse, eaque nocte captum, & vinctum, initia suæ Passionis dedisse. Et ità falsum est id, quod tradit Nicetas Pectoratus, & sentiunt cum eo alii Græci, Christum Pascha manducasse Lunâ XIII.

146 Ad illud porrò, quod objiciunt ex nominis panis ethymologia, qui, *Arton*, in Greco dicitur, quod interpretatur elevatus, & sursùm portatus à fermento, & sale, calorem,

rem, & elevationem habens, dicimus, parvi ponderis esse hujusmodi objectionē; quoniàm in omni loco Scripturæ, ubi Latina versio legit *panem*, *Arton*, legit Græca, & tamen non semper significat panem fermentatum; sicut enim nostra Latina semper vertit panem, sivè fermentatum sit, sivè Azimum, ità & Græca legit, *Arton*, tàm de fermentato, quàm de Azimo. Et quidèm sacra Scriptura in Psal. 77. Manna, quod pluerat in deserto, panem appellat, secundùm Latinam versionem: *Et pluit illis Manna ad manducandum, & panem Cæli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo*; & secundùm Græcum textum, *Arton*. Sic & panes propositionis, *Artos* appellat Græca versio, qui Azimi erant, quoniàm lege Levitici cap.2. vers. 11. omnis oblatio ex Azimo fieri oportebat; *Omnis oblatio*, inquit, *quæ offertur Domino, absque fermento fiat, nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*. Et ut cætera loca omittamus, satis erit observare locutionem Lucæ, dùm cap.24. dicit, Christum fregisse panem, & porrexisse duobus illis Discipulis in Castello Emaus: *Et factum est*, inquit, *dùm recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. *Panem* vertit Latinus Interpres, Græcus verò *Arton*. Atqui Azimus erat non fermentatus, quoniàm tunc temporis non inveniebatur fermentatum in cunctis domibus Israel; erat enim dies tertia à Passione Domini, ac proindè intrà Azimorum dies. Ergò si in hoc textu nomen *Panis*, & si *Arton* intepretetur in Græco, non significat fermentatum panem, non est undè ex eodem vocabulo inferri possit, nomen Panis, vel Artos, significare fermentatum, quandò idem Lucas cap.22. ait: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum*.

147 De cætero, licèt nos asseramus, Christum Dominum in ultima Cœna solos comedisse Azimos, ac in eis sacram Eucharistiam confecisse, non proindè volumus, Azimum panem esse materiam necessariam Eucharistiç, ut excludamus panem fermentatum à ratione sufficientis materiæ conficiendi corpus Christi. In Concilio nàmque Florentino definitum est, sivè in Azimo, sivè in fermentato pane triticeo, veracitèr confici corpus Christi, ut in Decreto Unionis, ubi dicitur: *Item definimus, in Azimo, sivè in fermentato pane triticeo, corpus Christi veracitèr confici, Sacerdotesque in alterutro, ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque juxtà Ecclesiæ suæ ritum*. Ecclesia Latina nunquàm damnavit Ecclesiam Orientalem, eò quòd in fermentato consecraret, juxtà suam à Patribus receptam traditionem. Et temerè Græci damnant Latinam Ecclesiam, eò quòd in Sacrificio, Azimo utatur, quoniàm in hoc traditionem receptam à Sanctis Apostolis Petro, & Paulo sequitur, ut tradit Innocentius III. lib.4. Myster. Missæ, cap.4., & scribunt Algerus lib.6. cap. ult., Rupertus lib. de Divinis Offic. cap.22., & alii plures.

148 Et quidèm antè Michaelem Cerularium nemo ausus est in hoc reprehendere Latinam Ecclesiam, ut notat Leo Papa IX. in Epistola data ad eundem Michaelem, suprà recitata, inquiens: „ Quis non stupescat, „ quòd post tot sanctos & orthodoxos Pa„ tres, per mille & viginti à Passione Salva„ toris annos, novus calumniator Ecclesiæ „ Latinorum emersisti, anathematizans om„ nes, & publicam persecutionem excitans, „ quicumque participarentur Sacramentum „ ex Azimis. *Hæc ille*. Nec Photius ipse, qui diversas calumnias consarcinavit adversùs Sanctam Romanam Ecclesiam, ausus est in crimen ei objicere, quòd in Azimo conficeraret, ut constat ex calumniarum ipsius Catalogo, relato part.3. cap. 7. num. 115. Hic igitur Michael primus hujus calumniæ inventor extitit, quem posteà secuti sunt plures ejusdem Ecclesiæ Orientalis Schismatici, adeoùt Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha in censura ad Confessionem Lutheranorum, cap.10., apertè fateatur, Azimum non esse verum panem, nec sufficientem consecrationis materiam. In odium indè Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Centuriatores Centur XI. cap.8. in Græcorum opinionem inclinant. Calvinus lib.4. Institut. cap.17. §.43. mendacitèr scribit, Latinam Ecclesiam usum fermentato in Sacrificio usquè ad Alexandri Papæ ætatem, qui vetustâ abolitâ traditione, jusserit in Azimo consecrari; undè Calvinistæ omnes, Græcorum more in sua Cœna fermentato utuntur.

149 Materia ergò conficiendi corpus Christi panis est triticeus, ex triticea farina, & aqua naturali confectus, igne decoctus, qui in usum, ac nutritionem hominum cedit, sivè Azimus sit, sivè fermentatus: nam fermentum non immutat speciem panis, sed ei tantùm qualitatem superaddit quamdam accidentalem, ratione cujus panis fermentatus meliorem habet saporem, & magis delectat, estque minùs ponderosus, ac ideò ad satiandum, & reficiendum videtur magis dispositus, cujus rei causâ magis frequentatur, ac panis Azimus, qui tamen & ipse substantialitèr nutrit, & ad usum aptissimus. Undè in Scriptura legimus, sæpè Patres comedisse panes subcinericios, qui certè erant Azimi, & ipsi Judæi spatio septem dierum eo tantùm nutriebantur in solemnitate Paschali, sivè Azimorum.

150 Immò aptior materia, si spectemus figuram, videtur Azimus panis, quàm fermentatus, quoniàm panis, qui super Altare pro Sacrificio offerebatur, sinè fermento erat, juxtà illud Levitici cap.2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absquè fermento fiet; nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio*

cio Domino. Et cap. 7. in oblationibus, quæ fiebant pro gratiarum actione, præcipitur offerri panem sinè fermento; undè vers. 12. ait Moyses: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento*. Non tamèn omninò rejicit fermentatum, concedit, ut offeratur fermentatum in oblationibus pro pacificis, inquiens vers. 13. *Panes quoquè fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis*. Sed magnâ cum differentia, quoniàm panes fermentati solùm offerebantur, velut donaria cedentia in usum Sacerdotis, veluti primitias, ut sacri interpretantur Expositores, & qui etiam inserviebant ad esum carnis; non tamèn offerebantur super Altare ad Sacrificii usum; ad hujusmodi verò usum, solùm panes Azimi offerri poterant, ut cap. 2. præscribitur. Si ergò in veteri Lege in Sacrificiis, quæ umbra erant veri Sacrificii Christi in Cruce oblati, & christianorum Sacerdotum quotidiè sacrificantes in Altari incruentum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, panes Azimi tantùm, propter perfectiorem significatum offerri poterant, nequaquàm fermentati, inferri licebit, in nostro Sacrificio aptiorem esse materiam panem Azimum, quàm fermentatum, & quidèm propter perfectiorem significationē.

151 Azimus namquè puritatem denotat, & candorem, simplicitatem, humilitatem, & incorruptionem, quæ tùm Christo in Eucharistia latenti, tùm fidelibus ad hoc accedentibus Sacramentum propriè conveniunt; fermentum verò malitiam, & corruptionem morum exprimit; sic Paulus in 1. ad Corinth. cap. 5. per allegoriam loquens, ait: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicuti estis Azimi; Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaquè epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azimis sinceritatis, & veritatis*. Et ad Galatas cap. 5. *Quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Et ipsa veritas Christus, Lucæ cap. 22., docens Discipulos ait: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Et Matthæi cap. 16. *Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*, ubi pro fermento malam illorum doctrinam intelligit, ut explicat Evangelista vers. 12. Et propter hujusmodi significatum, nec in veteri Lege fermentatum in Sacrificio offerendum volnit, sed Azimum panem, qui munditiem, & puritatem exprimit, ubi omnia sibi sacrificanda jusserat, exclusis quibusvis etiam ex ipsis animantibus immundis. Cùr ergò non dicamus, Azimum esse aptiorem materiam in sacrosancto Altaris Sacrificio, quàm fermentatum. Habet nobiliorem significationem; nàm licèt fermentatum aliquandò in Scriptura legamus, acceptum in bonam partem, frequentiùs tamen accipitur in malam; at Azima nunquàm in malam partem, semper in bonam legitur accepta.

152 Nec officit Michaelis reprehensio, asserentis textum Pauli, dicentis: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, in Latina versione esse à Latinis corruptum, cùm in genuino textu Græco legatur, *fermentat*, non *corrumpit*, ex hoc nihil concludit; nàm etiam si legi oporteret, fermentat, adhùc restat, ut Paulus sumat, fermentare, in malam partem, ut ex contextu liquet. Et Salvator ipse sumit fermentum pro malitia, & hypocrisi Pharisæorum, & pro falsa illorum, & Sadducæorum doctrina, ut superiùs fati sumus. Itaquè concludendum est, quòd panis Azimus sit aptior materia, fermentatus verò sufficiens materia, adeoùt in utroque verè conficiatur corpus Christi in Altaris Sacrificio; & sacrilegum, & impium est velle contendere, non confici in Azimo corpus Christi. Qui verò plura videre cupit in hac materia, legat Humbertum Sylvæ Candidæ in Dialogo contrà Michaelem Patriarcham, & in responsione ad Libellum Nicetæ Pectorati, tàm in Bibliotheca veterum Patrum, quàm apud Baronium ad calcem Tomi XI., ipsum quoquè Baronium tom. 1. Annalium, Bellarminum lib. 11. de Sacramento Eucharistiæ tom. 3., & alios Doctores, tàm Controversistas, quàm Scholasticos, quoniàm pro sufficienti notitia satis sunt superiùs dicta. Hoc solùm addo, Canonem allegatum à Niceta Pectorato sextæ Synodi, ut ait, nullius esse auctoritatis, ut sæpè dictum est, quoniàm verò sexta Synodus nullos edidit Canones; qui enim circumferuntur à paucis, fuère conditi post sextam Synodum, ab Ecclesia Romana non recepti, sed magis reprobati.

CAPUT VI.

De suffocatorum, & Animalium immundorum esu.

153 Altera calumnia, quam adversùs Latinam Ecclesiam profert Michael, à quâ Photius se abstinuit, in eo fundatur, quòd Ecclesia Romana sanguine vescatur & suffocato, neque ab Animalibus immundis edendis se abstineat, cùm tamèn hæc omnia ab Apostolis ipsis, in Hierosolymitana Synodo, universis Christianis interdicta legantur, hoc edito decreto, quod legitur apud Lucam in Actor. Historia, cap. 15. vers. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos, benè agetis*. Quo namque decreto confirmata videtur illa Moysis lex promulgata in Levitico cap. 7.

illa

verſ. 26. *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibum, tàm de avibus, quàm de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* Repetita, & explicata magis cap. 17. verſ. 12. per hæc verba *Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem, nec ex advenis, qui peregrinantur apud vos. Homo quicumque de filiis Iſdrael, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram, vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terra. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt: unde dixit filiis Iſdrael: Sanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: & quicumque comederit illum, interibit.* Hinc & in lib. Geneſis cap. 9. data à Deo poteſtate Noe, & filiis ejus veſcendi carnibus, ac de cunctis animantibus edendi, eſum tamen ſanguinis interdixit, inquiens: *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidit vobis omnia, excepto, quod carnē cum ſanguine non comedetis.* Hæc ergò præcepta legis, videtur confirmaſſe SS. Apoſtolos in antefata Synodo, voluiſſeq; ad illorum teneri obſervantiam, etiam Chriſtianos univerſos.

154 Ad cujus rei elucidationem, cauſam inquirere oportet hujuſmodi in veteri lege prohibitionis: & qua de cauſa Apoſtoli moti tale ediderint decretum. Et quidem prima omnium cauſa antiquæ prohibitionis, aſſignatur à Domino in eodem Levitici lib. cap. 17. verſ. 10., inquiens: *Homo quilibet de Domo Iſrael & de advenis, qui peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo: quia anima carnis in ſanguine eſt:* Et in lib. Deutoronomii cap. 12. verſ. 23. *Cave nè ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt: idcircò non debes animam comedere cum carnibus.* Itaquè prima ratio eſt, quia ſanguis animalium pro anima eſt: & in ſanguine potiſſimùm illorum ſenſitiva viget anima eſt enim ſanguis vehiculum, & nutrimentum animæ ſenſitivæ: Et ut docet ipſe Ariſtoteles, animalis vita conſiſtit in temperamento calidi & humidi, quomodo maximè eſt ſanguis, qui etiam ultimum alimentum eſt, ſine quo vita conſiſtere non poteſt: Et ex eo vitales ſpiritus, quibus maximè vita fovetur, formantur, ac in eo reſident: imò ſunt ipſæ tenuiores, puriores, ac ferventiores ſanguinis partes. Et idcircò vetuit Deus edere ſanguinem animalis, in quo, modo prædicto, anima eſt, quia, comedere ſanguinem, idem videbatur eſſe, ac comedere ipſum animal vivum, id quod ferinum eſt, & inhumanum. Voluit porrò Deus hoc præcepto deterere Iſraelitas à barbara, & ferina quorumdam Ethnicorum conſuetudine, qui crudam animalis carnem, ſanguine madefactam, aut ſanguine adhùc manantem comedebant: quam quidem beluinam conſuetudinem, adhuc viguit apud quoſdam Ethnicos, ætate Arnobii, & Clementis Alexandrini: Ille enim lib. 5. adversùs Gentes, reprehendens immanes Ethnicorum mores inter alia, ait: „ Baccanalia prætermittamus immania, quibus nomen *Omophagiis* (crudivoria) Græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtra pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque in vos plenos Dei numine ac Majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis. *Hæc ille*. Clemens porrò Alexandrinus in ſua ad Gentes oratione, eundem morem recenſens, ait: „ Dionyſium Menoclem Orgiis Bacchi celebrant, crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, & Cæſarum carnium peragunt diviſionem coronati ſerpentibus, ululantes *Evam*. Complura alia quoque Deus interdixit Filiis Iſrael, ut ab impiis Gentilium ritibus, & moribus deterreret proùt univerſi Scripturales adnotāt.

155 Altera porrò ejuſdem prohibitionis cauſa, in eodem Levitici textu aſſignatur, dùm ſubjungit Deus: *Et ego dedi illum vobis* (puta ſanguinem) *ut ſuper Altare expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* Sibi enim Deus ſanguinem in Sacrificiis immolandum reliquit: unde cap. 3. ejuſdem libri docens, quo pacto deberent hoſtias pacificorum offerre, tam de bobus, quàm de ovibus, agnis, & Capris, jubet filios Aaron Sacerdotes fundere ſanguinem victimæ per Altaris circuitum: *fundentque Filii Aaron Sacerdotes ſanguinem per Altaris circuitum.* Sic & Cap. 4. agens de Sacrificiis offerendis pro Principe, aut multitudine per ignorantiam peccante, mandat, ut de ſanguine victimæ immolatæ ſepties aſpergatur contra velum Tabernaculi, & reliquum fundatur in cornibus Altaris, & juxta baſim Altaris olocauſtorum. Etiam in Sacrificio Turturum, parietem Altaris de illarum ſanguine aſpergendam præcipit, ex cap. 5. ejuſdem libri. Et in principio ejuſdem cap. 7. agens de oblatione hoſtiæ pro delicto, ait: *Hæc quoque lex hoſtiæ pro delicto Sancta Sanctorum eſt. Idcircò, ubi immolabitur holocauſtum, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis ejus per gyrum Altaris fundetur.* Sicut pariter cap. 16. jubet, ut de ſanguine vituli oblati ſepties digito aſpergatur contra propitiatorium, ad Orientem, idemque ſervandum mandat de ſanguine oblati hirci: Et deniquè eadem habetur lex ergà initium cap. 17., ubi dicitur: *Immolent eas hoſtias pacificas Domino: fundetque Sacerdos ſanguinem ſuper Altare Domini ad oſtium Tabernaculi teſtimonii.* Unde ex conſequenti prohibens eſum ſanguinis rationem afferens, ſubjungit: *Ego dedi illum vobis, ut ſuper Altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* Itaquè cum Deus animalium ſanguinem in Sacrificiis, pro criminum expiatione, ſibi offerendum

dum

dum reservaverit, conveniens fuit, ut esus illius interdiceretur. Hinc S. Joannes Chrysostomus homil. 27. in Genes., ait: *Carnem animalium indulsit homini, quod id pertineret ad utilitatem: sanguinem autem sibi reservavit in Sacrificiis immolandum.*

156 Tertia porrò hujus prohibitionis ratio, desumi potest, ex cap. 9. Genesis, ubi facta prohibitione de comedendo sanguinem, sive carnem cum sanguine, statim subjungit Deus: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Unde colligi potest ad homicidia quoque prorsùs vitanda esum sanguinis interdixisse, nè gustata acrimonia sanguinis bestiarum sitirent posteà humanum sanguinem, & ad homicidia efficerentur propensi, proùt exponunt Doctores. Hæc ergò videntur fuisse hujus prohibitionis causæ in veteri lege.

157 Sed qua de causa moti Apostoli de sanguine, & suffocato Christianis comedere interdixerint, restat videre. Origenes in libro 8. contrà Celsum, fatetur sententiam seu gentilium opinionem fuisse, hujusmodi suffocata cibum fuisse Dæmonum illisque ali: nè ergò viderentur Christiani vesci Dæmonum cibis, Apostolos interdixisse: „ Suffocata „ fuerunt, *inquit*, sanguine non expresso de „ mortuo: quæ utique Dæmonum esse asserunt cibum, ut ex ejus nidore hi pascantur, „ hæc idcircò prohibet sermo, nè in cibum „ sumantur, nè fortè Dæmonum cibis enutrimur: proindè nè nobiscum istiusmodi „ spiritus coalantur, si suffocatis vescamur. *Ità Origenes.*

158 Verior tamen est D. Augustini sententia lib. 32. contrà Faustum cap. 13. ubi ait, non propter observantiam Legis Mosaycæ Apostolos hujusmodi præcipisse abstinentiam, sed ut faciliùs Christianorum, Judæorum, & Gentium animi conglutinati, in unum populum coalescerent, sublatis, rebus hisce, quæ vehementiùs eos dissociare, atque alienare possent. Judæi enim propter antiquam consuetudinem, esum sanguinis, & suffocatorum incredibiliter aversabantur, & exhorrescebant: undè permisso horum esu ad Christum venire detraxissent; ad facilitandam ergò illorum conversionem, & coadunationem cum Gentibus ad fidem conversis, placuit Sanctis Apostolis esum sanguinis interdicere & suffocatorum; ait ergò Augustinus: „ Si hoc tunc „ Apostoli præceperunt, ut ab animalium „ sanguine abstinerent Christiani, nè præffocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi „ videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in qua „ cum Israelitis etiam gentes, propter *angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem*, aliquid commune observarent: simul & admonerentur, in ipsa Arca Noe, „ quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium „ gentium fuisse præfiguratam: cujus facti „ prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri. *Hæc Sanctus Doctor.*

159 Proindè non æternum sed temporaneum fuisse ejusmodi præceptum, concludit: nam cùm postea Ecclesia crevisset, & Judæi & Gentes in unum coaluissent, illique duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, in angulari lapide Christo, compaginati essent, cœpit paulatim hujusmodi cessare præceptum: nam causa cessante, cessat & effectus, & amoto fine legis, ipsa quoque cessat lex: „ Transacto autem illo „ tempore, *subjungit Augustinus*, quo illi „ duo parietes, unus ex circumcisione, alter „ ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctiùs eminebant. At ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, „ ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut „ Leporem non edat, si manu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? „ Et qui fortè pauci adhùc tangere ista formidant, à cæteris irridentur. Ità omnium „ animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, *non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit*, nullam cibi naturam, quam societas admittit humana, sed „ quæ iniquitas committit, peccata condemnans. *Hactenus S. Augustinus.*

160 Itaquè Christiani non tenentur ad hujusmodi præcepti observantiam ex vi legis Mosaycæ: quia post Christum antiqua veteris testamenti Sacrificia cruenta jam cessarunt, nec mactantur in sacrificium animalia, quorum sanguine necessè sit conspergi Altare pro peccati expiatione, quemadmodùm tunc fieri oportebat, cujus rei causa hanc prohibitionem fecisse superiùs ex Levitici textu demonstratum est: Illa erant futurorum figura & umbra, quæ per Christi legem evacuata sunt. Nec tenentur modo ex vi Apostolici decreti, quoniam ut dicit Augustinus, cessavit causa, & hujus mandati finis: quare non est unde Latini reprehendi possint quod sanguinem comedant & suffocata.

161 Sed quo tempore evacuatum est, apud Latinos hoc præceptum, quod ab initio etiam citrà scandalum erat obligatorium, non est adeò notum & certum. Et quidem ætate Tertulliani adhùc servabatur, & ætate Minutii Felicis: nam Tertullianus in Apologetico adversùs Gentes cap. 9., ait: *Erubescat error vester Christianis, qui nec animalium quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis, & morticinis abstinemus, nè* quo

quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tot tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admovetis. Tam constanter ea ætate hoc Christiani servabant præceptum, ut Ethnici botulos ex carnia frustibus confectos, & sanguine consperfos, & madefactos in tentamentum ori illorum admoverent: Minutius felix verò in Octavio, similia in Christianorum defensm, qui de homicidiis per calumniam accusabantur, scribit, inquiens: *Nobis homicidium, nec videre, nec audire: tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec eculium pecorum sanguinem in cibum noverimus*. Etiam Blandina Martyr apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 1. ad expurgandam illatam ab Ethnicis calumniam, quod Christiani infantium carnibus vescerentur, hanc quoque causam adduxit, quod nec animalium sanguine vescerentur, inquiens: *Multum erratis, ò viri, quod putetis infantium carnibus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium sanguine utuntur*.

162 Itaque in primitiva Ecclesia tenaciter hoc præceptum servatum putaverim ad tempora fortasse, usque Magni Constantini, quando Ecclesiæ pace restituta, ex Gentibus innumeri Christianam fidem susceperunt, & ut ità dicam, ferè universus Orbis ad Christum accessit: Tunc enim duo illi parietes, qui ex Judæis, & qui ex Gentibus venerant perfectè in lapide angulari Christo compaginati fuerant. Et idcò maximè in Ecclesia Latina omissa est hujusmodi observantia, quia ex Gentibus magis, quam ex Judæis in Christum credentibus conflata est: unde & scandalum quod præheretur Judæis ad fidem conversis ea in Ecclesia cessavit, ex illorum paucitate, & aliarum Gentium copiosa numerositate; & occasio retardandi Judæorum conversionem omninò sublata est; cessavit ergò maximè in Ecclesia Latina finis præcepti, & illius prohibitionis causa, ac proindè cessavit præceptum, seu vis obligandi ad illius observantiam.

163 Sed in Ecclesia Orientali diutiùs potuit durasse causa, quoniam Judæi majori ex parte in Oriente versabantur, pauci in occiduis partibus, unde visum est Patribus Græcis citrà scandalum, & fidei discrimen, non esse declinandum à tali observantia, unde factum est, ut ex diuturnitate, ut præceptum perpetuò observandum retentum fuerit. Id quod etiam Ecclesiasticis, & imperialibus legibus confirmare conati sunt: nam in collectione Canonum primitivæ Ecclesiæ, qui sub nomine Apostolorum circumferuntur, inter additos ad quinquaginta receptos & verè antiquos, & hunc sub num. 62. addiderunt: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Sacerdotali Catalogo comederit carnes in sanguine animæ ipsorum, vel quid à feris captum, vel morticinium deponatur. Hoc enim lex prohibuit. Si autem sit Laicus segregetur*. In Synodo porrò Grangrensi in Paphlagonia, sive in regione Pelasgorum celebrata sub Sylvestro Papa, & Magno Constantino, circa Domini annum CCCXXIV. statuentes Patres adversùs Eustachium Episcopum Sebastensem in Armenia, licere Christianis cum fide, & pietate carnibus vesci, excipiunt sanguinem suffocatum, & immolata, decernentes in Canone 11. *Si quis carnem edentem, præter sanguinem, & Idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide condemnat, velut spem propter hujusmodi perceptionem non habentem, anathema sit, prout vertit Dionysius exiguus*.

164 Cùm porrò etiam apud Græcos hujusmodi lex in dissuetudinem abire cœpisset actum est, ut lege Imperiali statutis acerbissimis pœnis renovaretur: Unde Leo Imperator Basilii Macedonis filius in Novella sua Constitutione LVIII. decernit, inquiens: „ Simul olim Legislatori Moysi, sanguine vescendum non esse mandavit Deus, simul ab „ istiusmodi cibo abstineri debere præconibus „ gratiæ, est constitutum. Et quanquam „ tum veteris, tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit & nefaria, eò tamen „ contumaciæ, imò vecordiæ homines procefsere, ut neutri legi aurem præstent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ causâ, summa cum impudentia mandatum „ contemnunt, in escamque qua pasci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum „ enim ad aures nostras est, quod intestinis „ tamquam tunicia illum infartum, vel consuetum aliquem cibum, ventri præbeant. „ Quod tolerari non debere Imperatoria nostra Majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominū invento, nunc præcepta Dei divina, nunc Reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens: jubet, „ nè quis id scelus, neque ad usum suum, „ neque ut emptores detestando, cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At „ sciat quicumque de hinc Divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum „ convertere (sive vendat, sive emat) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subiiciendum, & ubi acerbum in modum flagris „ cæsus, ac cutè tenus fœde detonsus erit, „ perpetuò patriæ exilio mulctandum esse: „ quoquidem in judicio, neque Civitatum „ Magistratus, citrà criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi (neque enim, „ si illi convenienti alacritate Magistratum „ gessissent, id scelus commissum esset) quod „ negligenter, socorditerque subditis præfuerint, decem librarum auri mulctam subsistineant. *Hactenus Leonis constitutio*. Ad quam condendam permotum, aut à Stephano Patriarcha ejus Germano, qui, ut supra fati sumus, expulsò Photio, thronum est adeptus, aut ab Antonio Stephani successore, aut à Nicolao My-

Mystico, qui post Antonium sedit, aut denique ab Eutymio, quoniam sub istis Patriarchis Imperium tenuit ab anno Domini DCCCLXXXVI. ad annum usq; DCCCCXI. probabile mihi videtur. Factum itaque est, ut Orientales ad hæc nostra usque tempora de sanguine & suffocato legem fervent.

165 Cæterùm, etsi propter allegatas à D. Augustino rationes licitè potuerit in disusum abire apud Latinos, & sua ætate jam apud plurimos abjerit, quia ut fati sumus potuit incœpisse aboleri post Constantini Magni tempora, non tamen ita evenit, ut continuò ab universa Ecclesia Latina abrogata fuerit; sed paulatim, & sensim accidisse, nonnulli Canones Latinæ Ecclesiæ demonstrant. Et quidem in Ecclesia Aurelianensi in Gallia viguisse hanc legem de abstinendo à suffocatis tempore Joannis Papæ II. imò & renovatam anno Domini DXXXIII. regnante cum fratribus Childeberto Rege, indicat secundùm ibi, eo anno celebratum Concilium, ubi Can. xx. sancitum est: *Catholici, qui ad Idolorum cultum, non custoditâ ad integrum accepta gratiâ, revertuntur, vel qui cibis Idolorum cultibus immolatis, gustu illicitæ præsumptionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo, aut casu suffocata vescuntur.* Licèt hoc in Canone non omnia suffocata legantur interdicta, sed ea dumtaxàt, quæ morbo, aut casu suffocata sunt, aut bestiarum morsibus extincta: Et ità videtur alia, arte suffocata ab hominibus, ad effectum comedendi de eis non fuisse tunc temporis interdicta, aut à Canone denuò prohibita: quoniam aliàs non limitassent illius Synodi Patres sententiam ad quædam suffocatorum genera. Nec de esu sanguinis ulla in eo mentio fit. Unde apparet, paulatim à Latinis inceptum fuisse usum comedendi de suffocatis, quædam priùs eligendo, alia reiiciendo, donec posteà indiscriminatim de universis, dummodò non nocivis comederint.

166 Hoc idem colligi potest ex collectione Canonum Concilii Wuormatiensis in Germania celebrati sub Adriano II. Papa, & Ludovico II. Imperatore anno Domini DCCCLXVIII. in causa Ecclesiasticæ disciplinæ, ubi Canone 54. decernitur: „ Animal vulneratum à „ bestiis, & gustatum, licitum est manducare, si homo priùs illud animal vivum occiderit. Si verò mortuum fuerit priùs, „ deiiciatur caro ejus: si apes occidunt hominem, occidi debent festinanter: mel tamen „ manducetur. Et Can. LXV. Animalia quæ „ à Lupis, seù Canibus lacerantur non sunt „ comedenda, nisi Porcis & Canibus: nec „ Cervus, nec Capra, qui sanguinem hominis gustantes tetigerunt, manducentur: „ sed qui cadaver mortuum lacerantes manducaverint, carnes eorum manducare non „ licèt, usque dùm macerentur post annum. „ Pisces autem licèt manducare, quia altериùs naturæ sunt. Aves verò & alia anima„ lia, si in retibus strangulantur, non sunt „ comedenda. *Hactenus ibi.* Hunc Canonem depromptum ex Concilio Carthaginensi II. tradit Baronius: sed quidquid sit de hoc, si recitatus & receptus in Synodo Wormatiensi, ostendit in ea Ecclesia tunc temporis non omninò abrogatam fuisse legem de non comedendis suffocatis.

167 Urget quoque Canon pœnitentialis in collectione facta à Gregorio III. Romano Pontifice apud Labæum tom. 6. Concil. pagina 1477. sub titulo: *Iudicia congrua pœnitentibus.* Nam sub num. 29. dicitur: *Suffocatum dicimus, quod sine sanguinis effusione perimitur, vel quod in laqueo necatur. Si quis à Lupo, vel Cane, aut in laqueo suffocatum venerit, nullatenus manducetur: nec sanguinem alicujus bestiæ quis manducare, aut bibere præsumat. Quod si quis fecerit, quadraginta dies pœniteat.* Et cum Gregorius III. adeptus sit Pont. anno Domini DCCXXI. videtur ea tempestate nondùm ubique apud Latinos evacuatam fuisse legem de suffocato non comendo & sanguine. Verùm tamen est hunc Canonem non esse conditum ab ipso Gregorio, sed tantùm excerptum ex Patrum dictis, & sententiis antiquorum Canonum, ab eo tantùm cum aliis Canonibus relatum: unde potuit lex illa esse Romæ penitùs evacuata, licèt tamen non ubique, & pro locis ubi nondùm fuerat evacuata, Canonem illum retulisse: nisi velimus dicere eo Canone voluisse tantùm ostendere quænam sancita erat pœnitentia transgredientibus legem de suffocatis, quando antiquitùs erat in suo robore, vimq; adhùc suâ habebat.

168 Utcumque ergò res se habeat, certum existimo antè Constantini tempora, ut ante dictum est, ab universis totius Orbis Christianis fuisse servatam, post verò Constantinum, ferè universo Orbe Romano ad fidem converso, paulatim deficere incepisse. Et ætate S. Augustini jam non ubique servatam, ut ex illius verbis supra recensitis fit manifestum, progressu verò temporis ubique apud Latinos in dissuetudinem abiisse: cessante illius obligatione, ex causis desuper allegatis. Et Græci mordicus retinere illam voluerunt, & retinent: nec nos eos damnamus, nam præcisa Apostolica lege, sua ipsa Ecclesia libera est, ut legem eandem ferat, obligetque sibi subjectos ad observantiam. Nec per hoc quod Latini, cessante obligatione illius Apostolicæ legis, noluerint se obstringi nova Ecclesiastica lege, ad observantiam illius, damnandi sunt: servanda est fraterna charitas, ut *qui manducat, non manducantem non spernat,* prout admonet Apostolus; *Et qui non manducat, manducantem non judicet. Nam, qui manducat, Domino manducat, gratiat enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat & gratias agit Deo.*

169 Unde ergò est, quod Græci cum suo Archischismatico Cerulario Latinos accusent, quia de immundis comedunt? Quænam sunt viro Christiano immunda à quibus arceri oporteat? In veteri lege, ut habetur in Levitico cap. 11. de immundis hæc scripta habentur: *Omne quod habet divisam ungulam & ruminat in pecoribus, comedetis. Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelum & cætera non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. Chœrogryllus qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est. Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed ungulam non dividit: & sus: qui cum ungulam dividat, non ruminat: horum carnibus non vescemini.* Porrò de aquaticis. *Quidquid pinnulas & squammas non habet eorum quæ in aquis moventur, & vivunt, abominabile vobis, execrandumque erit, carnes eorum non comedetis.* Inde de Avibus: *Aquilam & Gryphum, & haliæetum, & milvum, ac vulturem juxtà genus suum: & omne corvini generis in similitudinem suam, struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem, juxta genus suum: bubonem, & mergulum, & Ibin, & Cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem, herodionem, & Charadrion juxtà genus suum, upupam quoque & vespertilionem. Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.* Deniquè de Reptilibus. *Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.* Hæc sunt quæ Levitici lege immunda sunt, repetita quoque in Deutoronomii cap. 14. à quibus abstinere oportebat Judæos. Verùm ad hujusmodi legis observantiam Christiani nequaquam tenentur. Nec illa Deus Judæis prohibuit quasi naturâ mala, aut naturâ immunda: nam omnia, quæ Deus creavit erant valdè bona: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, ait Moyses Gen. cap. 1. Et ut ait Paulus ad Romanos scribens cap. 14. *Omnia quidem munda, sed malum est homini, qui per offensionem manducat.*

170 Rectè Beatus Augustinus in libro contra Adimantium cap. 14. exponens præcepta illa Levitici de abstinentia ab immundis, ait: „Quod enim de quibusdam carnibus non „manducandis Judæis præceptum est, & im„mundæ sunt dictæ, ad significationem va„let hominum immundorum, qui per figu„ras in veteribus Scripturis sunt designati. „Sicut enim bos ille, cui trituranti vetat os „alligari, Evangelistam significat, sicut „Apostolus apertissimè exponit: sic & illa, „quæ prohibita sunt, quasdam hominum „immunditias significant, quæ in societatem „Corporis Christi, idest, Ecclesiam stabi„lem, & sempiternam non recipiuntur. Nam „quod ad cibos attinet, omninò nihil im„mundum esse, sed malum esse homini, qui „per offensionem manducat, manifestissimè „apparet. *Hæc Augustinus.*

171 Christiani ergò in libertatem vocati, ab onere legis per Evangelium soluti, à Legalium observantia, quæ quidem solos Judæos obstringebant, immunes sunt: alia eis de cibis edendis promulgata sententia: nam & ipse Christus apud Matthæum cap. 15. putantes Pharisæi esum ciborum in lege vetitorum hominem coinquinare per se: contrarium docuit, inquiens: *Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem:* Non enim cibus quicumque sit, qui natura sua bonus est, *quia omnis creatura Dei bona est*, ut scribit Paulus in prima ad Timotheum cap. 4. coinquinat hominem, sed quæ ex ore procedunt coinquinant hominem: Quod autem per os intrat, solùm ex circunstatiis hominem coinquinare possunt, si scilicèt adsit prohibitio: quoniam tunc inobedientia coinquinat hominem, vel aliquando etiam intemperantia: Et ità esus carnium temporibus prohibitis propter inobedientiam coinquinat: caro ipsa, quæ natura sua bona est, non habet coinquinare, sola inobedientia reum constituit comedentem.

172 Cum verò prohibitio de non edenda carne quorundam animalium, quæ Lege Mosaica dicuntur immunda, per Evangelium cessaverit, non est unde reprehendi possint Christiani, si etiam de carnibus vetitis in veteri lege comedant. Ex doctrina porrò Apostoli Pauli constat Christianos exemptos ab hujusmodi obligatione. Nam ad Romanos scribens cap. 14., ait: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* Idest, qui perfectus est, & firmus in fide, scit veterem legem mortificatam in Christi passione, atque sibi licere manducare omnia, & si aliunde in veteri lege prohibita, eò quod in lege Evangelica nullum genus ciborum censeatur vel immundum, aut vetitum. Sed qui infirmus est, & parùm in fidei Mysteriis instructus, putat id Christianis non licere, sed cibis olim lege vetitis, credit adhuc abstinendum esse. Iste ergò, ait Paulus, nè contra conscientiam propriam peccet, *olus manducet*, se abstineat scilicèt à prohibitis in lege, & non prohibitis vescatur. Subjungit posteà. *Is qui manducat non manducantem non spernat.* Qui enim firmus in fide, & quibuslibet vescitur cibis non spernat infirmum, qui ab aliquibus se abstinet, non habeat vilem illius salutem, scandalum ponens, faciens suo exemplo illum contra conscientiam comedere. *Et qui non manducat, manducantem non judicet*, non scilicèt condemnet eum tamquam legis transgressorem, aut immundo cibo se contaminatum.

173 Non est propter cibum contristandus frater, prosequitur Paulus, contristans verò non in charitate ambulat. *Si enim propter cibum*, inquit, *frater tuus contristatur: jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Non ergò blasphemetur bonum nostrum. Non est enim Regnum Dei esca, & potus*. Et paulò post. *Noli propter escam destruere opus Dei: omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat*. Hec ergò Apostoli verba apertè docent non esse inter Christianos contendendum super ciborum discrimine, nec propter hujusmodi differentiam contristandum fratrem. Et in priori ad Corinthios cap. 10., ait: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo ejus*. Quæcumque venalia exposita in Macello sunt, emi posse, & comedi consulit Paulus: quia omnia animalia Deum habent auctorem, & bona sunt, nam Domini est terra, & Domini sunt, quæ in terra vivunt animantia universa, omniaque, quæ gignuntur in ea. Et in priori ad Timotheum cap. 4. postquàm dixerit venturos in novissimis diebus homines prohibentes nubere, & abstinere à cibis in hypocrisi loquentes mendacium: ait: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Et ad Titum cap. 1. *Omnia munda mundis*, ait, *coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum*. In creatoris namque Dei nihil est ex se immundum: benè, & sanctè viventibus, & rectè rebus utentibus, omnia munda sunt. Sed non rectè credentibus, ac malè viventibus omnia immunda sunt.

174 Sed audiamus S. Augustinum lib. 31. contra Faustum Manichæum super hanc Pauli sententiam, sic cap. 4. loquentem: „ Cum ait „ Apostolus: *Omnia munda mundis*, natu- „ ras ipsas intelligi voluit, quas Deus crea- „ vit, secundùm illud quod Moyses in Ge- „ nesi scripsit: *Et fecit Deus omnia: & erant* „ *bona valdè*: non significationes, secun- „ dùm quas Deus, per eundem Moysen ab „ immundis munda discrevit: Unde quia mul- „ ta, & multis locis jam diximus, nunc bre- „ viter admonuisse suffecerit. Proindè illos, „ qui jam tempore revelationis novi testa- „ menti, adhuc illas umbras futurorum ita „ custodiendas putarent, ut sine iis gentes „ salutem, quæ in Christo est, percipere non „ posse contenderent, immundos dicit Apo- „ stolus, quod carnaliter saperent: & infide- „ les, quod tempus gratiæ à legis tempore „ non discernerent. Quibus ideò dicit nihil „ esse mundum, quia & iis, quæ respuebant, „ & iis quæ sumebant, non sanctè, nec justè ute- „ bantur: sicut omnes quidem infideles. *Hactenus S. Augustinus*. Alia quoq; ad rem habet lib. 6. contra Faustum cap. 7. Itaq; firmum stat, licere Christianis omnia indiscriminatim comedere, etiam si in veteri lege vetita, nec per hoc rectè à quovis reprehendi possunt, nisi fortè à Judæis, vel Judaizantibus. Advertant hoc Græci, qui cum Cerulario audent hæc obiicere Latinis, nè Judæos imitentur. Certum tamen est, à multis in lege vetitis Christianos quoque se abstinere, non lege prohibente, sed natura abhorente, nam neque noctuas comedunt, nec miluos, nec bubones, nec alia plura, à quibus natura abhorrere videtur, vel sibi nociva existimant. Sed de his satis.

CAPUT VII.

De cæteris Michaelis calumniis.

175 Licèt cætera quæ obiicit Michael, aut jam in Photii calumniis examinata sint atque rejecta, aut adeò levia sint, ut discussione nec quidem mereri videantur; attamen breviter percurrere decrevi, ut nihil Lectori desiderandum restet. Et primò obiicit, quod Clerici Latini barbam radant, quæ fuit VIII. Photii calumnia, adversùs quam plura diximus. Modò addo, apud Latinos esse ritum tondendi Clericis barbam: Unde in Pontificali Romano, sub titulo *de Barba tondenda*, talia præscripta leguntur. *Quando primo Clericis barbæ tondentur, dici debet, sedente cum mitra, Antiphona*: sicut ros hermon, qui descendit in Montem Sion: sic descendat super te Dei benedictio: *Deinde recitatur integer psalmus*. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum, *cum Gloria Patri* in fine. *Inde repetitur Antiphona, qua finita Pontifex, deposita mitra, surgit, & stans versus ad illum dicit*: „ Ore- „ mus. Deus, cujus providentia omnia crea- „ tura crementis adulta congaudet, preces no- „ stras super hunc famulū tuum juvenilis æta- „ tis decore lætantem, & primis auspiciis at- „ tondendum exaudi, ut in omnibus prote- „ ctionis suæ munitus auxilio, ævoquæ lar- „ gitore provectus, cœlestem Benc ✠ dictio- „ nem accipiat, & præsentia vitæ præsidiis „ gaudeat & futuræ. *Per Dominum no-* „ *strum &c. Amen*. An porrò hoc verti debeat in crimen Latinæ Eccl., videnda sunt, quę diximus loco antefato in eadem materia.

176 De Sabbati jejunio in Ecclesia Latina servato, quod obiicit quarto loco Michael, diffusè disputatum est adversùs primam Photii calumniam. Quod Latini immunda animalia comedant, ut quinto loco obiicit Michael dictum est in superiori capite, occasione refutandi primam calumniam de suffocatorum esu.

177 Pergit sextò Michael reprehendens Ecclesiam Latinam, ex eo quod sui Monachi carnes comedant. Sed quàm sit parvi momenti hujusmodi reprehensio, quis non videt? Certè

Certè nullâ Divinâ, aut Ecclesiasticâ Lege prohibetur Monachis esus carnium, sed universi suæ Regulæ instituta sectantur, prout à Sanctis Institutoribus ordinatum fuit. Sunt ergò apud Latinos Monachi perpetuò à carnibus abstinentes ex propriæ Regulæ instituto, ut Carthusiani, & alii plures. Et sunt qui carnes comedunt, quia nec aliquâ positivâ Ecclesiæ Lege, nec ex propriæ Regulæ instituto est eis vetitum. Non enim status Monachalis, secundùm se, ut præcisè Monachalis, annexam habet hujusmodi obligationem. Sunt diversa Monachorum genera, diversas habentia observantias, ad quarum normam vitam instituunt, tàm in victu, quàm in vestitu, in operibus, in Divinis Officiis, in orationibus, & in cæteris pluribus. Undè & si sunt qui carnes comedunt, non prohibente aliquâ lege, non sunt reprehendendi, minùs ex hoc reprehendenda est Ecclesia Latina, quæ unicuique vivere permittit secundùm propriæ Regulæ præscriptum.

178 Tria dumtaxàt Monachorum Instituto substantialia sunt, nimirum, Obedientia, Paupertas, & Castitas; ad hæc antiqui Monachi se obstringebant sequentes Evangelica consilia: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo*, Matthæi cap.19., quod quidèm pertinet ad paupertatem. *Et veni sequere me*, quod perfectam indicat obedientiam per abnegationem sui ipsius; nam Matthæi cap.16. ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*. Deindè pro voto Castitatis faciunt Evangelica illa verba, apud eundem Matthæum, cap.19. *Et sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum*. Undè & Sanctus Hieronymus in Epistola ad Eustochium describens Monachorum Instituta, quantùm ad Monachorum obedientiam hæc habet: *Prima apud eos confederatio est, obedire Majoribus*. Et in Epistola ad Rusticum Monachum, inquit: *Per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum*. Et Sulpitius in Dialogo de Virtutibus Sancti Martini, differens de Monachis, ait: *Præcipua ibi virtus & prima, est obedientia*.

179 De Paupertatis autem voto altera Monachorum virtus, & illorum Instituto annexa, scribit Cassianus lib.4. de Institutis Renunciantium, cap.13., inquiens: *Illam virtutem inter cæteras eorum Institutiones, vel commemorare superfluum puto, quòd scilicèt nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens, suo debeat communire signaculo*. Hinc & Sanctus Bernardus in declamatione super illud Matthæi 19. *Vade, vende quæ habes*, ait, *Hæc sunt verba, quæ contemptum Mundi in universo Mundo, & voluntariam persuasère paupertatem, hæc sunt quæ Monachis Claustra replent, Deserta Anachoretis*.

180 Deniquè quoad Castitatem à Monachis professam, hæc scribit Epiphanius hæresj.58., inquiens: *Quinam hi fuerint, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum, quàm generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps Virgines?* Et Divus Hieronymus in Epistola ad Sabinianum scribit: *Moris est in Ægypti, & Syriæ Monasteriis, ut tàm Virgo, quàm Vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem Monasteriorum Matribus offerant descandum*.

181 Hæc itaquè tria ad substantiam Monachalis pertinent Instituti; hæc ab universis Monachis, tàm in Oriente, quàm in Occidente servantur; hæc ab omnibus cujusvis Ordinis Religiosis amplectuntur. Cætera verò ad particularia cujusvis status Monachalis, aut Ordinis Religiosorum Instituta pertinent. In Oriente quidèm, fateor, Monachos à carnibus abstinuisse, immò, & à multis aliis cibis in magna abstinentia vitam ducentes; de quibus Sanctus Augustinus in lib. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap.31., sic scribit: „ Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum Orbem in dies magis, magisque diffundi, & in Oriente maximè, atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latère. Nihil de iis dicam, quos paulò ante commemoravi, qui secretissimi penitùs ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aquâ contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei. *Hæc ibi*; qui paulò post de Monachis, & illorum Institutis agens, primò dicit: *Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit*; & post plura subjungit: „ Corpus deindè reficiunt quantùm saluti, & salubritati sat est, coereente unoquoque concupiscentiam, nè se profundat, vel in ea ipsa, quæ præstò sunt parca, & vilissima. Ità non solùm à carnibus, & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam, quæ tantò concitatiùs ventris, & gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur; quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè, turpitèrq; defendi. *Hæc, & alia ibi Augustinus*. Sed hæc tàm rigida abstinentia, nec in Oriente modò à Monachis servatur, ut per se notum est, licèt utplurimùm à carnibus se abstineant, quemadmodùm, ut antefati sumus, & in Occidente plures ex Monachis, & nonnulli diversorum Ordinum Religiosi, ex proprio à Patribus Fundatoribus Instituto, se abstinent; quidèm omni tempore, non admittentes dispen-

ſpenſationem neque infirmitatis cauſâ. Alii in ſola infirmitate edentes; nonnulli certis tantùm temporibus abſtinentes, vel etiam in locis. Servetur ergò in hoc uniuſcujuſque Inſtitutum: *Nec ampliùs judicemus invicem*, ut admonet Paulus, *& hoc magis judicandum, nè ponamus offendiculum fratri, vel ſcandalum*.

182 De VII. porrò calumnia, qua reprehendit Latinos, quaſi rectè non ſervent Quadrageſimale Jejunium, comedentes carnes in prima Quadrageſimæ hebdomada, & in illa Quinquageſimæ, miror cùm non dixerit cum Socrate, lib.5. Hiſtor.Eccleſ. cap.22., Romanos, tres tantùm hebdomadas jejunare pro Quadrageſimali Jejunio: Certè aut Socratem non legerat, aut apertum mendacium ab eo pronunciatum agnovit. Cæterùm,quid ad Latinos, ſi Græci per hebdomadam ante Quadrageſimam à carnibus ſe abſtinent, vel à Quinquageſima jejunium incipiant? Latini namquè Quadrageſimam jejunant, ptout à Patribus acceperunt. Et teſte Auguſtino, Epiſt. 119., quadraginta dierum ſpatio curſum Quadrageſimalis abſolvit: *Ut quadraginta illi dies*, inquit, *ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo roboravit*. Et Serm. 69. de Tempore, ait: *Hos ſanctæ Quadrageſimæ dies debemus omni cum veneratione ſuſcipere; nec longiorem numerum hujus temporis faſtidire*. Leo Magnus Serm. 3. de Quadrageſima: *Meritò*, inquit, *doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit Populum Chriſtianum,ut ad Paſchale feſtum quadraginta dierum ſe continentiâ præparent*.

183 Cùr verò aliqualis diverſitas in Quadrageſimali ſervando jejunio interceſſerit, tradit Theonas apud Caſſianum Collat. 21. cap. 24., ubi quærens Abbas Germanus, cùr alicubì ſex hebdomadibus Quadrageſimale Jejunium celebretur, alibi verò ſeptem, reſpondit: „ Quod dicitis diverſo more, ideſt, „ ſex, vel ſeptem hebdomadibus per nonnul„ las Provincias Quadrageſimam celebrari, „ una ratio, idemque Jejuniorum modus di„ verſâ hebdomadarum obſervatione conclu„ ditur. Hi enim ſibi ſex hebdomadarum „ obſervantiam præfixernut, qui putant, die „ quoquè Sabbato jejunandum. Sex ergò „ in hebdomada jejunia perſolvunt, qui eoſ„ dem ſex & triginta dies revolutos conſum„ mant. *Hæc ille*. Porrò hæc jejunii diverſitas, ſi quæ ſit, & quæ olim fuit, non diſſociat Eccleſias, quę cum hac diverſitate in unitate fidei perfectè copulantur, ut optimè ſuâ ætate obſervavit Ireneus in Epiſtola, data ad Victorem Papam, apud Euſebium, lib.5. Hiſt. cap.24., inquiens: „ Ne„ que enim de die ſolùm controverſia eſt, ſed „ etiàm de forma ipſa jejunii. Quidam enim „ exiſtimant, unico die ſibi eſſe jejunandum; „ alii duobus, alii pluribus, nonnulli etiam „ quadraginta horis diurnis, ac nocturnis „ computatis, diem ſuum metiuntur. At„ que hęc in obſervando jejunio varietas,non „ noſtrâ primùm ætate nata eſt, ſed longè „ apud majores noſtros cœpit; qui negligen„ tiùs, ut veriſimile eſt, Præſidentes, ex ſim„ plicitate, & imperitia ortam conſuetudi„ nem poſteris tradiderunt. Nihilominùs ta„ mèn & omnes iſti pacem inter ſe retinue„ runt, & nos invicèm retinemus. Ità Je„ juniorum diverſitas conſenſione fidei com„ mendat. *Hactenus Irenæus*. Diſcant ergò Schiſmatici ab hoc Sanctiſſimo Doctore diverſitatem Jejuniorum, ac modi jejunandi in primitiva quoquè Eccleſia extitiſſe, Eccleſias tamèn non diſſociaſſe, & vereantur ſequi Cerularium, qui pro una ſeceſſionis cauſa ab Eccleſia Latina, diverſam obſervantiam Jejuniorum aſſignat.

184 Pretereo id, quod octavo objicit Cerularius de addictione facta Symbolo ab Eccleſia Latina circà Spiritus Sancti proceſſionem, cùm de hac controverſia copiosè actum ſit adversùs ſecundum Photii objectum. Quòd porrò in Miſſa Latina verba illa: *Unus Sanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus*, cum iis, quæ ſequuntur, altâ voce decantet, ut nono objicit Cerularius, neſcio quod crimen ſit, & qua hoc ſit interdictum lege, ut in crimen Eccleſiæ Latinæ verti poſſit. Dicere non ſatis eſt, niſi dictum probetur: Ei ergò probare incumbit, non licère altâ voce talia proferri verba.

185 Decimo indè in crimen vertit, quòd in Eccleſia Latina duo fratres duas in uxores ducant ſorores;& quòd prohibeant Sacerdotibus nubere. De hac ſecunda parte plura diximus adversùs tertium Photii objectum; undè ſolùm reſtat videre, an liceat duobus fratribus duas ducere ſorores: Si enim non liceret, ratione certè alicujus canonici impedimenti id eveniret, quod eſſet aſſignandum. Verùm nec jure Divino naturali, nec jure aliquo Eccleſiaſtico id prohibitum conſtat; quoniam nec in Levitico, cap.18., ubi diverſa recenſentur impedimenta contrahendi matrimonia, nec in aliquo Eccleſiaſtico Canone reperitur interdictum, nè duo fratres duas ducant ſorores; immò lege Deuteronomii, cap.25., licebat fratri innupto uxorem demortui fratris ſinè liberis ducere ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui; & ita una mulier poterat eſſe uxor duorum fratrum ſucceſſivè, quod certè majùs eſt, quam quòd duæ ſorores ſint duorum fratrum uxores. Et ante legem ſcriptam, ſiſtendo in jure naturæ, licebat uni viro duas ſorores ſimùl ducere, ut habetur Geneſ. cap.29. de Jacob, qui Racheli nupſit, & Liæ ſororibus, quod pariter fortiùs eſt.

186 Itaquè ſi adeſſet aliquod impedimentum prohibens hujuſmodi matrimonia, proveniret, aut ex cognatione, ratione ſcilicèt conſanguinitatis, aut ex affinitate: Ex neutro

tro capite oritur impedimentum, nè duo fratres duas possint ducere sorores; non quidèm ex consanguinitate, quia hæc est vinculum eorum, qui ab uno stipite per sanguinis propagationem descendunt, itaut omnes eundem sanguinem participent, atque ad unum & eundem reducantur stipitem. Atqui soror uxoris fratris, per hoc, quòd sit soror præfatæ uxoris, nullam consanguinitatem habet cum marito sororis, multò minùs cum fratre ejusdem mariti, quià non per hoc, quòd sit maritus sororis, fit, ut ab eodem stipite naturali propagatione descendat per sanguinem, & multò minùs frater mariti. Ergò locum non habet in casu impedimentum cognationis, vel consanguinitatis.

187 Affinitas porrò inter eos est, qui tantùm per unionem duorum in unam carnem copulantur; nàm quia per carnalem copulam vir & fœmina fiunt una caro, juxtà illud Genes. cap. 2. *Et erunt duo in carne una*. Et Christus, Matthæi cap. 19. *Itaquè jàm non sunt duo, sed una caro*. Undè fit, quòd consanguinei mariti efficiuntur affines uxori, & consanguinei uxoris efficiuntur affines marito. At consanguinei uxoris non efficiuntur affines consanguineis mariti, nec consanguinei mariti efficiuntur affines consanguineis uxoris; nàm affinitas respicit tantùm uxorem, quæ facta est una caro cum marito, & ipsum maritum factum una caro cum uxore. Et ità, licèt frater mariti sit affinis uxori sui fratris, non tamèn est affinis sororis uxoris mariti; sicut & uxor licèt sit affinis fratri mariti, soror tamèn uxoris fratris non est affinis ipsi fratri. Ergò non adest impedimentum affinitatis prohibens, nè duo fratres duas ducant sorores; sicut adest, nè duo fratres ducant eandem uxorem, etiam post demortuum fratrem, nec unus maritus ducat duas sorores, licèt unâ extinctâ. Ergò gratis, & per solam meram calumniam vertit Cerularius in crimen Ecclesiæ Latinæ, quòd permittat, duos fratres duas ducere sorores. Hoc enim in universa totius Ecclesiæ Canonum collectione non reperitur prohibitum.

188 Inania quoquè sunt quæ XI. & XII. adversùs Latinam profert Ecclesiam, quòd in solemnioribus Missis antè sacram Communionem alter Ministrorum alterum osculetur, cùm & ille posteà alium, & successivè alter alterum ex assistentibus, & Sacrificio interessentibus, pervetustus est Ecclesiæ Catholicæ ritus. Est enim pacis osculum, ac ideò osculando dicit: *Pax tecum*, & quidèm desumptus ex iis, quæ in nonnullis Epistolis Paulus admonet, ut ad Roman. cap. 16. vers. 16. *Salutate invicèm in osculo sancto*. Et in priori ad Corinth. cap. 16. vers. 21. idem dicens. Et in prima ad Thessal. cap. 5. vers. 26. *Salutate fratres omnes in osculo sancto*. Optimè Origenes in Epistola ad Romanos, ad cap. 16. ait: „ Ex sermone Pauli (scilicèt, cùm „ dicit: *Salutate vos invicèm in osculo sancto*) mos in Ecclesia traditus est, ut post „ orationes, osculo se invicèm suscipiant „ fratres. Hoc autem osculum sanctum ap„ pellat Apostolus; quo nomine illud docet „ primùm, ut casta sint oscula, quæ in Ec„ clesiis dantur; deindè, ut simulata non „ sint, sicut fuerunt Judæ. Osculum verò „ fidele, primò castum sit, deindè pacem in „ se, simplicitatemque habeat in charitate „ non ficta. *Hæc Origenes*. Et antè Origenem, Justinus Martyr circà finem Apologiæ hujus ritus meminit, dùm ait: *Precibus finitis, mutuo nos invicèm osculo salutamus*; post quem sequi Eucharistiæ administrationem dicit. Cyrillus porrò Hierosolymitanus Catechesi v. Mystag. de eodem pacis osculo scribit; „ Nec hoc ità accipias, quasi osculum „ illud sit hujusmodi, quale in foro inter „ omnes amicos esse consuevit, neque enim „ tale est. Hoc igitùr osculum animos mu„ tuò conciliat, & omnem malorum obli„ vionem illis spondet. Signum igitur est „ hoc osculum reconciliationis animorum, „ universæq; injuriarum memoriæ deletæ.

189 Meminisse oportebat Cerularium verborum Christi Domini apud Matth. cap. 5. vers. 26., ubi ait: *Si ergò offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum antè Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens, offeres munus tuum*. Antè perceptam Eucharistiam in signum perfectæ reconciliationis osculantur Christiani in osculo sancto, nè pollutis labiis Dominicum Corpus sumere audeant; undè idem Cyrillus post aliqua subjungit, dicens: *Igitùr osculum hoc, quo in sacris utimur, reconciliatio est, atque idcircò sanctum, de quo Paulus dicit: Salutate vos invicèm in osculo sancto*. Et Petrus inquit: *in osculo dilectionis*. Et Sanctus Augustinus Serm. 83. de diversis idem tradit, inquiens: „ Post Orationem „ Dominicam, quam accepistis, & reddidi„ stis, dicitur: *Pax vobiscum*, & osculantur „ se invicèm Christiani in osculo sancto, „ quod est signum pacis, si quæ ostendunt la„ bia, fiat in conscientia, quomodò labia „ bia tua ad labia fratris tui accedunt, sic „ cor tuum à corde illius non recedat. Plura etiam tradit ad rem Chrysostomus Homil. 30. in cap. 13. Epistolæ secundæ ad Corinthios. Undè Athenagoras, in Orat. ad Christianos, ait: *Tàm accuratè temperare osculum, seù potiùs ad orationem salutationis oportet, nè si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum*. Ejusdem paritèr meminit Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. Et Tertullianus in libro de Oratione, præfatum osculum signaculum orationis appellat. Quodnam ergò crimen erit, si antè sacram Communionem Sacerdos pacem Ministro in sancto præbet osculo, & Minister successivè

aliis,

aliis, ut omnes perfectè signum reconciliati cum fratre animi exhibentes, ad dignè Corpus Dominicum suscipiendum, accedere possint?. Hoc non est solùm Ecclesiam Latinam reprehendere, verùm & primitivæ Ecclesiæ Patres, tùm Latinos, tùm Græcos, nè dicam ipsos Sanctos etiam Apostolos.

190. De Annulo porrò, quo Episcopi in Ecclesia Latina uti solent, secundùm ejusdem Ecclesiæ consuetudinem, dicimus nec rem novam fuisse, nec suo carere significato. Meminit Optatus Millevitanus, lib. 1. contrà Parmenianum, & datur ad honorem & significationem, quòd Ecclesia suæ Sponsus est. Habet & plura significata, ut tradunt Isidorus lib. 1. de Eccles. Offic. cap. 5., Innocentius III. lib. 1. cap. 46., Durant., & alii, qui de Sacris Ritibus scripsère.. Porrò in signum fidei incontaminatæ servandæ suæ Ecclesiæ, Annulum dari Episcopo in ejus consecratione, ipsum Pontificale Romanum docet; nàm ubi agit de Episcopi electi consecratione, in Annuli benedictione, hanc recitandam tradit Orationem: „ Oremus. Creator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, Tu, Domine, emitte bene ✠ dictionem tuam super hunc Annulum, ut quicumque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in virtute Cœlestis defensionis ad æternam vitam sibi proficiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Hactenus Oratio*. Asperso indè Aquâ Benedictâ, dùm Episcopo consecrato traditur, hæc consecrans, profert verba: *Accipe Annulum, fidei scilicèt signaculum, quatenùs Sponsam Dei, Sanctam videlicèt Ecclesiam, intemeratà fide ornatus, illibatè custodias. Amen*. Non est ergò crimen, quòd Episcopi Annulo utantur, ut Ecclesiæ suæ Sponsi: *Ecclesiæ siquidèm Sponsus unusquisque æstimatur Episcopus*, ut scribit Paschalis II. Papa in Epistola 96., data ad Henricum Anglorum Regem.

191 Illud verò, quod XIII. objicit de Episcopis Latinis ad bellum proficiscentibus, dicimus ex aliquorum Episcoporum vitio id procedere, non ex instituto Ecclesiæ Latinæ, quæ sæpè ejusmodi rem improbavit. Immò in plurimùm, nec ex Episcoporum voluntate, sed vi magis, & Principum potentiâ coacti, id præstiterunt; quod ex Capitulari Caroli Magni, apud Labæum tom. 7. Concilior. Titul. 2. cap. 4. pag. 1165., perspicuum fit; mandat enim ibi: *Ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tantùm Episcopi propter benedictionem, & prædicationem, populique reconciliationem*. Et paulò infrà subjungit: *Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant*. Atque indè, non prævaluisse Reges, qui Sacerdotes pugnare permiserant: „ Gentes enim, *inquit*, & Reges earum, „ quæ Sacedotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter Laicos, & Sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc verò Galliarum, Hispaniarum, Longobardorum, nonnullasque alias Gentes, & Reges earum fecisse cognovimus, qui propter prædictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. *Hæc ille*. Et cap. 3. protestatur, hæc sancire de Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum consilio. Undè constat Ecclesiam ejusmodi consuetudinem fuisse detestatam.

192 De baptismo autem collato per unicam immersionem, prout XIV. objicit, crimen non esse fatemur; nam materia proxima baptismi, necessaria ad valorem Sacramenti, est ablutio notabilis, nec ad essentiam pertinet, ter, vel semèl mergi, dummodò unicâ immersione notabiliter abluatur, & nomina trium Divinarum Personarum abluendo invocentur. Dominus enim dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non dixit ter, aut bis, vel semèl mergendo. Et licèt in primitiva Ecclesia in usu esset trina immersio, tàm in Oriente, quàm in Occidente; attamèn in Ecclesia Occidentali cœptum est in Hispania semèl tantùm mergi, justis de causis, quas alibì recensuimus, præcipuèq; in nostris Vindiciis Areopagiticis, immutatam consuetudinem, approbante Gregorio Magno lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum Episcopum Hispalensem, quam recipit Toletana Synodus IV., ut habetur in Canone V. Et rationem affert Sanctus Gregorius in præfata Epistola, inquiens: „ De trina verò mersione Baptismatis, nihil respondere veriùs potest, quàm ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa; nos autèm quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ, Sacramenta signamus, ut dùm tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio tridualni temporis exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semèl in aquas mergere, quia dùm in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in baptismate in aquam, vel ter, vel semèl mergere, quandò & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. *Hæc S. Gregorius*.

193 Propter Arianos hæreticos, qui ter mergendo baptizabant, Divinitatem Personarum dividi significantes, orta fuit in illa Ecclesia controversia inter Catholicos, aliis nè viderentur convenire cum hæreticis, per unam tantùm immersionem baptizantibus, aliis non immutatâ consuetudine, per trinam ablnentibus immersionem, atquì priorum sententiam probavit Magnus Gregorius, undè lo-

loco citato subjungit : „ Sed si nunc usquè „ ab hæreticis infans in baptismate tertiò „ mergebatur, faciendum apud vos esse non „ censeo, ne dùm merſiones numerant, Di„ vinitatem dividant; dùmque quod factis „ faciebant, morem vestrum se vicisse glo„ rientur. *Hæc ille*. Hinc & Patres antefatæ Toletanæ Synodi Can. iv. definiendo dixerunt: „ Propter vitandum schismatis scan„ dalum, vel hæretici dogmatis usum, sim„ plam teneamus baptismi mersionem, nè „ videantur, apud nos, qui tertiò mergunt, „ hæreticorum approbare assertionem, dùm „ sequuntur & morem.

194 Quæ ergò ad substantiam Sacramenti non pertinent, sed magis ad modum conferendi, justis de causis possunt ab Ecclesia immutari. Ac ideò in Ecclesia Latina, neque per unam immersionem ampliùs baptizatur, sed per trinam aquæ effusionem super caput baptizandi, ut Rituale Romanum docet; licèt validum quoquè esset Sacramentum, si per unam tantùm effusionem conferretur, invocatis nominibus Divinarum Personarum. Et quidèm Apostolos etiam per aspersionem baptizasse, deduci potest ex Actorum Historia cap. 2., ubi legitur, unà die tria millia fuisse baptizatos: *Baptizati sunt, & appositi sunt in die illa animæ circitèr tria millia*; quoniàm non videtur sufficisse tempus tot personarum numerum baptizandi per immersionem, vel effusionem aquæ super caput. At Philippum baptizasse Eunuchū Reginæ Candacis per immersionem, evincitur ex verbis Lucæ, Actor. cap.8., ubi dicit: *Et descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Sivè ergò baptismus conferatur per immersionem trinam, sivè per unam, sivè per effusionem, stat valor Sacramenti, neque in crimen Ecclesiæ verti potest, quòd hoc, vel illo modo conferatur. Et quemadmodùm Latini non reprehendunt Græcos, retinentes trinam mersionem, neq; ipsi erunt à Græcis justè reprehendendi, si unicam retineant mersionem, aut baptizent per trinam, vel unam effusionem.

195 De sale, quod in Ecclesia Latina in ore infantis, dùm baptizatur, imponitur, quod in crimen vertit Ecclesiæ Cerularius, ut habetur in xv. illius calumnia, dicimus, Latinam Ecclesiam præfatum ritum à Patribus accepisse propter significationem; nàm, ut ait Isidorus in lib.2. de Divinis Offic. cap. 20. *Ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi*. Et Ivo Carnotensis in Sermone de Sacramento Neophytorum, ait: *Datur sal benedictum in os pueri propter typum sapientiæ, ut sale conditus, fætore careat iniquitatis*. Alcuinus verò: *Ut nempè*, inquit, *putrida, & fluxa baptizati peccata, sapientiæ sale divino mundentur*. Nec obscurè hunc ritum innuit Origenes Homil. 6. in Ezechielem, dicens: *Qui renascitur Christo, debet sale saliri*. Undè dùm Sacerdos sal immittit in ore pueri, dicit: *Accipe sal sapientiæ propitiatio sit tibi in vitam æternam. Amen. Pax tibi: Et cum spiritu tuo*, orans indè dicit: „ Deus Patrum nostrorum, Deus „ universæ conditor veritatis, te supplices „ exoramus, ut hunc famulum tuum respi„ cere digneris propitius, & hoc primum pa„ bulum salis gustantem, non diutiùs esurire „ permittas, quominùs cibo expleatur cœ„ lesti, quatenùs sit semper spiritu fervens, „ spe gaudens, tuo semper nomini serviens. „ Perduc eum, Domine, quæsumus, ad no„ væ regenerationis lavacrum, ut cum fide„ libus tuis promissionum tuarum æterna „ præmia consequi mereatur. Per Christum „ Dominum nostrum. Amen. *Hactenus ex Rituali Romano*.

196 Omitto apertam illam Cerolarii calumniam, quam xvi. objicit adversùs Latinam Ecclesiam, illam reprehendens, quasi nec cultum sacrarum Reliquiarum, & Sanctorum Imaginum recipiat, quoniam toti Orbi apparet esse calumniam, quandò constat, Ecclesiam Romanam acerrimè pugnasse contrà Græcos Iconomachos, Sanctorum Imaginum contemptores, prout in serie hujus Historiæ vidimus. Ad ultimam accedamus considerandam calumniam, qua in crimen Latinæ Ecclesiæ vertit, quòd tempore Quadragesimali prohibeat cani, aut dici Alleluja.

197 In primis *Alleluja* nomen est hebræum, quod in Latinum non habetur expressum, sicut & diversa nomina, quæ in sua vernacula lingua relicta sunt ab Interpretibus, quoniàm in aliam linguam translata, sonare non possunt, & ea exprimere, quæ in propria exprimunt: significat ergò idem, ac *Laudate Dominum*, ut explicat Sanctus Hieronymus in Epistola 137. data ad Marcellam, & consentit Sanctus Augustinus in Psal. 118. Hinc Rupertus lib.1. cap. 35. dicit esse vocem peregrinam, ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in Cœlesti Hyerusalem nobis manet. Est ergò dicere Alleluja, idem ac dicere, *Laudate Dominum*, sed cum plenitudine gaudii, & exultationis; undè in Apocalypsi cap. 19. ad hoc gaudium exprimendum, lætitiamque, & exultationem, audita est vox Sanctorum dicentium: *Alleluja. Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est*. Sic & Seniores adorantes Deum in Throno sedentem, legitur dixisse: *Amen Alleluja*. Et vox multitudinis audita est, dicentium: *Alleluja; quoniàm regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo*. Est ergò vox gaudii, & exultationis.

198 Ex antiqua porrò traditione in usu fuit in Sancta Dei Ecclesia certis temporibus *Alleluja* cantare, tradit Beatus Augustinus in Psal.106. in initio, inquiens: „ Est enim „ bis *Alleluja*, quod nobis cantare certo tem-

„ tempore solemniter moris est, secundùm „ Ecclesiæ antiquam traditionem. Neque „ enim & hoc, sine Sacramento, certis diebus „ cantamus *Alleluja*; certis quidèm diebus „ cantamus *Alleluja*, sed omni die cogitamus. Sic enim hoc verbo significatur laus „ Dei, & si non in ore carnis, certè in ore „ cordis. *Et paulò post subjungit*. Cantatur „ autèm iste de universa Ecclesia Dei diffusa „ toto Orbe terrarum. *Hæc Augustinus*; ex quo duo habemus: primùm quòd ex antiqua Ecclesiæ traditione usus invaluit in universa Ecclesia canendi *Alleluja*; alterum verò, quòd non toto anno, sed certis tantùm anni temporibus. Et indè in Psalm. 110. se explicans, quo scilicet tempore in more fuerit cantandi Alleluja in univesa Ecclesia, tradit, fuisse à Pascha usque ad Pentecosten, per totos scilicet quinquaginta dies; undè ait: *Quinquagenario verò numero post resurrectionem Domini, quo cantamus Alleluja, non cujusdam temporis finis & transitus, sed beata illa significatur æternitas*.

199 Deindè in Epistola 119. data ad Januarium cap. 17. tradit, alicubi, etiam extrà antedictos quinquaginta dies in more fuisse, ut cantaretur Alleluja, non tamèn in universa Ecclesia, inquiens: *Ut autem Alleluja per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque; nàm & in aliis diebus variè cantatur alibi, atque alibi, ipsis autem diebus ubique*. Undè in Ecclesia Romana à tempore Damasi Papæ constitutum fuit, ut etiam extrà tempus Paschale caneretur, ut innuit Sanctus Gregorius Magnus lib. 7. Epistola 64. data ad Joannem Episcopum Syracusanum, ubi ait: *Ut Alleluja hìc diceretur de Hierosolymorum Ecclesia, ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum*. Hinc in Ecclesia Hierosolymitana principaliter morem invaluisse, etiam extrà Paschale tempus canendi Alleluja, tradit Gregorius, & innuit ipse Hieronymus in Epistola 17. data ad Marcellam, ubi agens de Villa Bethlem, inter plura ait: *In Christo verò, ut suprà diximus, Villula, tota rusticitas, & extrà Psalmos, silentium est. Quocumque te verteris, Arator stivam tenens, Alleluja decantat*.

200 Sed quoniàm fortasse hujusmodi mos canendi Alleluja extrà tempus Paschale intermissus Romæ fuerat, Sanctus Gregorius Magnus restituit, ut habetur in prælaudata ejus Epistola, ubi tradit, à nonnullis fuisse reprehensum, quòd jusserit hoc inter alia servari, quasi voluisset ritum Græcum inter Latinos transferre: „ Veniens quidàm de Sicilia, *inquit*, mihi dixit, quòd aliqui amici „ ejus, vel Græci, vel Latini, nescio quid, „ quasi sub zelo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de „ meis dispositionibus murmurarent, dicentes: Quomodò Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere qui ejus consuetudines per omnia sequitur? Cui cùm „ dicerem: Quas consuetudines sequimur? „ Respondit: Quia *Alleluja* dici ad Missas „ extrà Pentecostes tempora fecistis. *Hæc ille*. Undè posteà respondens, ait, hunc morem à tempore Damasi Papæ, ex Jerosolyma tractum fuisse; quasi diceret, se tantùm restituisse, quod jàm traditum fuerat à Damaso, nihil tamèn novi ordinasse.

201 Cæterùm eundem S. Gregorium in ipsa sua Ordinatione, qua statuit etiam extrà tempus Paschale cantari *Alleluja*, excepisse quadragesimale tempus, à Septuagesima scilicèt usquè ad Pascha, legitur in ejus vita, quæ recitatur in Breviario Romano sub XII. Martii, ubi dicitur: „ Apud Sanctum „ Petrum, coactâ Synodo, multa constituit; „ In iis, ut in Missa *Kyrie eleison* novies re- „ peteretur; ut extrà id tempus, quod continetur à Septuagesima, & Pascha, *Alleluja* diceretur. Ratio verò hujus exceptionis allegatur à Patribus Concilii Toletani IV. sub Honorio I. Papa celebrati, Can. XI., in quo sic sancitum legitur: „ Itèm cognovimus, quosdam Hispaniæ Sacerdotes, quod „ in Quadragesimę diebus Alleluja decàtant, „ præter in ultima hebdomada Paschæ, quod „ deinceps interdicimus fieri, statuentes, ut „ in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus, quià tempus est, non gaudii, sed mœroris, Alleluja ideò non decantetur: Tùnc „ enim opus est fletibus, ac jejuniis insistere, „ corpus cilicio, & cinere induere, animum „ mœroribus deiicere, gaudium in tristitiam „ vertere, quousquè veniat tempus Resurrectionis Christi, quandò oportet Alleluja „ in lætitia canere, & mœrorem in gaudium „ commutare: Hoc enim Ecclesiæ universalis consensio, in cunctis terrarum partibus roboravit; quod, & à nobis omnibus, „ ut conservetur per Hispanias, Galliasque „ Provincias, oportebit.

202 Est enim Alleluja, ut supra fati sumus, canticum lætitiæ, & jubili, undè Isidorus lib. 6. Etymolog. cap. 19. ait: „ Alleluja duorum verborum interpretatio, „ hoc est, Laus Dei, & est Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum jubilo, „ & letitia, & cantu; undè in Cœlo auditur, „ ubi omnia cantica sunt læta, & perpetuum „ Alleluja. *Hæc ille*. Cùm porrò dies Quadragesimæ luctui, fleto, ac mœrori sint addicti, conveniens non est, ut eo utatur cantico, quod cum jubilo, & lætitia cantari debet. Et ideò idem Isidorus, qui præfato Concilio præfuit lib. 1. de Eccles. offic. cap. 13. ait: *Apud nos, secundùm antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies Jejuniorum, vel Quadragesimæ, omni tempore canitur Alleluja*. Et Leo Papa IX. relatus à Gratiano, *de Consecratione, distinct. 1. cap. 54*. „ Hi duo, *ait*, „ solummodò hymni ab Angelis in novo „ Testamento inveniuntur decantati: *Al-*

„ *leluja*, *Gloria in Excelsis Deo*, quos parliter in Septuagesima intermittimus, quià „ pro peccato hominis veteris, à conventu „ Angelicæ jubilationis expulsi, in hujus „ miseræ vitæ Babylonem super flumina ejus „ sedemus, & flemus, dùm recordamur illius „ Sion, in qua Deum decet Hymnum. *Et* „ *post alia*. A' Septuagesima, quandò lapsus „ Protopisti in Ecclesia recitatur, Alleluja „ novem hebdomadas intermittimus, scilicèt „ usque in Pascha, ubi Christus resurgens à „ mortuis, tristitiam nostram in gaudium „ vertit, & Allelujà nobis reddit. *Hactenus ille*. Tot ergò rationibus suffultâ Ecclesiâ Latinâ, non est undè ei in crimen verti possit, si in Quadragesima Allelujà recitare, & canere omittit. Sed satis ad Cerularii calumnias.

CAPUT VIII.

De continuato schismate post Michaelis Cerularii obitum.

203 Constantinus Patriarcha, jàm in Throno Patriarchali per obitum Cerularii firmatus, etsi nihil novi molitus sit adversùs Latinam Ecclesiam, non tamèn legitur quæsiisse Ecclesiæ Romanæ communionem, nec ex more, litteras ad Romanum Pontificem dedisse: Undè cum omnimoda independentia ab Apostolica Sede, in eo statu, quo Michael reduxerat, tenuit, & gubernavit. Isacius verò Imperator, nihil hujus recogitans, memor dumtaxàt patrati sceleris, propter usurpatum Imperium, causâ repentis fulminis de Cœlo emissi, quo percussus, dejectus est equo, spontè Imperio cessit, & delecto in Successorem Constantino Duce, habitum suscepit Monasticum, atque in Monasterio Studii, Monachis serviens, reliquum vitæ cursum absolvit. Sic Curopalates, inquiens: „ Fulmine siquidèm percussus Imperator, dejectus est equo, & humi „ spumas ex ore edens, uti epilepticus, devolvebatur. In parvum autèm navigium „ impositus, ad Regiam defertur incolumis: „ attonitus tamèn, & ob afflatum seipsum „ minimè sentiens, morboque dies aliquot „ detentus, mortem expectabat: & idcircò „ ad placandum sibi Deum pœnitentiam amplectitur, & Imperatoriam potestatem, „ quam sibi injuriâ vindicarat, libens deponit. *Hæc ille*; reliqua porrò prosequens, tàm de electione Constantini Ducis, quàm de suscepto Monastico instituto, ejusque exercitio, & morum honestate.

204 Itaquè Constantinus Dux imperare cœpit Anno Domini MLIX., Pontificatus Nicolai, hujus nominis I., Anno I., currente Indictione XII., sub cujus Imperio paulò post Nicolaus Papa Romæ obiit, Anno scilicèt Domini MLXI., qui erat Annus secundus Imperii Constantini Ducis, in fine mensis Julii, Indictione XIV., cùm sedisset Annos II., & menses VI. Post cujus obitum, elapsis tribus mensibus vacantis Sedis, Romæ canonicè eligitur in ipsis Kalendis Octobris Alexander, hujus nominis II., anteà Anselmus nuncupatus, patriâ Mediolanensis, atque Episcopus Lucensis, aliundè Henrici Regis IV. familiaris, Aulæque Regiæ quasi alumnus & domesticus. Sed Episcopi Longobardiæ simoniaci, & concubinarii, alium Pontificem in schismate eligunt, Cadoloum scilicet Parmensem Episcopum, anteà à Nicolao excommunicatum, quem favore Regis Henrici freti, sustinere se posse putabant. Verùm contrarium evènit; nàm Cadolous, licèt nonnullis Proceribus Romanis corruptis, dùm bis conatus est Romam ingredi, semper repulsus recedere coactus fuit. Denique coactâ Synodo plurimorū Episcoporum in Germanis, coràm ipso Rege, re diligenter examinatâ, definitum est in Alexandri favorem, pronunciato Cadolao schismatico, & Sedis invasore, qui denique à schismate recedens, petitâ, & obtentâ veniâ ab Alexandro, paucis post diebus, malam mortem incurrit. Hæc omnia in Alexandri II. vita, sed fusiùs apud Baronium.

205 Sub hoc Pontifice, vitâ functo Constantino Patriarcha Constantinopolitano, subrogatur Joannes Xiphilinus, qui Dionem Cassium, Romanarum rerum antiquum Scriptorem, nobilissimum in compendium decurtavit; & hoc moderante Ecclesiam Constantinopolitanam, decessit Constantinus Dux Imperator, Anno Domini MLXVIII., Alexandri II. Pontificatus Anno VIII., Indictione VI., relictâ Eudociâ Augustâ uxore unà cum filiis, à qua sacramentum acceperat, ut filiis Imperium servaret, nè alteri nuberet, Syngraphâ deposito in manus Patriarchæ, qui operâ cujusdam Vsferrimi Bunuchi circumventus, muneribus quoquè & pollicitationibus seductus, restituto Eudociæ Syngraphâ, à juramento absolvit, atque, ut alteri posset nubere, facultatem concessit. At illâ absolutâ à juramento, Romani Diogeni nupsit, & ad culmen transtulit Imperii, filiis quoquè assensum præbentibus, ut scribit fusiùs Curopalates, vituperans Xiphilini ignaviam.

206 Porrò Romanus hic non diù Imperium tenuit; nàm cùm imperasset Annos III., & menses VIII., miserando exitu cursum vitæ absolvit, Anno Domini MLXXI., Alexandri II. Pontificatus Anno XI., Indictione IX. Cùm enim bellum gereret adversùs Asam Saltanum Turcharum, & oblatam ab eo per suos Legatos pacem superbè rejecisset, casu incidit in manus Asæ, cum magna suorum clade. Et licèt victor magnâ cum hu-

ma-

manišate vinctum Principem recepisset, ac fœdere cum eo initio, liberum cum cæteris captivis dimisisset, tamen Constantinopolitani, audita ejus Clade, mox alium subrogarunt Imperatorem, Michaelem scilicèt Constantini Duciæ filium: indeque reclusâ Eudociâ Augustâ in Monasterio, missus est Andronicus in occursum Romani Diogenis, quem captum atque nigra indutum veste super mulum in Regiam duxit Urbem, ubi jubente novo Principe miserè obcæcatur: paulòque post, vulneribus ex oculorum effossione non curatis, cum ejus caput intumuisset, vermibusque scateret, grave olens, horribilis visu, ut humanum ostentum expositus omnium oculis, finem vivendi fecit, luens tamen hic pœnas, nè æternas incurreret: nam, ut ait Curopalata, *in talibus & tot malis nullum maledictum protulit, neque aliquid nefarii locutus est, sed Deo gratias agere perseverabat, casus æquo animo ferens*.

207 Cùmque Ecclesia Constantinopolitana relicta videretur, & nihil cum ea actum fuisset de concordia, licèt nec Xiphilinus aliquid novi attentare aggressus fuisset, tamen videbatur segregata, intermisso penitùs litterarum commercio, Alexander Papa, ut ostenderet Imperatorem recipere in Communionem Ecclesiæ Romanæ, decrevit ad hùc Michaelem mittere Apochrisiarium ex more vetusto, ut etiam hac via posset conciliare Ecclesiasticorum animos, eosque ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ debitam, reducere. Delegit ergò ad hoc munus obeundum Petrum Episcopum Anagninum miræ sanctitatis virum, scientiâ quoque præstantissimum. Qui Constantinopolim veniens, ab Imperatore humanissime est exceptus: & cum in gravem incidisset infirmitatem, hujus Sancti Viri orationibus, pristinæ sanitati est restitutus: cujus beneficii accepti memor Imperator, eundem ad construendam Ecclesiam, quam inchoaverat, multa donatum pecuniâ dimisit, ut fusè scribit Brunus Segniæ Episcopus in ipsius Petri vita.

208 Cæterùm per annum solùm mansit ibi, ad obitum usque Alexandri II. & creationem Gregorii VII. Etenim Alexander Romæ decessit anno Domini MLXXIII. anno II. inchoato Michaelis VII. Imperatoris, Indictione XI. die Dominico XI. Kal. Maji: & eodem sui obitus die, omnium Cardinalium consensu & subscriptione, totiusque Cleri & populi approbatione, Hildebrandus, patria Soanensis in Tuscia, ex Cancellario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in Pontificem est electus, assumpto nomine Gregorii VII. in memoriam Gregorii VI. quem Magistrum habuerat, vir sacris literis eruditissimus, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum, virtutum genere celeberrimus, ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, laudatus quoque à Mariano Scoto, ab Ottone Frisingensi, aliisq; Scriptoribus illius ævi, quidquid mussitent Schismatici Henriciani. Ejus electionem ratam habuit Henricus Rex, probavit, & confirmavit, ut idem Labertus scribit, quamvis posteà Henricus, propter illius severitatem, seu potiùs ardentem Zelum extirpandi Simoniacam labem ab Ecclesia, atque tollendi abusum, recipiendi investituras Ecclesiarum à Rege per annuli & baculi traditionem, aliter de eo, ejusque electione publicare conatus esset, ut Scriptores illius ætatis ferunt.

209 Romam itaque reverso Petro Anagnino, Michael Imperator Latinos minimè abhorrens, ac cum Sancta Romana Ecclesia communicans, munera complura Cassinum misit, rogans illius Abbatem, ut pro se, ac liberis, & pro statu sui Imperii Deum exoraret, ut scribit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 38. inquiens: „ Circa hos dies Michael Constantinopolitanus Imperator Patri Desiderio per Nuntios „ dona plurima transmisit, poscens, ut pro „ se, ac liberis; ac pro statu Imperii sui, Omnipotentis Dei Clementiam assiduis precibus exoraret. Insuper ob Beati Benedicti „ patris reverentiam, pro salute animæ suæ, „ per præceptum, aurea Bulla roboratum constituit, ut annis singulis Monasterium istud, „ ex regiis redditibus vigintiquatuor libras „ acciperet, & pallia quatuor, ad nostræ „ Congregationis sustentationem. *Hæc ille*.

210 Itaque licèt hæc de Imperatore prodita habeantur, tamen non constat Joannem Xiphilinum Patriarcham communicasse cum Ecclesia Romana: Ac ità ab ea sejunctus decessit, substituto à Michaele in locum ejus Cosma, anno Domini MLXXVIII. Pontificatus Gregorii Septimi anno VI. Indictione I, quo anno Nicephorus cognomento Botoniates, facta seditione surrexit adversùs Michaelem, quem captum unà cum Maria Augusta conjuge, atque Filio Constantino Porphyrogenito, in Blachernis relegavit, & in Monasterium reclusit; ac ita tyrannicè Imperium sibi vindicavit, coronatus ab eodem Cosma Patriarcha. Sed perlatâ tanti sceleris notitiâ ad Gregorii Pontificis aures, in Synodo Romæ eodem anno celebrata, Nicephorum usurpatorem & tyrannum anathemati subjecit: ut produnt ejusdem Synodi acta, in quorum initio hæc leguntur: „ Anno ab Incarnatione „ Domini, millesimo septuagesimo octavo, „ Pontificatus verò Domini Gregorii Septimi Papæ sexto, tertio Kalendas Decembris Indictione II., celebrata est Synodus „ Romę in Ecclesia Sanctis Salvatoris pro restauratione Sanctæ Ecclesiæ. In qua inter „ alia excommunicatus est Constantinopolitanus Imperator, aliique, qui subscripti habentur. *Hactenus ibi*.

211. Hac porrò non obstante excommunicatione, nihil moltum legimus Nicephorum adversùs Latinos, occupatum in Civilibus dissidiis, variisque concertationibus adver-

versùs diversos insurgentes tyrannos, à quibus denique victus, Imperio est privatus. Nam licèt nonnullos vicerit, victus postea remansit, ab Alexio Comneno, cujus jussu detrusus est in Monasterium, anno Domini MLXXX. Pontificatus Gregorii VII. anno VIII. Indictione III. sui Imperii anno III. Et ad hunc annum vitam produxisse Joannem Xiphilinum Patriarcham, ex Codice Juris Orientalis colligitur, cum sedisset annos XIII. & menses VI. Et hoc eodem anno non priùs incepisse sedère Cosmam Hierosolymitanum illius successorem, ex consequenti asserendum est: Quarè corrigenda sunt quæ paluò superiùs diximus, nempè biennio anteà decessisse, substituto Cosma, & hunc Nicephorum coronasse, quem à Joanne Xiphilino coronatum veriùs dici debet.

212 Alexio ergò moderante Imperium Orientale auctum est Græcorum odium adversùs Latinos; sed Robertus Guisgardus Dux Ecclesiæ Romanæ, à qua in schismate Henriciano desciverat, perfectè reconciliatus, suoque juramento eidem Sanctæ Ecclesiæ promissâ obedientiâ, expeditionem in Orientem adversùs Alexium, quem in prælio victum terga vertere coegit, anno Domini MLXXXI. ut notat Leo Ostiensis, libero 3. cap. 48. in fine scribens: „Hoc anno Robertus Dux transito „ Mare cum quindecim millibus pugnatorum „ Thraciam debellaturus ingreditur. Adversùs „ hunc Alexius Imperator cum centum septuaginta millibus pugnatorum ad prælium exiens superatus est. *Hæc ille*. Cui pro tam magna parta victoria, gratulatoriam, & hortatoriam simùl literas dedit Gregorius Papa, tenòris sequentis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Roberto glorioso Duci, salutem, & Apostolicam benedictionem.

213 „ Quod gesti belli proventum, & „ adeptæ victoriæ palmam, nobis & Romanis notificasti, id quod decuit prudenti consilio usus egisti, ut res, quàm ex voto amicorum gloriosè obtinueras, ipsorum congratulationibus gloriosior tibi redderetur, „ atque jucundior. Oportet intereà te illum „ alta memoria figere, cujus favore & auxilio non ambigis res tuas jam dudùm procedere. Nam sicut ingratitudo provocat indignationem, ità devotio incunctanter accumulat gratiam. Quapropter Beatum Petrum, cujus tibi adesse patrocinium grandia facta testantur, præ oculis habere semper memineris, ejusque beneficiis, cùm „ necesse est, gratiam vicem rependens, ipsum „ de cætero velut debitorem efficere tibi procurato: de quo nimirum eò magis præsumere poteris, quo ampliùs obsequiis, illum „ tibi quasi obnoxium adstrinxeris.

214 „ Memento itaque Matris tuæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ de te inter cæteros Principes specialiter confidit, & peculiariter diligit. Memento quod sibi promisisti, & quod pollicitus es (cui etiam non promittens ex jure Christianitatis debes „ adimplere) cùm promiseris, non ulteriùs „ differas. Non enim ignoras, quanta perturbatio contra eam per Henricum dictum „ Regem sit orta, quantumque tuo, qui suus „ es filius, auxilio indigeat. Age ergò, ut „ quantùm studet filius iniquitatis adversari, „ non minus debeat de tuæ devotionis opitulatione Mater Ecclesia gratulari. Dubitavimus hic sigillum plumbeum ponere, nè si „ illud inimici caperent, de eo falsitatem aliquam facerent. *Hactenus Epistola*, quæ habetur lib. 9. Epist. 17.

215 Alexius verò tantæ cladis perterritus, qui ut ærarium suum repleret, postposito Dei timore, Ecclesiarum omnium donaria, sustulerat: quod à neminè ex suis decessoribus hactenùs attentatus fuerat: peccatis suis, prudentior factus, adscribens, pœnitentiâ ductus, edita constitutione, sancivit nè quis imposterum talia facere, quæ ipse fecerat, auderet. Extat ejus constitutio inscripta, Bulla aurea in corpore juris Orientalis, tom. 3, Bibliot. Veter. Patrum, ubi post plura præmissa, hæc definiens, subjungit: „ Quarè „ imposterum, tùm sibi, tùm post se futuris „ Christiani dogmatis principibus, *Aurea hac* „ *Bulla* legem non minus observandam imponit, quàm si à Deo ipso dictaretur: *Nè* „ *quis postbàc sacra temère contrectet*, etiam si „ vel cadmea necessitas urgeat; nè manus „ impuras sacris rebus iniiciat, nè profana „ ex divinis dimodia fiant, dùm in publicos „ usus circumferuntur. Cùmque inter Deum „ & homines sit interstitii loco positum, quod „ nullus, si modò pius fuerit, transgredietur, homines quidem, rebus nostris utemur & fruemur. Deo autem sacra tecta manebunt, quæcumque illi consecrata fuerint, „ nec illa manibus, vel audacissimis contingent. Quod si quis, Domine Deus, imposterum manus Sacris & Divinis Dimodiis „ utensilibus & vasis, quæ sacris olim, & venerandis Ecclesiis tuis dicata, vel imposterum dicanda fuerint, iniicere audeat: ia nè „ lumine in die visitationis tuæ fruatur: nè „ sol illi matutinus illucescat, nec tuo hic auxilio, nec tua istich protectione gaudeat; „ sed ubique despectus à te, desertusque jaceat. *Hæc & alia plura Alexius ibi*.

216 Verùm peccatum hoc grande agnovit Alexius, ignoravit tamen adhuc, vel ignorare voluit sacrilegium nefarii schismatis, in qua Ecclesia Constantinopolitana jam sordescebat, neque ipso, neque Patriarcha reconciliationem exquirentibus: In quo schismate, sicuti & sui decessores, à Cerulario & post obierunt, sic & Cosma decessit anno Domini

ni MLXXXVI. Alexii Imperii anno VI. Victoris III. Pontificatus anno I. Indictione IX. ubi sedisset annos V. & Menses VI. substituto in ejus locum Eusthathio, cognomento Garides, cùm anteà Salerni ad Dominum migrasset Gregorius VII. die videlicèt XXIV. Maji anni antecedentis, selecto, post varias concertationes. in ejus successorem Desiderio ex Monacho & Abbate Cassinensi, Episcopo Ostiensi, assumpto nomine Victoris III. juxtà Consilium decessoris, qui ante obitum, hunc eligendum præmonuerat Cardinales. Non tamen diù Pontificatum tenuit, nam XVII. Kalendas Octobris anno Domini MLXXXVII. paucis elapsis post ejus consecrationem mensibus, ex hac vita migravit, nominato in successorem Ottone Episcopo Ostiensi, qui elapsis Mensibus VI & diebus XVI. vacantis Sedis, IV. Idus Martii anni Domini MLXXXVIII. communi omnium suffragio electus est Romanus Pontifex, & appellari voluit Urbanus Secundus. Et hoc Pontifice Ecclesiam Catholicam moderante decessit Constantinopoli Eusthathius Patriarcha, anno Domini MLXXIX. cum sedisset annis tribus, cui datus est successor Nicolaus cognomento Grammaticus, qui Sedem tenuit annis XXVII. & Mensibus III.

CAPUT IX.

De Alexii Comneni gestis cum Urbano II. ejusque porrò perfidia adversùs Latinos.

217 CUM Alexius armis Sarracenorum premeretur, conciliare sibi Pontificis animum cogitavit, ut indè ope illius, auxilia Latinorum adversùs barbaros obtinère posset: qua de rè primùm ab excommunicatione absolvi postulavit, quod libenter concessit Papa, data per suos Legatos absolutione, ut produnt Acta Romanæ Synodi primæ, sub Urbano habitæ apud Bertholdum illius ævi Scriptorem, ubi dicitur. *Dominus Papa Constantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per. Legatos suos absolvit.* Sed cùm in dies Turcharum potentia excresceret, decrevit Alexius ad Urbanum Legationem, suppliciter postulans, ut sibi auxilium aliquod pro Imperii & Ecclesiæ defensione præstaretur: Quod cum Papa Placentiæ tunc moraretur, ac Synodum ibidem celebrare decrevisset, in causa Praxedis Philippi Regis Francorum repudiatæ, eâ congregatâ in plena Synodo auditi sunt Legati, indèque actum est de expeditione comparanda adversùs infideles. Hæc omnia ex Actibus Synodi Placentinæ, celebratæ anno Domini MXCV. tradit idem Bertholdus, inquiens: „ Itèm „ Legatio Constantinopolitani Imperatoris „ ad hunc Synodum pervènit, qui Dominum „ Papam omnesq; Christi fideles suppliciter, „ imploravit, ut aliquod auxilium sibi con„ trà Paganos pro defensione Sanctæ Eccle„ siæ conferrent, quam Pagani jam penè in „ illis partibus deleverant, qui partes illas „ usque ad muros Constantinopolitanæ Civi„ tatis obtinuerant. Ad hoc auxilium Do„ minus Papa multos incitavit, ut etiam ju„ rejurando promitterent se illuc, Deo an„ nuente ituros, & eidem Imperatori, pro „ posse suo, fidelissimum adjutorium collatu„ ros. *Hac ibi.*

218 Accesserunt ad hæc postulationes & preces fidelium Hierosolymam incolentes, atque etiam ejusdem Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarchæ, per Petrum Eremitam ad Urbanum, cum eorum literis delatæ, pro recuperatione Terræ Sanctæ, quibus permotus Pontifex curavit accelerare negotium, & discedens ab Italia, ut Henrici Regis indignationem fugeret, Alpes transcendit, & in Galliam venit, ibidemque eodem anno apud Claramontem in Alvernia, coacta Generali Synodo, Mense Novembris, cui ex universis Transalpinarum partibus & Provinciarum interfuerunt Archiepiscopi tresdecim, Episcopi & Abbates ducenti & quinque, ut Bertholdus tradit, inquiens: „ In Galliis ad Cla„ rum Montem Synodus Generalis à Domino „ Papa in Octava Sancti Martini congregata „ est, in qua tresdecim Archiepiscopi cum „ eorum Suffraganeis fuerunt, & ducentæ „ quinquæ Pastorales virgæ numeratæ sunt. *Hæc ille.* In qua quidem Synodo, ut ait Willermus Tyrius lib. 1. de Bello Sacro Cap. 14. Ordinatis priùs de Prælatorum Ecclesiæ & Deum timentium consilio institutionibus, quæ ad erigendum labentis Ecclesiæ statum videbantur respicere, & promulgatis Canonibus, qui ad morum ædificationem & corrigendam delictorum enormitatem poterant proficere; & qui pacem, suggerente Petro Eremita, quæ de rebus perierat, reformarent, Papa sermonem habuit de recuperanda Terra sancta, ad hunc modum alloquens.

219 „ Nostis, fratres dilectissimi, & ve„ stram nosse id expedit charitatem, quomodo „ humani generis reparator, pro nostra omniũ „ salute carnem assumens, & homo inter homi„ nes conversatus, terram promissionis, quam „ pridem Patribus promiserat, propriâ illustra„ vit præsentiâ, & assũptis dispensationis ope„ ribus, & crebra simul miraculorum exhibitio„ ne reddidit specialiter insignem: id enim ve„ teris & novi penè in omnibus Syllabis do„ cet seriès testamenti. Quadam sanè dile„ ctionis prærogativa certum est eam dilexis„ se, itaut eam Orbis partem, imò particu„ lam, hæreditatem suam dignatus est ap„ pellare, cum ejus sit omnis terra & pleni„ tudo ejus. Unde per Isaiam ait: *Hæreditas mea Israel.* Et itèm. *Vinea Domini Sabaoth Domus Israel.* Et licèt totam in „ partem præcipuam sibi dedicaverit ab initio,

„ tio, peculiariùs tamen Urbem sanctam sibi „ adoptavit in propriam, testante Propheta, „ qui ait; *Diligit Dominus portas Sion super* „ *omnia Tabernacula Jacob*. De qua gloriosa „ dicuntur, videlicèt, quod in ea docens, „ passus & resurgens Salvator, salutem ope„ ratus est in medio. Ad hoc à sæculis est præ„ lecta, ut tantorum esset conscia, & cella „ familiaria mysteriorum. Electa nimirum, „ quod ipse, qui eligit testatur dicens: *Et de* „ *Hierusalem Civitate, quam elegit, veniet* „ *vobis Salvator*.

220 „ Quam & si, peccatis inhabitan„ tium, idexigentibus justo judicio suo, in „ manus impiorum sæpiùs tradi permiserit „ Dominus, & duræ jugum servitutis ad tem„ pus eam sustinere passus sit, non tamen ar„ bitrandum est, quod eam, quasi à se repu„ diatam abjecerit, cum scriptum sit: *Fla*„ *gellat Dominus omnem filium, quem reci*„ *pit*. Illi verò thesaurizat iram, cui dicitur: „ *Recessit Zelus meus à te; jam ampliùs non* „ *irascar tibi*. Diligit ergò eam, nec intepuit „ ergà eam dilectionis fervor, cui dicitur: „ *Eris corona gloriæ in manu Domini, & dia*„ *dema regni in manu Dei tui, & non vocabe*„ *ris ampliùs desolata, sed vocaberis voluntas* „ *mea: quia complacuit Domino in te*. Hæc „ igitur salutis nostræ cunabula, Domini pa„ triam, Religionis Matrem, populus ab„ sque Deo, Ancillæ filius Ægyptiæ, possi„ det violenter, & captivatis liberæ filiis ex„ tremas imponit conditiones, quibus versa „ vice, meritò servire tenebatur.

221 „ Sed quid scriptum est? *Ejice An*„ *cillam & Filium ejus*. Sarracenorum enim „ gens impia, & mundanarum sectatrix tra„ ditionum, Loca Sancta, in quibus stete„ runt pedes Domini, jam à multis retrò tem„ poribus violenta premit tyrannide: sub „ actis fidelibus & in servitutem damnatis, „ ingressi sunt canes in sancta, profanatum est „ sanctuarium, humiliatus est cultor Dei po„ pulus, angarias patitur indignas genus ele„ ctum, servit in luto & in latère regale Sa„ cerdotium, Princeps Provinciarum facta „ est sub tributo Civitas Dei. Cujus non li„ quesiat anima? Cujus non tabescant præ„ cordia, iis ad animum recurrentibus? Quis „ hæc siccis oculis audire potest, fratres cha„ rissimi? Templum Domini, de quo Zelans „ Dominus vendentes ejecit & ementes, nè „ Domus Patris ejus fieret spelunca latro„ num, factum est Sedes Dæmoniorum. Id „ ipsum enim & Mathathiam Sacerdotem „ magnum, Sanctorum Progenitorum Ma„ chabæorum, ad Zelum accendit commen„ dabilem, sicut ipse testatur dicens: *Tem*„ *plum Domini, quasi vir ignobilis, vasa glo*„ *riæ ejus abducta sunt captiva*.

222 „ Civitas Regis regum omnium, quæ „ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gen„ tium superstitionibus cogitur in vita defer„ vire. Sanctæ Resurrectionis Ecclesia, re„ quies dormientis Domini, eorum sustinet „ Imperia, fœdatur sporcitiis eorum; qui „ Resurrectionis non habebunt participium, „ sed stipula ignis æterni, perennibus depta„ buntur incendiis. Loca venerabilia Divi„ nis deputata Mysteriis, quæ Dominum in „ carne susceperunt hospitem, signa viderunt, „ senserunt beneficia, quorum omnium in se „ plena fide prætendunt argumenta, facta „ sunt Græcum præsepia, stabula jumento„ rum. Landabilis populus, cui benedixit „ Dominus exercituum, sub angariarum & „ sordidarum præstationum pondere, gemit „ fatigatus, rapiuntur eorum filii Matris Ec„ clesiæ cara pignora, ut Gentium immun„ ditiis deserviant, & nomen Dei vivi abne„ gent, vel ore blasphement sacrilego, com„ pelluntur; aut impia detestantes Imperia, „ cæduntur gladiis more bidentium, Sanctis „ Martyribus sociandi. Non est sacrilegis lo„ corum differentia, non est personarum res„ pectus. In Sanctuariis occiduntur Sacer„ dotes & Levitæ, coguntur Virgines forni„ cari, aut per tormenta perire, nec Matro„ nis ætas maturior suffragatur.

223 „ Væ nobis, qui in hanc tam peri„ culosi temporis descendimus miseriam, „ quam in spiritu prævidens electus à Domi„ no David Rex fidelis deplorat dicens: *Deus* „ *venerunt Gentes in hæreditatem tuam: pol*„ *luerunt Templum Sanctum tuum*. Et itèm „ *Populum tuum humiliaverunt, & hæredita*„ *tem tuam vexaverunt. Ut quid Domine*, „ *irasceris, in finem: accendetur velut ignis* „ *ira tua?* Ubi sunt misericordiæ tuæ anti„ quæ, Domine? Verumnè est quod dicitur: „ *Non obliviscetur misereri Deus: non conti*„ *nebit in ira sua misericordias suas? Recor*„ *dare, Domine, quid acciderit nobis, intue*„ *re & vide opprobrium nostrum. Væ nobis*, „ *ut quid nati sumus videre corruptionem po*„ *puli nostri, & contritionem Civitatis San*„ *ctæ, & sedère illic, cum dantur in manibus* „ *inimicorum sancta*.

224 „ Vos igitur dilectissimi, armami„ ni Zelo Dei, accingimini unusquisque gla„ dio suo super femur suum potentissime. Ac„ cingimini, & estote filii potentis: meliùs „ est enim nobis mori in bello, qàm vidère „ mala gentis nostræ & Sanctorum. Si quis „ Zelum legis Dei habet, adjungat se nobis. „ Subveniamus fratribus nostris, *dirumpa*„ *mus vincula eorum, & projiciamus à nobis* „ *jugum ipsorum*. Egredimini & Dominus „ erit vobiscum: arma, quæ cede mutua il„ licitè cruentastis, in hostes fidei & nominis „ Christiani convertite. Furta, incendia, ra„ pinas, homicidia, & cætera qualia, qui „ agunt Regnum Dei non possidebunt, hoc „ Deo beneplacito redimite obsequio, ut de„ lictorum, quibus Dominum ad iracundiam „ provocastis, celerem indulgentiam pro vo-

bia

„ bis obtineant hæc pietatis opera, & de-„ precatio collata Sanctorum.

225 „ Monemus igitur, & exhortamur „ in Domino, & in remissionem peccatorum „ injungimus, ut fratribus nostris & Cœlestis „ Regni cohæredibus (omnes enim invicem „ sumus membra, hæredes quidem Dei, co-„ hæredes autem Christi) qui Hierosolymis, „ & in finibus ejus habitant, afflictioni & la-„ boribus compatientes, infidelium insolen-„ tiam, qui sibi regna, principatus & po-„ testates subiicere contendunt, debita com-„ pescatis animadversione, & illis totis viri-„ bus occurratis, quibus est propositum no-„ men delere Christianum. Alioquin futurum „ est, ut in proxima Ecclesia Dei jugum in-„ debitæ perferens servitutis, fidei sentiat „ dispendium, prævalente Gentilium super-„ stitione. In quanta enim positi sint afflictio-„ ne, noverunt ex vobis nonnulli, qui hæc „ quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, „ & præsens illorum per manus Petri viri ve-„ nerabilis, qui præsens est, ad nos delata do-„ cet Epistola.

226 „ Nos autem de misericordia & Bea-„ torum Petri & Pauli Apostolorum authori-„ tate confisi, fidelibus Christianis, qui con-„ trà eos arma susceperint, & onus sibi hujus „ peregrinationis assumpserint, immensas, „ pro suis delictis pœnitentias relaxamus. „ Qui autem ibi in vera pœnitentia decesse-„ rint, & peccatorum indulgentiam, & fru-„ ctum æternæ mercedis se non dubitent ha-„ bituros. Interim verò eos, qui ardore fi-„ dei ad expugnandos illos laborem istum af-„ sumpserint, sub Ecclesiæ defensione, & Bea-„ torum Petri & Pauli protectione, tanquam „ veræ obedientiæ filios recipimus, & ab uni-„ versis inquietationibus, tam in rebus, quàm „ in personis, statuimus manere securos. Si „ verò quispiam molestare eos ausu temera-„ rio præsumpserit, per Episcopum loci ex-„ communicatione feriatur, & tamdiù sen-„ tentia ab omnibus observetur, donec & „ ablata reddantur & de illatis damnis con-„ gruè satisfiat. Episcopi verò & Presbyteri, „ qui talibus fortiter non restiterint, officii „ suspensione mulctentur, donec misericor-„ diam Sedis Apostolicæ obtineant. *Hacte-nus Urbanus*.

227 Et his dictis, finem dicendi fecit (subjungit Willermus Tyrius) præcipiens iis, qui aderant, Ecclesiarum Prælatis, ut ad propria reversi, cum omni instantia, & debita solecitudine plebes suas ad idem hortentur & invitent diligentiùs. Jis dictis finem dicendi fecit: & soluta Synodo, vale dicentes ad invicem, ad propria sunt reversi: ante omnia, juxtà statuta Synodi fideliter laborantes, ut pax (quæ verbo vulgari *Treguа* dicitur) ab omnibus observetur illibata, nè ire volentibus, & ad necessaria discurrere, ullum ministraretur impedimentum. Dedit ergò Dominus fideli servo suo Evangelizanti virtute multâ, & excelso in verbo gloriæ, pro fidei meritis verbum efficax, & sermonem omni acceptione dignum in oculis universorum. Et visa est à Domino res egressa, itaut mandatum ejus, licèt arduum nimis & difficilè videretur, cum omni aviditate, tam majores, quàm minores amplecterentur. *Hæc totidem verbis Willermus Tyrius*. Dùm porrò omnia pro sacro bello ineundo in universa Europa necessaria pararentur, Urbanus Papa Romam reversus, sequentem ad Alexium Orientis Imperatorem fecit Epistolam.

Urbanus secundus Romanus Pontifex Alexio Constantinopolitano Imperatori &c.

228 „ Cùm statutum fuisset ad Clara-„ montem Alverniæ, ut communibus votis „ bellum adversùs Sarracenos gereretur, tan-„ ta hominum multitudo cruce signata est, „ ut ad trecenta hominum millia censa fue-„ rint. Ducum autem fortissimorum tantus „ ardor, ut de recuperanda Hierosolyma „ multum sperare debeamus. Primus omnium „ Petrus eremita innumerabilibus se ducem „ præbuit, cui Godefredus, Eustathius, & „ Balduinus fratres, Balionii Comites se addi-„ derunt, majores etiam copias paraverunt. „ Hinc Podiensis Episcopus belli Dux, & Rai-„ mundus Sancti Ægidii Comes, inde Ugo „ Magnus Philippi Francorum Regis Frater, „ & Robertus Nortmanniæ, & alter Rober-„ tus Flandriæ, & Stephanus Carnuti Co-„ mites. Quid dicam de Boemundo ipso, „ qui ingenti animi magnanimitate, iis se co-„ mitem adjunxit cum septem millibus dele-„ ctæ juventutis Italicæ, relicta fratri rerum „ omnium cura, quo cum diù bello conten-„ derat? Ad hoc belli maximos apparatus „ unum illud in primis est necessarium, ut tuo „ præsidio commeatuque tantæ copiæ juven-„ tur. Quare abs te peto, majorem in mo-„ dum in quibuscumque rebus poteris justis-„ simo bello gloriosoque faveas. Illud au-„ tem, tametsi non dubitem abs te curatum „ iri, volui tamen te per literas nostras scire „ id mihi & universæ Christianæ Reipublicæ „ jucundissimum fore. Vale Romæ &c. *Hactenus Urbani ad Alexium Epistola*.

229 Verùm Alexio, tam ingentem belli apparatum, & si contra hostem suum, minimè placuit, & qui auxilia Latinorum adversùs eundem hostem maxima cum instantia postulaverat, de tanta auxilii copia tristatur, quandò quilibet cordati animi, lætitiam percipere debuisset. Hinc statim ad fraudes animum adjecit, consueto Græcorum more, unde Latinorum spem frustrare posset, imò & eos perdere. Cœpta est ejusmodi Latinorum expeditio anno Domini MXCVI. Urbani Papæ anno IX. Imperii Alexii Comneni an-

no XVI. Indictione IV. Mense Martio, VIII. die Mensis, sub *Galtero* cognomento, *Sensaucir*, viro nobili & in armis strenuo cum ingenti multitudine pedestrium turmarum, ut idem Willermus Tyrius scribit, lib. 1. Cap. 18. iter arripiente per Theutonicorum Regnum versum Hungariam, cui postea se adjunxit Petrus Eremita cum quadraginta millibus, qui eum, ex omni populo, & tribubus, & linguis & nationibus collecti, sequebantur. Advenerat inde Godescalcus Sacerdos Teuthonicus cum quindecim millia à se collectis militibus, qui Galtero, & Petro se sociavit: Deinde Mense Augusto ejusdem anni, die XV. iter aggressus est Godefredus Lotaringiæ Dux, quem secuti sunt complures magnę Nobilitatis viri.

230 Cùmque in ditionem Imperatoris Græcorum devenissent, multi viri nobiles cum Ugone magno Philippi Regis Francorum fratre, dolo ab Alexio jussi sunt, detineri in vinculis: sed adveniente posteà Godefredo, dimissi sunt, coactus Imperator eos reddere, nè universa à Latinorum exercitu devastarentur. Non tamen hostilem animum impius Princeps omisit, multa per insidias parans, ut idem Tyriensis accuratè scribit. Undedùm Godefredus adhuc in castris propè Urbem Regiam moraretur, accessit Nuncius ferens ei literas Boemundi tenoris sequentis, videlicèt.

231 „ Noveris virorum optime, quod „ tibi contra feram pessimam, & cum homine „ nequam incumbit negocium: cujus proposi„ tum est semper fallere, & omnem Latinorum „ nationem usque ad mortem modis omnibus „ persequi: & quod de eo rectè sentiam, tuo „ quoque aliquando approbabitur judicio. No„ vi enim Græcorum malitiã, & odium adver„ sùs Latinorum nomen pertinax & obstina„ tum. Cede ergò, si placet, Urbe relicta, „ ad partes Adrianopolitanas, vel circa Phi„ lippopolim, & Legiones tibi à Domino „ commissas, in locis uberibus, alimentis & „ ocio præcipe recreari. Ego autem, aucto„ re Domino, circà veris initium festinus ade„ ro, consilium & auxilium, fraterna chari„ tate, tanquam Domino meo, contra im„ pium Græcorum Principem ministraturus. *Hactenus Epistola*.

232 Qua perlecta & ejus tenòre pleniùs intellecto, de communi principum consilio literis, & viva voce, respondit Godefredus in hæc verba: „ Novi, dilectissime frater, & „ fama referente pridèm edoctus sum, quod „ odio inexorabili Græcorum astucię, popu„ lum semper nostrum persequi ardentissimè „ studuerunt: Et si quid mihi defuit priùs ad „ scientiam, quotidiè per experimentum ad„ disco pleniùs: nec dubito, quin justo Zelo „ adversùs eos movearis, & de eorum ne„ quitia rectè sentias. Sed Dei timorem ha„ bens præ oculis, & propositum meum con„ siderans, arma infidelibus debita, in popu„ lum convertere Christianum reformido. „ Adventum tamen tuum nobis desiderabi„ lem, & aliorum Principum Deo Devoto„ rum præsentiam avidissimè Deo amabilis, „ qui nobiscum est, expectat exercitus. *Hæc Godefredus*.

233 Intereà Alexius missis Nunciis ad Godefredum petiit, ut ad se ingrederetur, dato filio obside pro securitate: Accessit ille, & multa cum honorificentia, adstantibus principibus fuit exceptus, & ad pacis osculum admissus: qui ut faciliùs decipere illum posset, sic ei affatus est: „ Audivit Imperium no„ strum, Dux dilectissime, quod apud Prin„ cipes tuos; & pietatis propositum, quod „ studiosè prosequeris, devotionis fervore „ armatus commendabili, non habet incogni„ tum: quodque potitus est, constantis ani„ mi, & sinceræ fidei virum te fama celebris „ longè, lateque prædicat. Unde & multo„ rum, qui te præsentem non viderunt, mo„ rum elegantia id exigente, gratiam merui„ sti. Quapropter nos etiam te tot charitatis „ visceribus amplecti volentes, & honorare „ propensiùs, in filium hodie præsentibus sa„ cri Palatii nostri magnatibus, te adoptare „ decrevimus; Imperium nostrum sub tua po„ testate ponentes, ut per te in facie præsen„ tis & affuturæ multitudinis illæsum manere „ possit & incolume. *Hæc Imperator*.

234 Quibus dictis, subjungit Tyrius, lib. 2. cap. 20., cum vestibus indutum Imperialibus, adhibita, juxtà morem curiæ, solemnitate quadam, quæ in hujusmodi inaugurationibus fieri solet, secundùm regionis morem adoptavit in filium. Indè apertis thesauris suis, tam Godefredo, quàm ejus Comitibus, dona ingentia in auro, gemmis & holosericis, & vasis preciosis, hominum æstimationem, tàm operis elegantiã, quàm dignitate materiæ penitùs excedentia, pro sua liberalitate contulit; itaùt usque ad supremum muneribus cumulati, & divitiarum incomparabiles copias, & principis admirarentur munificentiam: Nec semèl tantùm ergà Ducem tanta functus est liberalitate; sed ab Epiphaniorum die usque ad Ascensionem Domini, singulis hebdomadibus, quantum duo viri fortes aureæ monetæ poterant humeris sustinere; de æreis verò denariis decem modii, de Imperiali Palatio ei ministrabantur. *Ità in terminis Tyrius*.

235 Post hæc verò, Boemundo advenienti Legationem in itinere Alexius misit, datis literis, humanitate & benevolentia, atque æstimatione omni refertis, sed in dolo, tentans, si quomodo posset decipere: similia præstitit Comiti Flandriensi, licèt occultè eis insidias tendere minimè renuisset. Ad eundem post illorum adventum habuerunt accessum, & muneribus cumulati dimissi fuerant. Suspectam tamen habebant illius amicitiam, & cavebant

bant pro posse, non tamen caverunt quantum satis erat: Non omiserunt Latini Principes eum invitare, & suadère, ut ad sacrum bellum una cum ipsis proficisci dignaretur, essetque in eo Dominici Exercitus Dux, & Comes; sed variis allegatis excusationibus adire distulit, verè tamen quia cogitabat, universum perdere Latinorum Exercitum finè pugna. Et ad hunc finem Comitem eis dedit in via, ut Dux itineris quendam *Taninum* nomine, virum Græcum, Imperatori familiarem, perfidum alinndè, & nequam, nares mutilas habens in signum mentis perversæ; nàm ille, ut ait Tyrius, cuncta quæ in expeditione fiebant, cunctaque, quæ à singulis Principibus dicebantur, sinistrâ pervertens interpretatione, Imperatori significabat, ab eo, versâ vice, commentorum & fraudis per frequentes Internuncios formam recipiebat. Sequutus est Principes, & Exercitum usquè Antiochiam, sed antequàm illùc deveniret, majorem partem per asperas & angustas Montium semitas abire fecit, ubi grandia mala passi sunt Milites ex difficultate illùc transeundi.

236 Describit hæc Robertus Monachus in sua Historia Hierosolymitana ad calcem lib. 2., inquiens: „ Universus verò exercitus, qui remanserat, iter arripuit, misero„ que infortunii successu per quædam Mon„ tana, quæ nulli erant nisi feris, aut repti„ libus pervia, ubi semita erat, quæ am„ pliùs quàm unius pedis spatio dilataba„ tur, sed hinc indè rupibus, & densis spi„ narum, seù veprium frutetis artabatur: „ ima Vallium in abyssum videbantur im„ mergi, cacumina Montium ad sydera tol„ li: Hac inæquali semita milites, & armi„ geri collo suo arma dependentia gestabant; „ omnes æqualiter pedites, quià nulli eorum „ equitabant: Plerique libentissimè loricas, „ galeas, clypeosque suos vendidissent, si „ emptores invenissent: multi quidèm pluri„ mâ lassitudine deficientes ea proiiciebant, „ ut saltèm sic expediti ire valerent. Jumen„ ta cum oneribus ire nullatenùs poterant, „ sed plerisque in locis onera jumentorum „ homines ferebant. Stare loco, aut sedere „ nemò poterat, quià alter alterum impelle„ bat. Nemò poterat juvare suum comitem, „ nisi præcedentem ultimus; quoniàm qui „ præibat, vix converti valebat ad subsequen„ tem. *Hæc ille*. Idem refert Baldricus Ar„ chiepiscopus lib. 2. Historiæ Jerosolymi„ tanæ. Post hæc verò *Tanninus*, sivè *Tani„ nus*, cùm jàm Antiochia à Latinis obsessa „ fuisset antè deditionem, petitâ à Principi„ bus licentiâ, licèt cognita illius perfidia, „ abire permissus est.

237 In hac eadem expeditione Alexius Imperator aliâ proditione penè universum Petri Eremitæ exercitum inimicorum gladiis exponere, pessimâ arte curavit. Cujus proditionis meminit Raymundus de Agiles in Historia Hierosolimitana per hæc verba: „ Cognovimus tùnc, quòd Petrum Eremi„ tam, qui longè antè exercitus nostros cum „ magna multitudine Constantinopolim ve„ nerat, Imperator eum prodidisset. Ete„ nim ipsum, qui ignarus locorum erat, & „ totius militiæ, & suos transfretare coegit, „ atque Turcis exposuit. Turcæ autem de „ Nicæa, illam imbellem multitudinem vi„ dentes, finè labore, & mora ex eis decol„ laverunt usquè ad sexaginta millia. *Hæc ille*. Bertholdus verò hæc alia impiè ab eodem Imperatore gesta refert, inquiens: „ Con„ stantinopolitanus Rex huic dispositioni „ impedimento fuit, qui se commodè à no„ strorum adjutorio subtraxit; Nàm Civi„ tates illas, quas nostris de manibus eri„ puerunt, ille penitùs incendio devastare, „ & Paganis reddere non timuit, iterque „ Hierosolymitanum per suam potestatem „ omnibus peregrinis omninò prohibuit. *Hactenus Bertholdus*.

238 Intereà Urbanus Papa laborabat pro Græcorum unione, cujus rei gratiâ Anno Domini MXCVII., sui Pontificatus Anno X., Imperii Alexii Anno XVIII., Indictione v. Concilium indixit Bari in Apulia celebrandum, ubi cōmodiùs Græci Episcopi interesse possent. Et convenientes Episcopi ad Kalendas Octobris, tùm Græci, tùm Latini in Ecclesia, ubi requiescit Sancti Nicolai Corpus, agitatæ sunt Controversiæ inter eos diutiùs ventilatæ, sed potissimùm de processione Spiritus Sancti, quem à solo Patre procedere Græci asserebant. Interfuit huic Concilio Beatus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, sanctitate, & doctrinâ celebris, qui in confutandis Græcis, primas tulit partes; undè Edinerus ait: „ Cui Concilio, „ dùm Anselmus se præsentasset, & persuasus „ à Papa, Græcos in processione Spiritus „ Sancti, utpotè, quem à Patre, & non à „ Filio procedere Græci adstruant errantes, „ rationabili, & Catholicâ disputatione con„ futasset, magni apud omnes est habitus, „ & veneratione dignissimus comprobatus. *Hæc ille*.

239 De hac eadem Synodo, & Anselmi disputatione, scribit etiam Vuillelmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pon. Angl., ubi tradit, eâ absolutâ, de communi omnium Patrum, præcipuè Latinorum consensu, Urbanum Anathemati subjecisse, asserentes, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Ait namque, agens de hac Synodo: „ Ut ergò „ ventum ad Concilium, Apostolicus antè „ Corpus Sancti Nicolai constratus tapeti„ bus, & palliis, ipse casula cum pallio ami„ ctus, Tribùnal ascendit, cæteri cum cap„ pis sedebant. Omnibus ergò suum locum „ ex antiquo vendicantibus, Anselmus hu„ militate summus, quo poterat assedit. Ex-

„ ciderat animo Summi Pontificis ingruente „ tumultu, ut ei locum delegeret, sed erroris admonitus est, quæstionis necessitate à „ Græcis proposita, probare volentibus, Spiritum Sanctum nonnisi à Patre procedere, *Ità ille*.

240 Cœpta est disputatio, & accersito, Pontificis jussu, Anselmo, quem juxtà Romanum Archidiaconum, tertiò post se sedère fecit, ad Græcorum objecta summâ cum eruditione, nec minori modestiâ respondit: verùm labente tempore, ad alterum diem dilata est; undè idem Vuillelmus subjungit: „ sed „ sequenti die maturiùs Cœtu coacto, pro„ motus in editum, ità tractavit quæstionis „ latera, ità penetravit, & enubilavit inti„ ma, ut Latini clamore testarentur gau„ dium, Græci de se prebère dolerent ridi„ culum: Nullus porrò inops, & inanis „ scientiæ discederet. Sensus illius sermonis „ procedente tempore luculenter digessit in „ libro de processione Spiritus Sancti. Tunc „ ubi verbum absolvit, omnes in eum ocu„ los, & ora converti, hic laudare fidem, „ ille scientiam, omnes eloquentiam. Seda„ to fragore, quem laus ejus suscitaverat, „ intendens in eum Summus Pontifex, ait: „ *Benedictum sit cor tuum, & spiritus tuus*, „ *& sermo oris tui benedictus*. Nec mora, „ cum consensu omnium roboratus, in aliter „ sentientes fulmen excommunicationis in„ torsisset, ventilari de Rege Anglorum ser„ mo cœpit. *Hæc ille*.

241 Post hæc verò Latini Sanctam Civitatem occuparunt, subjugatis priùs nobilioribus Syriæ Urbibus, capta est, ut ait Tyrius ad calcem libri VIII., Anno ab Incarnatione Domini MXCIX., mense Jullo, xv. die mensis, feriâ VI. circà horam diei nonam; Anno tertiò, ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis sibi onus assumpserat, Præsidente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Domino Urbano Papa secundo, Romanorum verò Imperium administrante Henrico IV., in Francia verò regnante Domino Philippo, apud Græcos autèm in sceptris agente D.Alexio. *Hæc Tyrius*: Erat enim Annus XII. Urbani Papæ, Henrici III. Imperatoris Annus XVI., Alexii Comneni XIX., Indictione VI. Sed antequàm hujus rei notitia Romam delata esset, Urbanus Papa ad Dominum migravit paucis scilicèt post diebus à capta Hierosolyma, nimirùm IV. Kal. Augusti ejusdem Anni, cùm sedisset Annos XI., menses IV., dies verò XVIII.

CAPUT X.

De Paschali II. Papa, & Græcorum gestis ad obitum usque Alexii Comneni.

242 DEfuncto, ut fati sumus, Urbano, mirâ totius Cleri, & Cardinalium consensione, fusis priùs per dies plures ad Deum precibus, renunciatus est Romanus Pontifex Rainerius, sivè Ragine- rius, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Clementis, Abbas Monasterii Sanctorum Laurentii, & Stephani extrà muros, & dictus est Paschalis Secundus, creatus ipsis Idibus Augusti, ejusdem superiùs memorati Anni. Erat enim Tuscius, ex Crescentia, & Alsatia parentibus ortus, patriâ verò Bledanus, in Monasterio Cluniacensi, ferè ab infantia enutritus, & Monachali suscepto habitu, sub Sancto Hugone Abbate plurimos trasegerat Annos, donec ob sui Monasterii negotia Romam missus, à Gregorio VII. Romano Pontifice creatus fuit S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis, indè Abbas antedicti Monasterii.

243 A' decessore suo nominatum in successorem, tradit Auctor ejus vitæ, & reluctantem tanto oneri subiisse, idem pariter notat. Ejus verò promotionem, & sui Pontificatus diuturnitatem revelatam priùs fuisse cuidam Religioso, scribit Dodechinus illius ævi scriptor in hæc verba: „ Cuidam Reli„ gioso revelata est mors Urbani. Cui in„ terroganti, quis post eum futurus esset „ Pontifex, respondit ei qui apparuit: *Rai„ nerius Abbas*. Rursùm illo interogante, „ quamdiù vivere deberet; *Respice*, ait, *ad „ suppedaneum lectuli tui*. Cùmque respexis„ set, vidit jacentem schedulam parvulam, „ ex una parte pilosam, ex alia puram, „ paucis literis taliter inscriptam: *Terniter „ Quaterni Ternique*, qui simul faciunt de„ cem, & octo. *Hactenus ille*. Baronius verò ad Annum Domini M. sub numero 2. refert in quodam anonimo scriptore in Codice Vaticano, reperiri in ea schedula ità scriptum fuisse: *Quater Quaterni Ternique*, cùm Paschalis reverà pervenisset usquè ad Annum XIX., subjungit posteà Dodechinus: „ Rur„ sùs autèm sciscitante illo, cùr prædicta „ schedula partim pilosa, partim pura esset? „ respondit: *Tempus Papatus ejus partim pla„ cidum, partim turbolentum erit*, quod „ verum fuit. *Hæc Dodechinus*.

244 Ad hunc ergò Pontificem legitur data Epistola Archiepiscopi Pisani, Apostolicæ Sedis Legati in bello sacro, Godefredi Ducis, Regimundi Comitis, ac etiam nomine totius exercitus, simùl quoquè directa uni-

universis Episcopis, & cunctis Christianæ fidei cultoribus, continens gesta in bello sacro à capta Nicæa Urbe, usquè ad captam Hierosolymam, & paulò post. Extat apud Baronium ad Annum Domini MC. sub num. VIII., ad hunc modum se habens.

Paschali Papa Romanæ Ecclesiæ, & omnibus Episcopis, & universis Christianæ Fidei cultoribus, Pisanus Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, & Godfredus Dux, gratià Dei Ecclesiæ nunc Sancti Sepulchri Advocatus, & Regimundus Comes Sancti Ægidii, & universus Dei Exercitus, qui est in terra Israel, salutem.

245 „ Multiplicatæ preces, & orationes „ cum jucunditate, quoniàm Deus magnificavit suam misericordiam, complendo in nobis ea, quæ antiquis temporibus promiserat. Etenim cùm, captâ Nicæa, cunctus Exercitus indè discessisset, plusquàm trecenta millia armatorum ibi fuerunt. Et licèt tanta multitudo esset, quæ universam Romaniam occupare, atque epotare flumina omnia, compascere omnes segetes unâ die posset, tamèn cum plenitudine tanta conduxit nos Dominus, ut de ærario nummi vix duodecim acciperentur. Prætereà etsi Principes, & Reges Sarracenorum contrà nos surrexerunt, tamèn, Deo volente, victi & conculcati sunt. Ob quæ quidèm fœliciter acta, quia quidam intumuerant, opposuit nobis Dominus Antiochiam, humanis viribus inexpugnabilem, ibiq; per 9. menses nos detinuit, atque in obsidione extrà ità nos humiliavit, ut in toto Exercitu nostro vix boni centum Equi reperirentur. Tandèm aperuit nobis Dominus copiam suæ benedictionis, & nunc etiam induxit in Civitatem, & turres, & omnia eorum potestati nostræ tribuit. Cùm hæc quasi viribus nostris acquisita teneremus, tantâ multitudine Sarracenorum obsessi sumus, ut vix ab humanis dapibus aliquis abstinuerit. Longum est enarrare miserias, quæ in Civitate fuerunt.

246 „ Respiciens autem Dominus populum suum, quem ità diù flagellaverat, benignè consolatus est nos. Itaquè primò quasi per satisfactionem tribulationis lanceam suam, à nemine inventam à tempore Apostolorum, pignus victoriæ nobis contulit: Deindè corda hominum adeò animavit, ut illis, quibus ægritudo, vel fames ambulandi vires negaverat, arma sumendi, & viriliter contrà hostes dimicandi virtutem infunderet....... Deniquè cum triumphantibus hostibus, fame, ac tedio deficeret Exercitus Antiochiæ, & maximè propter discordias Principum, in Syriam profecti, Varram, & Marram Urbes Sarracenorum expugnavimus, & Castella Regionis obtinuimus. Cùmque ibi moram facere disposuissemus, tanta fames in Exercitu fuit, ut corpora Sarracenorum jàm fœtentium, à Populo Christiano ibi comesta sint.

247 „ Deindè, cùm Interiora Lusaniæ ingrederemur, largissimam, & misericordiosissimam, & victoriosissimam manum omnipotentis Dei Patris nobiscum habuimus. Etenim Cives, & Castellani Regionis, per quam procedebamus, ad nos cum multis donariis Legationes promittebant, parati servire nobis, & Oppida sua dedère. Sed quia Exercitus noster non multus erat, & unanimiter in Hierusalem venire festinabat, acceptis securitatibus, tributarias eas fecimus, quippè quòd de multis Civitatibus, in una de illis, quæ ex minimis est, plures homines haberentur, quàm in nostro Exercitu essent. Cùmque auditum esset Antiochiæ, & Rhoes, quia manus Domini nobiscum esset, plures de Exercitu, qui ibi manserant, consecuti sunt nos apud Tyrum; hinc itaquè, Deo cooperante, usque ad Hierusalem pervenimus. Cùmque in obsidione multùm Exercitus laboraret, maximè propter inopiam aquæ, habito consilio, Episcopi, & Principes circumeundam esse Civitatem nudis pedibus prædicaverunt, ut ille, qui pro nobis humiliter ingressus est, per se judicium de his hostibus faciendo, nobis eam aperiret.

248 „ Placatus itaquè Dominus hac humilitate, octavo die post humiliationem, cum suis hostibus Civitatem nobis tribuit, eo videlicèt die, quo primitiva Ecclesia indè abjecta fuit, cùm festum dispersionis Apostolorum celebraretur. In porticu Salomonis, & in Templo nostri equitabant in sanguine Sarracenorum usquè ad Equorum genua. Deindè cùm ordinatum esset, qui Civitatem retinere deberent, cùm alii amore patriæ, & pietate parentum suorum redire voluissent, nunciatum est nobis, Regem Babyloniæ Ascalonam venisse cum innumerabili multitudine militum, ducturum Francos, qui Hierosolymis erant, in captivitatem, & expugnaturum Antiochiam; sed aliud Deus de nobis statuerat. Itaquè descendimus obviam illi, relictis sarcinis, & infirmis Hierusalem cum præsidio.

249 „ Cùmque Exercitus noster, & hostium se conspexissent, genibus flexis adjutorem Deum invocavimus, ut qui in aliis necessitatibus Legem Christianorum confirmaverat, in præsenti bello, confractis viribus Sarracenorum & Diaboli, Regnum Christi, & Ecclesiæ à Mari usquè ad Mare usquequaquè dilataret. Hic Dominus adfuit, & tantas tribuit vires, ut in hostem currere, ut videntem fontem aquæ, sitientem

„ tem Cervum segnem indicarent; miro vi-„ delicèt modo, cùm in nostro Exercitu, „ non ultrà quinque millia Equitum, & cen-„ tum quinquaginta millia Peditum fuissent; „ & in Exercitu hostium, centum millia „ Equitum, & quadringenta millia Peditum „ esse potuissent. Tunc mirabilis in Servia „ suis Dominus apparuit, cùm antequàm „ confligeremus, pro solo aspectu nostro hanc „ multitudinem in fugam vertit, & omnia „ eorum arma diripuit, ut si deinceps vellent „ repugnare, non eitò haberent arma. Spo-„ lia inaudita, Thesaurum Regis Babylonis „ obtinuimus. Ceciderunt ibi Maurorum ul-„ trà centum millia gladio. Timor autèm „ eorum tantus erat, ut in porta Civitatis „ ad duo millia suffocati sint. De his verò, „ qui in Mari interierunt, non est numerus; „ Spineta etiam ex ipsis occiderunt. Pugna-„ bat certè pro nobis Deus. Pridie quàm „ bellum fieret, multa millia Camelorum, & „ Bovum, & Ovium cœpit Exercitus; Prin-„ cipum jussu, populus hæc divisit. Ad pu-„ gnam progredientes, multæ turmæ horum „ animalium comitabantur miraculosè, & „ stabant eum stantibus, & currebant cum „ currentibus. Nubes ab æstu Solis defen-„ debant nos, & refrigerabant.

250 „ Celebratâ itaquè victoriâ, rever-„ sus est Exercitus Hierusalem, relicto ibi „ Godefredo Duce. Comes Sancti Ægi-„ dii, & Robertus Comes Nortmanniæ, & „ Robertus Comes Flandriæ Laodiceam re-„ versi sunt; ibi Classem Pisanorum, & Boe-„ mundi invenerunt. Cùmque Archiepisco-„ pus Pisanus Boemundum, & Dominos no-„ stros concordare fecisset, regredi Hierusa-„ lem pro Deo, & fratribus suis Raimundus „ disposuit. Ad hanc igitùr, tàm admirabi-„ lem fratrum nostrorum fortitudinis devo-„ tionem, ad tàm gloriosam omnipotentis „ Dei retributionem, ad tàm exoptabilem „ omnium peccatorum nostrorum, per Dei „ gratiam, remissionem, & Catholicæ Chri-„ sti Ecclesię, & ipsius Latinæ, invitamus „ vos ad exaltationem, & omnes Episcopos, „ & bonæ vitæ Clericos, & Monachos, & „ omnes Laicos, ut ille nos ad dexteram Dei „ consedère faciat, qui vivit & regnat per „ sæcula. Rogamus, & obsecramus vos per „ Dominum Jesum, qui nobiscum semper „ fuit, & eollaboravit, & ex omnibus tribu-„ lationibus nos eripuit, ut fratrum sitis me-„ mores vestrorum, qui ad nos revertuntur, „ benefaciendo eis, & solvendo debita eo-„ rum, ut vobis Deus benefaciat, & vos ab-„ solvat ab omnibus peccatis, & in omnibus, „ quæ vel nos, vel illi apud Dñm meruimus, „ partem vobis concedat. *Hactenus Epistola.*

251 His relectis literis, plurimùm in Domino gavisus est Paschalis, ac per universam Ecclesiam Occidentalem publicatis, omnium fermè Latinorum incenderunt animos Hierosolymam adeundi, & subsidio esse fratribus, novam meditantem expeditionem; de qua ità Wilhelmus Tyrius, lib. 10. cap. 12., scribit, inquiens: „ Dùm hæc in Oriente geruntur, „ audientes Occidentales Principes mirabi-„ lia magna, quæ per servos, qui peregrina-„ tionem ingressi fuerant, operatus est Do-„ minus, quomodò per tot terrarum spatia, „ per tot varios, multiplicesque casus Exer-„ citum suum in Terram traduxerat Promis-„ sionis; & quomodò ante faciem eorum sub-„ jecerat gentes, Regna humiliaverat, læti „ de fratrum successu. Sed hoc ægrè feren-„ tes, quòd eorum fœlicibus actibus digni „ non fuerunt interesse, apponunt qui relicti „ fuerant, & ex compromisso apud se firmi-„ ter concipiunt, expeditionem innovare. *Hæc ille.* Paschalis verò, licèt variis ærumniis pressus, propter Schismaticorum Henricianæ hæresis factionem, nequaquàm filiorum suorum, qui in Asia pro Christo, pro Religione, & pro Fide strenuè militabant, oblitus, decrevit per novam Legationem eos confortare, selecto Mauritio Episcopo Portuensi, & datis ad eos sequentibus literis.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus, sivè filiis, Episcopis, Clericis, Proceribus, Militibus, & omni Populo Militiæ Christianæ in Asia triumphantis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

252 „ Quod per Prophetam populo suo „ Dominus pollicetur, impletum in vobis „ cognoscimus: *Inhabitabo*, inquit, *in eis*, „ *& inambulabo cum eis*, quia per fidem in „ vestris pectoribus habitat, & per operatio-„ nem ità inambulat, ut patenter in vobis „ inimicos suos expugnasse videatur. Re-„ novavit enim Dominus antiqua miracula, „ ut in uno mille, & in duobus decem mil-„ lia persequeretur, & his Ecclesiæ armis, „ Sacerdotalium precum tubis, & inimica-„ rum Urbium mœnia aperiret. Illud verò „ quanti gaudii, quàm potentis miraculi „ æstimatis, quod sacrosancti Lateris San-„ guine eruentam Lanceam, & vivificæ Cru-„ cis partem vestris oculis revelavit, vestram „ tractandam manibus obtulit? Quantas su-„ per his Redemptori nostro gratias debea-„ mus, nec humanus animus opinatur, nec „ lingua prævalet enarrare.

253 „ Videmus enim christianę fidei ho-„ stes, christiani populi oppressores, per Di-„ vinam Misericordiam manu vestrâ partim „ contritos, partim è diù possessis Regioni-„ bus effugatos. Videmus Orientalem Eccle-„ siam, post longa captivitatis tempora, ma-„ gnâ ex parte ad antiquam libertatis glo-„ riam rediisse. Dicendum igitùr est: *Glo-*

ria

„ *ria in altissimis Deo, & in terra pax homini-* „ *bus bonæ voluntatis*. Orationi etiam & vi„ giliis insistendum, ut quod cœpit, adim„ pleat, & manus vestras, quas hostium suo„ rum sanguine consecravit, immaculatas us„ què ad finem, affluentes firmâ pietate cu„ stodiat.

254 „ Quapropter agite, filii in Chri„ sto desideratissimi, rememoramini, quanta „ pro fratrum salute, & erectione pericula „ subieritis; patriam, domos, parentes post„ habuistis, vosmetipsos exilio addixistis, „ morti opposuistis; curate nunc ad meliora „ semper tendere; pacem cum omnibus con„ servate, ut possitis ad æternam pacem, Do„ mini misericordiâ, pervenire.

255 „ Plurima vobis significare per char„ tam, & atramentum supersedemus, quo„ niàm ex Apostolicæ Sedis gremio charissi„ mum fratrem Mauritium Portuensem Epi„ scopum destinamus, ut qui per Beati Petri „ Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ præ„ decessorem nostrum Urbanum, tanti pere„ grinationem itineris assumpsistis, Beati „ Petri solatiis semper abundetis; & quem „ fundamentum tanti operis habuistis, ipsum „ quoquè ad finem caput in fide, & obedien„ tiâ teneatis. Vices etiam nostras eidem „ fratri Mauritio & Episcopo commisimus, „ ut eum in omnibus reverenter excipere, „ audire, & per ipsum nobis, immò Beato „ Petro, obsequi debeatis. Cui nimirum in „ præceptis dedimus, ut Ecclesiæ, quam per „ vos Dominus liberavit, seù liberaturus „ est, ordinationi vigilanter immineat; si „ quæ minùs canonicis regulis apta repere„ rit, corrigat, & in eisdem cum vestro „ auxilio plantanda plantet, ædificanda ædi„ ficet.

256 „ Hortamur itaquè, hortantesque „ præcipimus, ut ei, tanquàm personam no„ stram præferenti, in omnibus obedire cu„ retis. Omnipotens Dominus & velle, & „ posse in vobis tribuat, ut quæ, eo auctore, „ facienda cognoscitis, ipso adjuvante, im„ pleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis ab„ solvat, & exilio vestro patrium æternam „ tribuat. Datum Romæ IV. Nonas Maji, „ Indictionis VIII., per manum Joannis Dia„ coni. *Hactenus Paschalis litera*. Hujus Legationis meminit Albertus Aquensis, lib. 7. Expedit. Hierosol. cap. 47.

257 Anno indè sequenti, nimirum, Domini MCI., Pontificatus Paschalis Anno II., Imperii Alexii Comneni XXI., Henrici III. Imperatoris in Occidente Anno XVIII., Indictione IX., Anno II. à capta à Christianis Hierosolyma, facta est à Latinis secunda, & auxiliaria expeditio pro eodem bello sacro, præeuntibus sacræ Militiæ Wilhelmo Comite Pictaviensi & Aquitaniæ Duce, Hugone Magno, Philippi Regis Francorum fratre, Comite Viromandensium, qui primam expeditionem secutus, captâ Antiochiâ, inopiâ rei familiaris tractus, in patriam redierat, Stephano Carnotensium & Blesensium Comite, qui turpiter in prima expeditione, captâ pariter Antiochiâ, futurum bellum reformidans, recesserat, Stephano Burgundiæ Comite, multisque aliis Viris nobilibus. Hi ergò cum ingenti multitudine Cruce signatorum vestigia priorum sectantes, Constantinopolim pervenientes, ab Alexio Imperatore sunt honorificè suscepti, simulans cordis venenum; quoniàm & hos prodere, sicut & priores prodiderat, non omisit, sollicitans Christianorum hostes, Turcas scilicèt & Sarracenos, instruensque, ut collectis Copiis, in Milites Christi irruerent. Hinc idem Tyrius lib. 10. cap. 13., agens de hac expeditione, & de adventu Crucesignatorum, & Principum ad Regiam Urbem, subjungit: „ At verò „ idem Imperator, vetusto Græcorum more, „ nostrorum successibus invidens, quamvis „ eos, ut prædiximus, apud se satis benignè „ habuisset, occultè tamèn per Internuncios „ frequentes, in eorum perniciem hostes sol„ licitabat; & de eorum adventu crebris Epi„ stolis, & Nunciorum discursibus reddebat „ instructiores, eos præmonens, nè tantum „ populum suo periculo liberè transire pa„ tiantur. Vicem Scorpionis agens, cui cùm „ non sit in facie quod formides, prudenter „ feceris, si caudæ posterioris declinare po„ teris maleficium. *Hæc ille*, prosequens de collectis à Turcis Copiis, & quomodò irruentes in sacram illam Militiam, divisam quidèm in plures turmas, unâ die in ore gladii occiderunt promiscui sexus plusquàm quinquaginta millia.

258 Sed licèt hæc dolosè ageret Alexius in Latinos Milites invidiâ permotus, fortassè quoquè timore, nè auctâ in Oriente Latinorum potentiâ posset & Imperium suum periclitare; non erat tamèn sejunctus à communione Romanæ Ecclesiæ, à qua complures Episcopi, Cerularii sectantes vestigia, sejuncti manebant, præcipuèque propter dogma de processione Spiritus Sancti, pertinaciter contendentes, à solo Patre, nequaquàm à Filio procedere, & in crimen Ecclesiæ Romanæ vertentes, quòd profiteretur, æquè à Patre, & Filio procedere. Qua de rè Paschalis Papa, & universam Orientalem Ecclesiam sibi conciliaret, & schisma de medio radicitùs evelleret, delegavit ad Alexium Chrisolanum, alii Grossolanum, Episcopum Mediolanensem, virum aliundè doctrinâ, ac morum probitate tunc temporis celeberrimum, quatenùs ageret, ut sublatis Græcorum erroribus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cuncti reconciliarentur Orientales.

259 Paruit Pontificis mandatis Chrisolanus, & profectus est Constantinopolim, honestè receptus à Principe; qui, cùm optimè nosset, unicè ab Imperatore pendere, ut sibi

sibi subjecti Episcopi sanctæ reconciliarentur Ecclesiæ, disputationem instituit de Spiritus Sancti processione à Patre,& Filio,coràm eodem Principe habendam, ut ille de dogmatis veritate persuasus, cogeret contradicentes, & ipsos eidem assentiri. Extat ejus disputatio, sivè oratio habita coram Imperatore, apud Baronium ad Annum Domini MCXVI. sub num. VIII., licèt mutila, sicut ad ejus manus ex Codice Græco devenerat, in cujus initio ità exorditur: „ Audi, & intellige „ quæ tibi dico, sapientissime, & clementissime Imperator Alexi, de Spiritu Sancto; neque respicias me, licèt sim omnium „ servorum postremus,sed potiùs ad illum respice, de quo loquor, Dominum videlicèt „ Jesum Christum, qui est Imperator Imperatorum, & omnibus Imperatoribus major. *Per ipsum Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Pro ipso itàquè, „ & de ipso ego illius servus, licèt indignus, „ & inutilis, tecum verba facio: Nè ullo „ pacto finas in Regno tuo, aliquàm ipsi fieri contumeliam; nè etiam, & ipse graves, „ & quas decet Imperatores, à te exigat „ pœnas in Regno suo. *Hæc ille in exordio*. Et indè statìm ait, contumeliam inferri Filio, si dicatur, Spiritum Sanctum ab eo quoquè non procedere: Et in processu disputationis probat hanc veritatem Catholicam scripturis, & rationibus, Grecorumque objecta solidissimè refutat.

260 Verùm frustrà laboravit Chrisolanus, permanentibus in sententia, qui ex Græcis aliter sentiebant;& plures ex eis scripto aggressi sunt Chrisolani refutare dicta, editis libellis adversùs illius disputationem; inter quos primarii fuerunt, Joannes quidam Monachus, & Nicolaus Methònes, quorum meminit Gennadius Scholarius in Apologia Concilii Florentini adversùs litteras Circulares Marci Ephesini, eosque non veretur appellare Schismaticos, & Photii discipulos. Scripsit indè contrà eundem Chrisolanum Eustratius Metropolita Nicænus, ut testatur Leo Allatius, & scripserunt nonnulli alii posteriores. Quare re infectâ reversus est Chrisolanus ad propria.

261 Hanc Legationem peractam à Chrisolano creditur post Concilium Lateran. IV. à Paschali celebratum, hoc est, eo absoluto, Anno scilicèt Domini MCXVI., Paschalis Pontificatus Anno XVII., Imperii Alexii Comneni Anno XXXVII., Henrici IV. Imperatoris Occidentis Anno VI., Indictione IX. Quoniàm eidem Concilio Lateranensi, eo Anno celebrato, pridiè Nonas Martii, ut indicant ejus acta à Vespergensi recitata, interfuisse legitur. Dicitur nàmque: *Primò itàque die, quæ secunda feria tertiæ hebdomadæ Quadragesimalis, inter Mediolanenses Episcopos Grosòlanū, & Jordanem, in alterum de invasione, in alterum, quòd Ecclesiæ suæ desertor extiterit, ventilata est controversia*; quàm posteà decisam refert die Sabbati sequenti in ultima Sessione, inquiens idem scriptor: „ Sabbato deniquè inter Mediolanensium Episcopos controversia, tali dispensatione terminata est, Apostolico Paschali docente, translationes Episcoporum „ duobus fieri modis, necessitate, vel utilitate. Hujus autèm translationis Grosolani, quæ videbatur in utilitatem, in animarum, & corporum damna conversam. „ Grosolanum quidèm in locum, undè translatus fuerat, restituit, Jordanum verò Mediolanensibus concessit. *Hactenus Vespergensis*.

262 Porrò paulò post decessit è vita Nicolaus Grammaticus, aliàs Muzalon, Constantinopolitanus Patriarcha, Anno videlicèt MCXVII., ubi sedisset Anno XXVII., & menses III., ut scribit Zonaras, asserens quoquè, ejus funus magnificis honoribus Imperatorem prosecutum fuisse,cui successit Theodorus Chalcedonensis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, ut idem Zonaras testatur. De tempore hujus Sedis nihil certi proditum legitur, nec scitur verè, qui ei successerit, tacentibus Græcis Scriptoribus; undè post hunc Theodorum interpolata est series Patriarcharum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus rei causâ nec nos in hac Historia eandem seriem, sicut in antecedentibus, exactè texere poterimus.

263 Indè altero Anno,nimirū MCXVIII. obiit Alexius Imperator XVIII. Kalendas Septembris, ubi imperasset Annos XXXVII., menses IV., & aliquot dies, in cujus obitus præsagium, statua ænea Magni Constantini, sita super celeberrimam Columnam porphyreticam in Placoton collocata, improvisò, ac vehementissimo ventorum turbine in terram dejecta est, ac prorsùs contrita, ut Zonaras tùm in Constantino Magno, tùm in ipso Alexio Comneno scribit; cui in Imperio successit Calo Joannes Comnenus ejus filius, natu major, eodem anno, & die.

264 An Alexius in communione catholica decesserit, dubitant nonnulli, asserit tamèn Baronius ad hunc Annum, sub num. 23. Movetur in primis, quòd compluribus oblationibus frequentarit Cœnobium Sancti Benedicti, teste Petro Diacono in Chronico Cassinensi, quòd Legationem miserit ad Paschalem Papam; & quòd, ut scribit Euthymius Zigabenus in exordio suę Panoplię, curaverit, ut omnia fidei decreta, adversùs serpentes hæreses, in unum colligerentur pro fidelium instructione: *Celebrandum est studium, atque consilium*, ait Euthymius, *quod orthodoxa fidei decreta colligenda curavit*. Ac deniquè illud ejusdem Principis laude dignum narrat idem Euthymius, quòd nimirum Basilium hæresiarcham, auctorem sectæ Bongomillorum, flammis addixit. Quomodò hoc ac-

acciderit, narrat Zonaras, inquiens: „ His „ temporibus secta nefaria Bongomillorum „ extitit, cujus Preco, Doctorque primarius fuit quidam Basilius Medicus, habitu „ Monachus, sed ipso potiùs Satana indutus; qui, cùm annis quindecim, erroris illius perniciosa dogmata didicisset, quinquaginta duobus docuisset, totum ferè Orbem sua pestis implevit. Tandèm etiam „ Urbem imperatricem ingressus, in manifesto crimine veritatis inimicus est deprehensus; nàm Imperator, ejus impietate cognitâ, simulavit se fidem habere homini infœlici, & Magistrum appellavit, & Salvatorem errantium animarum. His, & „ pluribus aliis, ægrè quidèm & tardè, sed „ tamèn effecit tandèm, ut homo pestifer „ evomeret virus suæ improbitatis. Sed fera „ cassibus irretita, doctrinam ejus vulgavit, „ & dogmata contempsit; communique suffragio in equestri theatro Impostòrem comburi jussit. *Hactenus Zonaras*.

265 Hujus porrò impia dogmata erant: Deum humanâ esse præditum formâ. Mundum à malis conditum Angelis, Archangelum Michaelem esse incarnatum. Imagines Sanctorum non esse venerandas, cultores verò earum esse Idololatras. Crucem Christi nullo pacto esse in cultu habendam, etiamsi in ea mortuus sit ille, quam Dæmones fictè tantùm timère, & eam fugere simulant. Sanctum Christi Ecclesiæ Baptismum, aliud non esse, quàm ipsum idem Joannis baptismum; & verum Christi baptismum se solùm habere. Incruentum Christi Sacrificium nullo pretio habendum. Eucharistiam nil allud esse, præter Dominicam Orationem, quam solùm retinendam; cæteras verò orationes mera esse vaniloquia. Suos Sectatores omnes concipere Dei verbum, ac illud parere, sicut & Beata peperit Virgo. Mortuorum resurrectionem, esse purũ figmentum, nec aliam esse resurrectionem, præter pœnitentiam, & vitam Evangelicam. Ac deniquè libros Mosis omninò rejiciebat, solùmve septem universæ Scripturę libros recipiebat, & recipiendos esse docebat. Tales ex satannico illo ore prodibant blasphemiæ in perniciem universæ Fidei christianæ; undè non immeritò traditus fuit igni comburendus, jussu christiani Principis.

266 Hęc tamen argumenta non adeò sunt efficacia, ut probent, Alexium in communionem decessisse; nàm si Legationem ad Papam misit, necessitate ductus, fecit, pressus à Barbaris, eâ Legatione, auxilia à Papa magis exquisivit, quàm obedientiam exhibuisset. Non enim fuit Legatio præstandi Sanctæ Apostolicæ Sedis obedientiam, ut consueverant decessores sui catholici, ad Imperium evecti, ad Romanum Pontificem cum literis delegare. Et Paschalis in literis ad eum datis, nec verbum quidèm laudis in eum profert, propter exhibitam Apostolicæ Sedi obedientiam; quod sanè non omisisset, secutus decessorum suorum vestigia in similibus casibus, si etiàm simùl, & ad effectum præstandi debitam obedientiam, & auxilia adversùs Sarracenos postulandi, talem fecisset Legationem. Et qualis fuerit ejus ergà Latinos propensio, Acta suprarecensita adversùs Crucesignatorum Milites perspicuè demonstrant.

267 Porrò oblationes per eum missæ ad Ecclesiam Cœnobii S. Benedicti apud Cassinum, pietatem ejus ostendunt, & devotionem ergà Sanctissimum illum Patrem, atque illius Monasterii Viros religiosos, & Monachos, qui ibidem in orationibus & jejuniis, aliisque virtutibus Deo famulabant. Atqui donaria ad Sanctum Petrum, aliorumque catholicorum Imperatorum, misisse non legimus, quæ signa certa forent illius submissionis, ac reverentiæ ergà Apostolorum Principem, atque etiam ergà Romanum Pontificem, illius successorem, & præfatæ Ecclesiæ Præsulem. Quòd deniquè igni tradiderit hæresiarcham Basilium, ut christianus potuit hæc egisse, licèt non catholicum, quoniàm universam christianam Religionem, quam etiam Alexius profitebatur, impiis suis dogmatibus evertebat scelestissimus hæresiarcha. Lutherus in exilium amandare fecit Carlostadium, anteà suum discipulum, quoniàm nova aliqua, ab eo traditæ illi doctrinæ, visus est superaddere voluisse, ambo tamèn extrà Romanæ Ecclesiæ communionem. Michael Servetus, hæreticorum jussu, primas partes tenente Calvino, Genevæ igni traditus est; quoniàm dogmata impia docebat, evertentia totius Sanctissimæ Trinitatis mysterium, creditum à Calvino, & ab aliis, qui ejus doctrinam sectabantur, licèt in multis aliis fidei dogmatibus hæretici & ipsi forent. Ergò cùm Basilius dogmata docuisset prorsùs adversa christianæ fidei, quam Basilius profitebatur, & profitebantur cæteri Græci, licèt in omnibus non consentientes cum Ecclesia Romana, potuit Alexius, justissimè motus, in Basilium hæresiarcham animadvertere.

268 Addo insupèr, Euthymium Zigabenum Panopliam suam, qua Patrum sententię adversùs singulas hęreses in unum corpus fuère redactæ, jussu Principis, ejusdem nimìrum Alexii, conscripsisse, indicat ipsemet Euthymius in exordio illius operis. Et licèt in ea Euthymius non damnet Latinos, ut hæreticos, nec Latinorum sectam inter alias, quas hæreticorum recenset, non enumeret; tamèn scripsit unum Libellum integrum adversùs Latinos de processione Spiritus Sancti, qui extat in Bibliotheca Regis Christianissimi, ut testatur Natalis Alexandri in Histor. Eccles. Sæculi XII. cap. 4. art. 3., cui præfixus est titulus: ***Euthymii Monachi Zigabeni adversùs Romæ veteris Cives, seù Italos, Capita duodecim demonstrantia, non ex Filio procedere Spiritum Sanctum***. Erat ergò hujus sen-

tentiæ Euthymius; & in hoc saltèm dogmate cum Ecclesia Romana non consentiebat; in quo pariter errore fuisse Imperatorem, qui in rebus literariis unicè cum Zigabeno communicabat, & cui Panopliam conscribere jusserat, indubium erit. Quo stante, si in hoc dogmate cum Ecclesia Romana non communicabat, nullo pacto cum ea communicasse, inferri potest. Ceterùm hæc obitèr dicta sint, certam hac in re sententiam proferre non audeo. Doctiores judicent, quorum judicio, me non vereor submittere.

269 Circà eadem tempora ad Dominum migravit etiā Paschalis Papa, de cujus obitus tempore hęc mihi occurrit difficultas: an priùs vitā functus sit Alexius, an verò Paschalis; nàm sequendo Annales Baronii, & Auctorem illius vitæ apud Labæum, tom. 10. Concilior. pag. 622., priùs videtur obiisse Paschalem, indè Alexium; quoniàm ab utrisque consignatur obitus Paschalis sub An. Dñi MCXVIII., xv. Kalendas Februarii; undè ad calcem vitæ Paschalis, Auctor antefatus ità scribit: *Objit Paschalis Papa Anno Dom.* MCXVIII., *xv. Kal. Februarii, cùm sedisset Annos* XVIII., *menses* v., *& dies* iv., *sepultus est in Basilica Lateranensi*. De obitu verò Alexii Baronius scribit ad eundem Annum: *Moritur hoc pariter Anno* XVIII. *Kalendis Septembris, Alexius Imperator, ubi regnasset Annos* XXXVII. *& trigesimum octavum per menses* iv., *& aliquot dies inchoasset*. Qui porrò de Bello sacro scripserunt auctorea illius temporia conveniunt in eo, quòd Paschalis Papa obierit ante Alexium. Sic Fulcherius Carnotensis de gestis Peregrinorum Francorum, loquens de portentis, quæ acciderant in Oriente Anno Domini MCXVII., mortem Paschalis consignat in mense Januario sequente, ineunte scilicet Anno Domini MCXVIII. De portentis verò hæc scribit: *Majo mense subsequente advolaverunt in terram Hierusalem, Locustarum infinita multitudo, multò ampliùs solito devorantes tàm vineas, quàm segetes, necnon & arbores omnigenas*. Et infrà. *Sequente autem mense, qui Junius erat, apparuit nobis aspicientibus in Cælo Luna post Galli cantum, priùs tota rubea, novissimè verò mutato rubore, nigredine fuscata, adeoàt vim luminis sui per duas penè horas perderet. Hoc siquidèm contigit nocte, quæ cum die sua tertiadecima computo legebatur*. Et post aliqua. *Anno autem eodem, mense Decembri, nocte quinta post Eclypsim Lunæ, quæ acciderat, cùm tertiadecima pronunciabatur, vidimus omnes Cælum, nocte illà inceptà, in Septentrionali parte, vel ignei, vel sanguinei coloris fulgore respersum; quod signum, signis mirificis plenum, suspicientes admirati sumus; nàm per medium ruborem illum, qui primitùs paulatim excrescere cæpit, videbamus alburni radios coloris, ab imo sursùm quamplures extolli, nunc antè, nunc retrò, nunc in medio; in parte autem inferiori Cælum parebat album, ac si Aurora diei esset, quæ propè diem clarescere solet, cùm sol jam oriri debet. In fronte etiam signi hujus, in ea videlicèt parte, videbamus quemdam albòrem, quasi deberet Luna ibi oriri; undè Terra undiquè, & cætera propè nos posita, clarè candebant*. Hæc Fulcherius de visis portentis, cùm posteà subjungat, inquiens: *Quod etiam portentum ad defunctionē personarum, quæ anno ipso obierunt, significantes aliquanti fortiti sunt. Subsequenter enim mortui sunt Paschalis Papa in mense Januario; Balduinus quoquè Hierosolymitanorum Rex in Aprili, necnon uxor ejus in Sicilia, quam dereliquerat, obiit; Hierosolymorum etiam Patriarcha Arnulphus; Imperator quoquè Constantinopolitanus Alexius, & alii quamplures Proceres in Mundo*.

270 Anonymus quoquè in parte 2. Histor. Hierosolymitanæ, enarratis antedictis, quę acciderant, portentis, sub Anno MCXVII. subinfert, inquiens: *Defunctarum tamèn post autè Annum sublimium in hoc seculo personarum, plures præmisso præsignari casus opinabantur; Romæ Paschalis Papæ, mense Januario; Hierosolymis Balduini Regis, mense Aprili; Arnulphi quoque Patriarchæ; & Imperatoris Græcorum Alexii, necnon, & aliàs aliorum defunctorum per idem tempus plurimorum hujus Magnatorum Mundi*. Ità ille. Accedit ad hęc Willermus Tyrius lib. xi. cap. 4., asserens, Paschalem defunctum antè mensē Aprilis Anni Dñi MCXVIII., quo mense notat, Gelasium II. in Petri Cathedra sedisse, agens autē de coronatione Balduini Comitis Edesseni in Regem Hierosolymitanum, ait: *Coronatus autèm, & consecratus est, Anno ab Incarnatione Domini MCXVIII., mense Aprili, secundò die mensis; præsidente S. Romanæ Ecclesiæ Domino Gelasio Papa Secundo; Antiochenæ verò Bernardo, Latinorum in eadem Civitate Patriarcha primo; Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Domino Arnulpho, ex Latinis in eadem Civitate Patriarcha quarto. Per idem tempus Constantinopolitanus Imperator Alexius, Latinorum maximus persecutor, rebus humanis exemptus est; cui successit Joannes filius ejus, patre multò humanior*.

271 Verùm his omnibus contrarium asserere videtur Bibliothecarius, relatus à Baronio ad Ann. Dñi MCXVIII., sub num. 1., ubi asserit, Paschalem antè suū obitum, Prænestè recepisse Legatos Joannis Imperatoris Constantinopolitani; agens autē de Paschalis obitu, ait: „ Præneste, octavā Nativitatis Domini, atque etiam Epiphaniam devotissimè „ celebravit, & datā licentiā Legatis Joannis Imperatoris Constantinopolitani, quos „ ibidèm receperat Præneste, quibus, & in „ mandatis dedit, ut Imperatorem adversùs „ Sarracenos vehementer animaret, liberatura Beati Petri Basilicam, incautis hostibus Romam in porticum venit. *Et post* „ *aliqua*. Biduò post reditum tantò arctiùs ob

„ ob laborem iteneris, populique frequen-
„ tiam infirmitas in eum convaluit, quantò
„ remissiùs, & quietis assiduitate, & seduli-
„ tate obsequii antè defecerat. Convocatis
„ Patribus, ut in costantia Fidei, & sinceri-
„ tate veritatis Deum sequerentur, injun-
„ xit: ut caverent dolos ab his, qui intùs
„ erant, & extrà in execratione Guibertino-
„ rum, ac enormitatis Teutonicæ: se invi-
„ cèm diligerent, & invicèm idem dicerent,
„ & ipsum verùm, quem diligerent, in omni-
„ bus Deum tenerent. Post hæc unctus Oleo
„ Sacro, factâ Confessione, peractis in eo
„ omnibus, prout decuit, secundùm Sanctæ
„ Ecclesiæ ritum, psallendo cum psallenti-
„ bus, mediâ nocte, ut qui de tenebris pro-
„ perabat ad lucem, senex honestus, carnis
„ debitum soluit, decimoquinto Kalendas Fe-
„ bruarii. *Hæc ille*.

272 Si ergò Paschalis, ut hic auctor scribit, antè obitum suum Præneste recepit Legatos Joannis Imperatoris Constantinopolitani, & obiit xv. Kal. Februarias Anni MCXVIII. ineuntis, quemadmodùm, & antefati alii scriptores pariter scripto produnt, necesse est asseri, Alexium antè Paschalem vitâ functum esse, cui Joannes in Imperio successit, nisi asserere velimus, Joannem antè Patris obitum Legatos misisse ad Paschalem, quod quidèm non videtur probabile. Itaquè asserendum est, aut Bibliothecarium errore lapsum, talia de Joannis Legatis, à Paschale receptis scripsisse, aut cæteros scriptores non rectè consignare tempus obitus Paschalis, & Alexii, & quòd vel Alexius obierit mense Augusto Anni MCXVII., & Paschalis, mense Januario Anni MCXVIII. ineuntis, vel si Alexius decesserit Anno MCXVIII., prælibato mense, è vita migrasse Paschalem, mense Januar. MCXIX. Judiciū sit penès Lectorem.

CAPUT XI.
De Græcorum Gestis sub Joanne Comneno.

273 DEfuncto Alexlo, ut præfati fumus, Joannes, sivè Calo Joannes ejus filius natu major, habenas Imperii Orientalis suscepit, qui, si vera sunt quæ Bibliothecarius scribit in Paschalis vita, quòd Legationem nimirum ad Romanum Pontificem miserit, ab Ecclesia Romana non fuit alienus, & cum ea cummunicasse inferri licebit, licèt complures ex Orientalibus Episcopis ab ea omninò præcisi, eo imperante, fuerint.

274 Paschali porrò Papæ datus est successor Joannes, ex Monacho Cassinensi, S.R.E. Cardinalis Diaconus Tituli S. Mariæ in Cosmedin, & ejusdem Sanctæ Ecclesiæ Cancellarius, patriâ Cajetanus, assumpto nomine Gelasii II., summâ omnium consensione post maturam discussionem electus. Hic statim à Cencio Francipano, ex factione Henrici Regis Schimatici, manu armata captus, pugnis & calcibus percussus, tractus per capillos, & brachia, domum suam adducitur, ibidèmque catenis vinctus clauditur, ut Pandulphus Diaconus in ejus vita scribit: verùm accurrente Petro Urbis Præfecto, unà cum multa nobilium caterva, innumerà armatorum multitudine, coactus est Francipanus territus, predam reddere; quo restituto, coronatur in Ecclesia Lateranensi, piorum omnium plausu. Paulò verò posteà quæsitus ab Henrico Rege Schismatico, coactus est primò latère, indèque per Tiberim versùs Mare, clàm fugam arripere. Quo audito ab Henrico, & Henricianis, constitutus est in Papam Mauritius, quondam Bracharensis Archiepiscopus, excommunicatus jàm priùs à Paschali, & depositus. Hæc omnia breviter recensentur ab eodem Gelasio in Epistola data ad Gallos, ex Civitate Cajetæ, ubi post fugam suam appulerat, quæ ità se habet.

Gelasius servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, Principibus, & cæteris per Galliam Fidelibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

275 „ Quia vos Romanæ Ecclesiæ mem-
„ bra estis, quæ in ea nupèr acta sunt, dile-
„ ctioni vestræ significare curamus. Siqui-
„ dèm post electionem nostram Dominus Im-
„ perator furtivè, & inopinatâ velocitate
„ Romam veniens, nos egredi compulit; pa-
„ cem posteà, & minis, & terroribus postu-
„ lavit, dicens, quæ posset se facturum, nisi
„ nos ei, juramento, pacis certitudinem fa-
„ ceremus. Ad quæ nos ità respondimus:
„ *De controversia, quæ inter Ecclesiam, & Re-*
„ *gnum est, vel conventioni, vel justitiæ liben-*
„ *ter acquiescimus; loco & tempore competenti,*
„ *videlicèt Mediolani, vel Cremonæ, in pro-*
„ *xima Beati Lucæ festivitate, fratrum nostro-*
„ *rum judicio, qui à Deo sunt Judices consti-*
„ *tuti in Ecclesia, & sinè quibus hæc causa tra-*
„ *ctari non potest*.

276 „ *Et quoniam Dominus Imperator à*
„ *nobis securitatem quærit, nos verbo, & scri-*
„ *pto eam promittimus, nisi ipse eam interim*
„ *impediat; aliàs enim securitatem facere, nec*
„ *honestas Ecclesiæ, nec consuetudo est*. Ille
„ statim, die videlicèt post electionem no-
„ stram quadragesimoquarto, Mauritium
„ Bracharensem Episcopum, anno præterito
„ à Domino prædecessore nostro Paschali Pa-
„ pa in Concilio Beneventi excommunica-
„ tum, In Matris Ecclesiæ gremium ingessit.
„ Qui etiam cùm per nostras olim manus
„ pallium accepisset, eidem Domino nostro,
„ & catholicis successoribus, quorum pri-
„ mus ego sum, fidelitatem juravit.

277 „ In hoc autem tanto facinore nul-
„ lum de Romanis Dominus Imperator, Deo

„ gratias, socium habuit, sed Guibertini so„ li, Romanus de Sancto Marcello, Cen„ cius, qui dicebatur de Sancto Chrysogono, „ Teuto, qui multo per Daciam debaccha„ tus est tempore, tàm infamem gloriam ce„ lebrarunt. Vestræ igitùr experientiæ, li„ terarum præsentium perceptione manda„ mus, ùt super his, per Dei gratiam, com„ muni deliberatione tractantes, ad Matris „ Ecclesiæ ultionem, communibus, præstan„ te Deo, auxiliis, sicut oportere cognosci„ tis, accingamini. Datum Cajetæ XVII. Ka„ lend. Februarii. *Hactenus Epistola*.

278 Sed in data hujus literæ irrepsisse errorem certum puto, quoniam ejus electio incidit in diem XXIV. Januarii, scilicè VIII. Kalendas Februarias, ut idem Pandulphus Diaconus & Gelasii Comes scribit, unde non potuit hanc literam scripsisse XVII. Kalendas Februarias, die nempè XIV. Januarii, quando nondùm in Pontificem electus erat. Cum porrò in ea notet tempus elevationis Schismatici Mauritii, fateaturque accidisse quadragesimoquarto die à sua electione, facta supputatione à die XXIV. Januarii, in qua fuerat electus, ad quadraginta quatuor dies posteà, quando Mauritius fuit inthronizatus, sequitur hujus inthronizationem incidisse in diem IX. Mensis Martii, scilicèt VII. Idus Martii, & ità verius hanc Epistolam scriptam putamus XVII. Kal. Aprilis, die scilicèt XVI. Martii, & sexta vel septima die, post inthronizatum Mauritium. Et eodem tempore datam pariter dicendum est, & alteram ejusdem argumenti, datam ad Bernardum Ecclesiæ Toletanæ Episcopum, quæ incipit. *Non latere credimus*: Similiter & aliam, quam legimus datam ad Clerum & Plebem Romanam, incipientem, *Dilectionis vestræ*, qua mandat, ut à Schismatico Mauritio intruso, & excommunicato, prorsùs se abstineant.

279 Cùmque posteà Gelasius collectis copiis sub Duce Willelmo, & Roberto Principe Capuano, aliisque Regni Baronibus Romam repeteret, Henricus sibi timens, relictâ Româ, & Italia, in Alemanniam rediit, commendato Mauritio suis Factionariis. Ingressus est indè Romam Gelasius clàm, & latenter in domo quorundam piorum, ac nobilium virorum; sed quoniam una die dùm Sacra Solemnia celebraret per Francipanum multa dira ipse & sui passi fuerint, vix Gelasius de inimicorum manibus elapsus, habito cum suis consilio, decrevit Romam deserere; inquiens: „ Viri fratres & filii, sicut nec longè malum, „ ità nec longo opus est, nec novo sermone; „ sequamur Patres nostros, quoniam valdè „ bonum est antiquos sequi parentes. Sequa„ mur nihilominùs Evangelium. Quandò„ quidem vivere in Civitate ista non possu„ mus, fugiamus in aliam. Fugiamus So„ domam, fugiamus Ægyptum, fugiamus „ novam, juxtà verbum propheticum Baby„ loniam, Civitatem sanguinum fugiamus. *His & aliis dictis*. Consentientibus qui cum eo erant, profectus est in Galliam, ubi celebrato Concilio apud Viennam, morbo pleuritidis infectus, obiit in Domino in Monasterio Cluniacensium IV. Kal. Februarii, Domini anno MCXIX. Joannis Comneni Orientis Imperatoris anno I. Henrici IV. Imperatoris Occidentis anno IX. Indictione XII., ubi sedisset Annum unum, & dies quatuor.

280 Datus est porrò ei successor Guido Archiepiscopus Viennensis, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, natione Francus, reluctans, & nolens, sumpto Callisti Secundi nomine, qui habitâ Rhemis Synodo, Henricum Imperatorem iterùm anathemati subjecit, ut in suis Annalibus Anglicanis refert Rogerius: sub hoc Pontifice sublatum est schisma, & pacem tandèm post longa tempora Romana Ecclesia obtinuit. Dè obitu Gelasii, electione Callisti, ac pace reddita Ecclesiæ, compendiosè scribt Tyrius, lib. 12. cap. 8., in hæc verba: „ Anno sequenti „ mortuus est Dominus Gelasius Papa Se„ cundus, Domini Paschalis successor, qui, „ & Joannes Cajetanus dictus, vir littera„ tus, qui fugiens Domini Henrici Impera„ toris persecutionem, & æmuli sui Anti„ papæ, qui cognominatus est Burdinus, „ (*erat Mauritii cognomen*) declinans vio„ lentiam, in Regnum Francorum se confe„ rens, apud Cluniacum, diem clausit extre„ mum, ibidèm etiam sepultus. Cui suc„ cessit Dominus Guido, secundùm car„ nem nobilis, Viennensis Archiepiscopus, „ qui posteà in Papatum assumptus, Callix„ tus appellatus est. Hic postmodùm Do„ mini Imperatoris Henrici, cujus consan„ guineus erat, consecutus gratiam, & „ ejus fretus auxilio, in Italia cum Cardi„ nalibus, & universa Curia descendens, „ apud Sutrium Urbem Romæ conterminam, „ æmulum, & Hæresiarcham Burdinum vio„ lenter cœpit: insupèr & Camelo imposi„ tum, cute indutum ursina, ad Canense „ Cœnobium, quòd juxtà Salernum situm „ esse dignoscitur, cum multà misit ignomi„ nia: ubi usquè in supremum senium, vi„ tam compulsus est, legi loci, ducere Cœ„ nobiticam. Et ità sopitum est schisma, „ quòd à tempore Domini Gregorii VII., „ per tempora Domini Urbani, Domini Pa„ schalis, Domini quoque Gelasii, præde„ cessorum ejus, quasi per triginta Annos „ Ecclesiam incessantèr fatigaverat. Domi„ no Imperatore Henrico, ad ovile Ecclesiæ, „ post multa tempora, quibus per excom„ municationis sententiam à cœtu fidelium „ præcisus fuerat, revocato. *Hactenus Tyrius*. Sed qui cupit scire gesta Henrici Regis cum Callixto Secundo, & quomodò concordarint, percurrat acta Concilii Rhemensis, celebrati Anno MCXIX. Item Acta Synodi

di Vvormatiensis, habitę Anno MCXXII. Et deniquè Generalis Concilii Lateranensis Acta, celebrati eodem Anno, secundùm Baronium, vel Anno MCXXIII., ut referunt Robertus de Monte, & Fulco in Chronico Beneventano, apud Labæum tom. 10. Concilior.

281 Ut verò ad Græcorum gesta veniamus, de quibus sermo principalis præsentia instituti nostri est, sub Gelasio Secundo nihil proditum legitur; sub Callixto verò Secundo, pauca; quoniàm literarum communionem inter Pontificem, & Joannem Imperatorem, vel Constantinopolitanum Patriarcham, aut Legationem intercessisse minimè reperitur. Nec enim legimus, hos creatos Pontifices, ex vetusto more, aliquas ab antefatis Imperatore, & Patriarcha, recepisse gratulatorias, vel obedientiales literas: communicasse tamen cum Ecclesia Romana, conjicit Baronius ad Annum Domini MCXIX., ex duabus literis datis, una ad Imperatorem, altera ad Patriarcham à Petro Abbate Cluniacensi, sub Callixto Secundo Papa, quarum prima ad Imperatorem data, sic se habet.

Glorioso Principi, & Magnifico Constantinopolitanæ Urbis Imperatori Joanni Calo, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, salutem ab eo, qui dat salutem Regibus.

282 „ Gratias omnipotenti Regi Regum, cujus Regnum est omnium sæculorum, qui Imperatoriam Majestatem Vestram super omnes christiani nominis Principes exaltavit, & ad tuendam toto Orbe Ecclesiam suam, velut in medio Orientis, Occidentis, Aquilonis constituit, undè olim Aquilonaribus Barbaris, sed & ultimis, ac pessimis christiani nominis inimicis Arabibus, in occiduas, & meridianas plagas irruentibus, Regni vestri partes, etsi oppugnari, nunquàm tamèn expugnari permisit, sed in vos magni illius Romani Imperii gloriam, nomenque transfudit. Voluit, ut sicut potestas, sic & vocabulum ad vos transmigraret, ac Religione mutatâ, Imperio translato, sicut à Pagano Romulo Roma dicebatur, sic à christiano reparatore Constantino, vestra Urbs Constantinopolis vocaretur.

283 „ Hanc, ut dixi, velut metam intrasmeabilem, velut invictum obicem, velut præfixum, quem nunquàm liceat transgredi, terminum, providens supernus oculus, paganis Regibus, barbaris Gentibus posuit, quo oriens, terreatur, Boreas subdatur, Occideus defendatur. Isto planè Regni vestri obice repulso, & antiqui erroris, si qui supersunt Pagani, & novi hostes christiani nominis, Turci sedibus propriis contenti, in seipsos reprimantur, ut nec aliena invadere audeant, & Divini brachii virtute, manum potentiæ vestræ roborante, sua etiam plerùmque amittant; super quibus regali magnitudini nos quidèm, licèt humiles, gratias agimus, à Deo verò æterna vos decorandos coronâ, si in his fideliter permanseritis, nec in modico dubitamus.

284 „ Præter hæc pro Hierosolymitano Rege, pro Antiocheno Principe, pro universis deniquè Gallis nostris fidem vestram & nobilitatem rogamus, ut quia ipsi magnis Urbibus, prædiis, parentibus, & locuplete patriâ, Domini nostri Jesu Christi amore dimissis, loca Redemptionis humanæ, non altero, quàm sui Sanguinis pretio mercati sunt, & proprio assiduè periculo defendunt; vos ejusdem Christi nostri amore eos substentetis, foveatis, juvetis, nè tanto zelo fidei, tantisque laboribus parta (quod absit) pereant. Erit illud non tantùm merces fidei vestræ, sed etiam tutela non parva Imperii vestri, quandò sicut vos Aquilonis, sic & illi impetum Orientis obtundent. Fecit hoc inter egregios Principes recensendus Alexius pater vester, cui sicut in Regno fœliciter successistis, sic decet, ut tàm bono opere fœliciùs succedatis.

285 „ Qui inter multa laudabilia, quæ gessit, non passus Græciam suam, sua universa bona includere, ad remotissimos manum beneficii sui extendit; & non solùm transmarina, sed etiam transalpina loca copiosis muneribus, & pretiosis ornamentis ditavit. Inter quæ Cluniaco Monasterio omnibus Latinis Regibus, & Gentibus notissimo, eique subdito magno & religiogioso loco, qui *Charitas* dicitur, Monasterium juxtà ipsam Regiam Civitatem, quod *Civitot* vocatur, dedit, & in perpetuum Abbatis Cluniacensis, & Prioris de Charitate obedientiæ subjecit; quod nostris autem mortuis, aut recedentibus, aut expulsis, alieni Monachi invaserunt, & jàm, ut audivimus, ferè per triennium abstulerunt. Oro igitur, & mecum universa Cluniacensis Congregatio, Majestatem, & pietatem Regiam deprecatur, ut nobis & loco de Charitate per harum literarum latores, Monasterium ablatum restitui faciat, & pro æterna animæ suæ salute servos Dei, ibidem habitaturos ab injuriis defendat, & in pace custodiat.

286 „ Et ut aliquid beneficii spiritualis vobis ista facientibus rependamus, sicut prædecessores nostri, & nos ipsi, Reges Francorum, Reges Hispanorum, Reges Germanorum, ipsos Imperatores Romanorum, ac vicinos vobis Reges Hungarorum, confratres, & comparticipes omnium be-

„ beneficiorum Cluniacensis Congregatio-
„ nis fecimus, ità Sublimitatem vestram, ex
„ parte omnipotentis Dei,& Beatissimæ Ma-
„ riæ semper Virginis, Dei Genitricis, &
„ Sanctorum Apostolorum, & omnium San-
„ ctorum, in iisdem spiritualibus beneficiis
„ plenè, & perfectè (in quantùm licet) su-
„ scipimus, ut omnipotens Salvator & hìc
„ temporale Regnum vobis adaugeat & con-
„ servèt, & in futurum cum Sanctis Regi-
„ bus vos ad sempiternum perducat. Amen.
Hactenus Petrus ad Imperatorem. Altera porrò data ab eodem ad Patriarcham, ad hunc modum se habet.

Venerabili & magno Pontifici Dei Constantinopolitano Patriarchæ, Frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas, æterni Pontificii stolà indui, & glorià, & honore coronari.

287 „ Quamvis & terrarum remotio, &
„ linguarum divisio nobis invicèm & vultus
„ invideant, & verba subducant, tamèn unus
„ Dominus, una Fides, unum Baptisma,
„ una Charitas & divisa conjungere, & affe-
„ ctus unire, & sermones debent aliquandò
„ communicare. Debemus eo glutine uniri
„ in terris, quo nunquàm dissociandi cohæ-
„ rere expectamus in Cœlis, ut illud in mi-
„ seriis sit nobis refrigerium, quod in Bea-
„ titudine perfectum erit premium. Utinam
„ posset in me corpus, quod concupiscit spi-
„ ritus, ut Urbem à Cœli Rege Jesu Christo,
„ & à Principe Terræ Constantino in Chri-
„ sto fundatam videro, & in ea, non ædificia,
„ vel ornatus, sed quidèm Deo subditorum
„ Principum, & Prophetarum, Apostolorum,
„ Evangelistarum, & multorum Martyrum
„ de diversis Mundi partibus illùc translato-
„ rum, velut commune Cœmeterium videre,
„ & adorare possem: funderem qualescum-
„ que preces ad Sanctos illos, fidei & spei
„ nostræ Patres; magnaque mihi spes conse-
„ quendæ gigneretur salutis, si quos ejus ha-
„ bui prædicatores, habere mererer pro ea
„ intercessores. Viderem & optabilem faciem
„ vestram, & in vobis beatos Urbis vestræ
„ Pontifices venerarer, & ex eorum beati-
„ tudine multiplicem miseriam, ut par es-
„ set, deflerem; inirem fœdus nunquàm
„ dissolvendum, & in mutuum ac spiritua-
„ lem amorem, nisi fortè sperneretis, ju-
„ rarem.

288 „ Orarem præsens, quod, & absens
„ rogo, ut me, & Cluniacensium fratrum
„ Ovile in vestris, populique vestri preci-
„ bus, spirituali charitatis dono susciperetis,
„ quod, & à nobis, quod, & ad nos, vel
„ nostros pertinet, pari affectu consequere-
„ mini. Rogarem post illa, quòd, & nunc
„ rogo, ut Cluniacensi Ecclesiæ, & Mona-
„ sterio de Charitate, locum, qui *Civitos* di-
„ citur, juxtà Constantinopolim positum,
„ restitui juberetis, ac Dominum Imperato-
„ rem, si necesse esset, pro eo restituendo
„ rogaretis. Dedit illum Cluniaco, & Mo-
„ nasterio de Charitate, etiam apud nostros
„ magni nominis gloriæ Imperator Alexius
„ pater ejus, cui sicut in Regno, sic multò
„ magis in justitia, & pietate illum decet
„ succedere. Commendamus ergò Excel-
„ lentiæ Pontificali Monachorum, & fra-
„ trum nostrorum humilitatem, ut per eum
„ nobis nostra restitui faciatis, quatenùs, &
„ justitia, quæ suum est consequi, & à Patre
„ Filii mereamur exaudiri. *Hactenus Petri Epistola ad Patriarcham.*

289 His ergò stantibus literis, rectè infert Baronius conservatam tunc temporis inter Latinos, & Græcos communionem, licèt non universaliter, adeoùt cuncti Græci ea ætate communicarent cum Ecclesia Latina; nàm ex Episcopis Orientalibus complures in secessione manebant, ut rectè colligi potest, ex Epistola Hadriani IV., data ad Archiepiscopum Thessalonicēsem, suo loco recitanda, tempore Manuelis Comneni, filii Calo Joannis Comneni, quà plurimùm dolet de secessione Orientalium ab Ecclesia Romana, ad cujus concordiam revocare conatur. Communicasse verò cum eàdem Sancta Romana Ecclesia Imperatorem Calo Joannem, illud præcipuè argumenti est in data à Petro ad eum Epistola, quòd ipsum Imperatorem in societatem sui Ordinis aggregat, & orationum, atquè omnium bonorum operum ejusdem Ordinis participem fore pollicetur. Non potuit ergò Imperator tunc temporis fuisse extrà Catholicæ Ecclesiæ communionem, in quo statu nemo capax est participare de orationibus, operibusque piis, quæ intrà fiunt Ecclesiam Catholicam. Maximum etiam argumentum est, communicasse Joannem cum Ecclesia Latina, quòd primùm ac evectus fuit ad Imperiale fastigium, Legationem fecerit ad Paschalem Papam, ut in superioribus, ex Bibliothecario fati sumus. Quæ certè Legatio in signum obedientiæ, & reverentiæ debitæ Apostolicæ Sedi, missa fuit, more majorum Catholicorum Orientis Principum, qui statim ac ad Solium ascendebant, Romanum Pontificem tanquàm obedientes filii, certiorem per litteras, & Legatos reddere consueverant.

290 De Patriarcha verò hæc non militant argumenta: omisisse quòd in more Catholicorum Patriarcharum semper fuit, mittendi nimirum ad Romanum Pontificem Synodicam de sua electione, unà cum fidei suæ professione, certùm puto; quoniàm nullum id fecisse monumentum est reperiri. Petri verò Cluniacensis Epistola supponit esse in communione, & ideò supponit, quià non constat

no-

nominatim fuisse segregatum, aut contrà Ecclesiam Latinam quid novi attentasse. Cæterùm si sub ejus Patriarchatu Cluniancenses Monachi ejecti fuerant à Monasterio, ab Alexio eis concesso, ut scribit Petrus Cluniacensis in præfatis Epistolis, hoc non potuit evenisse sinè Patriarchæ consensu, cui Monachi in toto suo Patriarchatu immediatè subjiciebant; vel saltèm ejectionem, & invsforum Monachorum attentata probavit, nec prohibens, nec illàtam injuriam vindicans toto jàm elapso triennio. Cùmque ejusmodi expulsio in Latinorum odium facta fuerit, nescio quomodò excusari possit Patriarcha, quin & ipse Latinos eodem odio prosequutus fuerit. Hoc semper in more fuit in schismate apud Græcos, aut Latinas Ecclesias in Regia Urbe interdicere, aut Latinos à Sacris arcère omninò, aut etiam absolutè abjicere. Id quod à Photio habuit initium, quem postea cæteri secuti sunt Schismatici, ut in superioribus præfati sumus. Hinc præfato Patriarchæ aptari possunt Sancti Bernardi verba, ad Eugenium III. de Græcis tunc temporis generaliter prolata, cùm ait: *Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, juncti fide, pace divisi, quamquàm in fide claudicaverunt à semitis rectis*.

291 Sed reassumendo sermonē de Ipso Imperatore Calo Joanne, piissimum fuisse dicitur ergà Deiparam Virginem Mariam, cujus ope magna cum fiducia, nec sinè lacrymis implorato, maximam de Scythis obtinuit victoriam Anno sui Imperii V., & Callixti Papæ pariter V., ab Incarnatione Domini MCXXIII., Indictione I. De qua parta victoria hæc scribit Nicetas Coniat Choniata: „ Cùm Romanæ Phalanges, urgentibus hostibus, & audaciùs se inferentibus laborarent, Imaginem Dei Genitricis, cum gemitu, & miserabilibus gestibus Imperator intuens, lacrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat; neque id frustrà: Statim cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligat, quemadmodùm Moyses extensione manuum Amalechitarum turmas dissipavit. *Hæc, & alia ibi Nicetas*, addens, ejusdem Dei Genitricis auxilio, Triballos quoquè, aliasque barbaras debellasse Gentes. Indèque Constantinopolim reversum, more antiquorum Romanorum, indixisse Triumphum, pro quo fabrefacto splendido Curru, ex argento interpuncto, atque lapidibus pretiosis exornato, ducendo ab Orientali Porta usquè ad Palatium, non ascendisse eum, ait, sed Dei Genitricis Imaginem in eo locasse, ipsum vero Crucem manu gestantem, pede antecessisse: „ Imperator autem, *inquit*, non conscendit, sed Dei Genitricis Imaginem in eo collocavit, ob quam lætitiâ exultabat, & animo penè deliquebatur, cui victorias, ut Collegæ Imperii invictæ acceptas ferebat. Habenas Viris potentissimis moderandas, & Cognatis suis Currum curandum dedit. Ipse Crucem manu gestans, pede antecessit; & Dei Sapientiæ Templum ingressus, atque in conspectu omnis Populi, ob successus, gratiis Deo actis, in Palatium abiit. *Hæc ille*.

292 Intereà, hoc eodem Joanne imperante, VI. sui Imperii Anno, & XIV. Imperii impii Henrici IV., ab Incarnatione Domini, labente Anno MCXXIV., Indictione II., Callixtus Papa Romæ ex hac vita migravit Idibus Decembris, cùm sedisset Annos V., menses X., & dies XIII. Undè Pandulphus, apud Baronium, ait: *Ad finem autem, vergente anno, febre correptus Callixtus Papa, moritur, sepeliturque in Basilica Lateranensi, juxtà Paschalem Papam, in festivitate Sanctæ Mariæ Virginis*, licèt alibi legatur, objisse XIV. Kalendas Januarias. Quo sepulto, cœptum est agi de successore, cum formidine tamèn, propter Francipani tyrannidem. Convenientes posteà Cardinales de Curia, & alii, electus fuit Lambertus Episcopus Hostiensis, patriâ Bononiensis, & dictus est Honorius, hujus nominis II. Verùm Francipani operâ in schismate ab aliis suffectus est Theobaldus Cardinalis tituli Sanctæ Anastasiæ, assumpto nomine Cœlestini Secundi. Cùmque cum Honorio potior pars esset, fautores Theobaldi, rerum eventum cernentes, ad Honorium se contulerunt, ut scribit Vespergensis, & habetur in Chronico Cassinensi.

293 De hac Honorii electione Willermus Tyrensis, lib. 13. cap. 15., sic scribit: „ Eodem anno Dominus Callixtus, bonæ memoriæ, Papa Secundus vitâ decessit, cui substitutus est quidam Lambertus, patriâ Bononiensis, Hostiensis Episcopus, qui dictus est Honorius. Hic electus est sub contentione cum quodam Theobaldo Preshytero Cardinali, tituli Sanctæ Anastasiæ. Et quia electio ipsius Honorii minùs canonicè processerat, post duodecim dies, in conspectu fratrum, mitram, & mantum spontè refutavit, atque deposuit. Fratres verò tàm Episcopi, quàm Presbyteri, & Diaconi Cardinales, videntes ipsius humilitatem, & prospicientes imposterùm, nè in Romanam Ecclesiam aliquam inducerent novitatem, quod perperàm factum fuerat, in meliùs reformarunt, & eundem Honorium denuò auctorizantes, ad ejus vestigia prociderunt, & tanquàm Pastori suo, & universali Papæ, consuetam obedientiam sibi exhibuère. *Hæc Tyrius*. Similia ex Codice quodam Vaticano refert Baronius ad eundem Annum sub num.8., hac solâ differentiâ, quòd Tyrius scribit, duodecimo die ab electione, Honorium, dignitate priùs renunciatâ, confirmatum. Auctor verò antedicti Codicis, hæc accidisse refert post dies septem, nempè die vigesimaoctavâ De-

cem-

cembris, juxtà cujus opinionem asserendum est, primam Honorii electionem incidisse in diem XXI. mensis Decembris, hoc est XII. Kalendas Januarii, secundùm Tyrium verò XVII. Kalendas, nimirum die XVI. Decembris, triduo post obitum Callixti, sistendo in opinione Pandulphi.

294 Hic verò Pontifex, per ea, quæ spectant ad res Orientales, electionem Willelmi in Archiepiscopum Tyri, ejusque consecrationem à Guarimundo Hierosolymitano Patriarcha peractam, confirmavit, ratamque habuit, ut constat ex literis Honorii, datis ad Tyrios, quarum initium: *Venientem ad nos*; & ex aliis datis ad Guarimundum Patriarcham, incipientibus: *Susceptis fraternitatis tuæ literis*, sub die VIII. Julii in Territorio Barensi. Sub hujus Pontificatu decessit infœlix Henricus IV. Imperator Occidentis, dùm cogitabat Civitatem evertere Rhemensem in vindictam, eò quòd in Synodo à Callixto in ea celebrata, fuisset anathemate perculsus: objit nàmque x. Kalendas Junii, Anno I. Honorii, sui Imperii XV., Joannis Comneni VII., ab Incarnatione Domini Anno MCXXV., Indictione III., nulla relictâ prole masculinâ, quæ succederet in Germaniæ Regno: justo Dei judicio, ut ità defecisset à Germanis Imperium Occidentale, quo ad impugnandam sanctam Dei Ecclesiam per multos abusi fuerint annos, translatu nutu divino ad Saxones Sanctæ Romanæ Ecclesiæ propugnatores. Et ità Lotharius Dux Saxonum, operâ Alberti Archiepiscopi Moguntini, consentientibus Apostolicæ Sedis Legatis ab Honorio missis, III. Kalend. Septembris Moguntiæ, in Romanorum Regem & Imperatorem electus est; atque Idibus Septembris à Friderico Coloniensi Archiepiscopo est Aquisgrani coronatus, ut scribit Dodechinus, & consentiunt alii ejusdem ævi Scriptores.

295 Sub hoc verò Pontifice res Ecclesiæ Orientalis Græcorum remanserunt in iisdem terminis, ac sub decessore ejus Callixto, nihilo innovato ex una, vel ex altera parte, Græcis nihil novi molientibus, nihil ab eis exposcente Pontifice, qui cùm sedisset annos V., Mensem I., diesque XVII., obiit in Domino XVI. Kal. Martii anni Domini MCXXX. Imperii Calo Joannis XII. Indictione VIII. & sepultus est in Basilica S. Salvatoris. Et eodem die sui obitus canonicè electus est in Successorem Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli, Patriâ Romanus, nobili genere ortus, assumpto nomine Innocentii II. At una pars paucissimorum Cardinalium Innocentii electionis minimè contenti, Petrum Cardinalem, Leonis Civis Romani & potentissimi, filium, in Schismate, Pontificem crearunt, sub nomine Anacleti Secundi. De qua rè Sugerius Abbas apud Baronium ad hunc annum scribit: „ Venerandæ memoriæ Summo Ponti„ fice & universali Papa Honorio viam uni„ versæ carnis ingresso, cùm Ecclesiæ Roma„ næ majores & sapientiores ad removendum „ Ecclesiæ tumultum consensissent, apud San„ ctum Marcum, & non alibi, & nonnisi „ communiter, more Romano, celebrem fieri „ electionem, qui & assiduitate & familiari„ tate propinquiores Apostolici fuêre, timo„ re tumultuantium Romanorum illùc con„ venire non audentes, antequàm publicare„ tur Domini Papæ decessus, personam ve„ nerabilem, Cardinalem de Sancto Angelo, „ Diaconum Gregorium, Summum eligunt „ Pontificem. Qui autèm Petri Leonis „ parti favebant, ad Sanctum Marcum, pro „ pacto alios imitantes convenerunt, Do„ minique Papæ morte compertâ, ipsum „ eundem Petrum seriùs Cardinalem Pre„ sbyterum, multorum Episcoporum, & „ Cardinalium, & Clericorum, & Roma„ norum Nobilium consensu votivè elege„ runt: *Hactenus ille*. Verùm Auctor Anonymus in codice Vaticano scribit, meliorem, & saniorem partem, stetisse pro Innocentio. Et confirmat Sanctus Bernardus in Epistola 127., ubi ait, unam partem paucissimorum Cardinalium stetisse pro Petro Leonis; undè ait, ut recitat Baronius: *Pars altera infames ausus, violentiâ, non ratione corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem aspirantem fraudolentis machinationibus, seorsùm, & præcipitanter nominavit Anacletum, & cæteris renitentibus ordinavit.*

296 De hoc schismate Vuillermus Tyrius lib. 14. cap. 11. hæc scripto prodiit: „ Dùm „ hæc in Oriente geruntur, Dominus Hono„ rius Papa, extremum diem claudens, ta„ tale debitum solvit: dùmque de substi„ tuendo ei successore inter Cardinales tra„ ctaretur, divisa sunt eorum desideria, ità „ quòd non valentes in idem consonare, sub „ contentione duos elegerunt, Gregorium „ videlicèt Diaconum Cardinalem Sancti „ Angeli, quem consecrantes, vocaverunt „ Innocentium. Et Petrum, qui cognomi„ natus est Leonis, Presbyterum Cardina„ lem, Tituli Sanctæ Mariæ Transtyberim, „ quæ dicitur, fundens Oleum, quem etiam „ consecrantes, qui eum elegerant, Ana„ cletum vocaverunt. Ortum est igitùr „ schisma periculosum nimis, itàut non so„ lùm quæ infrà Urbem erant periclitaren„ tur Ecclesiæ, & populus mutuâ cæde pe„ riret; verùm etiam penè orbis concutere„ tur universus, Regnaque diversis accensa „ studiis inter se colliderentur: obtinuit „ tandèm post multos labores, & immensa „ pericula Dominus Innocentius, prædicto „ Petro, Papatus æmulo, priùs vitâ defun„ gente. *Hæc Tyrius*.

297 Favebat autèm Petro Leonis Rogerius Siciliæ, & complures Romani Proceres, quibus cùm resistere minimè valeret Innocentius,

tius, Urbe Româ relictâ, & transcensis Alpibus, in Franciam se contulit, ut scribit Frisingensis lib. 7. cap. 18., ubi habitâ Synodo apud Clarum Montem Anacletum, scilicèt, Petrum Leonem cum suis sectatoribus anathemate perculsit. Congregata porrò est eodem Anno M C X X X. Stampis, ubi ventilata est controversia super exorto schismate, & decretum est Innocentio parendum, anathematizato Petro Leonis, ut scribunt Vincentius, lib. 27. cap. 6., & Bernardus Abbas in vita S. Bernardi, lib. 2. cap. 1. Eodem tempore, eâdem de re habita est Aniciensis Synodus, in qua idem pariter in favorem Innocentii sancitum est. Itèm, & Anno sequenti Innocentius Rhemis aliam habuit Synodum, ac in ea iterùm Anathemate perculsit Anacletum. Idem repetitum est Leodii in altera ab eodem Innocentio celebrata Synodo: ac deniquè Anno MCXXXIV., revertente Innocentio, & Pisas petente, habita ibidem Synodo, priora in Petrum Leonem Anathemata renovavit. Deniquè fretus auxilio Lotharii Regis Germanorum, superatâ adversariorum potentiâ, Romam repetit Anno Domini MCXXXVIII. Quò miserrimè obiit infelix Petrus, impœnitens, à suis, occulto cunctis loco, sepultus. Innocentius verò in Imperatorem coronavit Lotharium, & habitâ generali Synodo in Ecclesia Lateranensi, Acta Anacleti, sivè Petri Leonis, universa rescidit, restitutâ salubribus Decretis Ecclesiasticâ Disciplinâ, Anno Domini MCXXXIX., & Sanctæ Ecclesiæ optata reddita pace.

298 Sub hoc Pontifice, quamvis inter Græcos, & Latinos, in Religionis causa, nulla legatur excitata controversia, aut novum exortum dissidium, attamèn inter Orientales Latinos, peccatis fortè exigentibus, schisma enatum tradit Willelmus Tyriensis, lib. 14. de Bello sacro, & quidèm non sinè gravi Ecclesiæ Latinæ detrimento, immò & dedecore, utpotè non modicum fomentum præbens Græcis conterminis, aut secedendi ab obedientia Ecclesiæ Romanæ, qui adhùc in ea continebantur, aut in sua secessione remanendi, qui jàm alienati fuerant ab ea.

299 Itaquè, viam universæ carnis ingressus Bernardus, primus Latinorum apud Antiochiam Patriarcha, Anno sui Pontificatus XXXVI., cùm universi illius Sedis Suffraganei, Episcopi, & Archiepiscopi, de more convenissent, ut Ecclesiæ Pastore destitutæ, utiliter providerent, & super eo ipso negotio, in Palatio Patriarchali, diligentiores mutuò haberent tractatus, Rodulphus quidam Mamistanus Archiepiscopus de Castro Danfrunt oriundus, quod in confinio Normanniæ, & Cœnomanensis Diœceseos situm est, Vir militaris, magnificus, & liberalis plurimùm Plebi, & Equestri admodùm acceptus Ordini, absq; fratrum, & Coepiscoporum conscientia, solo populi, ut dicitur suffragio, electus est, & in Cathedram Principis Apostolorum inthronizatus. Quo comperto, qui ad electionem convenerant, timentes indiscretos Populi impetus, infecto negotio ad invicèm divisi sunt, obedientiam præstare denegantes ei, quem non elegerant. Ille verò contemptis Episcopis, Ecclesiam occupans & Palatium, sinè mora, Pallium de Altari Sancti Petri, nullâ ad Sanctam Romanam Ecclesiam habitâ reverentiâ, sibi assumpsit. Indè posteà nonnullos ex Suffraganeis ad suam traxit obedientiam, quos sibi repugnantes comperit, diversis malis affecit; nàm Majores Ecclesiæ, alios violenter ejècit, alios vinculis & carceri quasi capitalium reos mancipavit, diversaque crudelitatis genera in pios exercuit, & innoxios; quæ omnia ferè totidèm verbis refert Tyrius.

300 Eodem quoquè tempore regebat Ecclesiam Hierosolymitanam Willelmus, quondàm Prior Ecclesiæ Sanctissimi Sepulchri, natione Flamingus, de loco, qui dicitur *Mecinæ*, Vir aliundè simplex, & modicè literatus, Regi tamèn Balduino Secundo, Principibus, & Populo acceptus, sextus, à capta Hierosolyma, Patriarcha, electus post Stephani obitum; nàm primus Patriarcha Hierosolymitanus fuit Daimbertus ex Archiepiscopo Pisano, cui successit Gibelinus, huic verò suffectus est Arnulphus, vir nequam, Arnulpho verò datus est successor Garimundus, post Garimundum electus est Stephanus, cui sexto loco Willelmus iste successit, qui ergà Sanctam Romanam Ecclesiam visus est minùs devotus; etenim cùm Fulcherus Aquitanius vir religiosus, olìm Abbas Canonicor. Regular. in Monasterio Cellæ evectus ad Archiepiscopatum Tyri, & ab eodem Willelmo Patriarcha, ex more consecratus, vellet ad Ecclesiam Romanam proficiscere pro obtinendo, ex more, Pallio, per eundem, & suos, varias passus est insidias, & violentias, itaùt vix, & multâ difficultate manus eorum effugere potuerit. Et hoc quidèm ex eo præcipuè, nè ex ejus adventu Romam, interpositâ Romani Pontificis auctoritate, cogeretur Ecclesiæ Tyriensi eos restituere Suffraganeos, quos Hierosolymitanus propriâ auctoritate, & contrà Pontificis mandata, suæ addixerat obedientiæ. Quæ omnia ex literis ejusdem Innocentii Papæ, datis eidem Willelmo Hierosolymitano Patriarchæ apparent, in quibus ità Pontifex scribit.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili fratri Willelmo Hierosolymitano Patriarchæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.

301 „ Magisterium totius Ecclesiæ, & „ Ecclesiasticæ Institutionis B. Petro Apo- „ stolorum Principi cœlesti privilegio esse „ collatum, Evangelica declarat auctoritas.

„ *Et infrà*. Miramur autem, quoniàm cùm „ Romana Ecclesia pro liberatione Orientalis Ecclesiæ tantoperè laboraverit, & filiorum multorum sanguinem effundendo, corda, tàm Ecclesiasticorum, quàm Secularium ad ejus servitium excitaverit; nequaquàm, prout convenit, eidem Matri suæ, hac vice respondère curasti. Parùm enim tibi visum fuerit, quòd venerabilem fratrem nostrum Fulcherium Tyriensem Archiepiscopum, more prædecessorum suorum, pro susceptione Pallii ad Romanam Ecclesiam venientem, disturbare præsumpseras, nisi & ergà eum à nobis redeuntem, te inhumanum, difficilemque, & nimis asperum exhiberes, adeò quòd nec antiquam dignitatem Tyriensis Ecclesiæ sibi restituere, nec de damnis sibi illatis, aut etiam de Caipha, sivè Porphyra, juxtà mandatum nostrum, infrà tres menses post acceptionem nostrarum literarum, ei justitiam facere volueris. Cùm utiquè satis indignum sit, ut honor, qui sibi, si ei obediret, ab Antiochena exhiberetur Ecclesia, à te, vel tuis successoribus subtrahatur.

302 „ Præterea in subjectos illius nimis potestativè diceris te habere: Quocircà auctoritate Apostolicà mandando tibi præcipimus, sicut ejusdem Matris tuæ piis optas studiis, atque solatiis confoveri, sicut in tuis necessitatibus ejus patrociniis desideras adjuvari, jàm dictum Archiepiscopum diligas & honores, & in nullo perturbare præsumas; quin potiùs de omnibus, de quibus apud te quærimoniam deposuerit, sibi plenam justitiam infrà quadraginta dies, postquàm præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contrà statuta Canonum præsumas. Alloquin timendum est, nè tàm ipsum, quàm Suffraganeos suos à tua obedientia subtrahamus, eosque in manu nostra retineamus. Datum Laterani XVI. Kalend. Januarii. *Hactenus Epistola ad Hierosolymitanum Patriarcham*, cui & alteram ejusdem argumenti fecit Epistolam tenoris sequentis.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Willelmo Hierosolymitano Patriarchæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

303 „ Quantò munificentiæ supernæ benignitas Hierosolymitanam Ecclesiam tuis temporibus altiùs sublimavit, tantò magis expedit, personam tuam ergà fratres suos humaniorem existere, & eos, qui tibi obedientiam exhibent, charitate mutuâ honorare. Proindè fraternitati tuæ mandamus, quatenùs venerabilem fratrem nostrum Fulcherium Tyrensem Archiepiscopum, qui ex mandato Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas & honores; solicitè providens, nè sibi gravamen aliquod inferas, vel sub obtentu hujuscemodi subjectionis, quæ utiquè ex beneficio Apostolicæ Sedis, tibi, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ impenditur, Tyrensis Ecclesia nobilis & famosa, suæ justitiæ, aut dignitatis patiatur aliquod detrimentum. Indignum est enim, ut honor, qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, à te, vel tuis successoribus subtrahatur. Datâ Albani XVI. Kalendas Augusti. *Hactenus Epistola*. Et quoniàm Patriarcha Antiochenus subtraxerat ab obedientia Episcopi Tyrensis Episcopos Tripolitanum, Tortosanum, & Biblitanum, propriâ auctoritate, eosque ad sibi parendum, juramento obstrinxerat, Innocentius dennò eidem Archiepiscopo Tyrensi subjecit, & à juramento Antiocheno præstito absolvit, datis ad præfatos Episcopos litteris, ad hunc modum se habentibus.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Gerardo Tripolitano, R. Tortosano, & H. Biblitano Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem.

304 „ Scire debet vestra fraternitas, quoniàm status Ecclesiæ tunc clariùs elucescit, cùm gradus in ea constituti illæsi servantur, & quæ debetur Prælatia singulis, absque contentione, seu contradictione, reverentiâ exhibetur. Unumquemque etenim ex his, qui subjecti sunt, considerare convenit, quantà suos Prælatos, si quos habeat, reverentiâ & honorificentiâ debeat honorare; quæ si injustè immeritò subtrahantur, unitatis status profectò nutabit, ad quem Ecclesiastica Doctrina ob majorem firmitatem, diligenti consideratione omnia in se ordinando, reduxit.

305 „ Nè igitùr Ecclesiarum vestrarum honor, vel dignitas, ob contentionem, seu rebellionem indebitam minuatur, vel annulletur, per Apostolica vobis scripta mandamus, atque præcipimus, quatenùs venerabili fratri nostro Fulchero Tyrensi Archiepiscopo, tanquàm Metropolitano vestro, debitam obedientiam & reverentiam deferatis. Nos enim vos, & Ecclesias vestras Tyrensi Ecclesiæ, quæ vestra Metropolis est, auctoritate Apostolicà restituimus, & à juramento, vel fidelitate, qua Patriarchæ Antiocheno estis adstricti, eodem modo absolvimus. Si verò nostris mandatis obedire, & intrà tres menses post harum acceptionem literarum, ad obedientiam prædicti fratris nostri redire neglexeritis; sententiam, quam ipse in vos canonicè

„ nicè promulgavit, nos, auctore Deo, ra-
„ tam habebimus. Datum Laterani xvi. Ka-
„ lendas Februarii. *Hactenus Epistola*. Et nè fortassè ab Episcopo, seù Antiocheno Patriarcha, præfati Episcopi ad debitam Tyrensi Metropolitano præstandam obedientiam, vi & potentiâ detinerentur, scripsit paritèr ad eum sequentem Epistolam.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dei, venerabili fratri Rodulpho Antiocheno Patriarchæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.

306 „ Sanctorum Canonum institutio-
„ nibus continentur, ut unusquisque suis ter-
„ minis contentus existat, nec in aliena jura
„ irrepat. Ea etiam, quæ nobis fieri nolu-
„ mus, tàm divinis, quàm humanis legibus,
„ proximis nostris facere prohibemur. Quæ
„ cùm ità sint, Fraternitati tuæ mandamus,
„ quatenùs Suffraganeos Tyrensis Ecclesiæ
„ non impedias, quin venerabili fratri nostro
„ Fulcherio Archiepiscopo, Metropolitano
„ suo, debitam obedientiam, & reverentiam
„ deferant; alioquin canonicis sanctionibus
„ contraitur, si Metropolitanis à suis Suffra-
„ ganeis obedientia subtrahatur. Optamus
„ enim, ut circà Prælatos, & subditos suum
„ jus, & proprius ordo absquè contradictio-
„ ne servetur. Datum Laterani xvi. Kalen-
„ das Februarii. *Hactenus Epistola*. Cùmque etiam à Patriarcha Hierosolymitano detenti fuissent Episcopi Berytensis, Sydoniensis, & Ptolemaidensis, quominùs debitam Metropolitano Tyrensi præstarent obedientiam, ad eosdem Innocentius sequentes pariter fecit literas.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Balduino Berytensi, Bernardo Sydoniensi, Joanni Ptolemaidensi Episcopis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

307 „ Ad hoc Sancti Patres diversos esse
„ in Ecclesia gradus & ordines voluerunt, ut
„ dùm subjectionem & reverentiam minores
„ majoribus exhibent, una fieret ex diversi-
„ tate connexio, & rectè officiorum gerere-
„ tur administratio singulorum. Gravat au-
„ tem nos, & valdè miramur, quòd cum vo-
„ bis jàm pridèm literis Apostolicis præce-
„ perimus, ut venerabili fratri nostro Ful-
„ cherio Tyrensi Archiepiscopo, Metropo-
„ litano vestro, obedientiam & reverentiam
„ exhiberetis, quasdam occasiones & inter-
„ pretationes minùs idoneas prætendendo, id
„ facere contempsistis; cùm utiquè quasi pec-
„ catum ariolandi, sit repugnare, & quasi sce-
„ lus Idololatriæ, nolle acquiescere,

308 „ Mandamus itaquè vobis, & au-
„ ctoritate Apostolicâ iteratò præcipimus,
„ quatenùs, omni occasione submotâ, eidem
„ fratri nostro de cætero parestis; nec sub ob-
„ tentu obedientiæ, quam alicui Primatui
„ dependitis, sibi subjectionem & reveren-
„ tiam Metropolitano vestro debitam, ali-
„ quatenùs subtrahatis. Quòd si contempto-
„ res ulteriùs exstiteritis, sententiam, quam
„ idem Archiepiscopus in vos canonicè pro-
„ tulit, aut protulerit, nos, auctore Do-
„ mino, ratam habebimus. Si verò pro eo
„ quod eidem fratri nostro obedieritis, à Pa-
„ triarcha Hierosolymitano aliquid contrà
„ vos fuerit constitutum, nos eandem sen-
„ tentiam viribus carère decernimus, & nul-
„ lius momenti esse censemus. Datum La-
„ terani xvi. Kalendas Februarii. *Hactenus Epistola*.

309 Hæc itàque omnia egit Innocentius, ut dissidentes Latinos in Oriente Episcopos, ad concordiam revocaret; verùm Rodulphus Antiochenus Patriarcha, modo suprà relato in Patriarchale Thronum intrusus, Pontificis mandatis parère detrectabat: ut enim ait Tyrius lib. 15. cap. 13. Sedem, cui præerat, Antiochenam videlicèt, Romanæ subjacere dedignabatur; Sed ei eandem in omnibus parificare contendebat, dicens: *Utramque Petri esse Cathedram, eamque quasi primogenitæ insignem prærogativâ*. Id quòd ansam Græcis præbebat in suo se schismate confirmandi: quippè qui contendebant Patriarchas suos, præcipuè Constantinopolitanum non subesse Romano, parilique illum cum isto frui potestate, nec unum dignitate altero inferiorem. Atqui Deus, Rodulphi superbiam diù sustinere non valens, æmulos ei suscitavit, qui in multis accusatum, coegerunt eum primò sistere coràm Romano Pontifice, cujus priùs potestatem in contemptum habuerat, indèque Romano ipso Pontifice decernente, in plena Synodo Antiochiæ ab accusationibus se defendere. Celebrata est Antiochiæ in causa Rodulphi Synodus Anno Dñi MCXXXVI., Imperii Joannis Comneni XVIII., Pontificatus Innocentii Anno VII., Indictione xiv., præsidente Apostolicæ Sedis Legato, ac in ea convenerunt Patriarcha Hierosolymitanus Willelmus, Gaudentius Archiepiscopus Cæsariensis, Anselmus Episcopus Bethleemita, Fulcherius Archiepiscopus Tyri, Bernardus Sydoniensis, & Balduinus Berytensis Episcopi, Stephanus quoquè Tarsensis Archiepiscopus, Gerardus Laodicensis, Hugo Gabulensis, & alii Episcopi, & Abbates, ut scribit idem Tyriensis lib. 15. cap. 15., & 16. Et cùmque Rodulphus ter vocatus, & ad Synodum citatus per tres continuos dies, accedere renuisset, Synodali Decreto depositus fuit; indè captus, ac vinculis alligatus, apud Monasterium Sancti Simeonis, juxtà Mare, in Monte eminentissimo situm, carceri est man-

cipatus: undè post aliquot tempus elapsum, Romam profectus est, ubi aliquatenùs gratiam Apostolicæ Sedis assecutus, dùm redire maturaret, veneno, nescio à quo propinato, interiit.

310 His sublatis dissidiis, quæ diù inter personas Ecclesiasticas viguerant, Joannes Comnenus Constantinopolitanus Imperator expeditionem in Syria paravit, veniensque in multitudine virtutis suæ, in curribus, & equis, in thesauris infinitis, & innumerabilibus copiis, iter versùs Antiochenas dirigit partes. Et peragratâ Ciliciâ antè Torbessel, munitissimum Castrum, situm circà Eufratem, sub ditione Comitis Edesseni Joscellini consedit; indèque receptâ in obsidem Isabellâ Comitis Joscellini filiam, ab eodem Comite traditam, gressus direxit magnâ cum celeritate versùs Antiochiam. Et collocato exercitu secùs oppidum, nuncupatum *Gastum*, Nuncios direxit ad Antiochenum Principem, mandans, ut juxtà pactorum legem inter se priùs initam, Urbem ei cum præsidio, & omnibus indifferenter Civitatis munitionibus resignet. At resistentibus Principe, & Proceribus Civitatis, ægrè ferens Imperator, cùmque jàm hyems increfceret, in Ciliciam cum exercitu propè maritimam, hyemandi causâ venit, sperans hyeme transcursa iterùm Antiochiam redire, eamque, invitis Civibus, in suam potestatem redigere. Atqui sagittâ venenatâ à se ipso, casu in venatione, vulneratus, antè transactam hyemem decessit, relicto Imperio Manueli filio natu minori, quem secum habebat, ad exclusionem Isaacii natu majoris, tunc Constantinopoli commoranti.

311 Spreverat Joannes Imperator monita Innocentii Papæ, qui per Episcopum Gabulensem Apostolicæ Sedis Legatum, rogare fecerat, nè adversùs Christianos Latinos in Oriente contrà Barbaros pugnantes, ipse arma sua dirigeret: quinimmò, ut Otho Frisigensis scribit, in viros sanctissimos desævit acerbiùs. Non ergò mirum, si in ea expeditione, amissis priùs duobus filiis, Deo vindicè, re infectâ, & ipse fato cedi coactus sit. Decessit verò Anno Domini MCXLIII., sui Imperii XXV., Pontificatus Innocentii Anno XIV., Indictione III., mense Aprilis, cùm imperasset Annos XXIV., & menses VIII., ut Nicetas Choniata, & Otho Frisigensis scribunt. Eodem Anno obiit pariter Constantinopoli Leo Stypiota Patriarcha Constantinopolitanus, ut notat idem Nicetas. Romæ verò VIII. Kalendas Octobris migravit ad Dominum Innocentius Papa, cùm sedisset Annos XIII., & menses VII., & dies VIII.

CAPUT XII.

De iis, quæ gesta sunt sub Imperio Manuelis Comneni, ab exordio sui Imperii usque ad Hadriani IV. Pontificatum.

312 Vità functo, ut præfati sumus, Calo Joannes Comnenus Imperator, Manuel ejus filius, compositis rebus, cum omni sospitate, Constantinopolim suos duxit exercitus: ubi fratrem, natu se priorem, ut ait Tyrius, Palatium, auditâ patris morte, jàm obtinentem, per Misticonem suum, qui Palatio, & Thesauris præerat universis, missis occultè literis, ex improviso captum, & nihil tale veritum, in vincula conjecit. Sed postmodùm, postquàm Urbem Regiam solemniter ingressus, per interventionem communium consanguineorum, & Principum Sacri Palatii fidelem operam, fratri reconciliatus est; sicquè cum tranquilitate debita, juxtà patris supremum judicium, obtinuit Dominus, Manuel Monarchiam, fratrem suum, tamquàm primogenitum, multiplici non cessans, quàm diù vixit, honore prævenire, & gratiâ prosequi cumulatiore. Ità in terminis Tyrius.

313 Romæ porrò elapso die ab obitu Innocentii, Domini Cardinales imminère comperientes à Romanis civile bellum, ob Senatum in pristinum restitutum sub extremis diebus Innocentii, conservandum, absquè mora, & sinè ulla dissensione, & controversia, unanimi consensu, in successorem delegerunt Guidonem de Castello, Presbyterum Cardinalem S. Marci, nominatum Cœlestinum, hujus nominis Secundum: de cujus electione Auctor ejus vitæ hæc scribit:
„ Cœlestinus Secundus, natione Tuscus,
„ Guido anteà vocatus, ex Presbytero Car-
„ dinale Tituli S. Marci, juxtà Constitu-
„ tionem Innocentii prædecessoris sui, qua
„ populus omninò à Pontificis electione ar-
„ cebatur, primus sinè ullis populi suffra-
„ giis, teste Onuphrio, propter civile bel-
„ lum, quod à Romanis Senatum restituere
„ satagentibus, imminebat, creatus est Pon-
„ tifex tempore Conradi Imperatoris, An-
„ no Domini MCXLIII.: *Hæc ille*; & Petrus Cluniacensis in Epistola ad eundem Cœlestinum datam, cujus initium est: *Benedictus Dominus Deus noster*, de canonica hujus Pontificis electione, inter alia hæc scribit: „ Gavisi sumus audientes ista, & im-
„ mensum cor nostrum exhilaratum est,
„ agnoscentes, non in armis, non turribus,
„ non minacibus agminibus rem Divinam
„ tutari, sed solâ misericordis Domini ma-
„ nu, & suavi protectione, ad pacem com-
„ positam esse. Agnovimus verè quòd co-
gno-

„ gnoscendum erat, imperasse Christum ventis, & Mari, & factam esse solitam tranquillitatem; statuisse procellam Maris in auram, & siluisse fluctus ejus. Et quis non miretur, a tempore Alexandri Secundi Papæ, per Gregorium, Urbanum, Paschalem, Gelasium, Callixtum, Honorium, Innocentium, Summos Ecclesiæ Dei ac præclaros Pontifices, quantùm ad eorum promotionem pertinet, Ecclesiasticam pacem pertransisse; sed in nullo eorum præter vos quievisse? *Hæc Cluniac. Abbas Petrus.*

314 Verùm non diù Pontificatum tenuit, ad Superos evocatus mense sui Pontificatus sexto, sequenti nimirùm Anno MCXLIV, VIII. Idus Martii, ubi sedisset menses V., & dies X., defunctus apud Palladium, & in Ecclesia Lateranensi tumulatus. Eique datus est successor Lucius, hujus nominis Secundus, ex Presbytero Cardinali Sanctæ Crucis in Hierusalem, qui fuit ex Provincia Æmiliæ, patriâ Bononiensis, ex patre Viseo. Non tamèn est passus pace frui, Romanis conantibus Senatum in pristinam redigere potestatem, ipso verò totâ vi contradicente; cujus rei causâ plura à Romanis dira perpessus est, de qua re in Codice Vaticano, apud Baronium, hæc scripta leguntur: *Hic, tanquàm Vir prudens & fortis, habito cum Ecclesiæ fidelibus consilio, Senatores, qui contrà prohibitionem prædecessoris sui Papæ Innocentii Capitolium conscendere, Senatum abjurare coegit.* Ex literis porrò ejusdem Pontificis, datis ad Conradum Imperatorem, quibus ab eo adversùs rebelles Romanos auxilium poscit, clariùs quæ ipse passus fuerat, enitescit. Eas recenset Otho Frisigensis, lib.7. cap.31., ubi ait: „ Per idem tempus Lucius Papa, vir pro mansuetudine & humilitate sui officio Sacerdotali dignus, Cœlestini, qui non plenè sex mensibus sederat, successor, gravem à Civibus persecutionem passus, humiles ad Regem Conradum, tàm suam oppressionem continentes, quàm de incolumitate & prosperitate ejus, Deo gratias agentes, ipsumque ad patrocinium Romanæ Ecclesiæ invitantes, literas mittit in hunc modū.

Lucius Episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio Conrado Romanorum Regi Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

315 „ Omne datum optimum &c. Populus enim Romanus nullas insaniæ suæ metas ponere volens, Senatoribus, quos anteà instituerat, Patricium adjiciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei, tànquàm Principi subjiciuntur. *Et infrà.* Deindè Pontificem suum adeunt, ac omnia regalia ejus, tàm in Urbe, quàm extrà posita, ad jus Patricii sui reposcunt, eumque more antiquorum Sacerdotum, de Decimis tantùm, & oblationibus sustentari oportere dicentes, de die in diem animam justi affligere non timuerunt. *Hactenus Epistola.*

316 Hæc porrò omnia evenisse operâ cujusdam Arnaldi, auctoris hæresis Politicorum, olim jàm ab Innocentio damnato, auctor est idem Frisigensis. Conradus indè, etsi Romanorum literas exceperit, quibus comprobationem Actorum suorum postulabant, minimè illorum attentata, rata habere voluit; quin potiùs omnia privilegia Ecclesiæ Romanæ, & Summis Pontificibus per decessores suos Romanos Imperatores concessa, postulante ipsâ Ecclesiâ Romanâ per Guidonem Pisanum Cardinalem Legatum, benignè confirmavit. Hæc omnia idem Frisigensis recenset, qui relatâ Romanorum Epistolâ, ad Imperatorem datâ, subjungit: „ At christianissimus Princeps hujusmodi verbis, sivè neniis, præbere aures abnuit. Quinimmò venientes ad se ex parte Romanæ Ecclesiæ Viros magnos & claros, quorum unus Guido Pisanus ejusdem Ecclesiæ Cardinalis, & Cancellarius erat, renovationem antiquorum privilegiorum suorum postulantes, honorificè suscepit, & honestè dimisit. *Hæc ille.*

317 Cæterùm pius & sanctissimus Pontifex quotidianis cruciatibus propter ejusmodi Romanorum rebellionem, ac tędio vitæ affectus, in morbum incidit, atque infrà anni spatium ultimum diem clausit. Defunctus est Anno Domini MCXLV., Manuelis Imperatoris Anno III., Conradi Regis Anno VII., Indictione VIII., V. Kalendas Martii, ubi sedisset menses XI., & dies XIV. Eo sepulto, cùmque Romani tumultare cœpissent, convenientes Cardinales in Ecclesia Monasterii Sancti Cæsarii, communi omnium suffragio, extrà eorum gremium elegerunt in Pontificem Bernardum Abbatem Monasterii Sancti Anastasii Trium Fontium, Ordinis Cisterciensis, qui Sancto Bernardo Claravallensi in Præsulatu illius Monasterii successerat, patriâ Pisanus, assumpto nomine Eugenii III., qui, ut scribit Otho Frisigensis, lib.7. cap.31., in principio susceptæ dignitatis, eò quòd, auctore Arnaldo, Populus Romanus ad tradenda Urbi regalia, sicut antecessores suos, ità ipsum sollicitare vellet, cum Episcopis, & Cardinalibus, Urbe cedens, ad Monasterium Farfensem se contulit, ubi proxima ab ejus electione Dominica, consecratus est; undè in Codice Vaticano apud Baronium legitur: „ Noctis silentio Urbem cum paucis fratribus exiit, & ad Arcem Monticelli se tutum recepit. Congregatis verò aliâ die cunctis Patribus, qui dispersi fuerant propter metum furentis populi, processit ad Farfense Monasterium, in Sabinis positum, cum domestica familia, & consecrationis gratiam in sequenti Dominica pro plenitudine sui Apostolatus, se-

„ secundùm morem Ecclesię, Domino aucto-
„ re, suscepit. *Hæc ibi*.

318 Porrò Constantinopoli post decessum Leonis Stypiotæ, de quo suprà, qui fortè successor fuerat Theodori Chalcedonensi, olim suffecti Nicolao Grammatico, sivè Muzalono, in Patriarcham Constantinopolitanum subrogatus est Michael Monasterii Acuti Monachus, vir virtute celebris, ut Nicętas refert, cognominatus Oxytas, ab Oxya Insula, ubi suum situm erat Monasterium, qui cùm sedisset Annos II., & menses VIII., suâ spontè se abdicavit, atque ad Monasterium suum se iterùm contulit; de quo Nicętas Choniata hæc scribit; „ Is Michael sum-
„ mâ Sede ultrò cessit, & in Oxyam insu-
„ lam rediit, in qua vitæ inopis & simplicis
„ institutum à puero, fuerat complexus. Ibi
„ in Templi vestibulo prostratus, cuivis Mo-
„ nacho collum calcandum præbuit, quòd
„ contrà quam sibi expediret, adamatam à
„ primis annis quietem repudiasset, nullo-
„ que cum fructu Thronum sublimem con-
„ scendisset. *Hæc Nicętas*. Huic porrò successit Cosmas ex Diacono, patriâ Æginensis, ut ait idem Nicetas, quem plurimùm commendat, sed elapsis mensibus decem, obiit, dato ei in successorem Charitone ex Monacho, qui sedit mensibus dumtaxàt undecim, eique suffectus est Lucas Chrysoberges, Anno Eugenii III. Pontificatus IV., Imperii Manuelis IV., Conradi Romanorum Regis X., Domini verò MCXLVIII., Indict.XI.

319 Itaquè sub Pontificatu Eugenii, ferè Anno primo, Viterbii commorantis, dùm complures Græci, ut in superioribus fati sumus, Episcopi, & Archiepiscopi, ab obedientia Apostolicæ Sedis secesserant, Armenii pro unione cum eadem Apostolica Sede Legatos ad Pontificem miserunt; de qua Legatione Otho Frisigensis, qui tunc Viterbii aderat, lib.7. cap.31., hæc scribit: „ Eâ tempestate
„ Legati Armeniorum Episcoporum, eo-
„ rumque Metropolitani, quem ipsi Catho-
„ licon, idest universalem, propter infini-
„ tum, idest, ampliùs quàm mille Episco-
„ porum sub se habentem numerum vocant,
„ Legati, ab ultimo penè Oriente Summum
„ Pontificem Viterbii, laboriosum iter per
„ Annum, & sex menses complentes, adeunt;
„ eique ex parte illius Ecclesię subjectionem
„ omnimodam, eum consalutando offerentes,
„ causas viæ nobis cum aliis multis præsen-
„ tibus apud veterem aulam aperiunt, quæ
„ talea erant. Inter ipsos & Græcos quæ-
„ dam de ritu Sacrificii habitudo est in qui-
„ busdam, in aliis verò discrepantia: po-
„ nunt enim fermenatum panem, sicut illi,
„ aqua autem vino non admiscent, sicut nos,
„ & illi. Pręterea Nativitatem Domini Epi-
„ phaniæ continuantes, duas illas festivita-
„ tes unam faciunt. Pro his, & aliis, dùm
„ inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam
„ Judicem eligentes, consultum veniunt,
„ formamque Sacrificii, juxtà consuetudi-
„ nem ejus sibi tradi deposcunt.

320 „ Quos Romanus Antistes gratan-
„ ter suscipiens, Missarum solemniis, ac Sa-
„ crificii secretis adhibuit; diligenterque ea,
„ quæ fiebant, eos animadvertere monuit.
„ Quod dùm facerent, intentique sacro Al-
„ tari astarent, unus ex eis Pontificali di-
„ gnitate præditus, sicut postmodùm in ple-
„ na Curia retulit, in Beati Martini octava,
„ quandò dedicatio Ecclesiæ Sancti Petri
„ celebrari solet, Summo Pontifice Divina
„ Mysteria agente, splendido fulgore radium
„ Solis super caput ejus coruscare, & in ip-
„ so duas Columbas ascendentes, & descen-
„ dentes vidit. Cùmque diligentiùs hâc, il-
„ lâcque oculos circumferret, nullumque
„ aditum, per quem lux illa transfunderetur,
„ inveniret, Deificum hoc esse cognoscens,
„ ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs
„ accensus, cunctis, quæ viderat, aperuit.

321 „ At venerabilis Pater non suis hoc
„ meritis attribuens, ipsius potiùs fide cœli-
„ tùs hoc sibi monstratum affirmabat, ut vi-
„ delicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat,
„ Sacramentorum virtutem veritatis luce
„ perfusam cognosceret, ac deinceps quali
„ eam reverentiâ, & formâ tractare deberet,
„ addisceret. Retulit etiam præfatus Episco-
„ pus, quòd in confinio Armeniæ quædam
„ gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes ge-
„ nerarent, eosque statim ad aquas Arme-
„ niorum lavandos transmitterent; quos cum
„ illi baptismatis unda ingentes tinnarum eis
„ fœtorem propellerent, mox tamèn remissi,
„ ad Paganismi ritum & spurcitiam redibant.
„ Quod utrùm faciendum esset, item Roma-
„ nam Ecclesiam consuluerunt. *Hæc de Armeniorum Legatione Frisigensis*.

322 Eodem tempore per Prætextatum Gabulensem Episcopum, de Syria venientem, delata est ad eundem Pontificem notitia de capta à Sarracenorum Principe Sanguineo, qui regnabat in Ninive, Edessa, nobilissima Civitate, & Mediæ Metropoli, cunctis, qui in ea erant, Christianis barbarico gladio trucidatis, pius Pontifex amaro hæc audiens animo, statim omnem operam adhibuit, ut Christianorum Occidentalium Principes ad præstanda Christianis Orientalibus bellica auxilia præstò essent, missis religiosis Viris, qui opere & sermone hortarentur occiduos populos ad arma capienda, atque fratribus in Oriente periclitantibus auxilia præstanda, inter quos & fuit Divus Bernardus Abbas Claravallensis, sanctitate & doctrinâ tunc celeberrimus, qui suis concionibus, ac verbis hortatoriis plurimùm profuit, & nedùm plebejos, verùm & nobilissimos Viros ad hoc pium opus exequendum excitavit. Hæc omnia Tyrius, lib. 16. cap.18., describit, inquiens: „ Captâ igitùr Urbe, ut præsimus Edes-

„ Edessenâ, rumor lethalis memoriæ pleniùs „ personuit, & crebrò fama divulgabatur „ per Occidentem universum, quòd impia „ gens Turcharum, non solùm Urbem prædictam, sed omnem omninò Orientis tra- „ ctum, licentiâ liberiore percurrens, no- „ strorum Urbes, Villas, Municipia depopu- „ larentur, sed populum ampliùs solito chri- „ stianum præliis, & crebris nimiùm invasio- „ nibus affligerent. Erant qui verba hujus- „ modi longè, latèque in populis & nationi- „ bus disseminarent; & desides, & longâ pa- „ ce dissolutas, ad tantarum ultionem inju- „ riarum solicitarent Provincias.

323 „ Dominus quoquè Eugenius Papa „ Tertius, vir Deo plenus, paternam ge- „ rens pro filiorum Orientalium, quæ dice- „ batur afflictione, solicitudinem, & eis affe- „ ctu pleniore compatiens, Viros religiosos „ exhortatorii sermonis habentes gratiam, „ potentes in opere & sermone, ad diversas „ Occidentis partes dirigit, qui populis, & „ tribubus, & linguis, Orientalium fratrum „ denuncient pressuras intolerabiles; & ad „ tantas ultum in fraterni sanguinis injurias, „ eos debeant animare. Inter quos vir im- „ mortalis memoriæ, & honestæ conversa- „ tionis speculum, Dominus Bernardus Cla- „ ravallensis Abbas, plæ in Domino, & per „ omnia amplectendæ recordationis, ad præ- „ dicti, Dei placitis, muneris executionem, „ præcipuus eligitur. *Hæc Tyrius*.

324 Scripsit porrò Eugenius exhortatoriam Epistolam ad Ludovicum Galliarum Regem, quæ incipit: *Quantùm prædecessores nostri*; datam Vetrallæ Kalendis Decembris, ubi, post exordium, hæc subjungit: „ Universitatem itaquè vestram in Domino com- „ monemus, rogamus, atque præcipimus, & „ in peccatorum remissionem injungimus, ut „ qui Dei sunt, & maximè potentiores & „ nobiles viriliter accingantur, & infidelium „ multitudini, quæ se tempus victoriæ super „ nos adeptam lætatur, sic occurrere, & Ec- „ clesiam Orientalem, tantâ Patrum vestro- „ rum, ut prædiximus, sanguinis effusione „ ab eorum tyrannide liberatam, ità defen- „ dere, & multa captivorum millia confra- „ trum nostrorum de ipsorum manibus eri- „ pere studeatis, ut christiani nominis digni- „ tas vestro tempore augeatur, & vestra for- „ titudo, quæ per universum Mundum lau- „ datur, integra & illibata servetur. *Hæc Eugenius*; confirmans indè gratias, remissiones, & privilegia ab Urbano Papa concessa militantibus adversùs Orientis Infideles.

325 Ludovicus ergò, qui fuit hujus nominis VII., monitis Pontificis acquiescens, inito quoquè consilio cum Sancto Bernardo Claravallensi, Crucem suscipere decrevit, atque cum Exercitu in Orientem proficisci. Et convocatâ Synodo apud Vizeliscum in Burgundia, præsente Sancto Bernardo, & multa Procerum nobilitate, coràm Episcopis, Archiepiscopis, & Abbatibus compluribus, eodem scilicèt Anno MXLVI., Crucem accepit, & post eum magni nominis Principes, ac Barones, & Nobiles multi. Posteà alter conventus pro eadem expeditione facienda habitus est Carnoti Dominicâ tertiâ post Pascha, ut scribit Sanctus Bernardus in Epistola ad Petrum Abbatem Cluniacensem. Intereà & Conradus Romanorum Rex zelo fidei accensus, Crucem suscepit, paratus & ipse cum suis Nobilibus, & numeroso Exercitu in Orientem contrà christiani nominis hostes arma deferre. Quo audito in Gallia, apud Stampas habita est postrema Synodus pro accelerationе ejusdem expeditionis, in die Dominicæ Septuagesimæ, ut scribit Odo de Diogilo, lib. 1. de profectione Ludovici VII. Regis in Orientem; Tyrius verò, lib. 16. cap. 18., eandem duorum Principum, Conradi scilicèt, & Ludovici expeditionem sic breviter describit, inquiens: „ Nec solùm in ple- „ beis & popularibus turmis hic persuaden- „ tium sermo ità se præbuit efficacem, verùm „ usquè ad supremos Orbis Moderatores, & „ eos, qui præcipua Regnorum videbantur „ dispensare fastigia, sermo iste cum effectu „ non inferiore pervènit. Illustres enim, & „ potentissimi Regum Terræ, Dominus vi- „ delicèt Conradus Romanorum Imperator, „ & Dominus Ludovicus Rex Francorum, „ cum multis utriusque Regni Principibus, „ consono voto, & paribus desideriis ample- „ xi sunt verbum; & salutare vivificæ Cru- „ cis signum in arram futuræ profectionis, „ cum omni devotione cervicibus impri- „ munt, & induuntis.

326 Itàque compositis Regnorum suorum rebus, unanimiter Dominus Imperator Conradus, & Dominus Rex Ludovicus suis cum copiis iter arripuerunt mense Majo Anni Domini MCXLVII., Eugenii Papæ, Anno III., Imperii ejusdem Conradi IX., Manuelis verò V., Indictione x., sed Omine sinistro, avibusque infaustis, Deo permittente, ità peccatis exigentibus, nec simul iter prosequi voluerunt, nàm mutato consilio, nonnullis allegatis causis, segregatim incedere decreverunt. Sic divisi ambo Principes inter se, unusquisque seorsùm cum suo proficiscebatur exercitu, præcedente Conrado cum suis copiis, lento pede sequente Ludovico: sed qui præcesserat primus, priùs in insidias incidit. Venit ergò Conradus Constantinopolim, ubi honorificè à Manuele susceptus, moram aliquam fecit: undè receptis sibi ab eodem Manuele datis viarum Ducibus, sub illorum ductu, transito Helesponto, venit in Bithyniam, & indè in Pago Chalcedonensi castrametatus est cum suis Legionibus. Posteà verò à Ducibus viarum deceptus, ductus est per loca devis, ubi commodè ab hostibus, universus Conradi exerci-

tus

tus opprimi posset, sicut evênit; quoniam clàm fugam arripientibus præfatis viarum Ducibus, in Terra penitùs à Latinis incognita, aspera, & deserta, remansit cum suis Legionibus Conradus, ubi ab Infidelibus in maxima copia à Sultano Iconii collectis, de repentè invasi, ferè totus Christianorum exercitus periit: *Nàm*, ait Tyrius lib. 16. cap. 22. *de Septuagesima millibus loricatorum Equitum, & de tanta pedestrium turbarum manu, quorum infinitus erat numerus, vix, ut asserunt, qui præsentes fuerunt, decima pars evasit, aliis fame, aliis gladio interemptis, nonnullis etiam vinculis hostium mancipatis*.

327 Studio, & Manuelis Imperatoris Græcorum fraude deceptum à viarum Ducibus Conradum, fama fuit: Tyrius verò, qui hujusmodi miserrimam cladem recenset, lib. 16. primò sub cap. 20. ait: „ Tradiderat „ autèm Constantinopolitanus Imperator „ viæ Duces, locorum peritos, Provinciarum finitimarum omnem habentes prudentiam, sed fidei modicæ. *Post verò aliqua, subjungit*: Verùm Græci innatâ usi „ malitiâ, & consueto in nostros ducti odio, „ sivè de mandato Domini sui, sivè hostium „ corrupti pecuniâ, studiosè, & ex industria per devia cœperunt trahere Legiones, & in ea introducere loca populum, „ quibus simplicem major fieret hostibus „ opprimendi, & expugnandi copia, & longè amplior ministraretur opportunitas. „ *Et cap. 21. ait*: Dicebatur publicè, nec à „ verisimili multùm abhorrebat, quòd de „ conscientia, & mandato Imperatoris Græcorum, nostrorum provectibus invidentis, „ constructa fuerunt hæc tàm periculosa molimina. *Hæc ille*. Sed apertissimè Auctor Græcus Nicetas scribit, Turcas ad bellum inferendum Latinis, Manuelis Literis concitatos fuisse: undè brevi periodo plura concludens, ait: „ Breviter, ut dicam, nullum „ mali genus fuit, quòd Imperator non vel „ ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi auctor esset: nempè, ut calcem farinæ Græci miscerent, ut scilicèt eorum „ posteri perpetuis monimentis ab adjuvandis Romanis, deterrerentur. Idem & „ Turci imitati sunt, Manuelis literis ad „ bellum Alemannis faciendum concitati. *Hæc Nicetas*.

328 Post antefatam cladem evasus Imperator, cum paucis ex Principibus suis, invisitur à Ludovico Francorum Rege, qui paulò post cum suis, non longè ab Imperatoris Castris advenerat, habitoque cum eo colloquio de tuta capienda via, & de prosequenda expeditione, ambo simul profecti sunt: cùmque Ephesum pervenissent, ipse Imperator: *Seù quià cum paucioribus erat*, ut ait Tyrius, cap. 23., *qui multò plures secum habuerat, verecundiam sustinens, aut Francorum fastum non ferens, seù aliis latentibus causis, remissis quæ supererant per terram Legionibus, ipse ab Epheso usus navigio, Constantinopolim reversus est*. Ibi honorificè ab Imperatore Manuele susceptus, & multò quàm primo adventu honestiùs, per totam hyemem usquè ad veris initium moram fecit, transcursâ indè hyeme, donis cumulatis, classe quam ei Manuel deputaverat vectus, cũ quibusdã ex Principibus suis in Orientem perveniens, portum Acconensem attigit: *Indè*, ait Tyrius, *Hierosolymam proficiscens, à Domino Rege Balduino, & Domino Fulcherio bonę memoriæ Patriarcha occurente ei extrà Civitatem, universo Clero, populo, cum hymnis, & Canticis in Sanctam introductus est Civitatem*.

329 Intereà Ludovicus Rex, qui pariter funesto fato, ferè dimidiam partem exercitus dimiserat post Heandrum, circà Montem Loodiciæ, Antiochiam venerat, ubi postquàm ab Antiocheno Principe Raymundo fuerat honorificè susceptus, exortis inter Ipsum, & præfatum Principem variis dissidiis, sibi fortassè consulens, discederc, Principe insalutato, cogitavit. Id quòd clàm præstitit, & ad partes Tripolitanas se contulit. Quo audito Hierosolymorum Rex Balduinus III., unà cum Proceribus Regni, misso ad eum D. Fulcherio Patriarcha Hierosolymitano, ut Hierosolymam venire dignaretur, maxima cum instantia rogare fecerunt. Acquievit postulatis Rex, & incunctanter Hierosolymam advênit, cui advenienti, occurrit universus Clerus, & populus cum hymnis, & Canticis, unà cum Principibus, ac ità honorificè, & cum debita gloria in Urbe receptus est, & ad loca venerabilia deductus. Indè completis, de more, orationibus, indicta est apud Urbem Acconensem Curia Generalis, ut de fructu tantæ peregrinationis, & de tantorum fine laborum, & de Regni desiderato tractaretur incremento, ut in terminis scribit Tyrius ad calcem lib. 16. Qua habita, die statuta, convenientibus in ea præter Regem, & Principes Hierosolymitanos, ac Episcopos, & Archiepiscopos, aliosque plures, tùm Ecclesiasticis, tùm Militaris Ordinis, Domino Conrado Imperatore, & Domino Ludovico Rege, deliberatum est obsidendam Urbem Damascum, utpotè Latinis sub infidelium dominio plurimùm infensam. Obsessa itàque est, sed infelici exitu, quoniàm corruptis nonnullis ex ipsis Latinis pecuniæ cupiditate, proditorio illorum consilio actum est, ut dùm ex una parte expugnaretur Civitas, ex qua facilè in deditione devenire poterat, ad eam in altera parte expugnandam pergerent, ubi difficilior erat aggressus, & minùs ad subsistentiam copiarum suppeditabant necessaria, undè cognitâ proditione, licèt serò cùm redire ad pristinum locum ampliùs non possent, solutâ obsidione inglorii discesserunt. Post hæc ve-

verò, ait Tyrius, lib. 17. cap. 8. *Videns Dominus Conradus Imperator, quod ei gratiam suam subtraxerat Dominus, & in Regni negociis ei procedere negabatur, parato navigio sumptàquè licentiâ, in Regnum proprium est reversus.* At Ludovicus Rex reversus Hierosolymam, usquè ad festum Paschæ permansit, quo celebrato, & ipse ad proprla remeavit. *Dominus verò Rex Francorum*, subjungit Tyrius, *peracto apud nos unius anni curriculo, circà transitum Vernalem, Pascha Hierosolymis celebrato, cum uxore, & Principibus suis, ad propria reversus est.*

330 Hic ergò hujus tàm grandis expeditionis exitus, hic finis, ità exigentibus Latinorum peccatis. Quę quidèm in hac Historia inserere volui, ut legentibus, quæ ab Imperatore Græcorum, & suis acta sunt, in Latinorum perniciem perspicua sint. Præcipua nàmque tàm infelicis exitus causa fuit proditio Manuelis in Conradum, & exercitum ejus. Et licèt in Ludovicum Regem talia egisse non legatur, quæ in Conradum, attamèn ipsum è Palestina redeuntèm, non sunt veriti Græcorum Duces capere, animo præsentandi captum Manueli, & egissent, nisi à Georgio Duce classis Regis Siciliæ, præda de manibus fuisset erepta. Rem describit Robertus à Monte in appendice ad Sigibertum, inquiens: „ Ludovicus Rex Francor. à Palestina „ navigans, ut in patriam rediret, Græco„ rum Naves incurrit. Cùmque ab eis Im„ peratori Cursolium obsidenti præsentan„ dus deducitur, Georgius Dux Navium „ Regis Siciliæ eos aggreditur: siquidèm „ vastatis, & spoliatis Græcorum Provin„ ciis, usquè ad ipsam Urbem Regiam Con„ stantinopolim accedens, sagittas aureas „ in Palatium Imperatoris ejecerat, & in„ censis suburbanis, de fructu hortorum „ Regis violenter tulerat. Undè rediens „ Naves Græcorum incurrit, captum Lu„ dovicum Regem eripuit, sed captos, Regis „ obtentu dimittit: *Hæc ille*; qui posteà subjungit, eundem Regem Ludovicum redeuntem, tùm à Rege Siciliæ Rogerio, tùm ab Eugenio Papa fuisse honorificè susceptum, atque deductum: *Ludovicus*, inquit, *à Rogerio Siciliæ Rege, nec non à Papa honorificè suscipitur, atque deducitur*. Idem porrò Papa ad Conradum Imperatorem reversum, literas fecit consolatorias tenòris sequentis.

Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Conrado, Dei gratiâ Romanorum Regi Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

331 „ Cùm in hoc Mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, sicut nec prosperis elevari, ità nec frangi adversis, con„ fidentes de Divina miseratione, debemus, „ quia Dei, & hominum mediator admirandâ dispensatione consuevit omnem filium, „ quem recipit, adversitatibus flagellare, ut „ dùm ipsum per amorem ad æterna præmia „ vocat, præsens mundus ejus animum per „ turbationes, quas ingerit, à seipso repellat, tantòque faciliùs ab hujus sæculi amo„ re recedat, quantò magis impellitur, dùm „ vocatur, quod in Israelitico Populo, Moy„ se vocante, & Pharaone, signatur. Moyses „ nàmque tunc ad vocandum missus est, cùm „ Pharao duris eum operibus perurgebat, „ quatenùs alter vocando pertraheret, alter „ impelleret sæviendo, ut plebs in servitio „ turpiter fixa, vel provocata bonis, vel im„ pulsa molestiis, moveretur.

332 „ Hoc itaque rationis debito incitati, discretionem tuam commonemus, & „ exhortamur in Domino, quatenùs tribu„ lationes, quas tibi, & exercitui tuo omni„ potens Deus irrogavit, patientèr suppor„ tes, & in eo spem tuam constituas, qui „ quem vult, permittit affligi, & confidentes „ in se, misericorditer liberare consuevit. Si „ enim patientiam & humilitatem in adver„ sis perfectè tenueris, per desertum hujus „ vitæ, sub protectione Columnæ nubis, & „ ignis, idest patientiæ, solatio & charitatis „ ardore, intrepidus perducèris.

333 „ Quià igitùr personam tuam verâ „ charitate diligimus, & de te valdè confidi„ mus, si post tuum reditum sine dilatione, „ de his, quæ ad honorem Sanctæ Ecclesiæ, „ & Regni spectare noscuntur, tecum po„ tuissemus tractare colloquiis, nobis utiquè „ gratum fuisset. Verùm quià id nobis tem„ poris qualitas denegavit, & de tua salute „ sumus soliciti, quosdam de fratribus no„ stris, postquàm te ad Longobardiæ partes, „ auctore Domino, incolumem pervenisse „ accepimus, sicut per venerabiles fratres „ nostros Artuvicum Bremensem Archiepi„ scopum, & Anselmum Namelburgensem „ Episcopum tibi significavimus, ad tuam „ Serenitatem duximus destinandos; ut af„ fectum, & benevolentiam, quam ergà te „ gerimus, tibi exponerent, & quòd de te „ audire cupimus, ipsorum relatione nosce„ remus. Quibus dedimus in mandatis, ut „ tibi, tanquàm charissimo filio nostro & ca„ tholico Principi, atque speciali Sanctæ „ Ecclesiæ defensori, ipsius Ecclesiæ statum, „ & nostrum exponerent. Qui siquidèm in „ Tusciam usquè progressi, ex quo te ad Teu„ tonicas partes pertransisse noverunt, lon„ gitudinem viæ, & difficultatem itineris pro„ pter æstatis intemperiem metuentes, ad no„ stram præsentiam redierunt.

334 „ Cæterùm, quia statum tuum, & „ dilecti filii nostri Henrici junioris Regis, „ quam post discessum tuum paterno affectu „ dileximus, & imposterùm actiones ejus pro-

„ prosperari in Domino præoptamus, cognoscere cupimus, cùm fratres nostri, propter æstatis fervorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrorum Franconem latorem præsentium, & Apostolica scripta tuam Excellentiam visitantes, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenùs ea, quæ circà te & ipsum geruntur, & statum Regni, per eundem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore devotionem, quam ergà Matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam geris, ostendas, ut nostro respondère affectui congruè videaris, & Beati Petri Apostolorum Principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano VIII. Kalendas Julii. *Hactenus Epistola*. Ex qua constat, Eugenium cùm primùm cognovisset, Conradum in Longobardiam venisse, Legationem destinasse, fungendam à duobus antefatis Episcopis: sed quoniam ipsis in Tusciam advenientibus, auditum est, eum in Germaniam jàm profectum, intermissam fuisse Legationem, Legatis Romam reversis, & hasce litteras fecisse.

335 Circà autem Græcorum schisma sub hoc Pontifice nihil innovatum legimus, unoquoque ex Græcis propriam sequente sententiam, præter commune Græcorum odium in Latinos. In dies tamèn status Ecclesiæ Constantinopolitanæ in pejus ruebat, jura omnia Ecclesiastica usurpantibus Imperatoribus, ut scribit Theodorus Balsamon Scriptor licèt schismaticus, illius temporis, in notis ad Canonem XV. Concilii Carthaginensis, inquiens: „ Hodiè autem hæc negliguntur; propter quam causam nescio. Multi enim non solùm Laici, sed etiam sacrati, Episcopos, Clericos, & Monachos ad civilia judicia attrahunt, nec Imperatoris quidèm mandatum de ea re exhibentes, & neque incompetentis Judicis præscriptio, seù exceptio prodest iis, qui rei aguntur. Eos enim cogunt, vel invitos judicio contendere, nè sacrati, qui eos traxerunt, aliquid penitùs damni sensère. Sed nec Monachi, vel Clerici, adversùs quos in foro Ecclesiastico agitur, si id quidèm recusaverint, civilem autem excommunicationem petiverint, ullà in re puniti sunt. Quemadmodùm nec Clerici, vel Monachi, qui in sæculari judicio tracti sunt, in eo litigare non recusarunt. Cùm autèm Pantepopus Monachus ille Meletius, qui Præfectus Monasterii dictus est, ad Synodale judicium tractus, ipsum, ut sibi non gratum recenset, & causam ad sæculare judicium traduxisset per mandatum Imperiale: Sanctissimus Patriarcha Dominus Lucas id ægrè ferens, plurimum studium adhibuit, ut corrigeretur quod factum fuerat. Audivit autèm à Civilibus Judicibus, quòd Imperatoria potestas omnia facere potest. *Hæc, & alia Balsamon*.

CAPUT XIII.

De Hadriani IV. gestis pro Græcorum unione sub eodem Manuele Comneno.

336 Cum Eugenius III. Papa, meritis cumulatus, ad Superos evolasset Anno Domini MCLIII. Imperii Manuelis XI. Friderici Romanorum Regis II. sui Pontificatus IX. VIII. Idus Julii, Indictione I. cùm sedisset Annos VIII., menses IV., & dies XIII., convenientibus Dominis Cardinalibus in unum, summâ animi consensione die sequenti, VII. nimirum Idus, vel, ut aliis placet, VI. Julii, suffectus est Couradus Civis Romanus, ex Regione Suburra, Benedicti filius, homo veteranus, & in consuetudine Romanæ Curiæ exercitatus, ex Abbate Sancti Anastasii Veliternæ Diœcesis, & Cardinale Episcopo Sabinensi, assumpto nomine Anastasii IV. Sed elapso sui Pontificatus Anno uno, mensibus IV., & diebus XXIV., vitam commutavit cum morte IV. Nonas Decembris Anno Domini MCLIV.

337 Huic porrò successit Hadrianus, hujus nominis IV., natione Anglus, Nicolai nomine antè Pontificatum appellatus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Albanensis Episcopus, creatus III. Nonas Decembris Anno Domini MCLIV. Hic ab Eugenio Primo in Norvergiam missus ad Fidem propagandam, absoluto fœliciter sui Apostolatus munere, sub Anastasio Romam reversus est; quo paulò posteà defuncto, ipse invitus & reluctans, ad Pontificatus apicem est evectus. Undè in Codice Vaticano, apud Baronium, inter alia hæc leguntur: „ Divinâ itaquè dispensatione Apostolatus sui diem præveniens, defuncto Papa Eugenio, & Anastasio in ejus locum ordinato, ad Matrem suam Sanctam Romanam Ecclesiam, auctore Domino remeavit, relinquendo pacem Regnis, legem Barbaris, quietem Ecclesiis, ordinem Clericis, & disciplinam, & Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

338 „ Transeunte autem modico temporis intervallo, objit Anastasius Papa. In secundo die convenientibus in unum pro eligendo sibi Pastore cunctis Episcopis, & Cardinalibus apud Ecclesiam Beati Petri, non sine Domini dispensatione consilii, factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent, & Papam Hadrianum à Deo electum, tàm Clerici, quàm Laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem, in Sedem Beati Petri inthronizarent. Deo au-

„ auctore, III. Nonas Decembris, Domi-
„ nicæ Incarnationis MCLIV., Indict. III.
„ cœpta mense Septembri. Erat autem vir
„ valdè benignus, mitis & patiens, in Græ-
„ ca, & Latina Lingua peritus, sermone fa-
„ cundus, eloquentiâ politus, in cantu Ec-
„ clesiastico præcipuus, Prædicator egre-
„ gius, ad irascendum tardus, ad ignoscen-
„ dum velox, hilaris dator, eleemosynis lar-
„ gus, & in omni morum compositione præ-
„ clarus. *Hæc ibi*, de doctrina, de moribus, de vitæ sanctitate, ac Hadriani electione.

339 In sui Pontificatus initio, Willelmus Rogerii filius, Siciliæ Rex, cum Copiis Salernum venit, ad quem Hadrianus Legatum direxit Henricum Cardinalem, Tituli Sanctorum Nerei & Achillei, quem Willelmus sprevit, nolens recipere, eò quòd Papa, non Regem, sed Dominum Siciliæ eum appellasset; qui & posteà hostili manu Terras, & Loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ invasit, universa devastans. Cujus rei causâ indignatus Pontifex diro anathemati cum subjecit: *Guillelmum Siciliæ Regem*, ait Auctor vitæ ejus, *qui literas Pontificias, ideò quòd Regis titulo, quem sibi usurpasset, inscriptæ non fuissent, & aliquas Ecclesiæ terras occupasset, anathematis vinculo innodavit*. Ipsam quoquè Urbem Romam interdicto supposuit, eò quòd Cives recepissent iterùm Arnaldum Brixiensem, jàm priùs expulsum, pessimum, hæreticum, & cujus operâ à seditiosis, ausu temerario in Via Sacra, ad interitum usq; vulneratus fuerat Gerardus Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Pudentianæ, dùm ad ipsum Pontificem properabat. Nec concessit, eam ab interdicto solvere, nisi priùs expulso ab Urbe Arnaldo, & Arnaldistis. Quod cùm egissent Romani, captus est Arnaldus apud Otriculos, operâ Magistri Gerardi Diaconi Cardinalis: sed ab ejus manibus ereptus à Vicecomitibus Campaniæ, auctoritate & vi Friderici Imperatoris, eidem Pontifici resignatus est; cujus jussu in Urbe Roma, quam ab interdicto solverat, igne usquè ad cineres crematus est, projectis in Tyberim illius cineribus. Ità in ejus vita, ubi sic scribitur: „ Ci-
„ vitas interdicto subjecta, non priùs est ab-
„ soluta, quàm Arnaldum, ejusque sectato-
„ res mœnibus, & imperio Urbis elimina-
„ rent. Quòd cùm præstitissent, sublata est
„ censura interdicti, ipsique Cives Sacra-
„ mentorum perceptioni restituti fuerunt.
„ Hæresiarcham Arnaldum ab Urbe relega-
„ tum in finibus Tusciæ apud Otriculos, qui
„ cùm tanquàm Prophetam in terra sua om-
„ ni honore colebant, per Gerardum Cardi-
„ nalem Sancti Nicolai captum, à Viceco-
„ mitibus Campaniæ, è manibus ejus abre-
„ ptum, instantiâ Pontificis per Fridericum
„ adhùc Regem, sumpto de Vicecomite, uno
„ gravi supplicio, aliisque fugatis, Pontifi-
„ ciæ jurisdictioni restitutum, tandèm Ur-
„ bis Præfectus, à Papa, in Urbe existente,
„ requisitus, ligno adegit, ac rogo in pulve-
„ rem redacto funere, nè à stolida plebe cor-
„ pus ejus venerationi haberetur, cinerem
„ in Tyberim immisit. *Hæc ille*.

340 Post hæc verò, coronato priùs Romæ Friderico in Regem, & Romanorum Imperatorem, Beneventum, à Primoribus Regni vocatus, sese Hadrianus contulit, & potissimam partem è manibus Guillelmi recuperavit. Indèque ibidem moram trahente, missa est ad eum Legatio à Græcorum Imperatore Manuele, postulante sibi resignari tres in Apulia maritimas Urbes, & promittente se suis stipendiis, Guillelmum Siciliæ Regem, & Ecclesiæ hostem, ex Italia abjecturum, oblatis etiam eidem Pontifici quinquaginta millia librarum auri, ut in ejus vita legitur. In Codice verò Vaticano, apud Baronium, ubi hujus Pontificis gesta descripta habentur, de hac Legatione hæc leguntur: „ Interea Im-
„ perator Græcorum de thesauris pecuniam
„ per quendam Principem suum, nomine Pa-
„ leologum, Anconam misit. Scripsit etiam
„ eidem Pontifici, rogans, & petens ab eo,
„ ut de Civitatibus Apuliæ, quæ sitæ sunt
„ in maritimis, tres eidem Imperatori eo te-
„ nore concederet, ut ipse ad expugnandum
„ ipsum Regem, & de tota Sicilia expellen-
„ dum, sufficientes eidem Pontifici vires,
„ tàm in pecunia, quàm in Militibus, &
„ aliis armorum præsidiis indeficienter con-
„ ferret. *Hæc ibi*. Hadrianus verò nec oblatam recepit pecuniam, nec postulatis annuit, quoniàm Guillelmus hæc audiens, pœnitentiâ ductus, reconciliari Ecclesiæ humiliter per Legatos suos poposcit, sub certis quibusdam conditionibus in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quæ licèt ab exordio, renuentibus quibusdam Cardinalibus, qui Friderico Imperatori adhærebant, res non fuerat effectum suum sortita; postea tamèn suâ ipsius auctoritate, videns Hadrianus, quòd Ecclesia majora patiebatur detrimenta, eidem Guillelmo pacem dedit, atque in gratiam recepit, ut Acta ex eodem codice descripta produnt.

341 Intereà cùm pius Pontifex comperisset, Ecclesiam Constantinopolitanam ex diuturno otio in pejus trahi, angeri in ea schisma, & ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ magis, ac magis in dies recedere, tanquàm bonus Pastor, ut ad unum Ovile dispersos hinc indè greges reduceret, Legationem fecit ad Imperatorem Manuelem pro Græcorum dissidentium unione cum Apostolica, Catholica, Romana Ecclesia. Fecit ad hunc effectum literas ad Basilium Archiepiscopum Thessalonicensem in Oriente, magni nominis virum, Imperatori verò plurimùm acceptum, sperans, tantæ æstimationis viro mediante, posse rem ad effectum deduci. Itaquè eodem

primo sui Pontificatus anno ad præfatum Basilium ad hunc modum scripsit.

Hadrianus Episcopus, servus servorum Dei, Venerando fratri Thessalonicensium Archiepiscopo, salutem, & Apostolicam benedictionem.

342 „ Ex quo per invidiam hostis antiqui „ Constantinopolitana Sedes, à Sacrosancta, & „ Apostolica Romana (quòd sine lacrymarum „ inundatione vix famur) Ecclesia seipsâ separavit, & hominis inimicus proprium malitiæ venenum effudit; & à matris obedientia liberi secesserunt, unitatisque locum „ binarius subiit: laborem multum, & studium, qui nos præcesserunt Beati Petri „ successores, adhibuerunt, ut schisma de „ medio tolleretur, & unitati Ecclesiæ, qui „ se ab ea separarunt, redderentur. Quàmobrem & nos, qui hoc tempore Apostolicæ Sedis curam suscepimus, ut Deo placet, „ pro omnibus Ecclesiis, quæ sunt intrà terrarum Orbem constitutæ, quàmvis Beati „ Petri virtutibus par nihil habeamus, ministerio tamèn fungi cogimur. Ad id credimus attendendum, nè connumeremur, „ (quòd absit) iis, quos per Prophetam Dominus reprehendit, dicens: *Quod ejectum est, non introduxistis, quod infirmum non sanavistis, & quod periit, non quæsivistis, & quod confractum, non obligastis*.

343 „ Ideòque ad introductionem liberorum in locum Ecclesiæ, & unitatis, inventionemque amissæ drachmæ properemus, & Apostolico Præcepto incitati, in „ eos, qui doctrinæ sermones aspernantur, ut „ persuasum habeamus, moderari, & fidelium admonitionem tempestivè, intempestivè factam: & illius exemplo edocti, qui „ erat gloriæ Dominus, & omnia in sua potestate habens, inclinare fecit Cœlos, & „ descendit, acceptâque servi formâ, seipsum exinanivit, ut ovis amissa suo gregi „ restitueretur. Undè, frater in Christo, dilectionem tuam his literis admonemus, ut „ hanc rem diligenter cures; Nàm una sola „ est Ecclesia, & una sola Sanctificationis „ Arca, in quam unumquemque fidelium è „ diluvio servari oportet. Et circà unionem „ modis omnibus labores: tuaque cogitet „ prudentia, ut Ecclesia Dei non possit divisa consistere, ut omnem animam viventem, „ è presentis diluvii procellis, intrà unam Arcam Ecclesiæ congregari oporteat ad Beatum Petrum omnium fidelium gubernatorem.

344 „ Traditum est quonam modo Sancti Patres, Divino Spiritu illuminati, omnium Ecclesiarum Primatum, Sacrosanctam „ Romanam Ecclesiam absolutè obtineri jusserint, & ad ejus sententiam omnium judicium referri præscripserint: & ad tollendam de medio divisionem, ad unionem Ecclesiæ, ad conjunctionem divisi parietis, „ propter Dei dilectionem, propter animæ „ salutem, & propter fruitionem gloriæ, „ quę non marcescit, vigilanter adverte. Primùm apud teipsum, deindè in aliis, quatenùs Divina gratia largitur, da operam, „ ut grex cum Ecclesia uniatur, & qui seipsos Dominicas oves confitentur, ad gregem Beati Petri revertantur, qui Domini „ jussu eorum curam suscepit. Nos quidèm „ in hoc non temporariam laudem spectamus, non prætereuntem gloriam quærimus, „ qui pascendi suscepimus officiū. Servos nos „ omnium Dei Servorum confitemur. Sed „ cùm Dominum, & Magistrum nostrum, ut „ unū mortuum resuscitaret in corpore, profectum fuisse, & lacrymatum legimus ad „ sepulchrum, & dixisse: *Lazare exi foràs*, „ judicamus indignum, si Domini retineamus talentum, & quos possumus in anima „ resuscitare, negligamus.

345 „ Quod superest, dilectos filios nostros Balduinum, & Balditzioninum præsentes tabellarios ad dilectissimum filium „ nostrum Emanuelem Imperatorem Constantinopolitanum, à Religioso cœtu missos, dilectioni tuæ studiosè commendamus: rogantes, ut per dilectionem Dei, „ Beatique Petri, & Sedis Apostolicæ, & „ pietatis cultum, aspectu gratioso in eorum necessitatibus consolationem adhibeas. De tua valetudine cupimus per literas fieri certiores. *Hactenus Hadriani literæ*.

346 Quibus receptis, atquè relectis Thessalonicensis Archiepiscopus Basilius, ægrè tulit, quòd Pontifex sibi persuasum haberet, eum aut in schisma esse, aut schismati alicui favere, vel quòd Ecclesia Orientalis esset schismatica, & ab Ecclesia Catholica segregata: rescripsit ergò, se nullo pacto abscissum esse à Communione Catholicæ Ecclesiæ, Orientalem verò Ecclesiam in ritibus dùmtaxàt quibusdam discrepare ab Ecclesia Occidentali; si quæ porrò componenda fore, adesse Imperatorem, virum sapientiâ, & prudentiâ præditum, ad cujus nutum se parère, & alios profitebatur Orientales. Literæ verò ad hunc modum se habent.

Epistola Basilii Archiepiscopi Thessalonicensis ad Hadrianum Papam.

347 „ Legimus tuam Epistolam, Sanctissime Papa, ex qua perspeximus ingenii „ tui sublimitatem, humilitatis profunditatem, latitudinem tuam ergà Deum dilectionis, & affectionis, per quam non coangustiatur Apostolicum cor tuum, quin potiùs viscera dilatantur ad suscipiendum, ac-

„ acquirendumq; omnium Ecclefiarum Chri„ ftianos. Vocem tuam agnovimus per literas, alloquentem nos ad aures, mentifq; intima: audivimus loquentem, ut patrem, „ ut paftorem, vel potiùs archipaftorem. „ Nàm quafi pater filios, qui à te ablienati „ videntur, fub paternos finus tuos cogis, „ eorumque follicitudinem habes: quafi pa„ ftor autèm, ut oves errantes revocas, quafi „ paftorum paftor, paftoralem tuam divini„ tùs infufam fcientiam nos doces, nè greges „ negligamus, fed totis viribus profpicia„ mus, ut rei, quòd male habet, fedulò me„ deamur. Audivimus revocantem ad feip„ fum, & ad vocem tuam converfi fumus. „ Planè fi alienos à tua fanctitate filios nos „ ipfos exiftimaffemus, aut longè à paftorali „ cura tua feparari voluiffemus, nequaquàm „ agnoviffemus, ut paternam vocem, nequè „ ad paftorem receptui canentem converfi „ fuiffemus. Nàm juxtà verbum Domini ne„ mo unquàm cognofcit extraneorum vo„ cem, fed potiùs ab ea fugiet.

348 „ Quid igitùr ad nos errantis ovis „ fimilitudo, Sanctiffime Papa? Quid imago „ amiffæ drachmæ? Nos enim è finu tuo ex„ cidiffe negamus, & filiorum appellationem, „ aut paftoralem curam non refugimus, ut „ tale convicium nobis exprobretur. Tutò „ autèm ac firmiter, Dei gratiâ, ftetimus „ in Beati Petri confeffione, & quem ille „ confeffus eft, & prædicavit, confitemur, & „ prædicamus; nihil ex Synodalibus Sancto„ rum Patrum Decretis innovantes, nec ad„ jicientes Evangelicis, & Apoftolicis verbis „ ad unum apicem ufquè, vel jota unum. „ Didicimus enim à Gentium præcone, „ quàm gravis impendeat iis pœna, qui talia „ audent: *Et fi enim ego*, inquit, *vel Ange„ lus de Cœlo annunciaverit vobis, præter id „ quod accepiftis, anathema efto*. Hoc metuen„ tes, vivificam, & incruentam hoftiam, ut „ qui accipit à Domino, nobis tradidit, fic ex„ hibemus, Judaicam quidèm humilitatem è „ legis umbra fuperafcendentes: cum Jefu „ autèm, & ejus difcipulis in fublimis gratiæ „ palatium confcendentes, & panem come„ dentes, non afflitionis, (ut lex ait) fed „ letitiæ, & cor reverà confirmantem.

349 „ Quòd fi, ut paftores illi defipui„ mus (quod abfit, nec tantùm in nos poffit „ malignus) de quibus Jeremias Propheta „ lamentans, ait: *Sacerdotes non dixerunt, „ ubi eft Dominus? Et qui legi adhærebant, „ nefciverunt me, & paftores in me impii fue„ runt*: fi tale tibi videbamur, Sanctiffime „ Pater, quonam pacto poffet nos aliter no„ minare, quàm oves errantes, & dragmam „ perditam, & multorum dierum mortuum „ in fepulchro jacentem? Verùm nè eam de „ nobis opinionem concipias: *Nequè enim „ aliud novimus fundamentum, quàm quod „ fubtractum eft*: eadem tecum prædicamus, „ & docemus ego, iique omnes, qui ad Ma„ gnam Apoftolicamque Sedem Conftanti„ nopolitanam pertinemus. Et unus, qui in „ utrifque Ecclefiis perfonat fermo Fidei, „ idemquè facrificatur Agnus, qui tollit „ peccata Mundi Chriftus, inter Occidenta„ les Antiftites, qui fub tuum principale „ culmen agunt, & nos qui ab Oriente fole „ fublimi Conftantinopolitana Sede Sacer„ dotii accepimus fplendorem, quàmvis par„ va quædam offendicula in medio interjecta „ nos fepararint, & ex uno, eodemq; fpiritu „ multos fecerint. Quæ omininò tollere de „ medio, & velùt lapides, juxtà Propheti„ cum fermonem, è via projicere, unitatem„ que Ecclefiarum finè offendiculo conftitue„ re, tuæ Sanctitatis erit: quæ Chrifti „ exemplo, velut è Cœlo profpiciens, di„ ftantia in unum congregare vult, & poteft. „ Nos enim pauci fumus, & parvo gregi „ præfumus, mediocrem quidèm, & ut gut„ tam, dicendi facultatem habentes, virtu„ tis autèm nequidquàm participes, etiam „ fi tua Sanctitas contrarii perfuafione dece„ pta, maximâ quædam de nobis fufpicata fit „ ex dilectione quorundam, qui hìc peregri„ nationes allocuti funt.

350 „ Tua autèm integritas, undiquè „ perfecti Chrifti, tàm Sede, quàm peritiâ, „ & vitæ fplendore, imaginem, & fimilitu„ dinem referens, poterit omninò diffidio „ caufam præbentia fcandala removère, & Ec„ clefiis unionem, foliditatemque reftituere. „ Habet autèm ad hoc Sanctitas tua unani„ mem, & adjutorem potentiffimum, & in„ ter Imperatores maximum, & fummum „ pietate, qui & viribus inexpugnabilis, & „ prudentiâ excellens, & inter omnes bonos, „ qui unquàm admirationi fuerunt, celeber„ rimus; cujus nutui & nos parebimus, & „ fervi Dominicæ voluntatis obfequemur. *Hactenus Epiftola*.

351 Et quidèm Petrus Abbas Cluniacenfis, ejufdem ævi Scriptor, in Epiftola data ad Sanctum Bernardum, lib. 5. Epift. 26., in eadem videtur fuiffe fententia, non aliud agnofcens difcrimen inter utramque Ecclefiam, præter ritum, quòd una nimirum in azimo, altera in fermentato facrofancta conficiunt Myfteria: „ Teftes fumus & nos, *inquit*, „ temporis noftri, qui Romanam Ecclefiam, „ & totam Latinam Linguam offert Deo fa„ lutare Sacrificium azimi panis videmus, „ cùm Græca Ecclefia, & maximè Orientis „ pars, ac barbara, fed chriftianæ gentes fa„ crificare de fermentato dicantur. Cùm hoc „ ità fit, nec antiqui, nec moderni propter „ tàm celebres & famofas ufuum diffonan„ tias à charitate mutua defciverunt; quià „ nihil, quod fidem, vel charitatem læderet, „ in his omnibus tenuerunt. *Hæc ille*. Verùm non ità fentire videtur ipfe Divus Bernardus coævus, qui fcribens ad Eugenium

Ter-

Tertium Papam, ait: *Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, juncti fide, pace divisi. Quamquam & in fide claudicaverunt à semitis rectis*. Certè ea tempestate, & si non omnes, major tamen Græcorum pars desciuerat ab obedientia Romani Pontificis, imò Ecclesiam ipsam Constantinopolitanã recessisse illud argumenti est, quod intermiserint ejus Patriarchæ consuetudinem illam uetustissimam, post suam electionem mittendi ad Romanum Pontificem Epistolam synodicam, fideique professionem, ut ab eo confirmationem acciperent. In eo præcipuè antefati Patriarchæ, se Ecclesiæ Romanæ, summoque Pontifici subiici ostendebant: At illum morem resecantes, se omninò independentes ab Apostolica Sede declararunt. Et hoc uerum est schisma. Cæterum optimè Hadrianus Papa id animaduerterat, & hujus rei causà, præfatam pro perfecta ineunda unione fecit Legationem: qui posteà propter difficiles exortas controuersias inter ipsum & Fridericum Imperatorem Romanorum, rem prosequi non potuit: quoniam nondùm adhuc sedatæ, ad Dominum migrauit.

CAPUT XIV.

De Hadriani obitu, Alexandri III. electione, & ejusdem Alexandri gestis in Græcorum causa, sub eodem Manuele Comnene.

352 ANno Domini MCLIX. Imperii Emanuelis XVII. Friderici Coronati Imperatoris Romanorum v. ineunte Indict. VIII. labente VII. in ipsis Kal. Septembris, Anagni ultimum clausit diem Hadrianus, cum sedisset annos IV. Menses VII. & dies XXVIII. de cujus obitu Tyrius lib. 18. cap. 26. hæc scribit: *Per idem tempus Domino Hadriano Papa apud Anagniam Urbem Campaniæ morbo squinantio defuncto, corporeque ejus Romam translato: & in Basilica Apostolorum Principis honorificè sepulto: dùm de substituendo Pastore inter Cardinales haberetur tractatus, sicut in talibus solet frequenter contingere, divisa sunt eligentium desideria*. Otto verò Frisigensis ejus temporis Scriptor, lib. 8. cap. ult. de ejusdem Hadriani obitu, ait: Friderici Imperatoris anno VIII. qui cum anno Christi MCLIX. coincidit, venerabilem Papam obiisse: Et quidem in ipsis Kalendis Septembri obiisse, tradunt continuator Sigiberti, & Radivicus lib. 2. de Gestis Friderici Imperatoris, cap. 43. corrigendus est Dodechinus in appendice Mariani, qui scribit decessisse, Mense Octobris. Romam inde translatus, sepultus est in Ecclesia Beati Petri secundo Nonas Septembris, Clero, Senatu, Romanoque populo præsentibus, ac regiis Nuntiis adhuc ibi existentibus.

353 Eo itaque tumulato, ut inquiunt Acta ex Codice Vaticano apud Baronium, Episcopi & Cardinales tractaturi de substituendo sibi Pastore, pridiè Nonas Septembris in Beati Petri Apostoli Ecclesia convenerunt pariter, & per trium dierum spatium ad inviecem de ipsa electione, sicut moria est pertractantes, tandem omnes quot quot fuerunt, præter Octavianum Tituli S. Cæciliæ, Joannem Tituli Sancti Martini, & Guidonem Tituli Sancti Calixti Presbyteros Cardinales in Personam Rolandi Presbyteri Cardinalis Tituli Sancti Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarii, Tusci Natione, auctore Domino, unanimiter concordarunt, & invocata Spiritus Sancti gratia, in eum assentiente Clero & Populo Romano, in Romanum Pontificem, Alexandrum Papam III. nominarunt & elegerunt. Duo autem, quos nominavimus, Joannes & Guido, attendentes ad Octaviani electionem, secundario eum procacitèr nominarunt. Joannes Episcopus unà cum Ostiensi, Portuensi, & Sabiniensi Episcopis, cæterisque Diaconibus & Presbyteris Cardinalibus per manus Priorum Diaconorum, juxtà priscum Ecclesiæ ritum, electum suum Alexandrum fugientem, excusantem insupèr omninò & reluctantem, Papali Manto, Deo favente, induerunt. Hæc de Alexandri electione, ex præfato Codice.

354 Sed Octavianus minimè electo cedens, eum cum Cardinalibus in munitione S. Petri, à suæ factionis militibus obsidère fecit. indèque favore Francipani, aliorumque nobilium, & ipsius Senatus liberatus, ad Ninphaa, unà cum iisdem Cardinalibus transiens per mediam Urbem, comitantibus multis Romanis Militibus, processit, perveniens prosperè in Vigilia Sancti Matthæi Apostoli, ubi prima Dominica die per manus Episcopi Ostiensis, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scrinariis, compluribus Nobilibus, & plurima parte Romani populi, solemni ritu ex more consecratus est. Octavianus verò in Ecclesia Sancti Petri, præsentibus Joanne de Morsone, & Guidone Cremensi Cardinalibus, à quibus fuerat electus, à quodam Episcopo Melphitano, qui Alexandro adversabatur, ab Episcopo Ferentini, & Joanne Episcopo Tusculano, consecrationem, seù potiùs execrationem accepit, sumpto nomine Victoria hujus nominis III.

355 Cùmque posteà Alexander cum suis Terracinam se contulisset, comitantibus Ottone Palatino, & Guidone Comite Blanderamo, qui ab Imperatore Friderico Nuntii missi fuerant ad Hadrianum Papam, non sincero ergà Alexandrum animo, utpotè dignoscentes, Imperatori electionem Alexandri minimè potuisse placère, cujus animus in Octavianum, tanquam suæ parti addictum erat prepen-

passus, sed simulatè, & fraudolenter: deliberavit, inito ibidem cum fratribus consilio, Nuntios cum Apostolicis literis, ad Imperatorem in partibus Longobardiæ, apud Cremam degentem, destinare. Imperator verò jam præventus ab Octaviano, & qui ei favebant, Alexandri Nuntios contempsit, & vix literas legere permisit. Quarè in eodem Codice legitur: „ Ille verò nimin fastu superbiæ inflatus, non solùm legere literas sprevit, sed tanquam insanus Nuntios ipsos, nisi Dux Welpho cum Duce Saxoniæ ipsi restitissent, suspendere nequiter voluit. Quorum consilio & suasione Principum, quamvis tandem eosdem Nuntios coràm se venire & literas Pontificis demum legi permiserit, nihil tamen ad eos dignatus est responderelætum. *Hæc ibi*.

356 Et quidem rescripsit posteà Fridericus literas, quarum initium est: *Quoniam Divinà praordinante Clementià*, quibus præcipiens mandabat utrumque, Alexandrum scilicèt, & Octavianum accedere Papiam, & causam eorum examinandam coràm Synodo ab ipso indictam, & celebrandam in die Octavæ Epiphaniæ: „ ut autem huic pesti, *inquit in literis Imperator*, competens & Deo gratum exhibeamus remedium, & Religiosorum Virorum consilio generalem Curiam, & Conventum in Octava Epiphaniæ Papiæ indiximus celebrandam, ad quam evocavimus totius Imperii nostri, & aliorum Regnorum, scilicèt Angliæ, Franciæ, Ungariæ, Daciæ, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Viros Religiosos, ac Deum timentes, quatenus remoto omni sæculari judicio, hoc tam magnum Ecclesiæ negotium, Ecclesiasticarum tantùm personarum sententiâ ità sopiatur, ut & Deo debitus exinde honor deferatur, & Ecclesia Romana sua integritate & justitia non possit aliquoquam privari, vel status Urbis, quæ caput Imperii nostri est, inquietari. Proindè eruditioni vestræ mandamus, & ex parte Dei Omnipotentis & totius Ecclesiæ Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Curiam sive Conventum veniatis, & Ecclesiasticarum personarum sententiam audituri, & recepturi. *Hæc in suis literis Imperator*. Quas per Verdensem, & Pragensem suæ factionis Episcopos, ad Alexandrum & Cardinales ex parte Alexandri miserat: Qui venientes Anagniam, ubi tunc cum sua Curia aderat Alexander, superbiæ fastu inflati, & Palatium intrantes, sederunt coram Pontifice, & nulla ei exhibitâ reverentiâ, præfatas literas ex auro bullatas exhiberunt.

357 Quibus relectis, turbatus est Pontifex, & universa Curia cum eo, & excusso inde quovis humano timore, summa animi constantia inter plura, quæ Alexander respondit, ut in præcitato Codice relata habentur dixit: „ Quia nunc ab eo contra privilegium Ecclesiæ inculcatum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi: & quia ita scriptum est matri, sicut & cuilibet abjectæ personæ: hoc absque admiratione nimia ferrè non potuimus, nec debemus. Ad Curiam verò ejus, vel ad sententiam accedere, canonica traditio, & reverenda Patrum auctoritas non permittit. Unde cum nec in minoribus Ecclesiis Advocati earum, & singulares Principes, vocationes, disceptationes, ac decisiones hujusmodi causarum, sibi aut Curiis suis usurpent, sed suorum Metropolitanorum, aut Apostolicæ Sedis semper notitiam & diffinitionem expectent: Divina videtur animadversione dignissimum, & ab omni Ecclesis tantò duriùs arguendum, quantò ampliùs ad universalis Ecclesiæ periculum redundaret, si per ignorantiam nostram, aut pusillanimitatem spiritus, à capite (quod avertat Deus) diebus nostris iste moribus inciperet, & nos Ecclesiam pretioso Saugnine Christi redemptam, in servitutem redigi sineremus. Ergò pro cujus libertate tuenda Patres nostri proprium Sanguinem fuderunt, & nos ipsi ad eorum exemplum, exigente necessitatis articulo, extrema audemus pericula sustinere. *Hæc Alexander*.

358 Commoti hoc responso ac indignati Imperatoris Legati, Segniam profecti sunt ad Octavianum, comitante eos, Comite Palatino, de quo supra, & ad pedes ipsius procedentes adoraverunt eum: indèque reversi sunt ad Imperatorem, Alexandri responsum deferentes, qui die indicta, Octava scilicèt Epiphaniæ, anni Domini ineuntis MDLX. Friderici Coronati Imperatoris VI. Manuelis Imperii XVIII. Indict. VIII. Conventum Papiæ habere voluit, cui tantùm interfuerunt ex tot Regnia vocatis Episcopis, quinquaginta, ut Reudivicus lib. 4. de gestis Friderici cap. 68. scribit: causaque discussa juxtà Imperatoris placitum cessit sententia, admisso scilicèt Octaviano, ac repudiato Alexandro: „ Residentibus itaque Episcopis & Clero universo, *ait Redevicus*. Septem diebus causa ventilata est, tandemque Domino Octaviano, cùm præsens advenisset, & haberet, qui partem suam defenderent; cessit litis victoria, & pro ipso Concilium dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitimè Concilio, se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur. *Hæc ille*. Verùm in gratiam Imperatoria sic decisum eo in Conciliabulo apertis verbis, scribit Willelmus Neubricensis, primò inquiens: „ Poterat sanè scissura illa citò resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, nisi Fridericus Imperator, veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octavianam tuendam, fovendamque modis omnibus suscepisset.

Et

„ *& infrà agens de Papiensi Conventu, subjungit*: Dictus quidem Victor tanquam subiturus judicium affuit: Alexander verò, „ præjudicium, quod ei sibi è nomine judicii „ parabatur, non solùm cautè, sed etiam liberè „ recusavit: itaquè ex Teutonico simul & Italico Regno, Episcopi Imperiali jussione cum „ ingenti multitudine Prælatorum inferioris „ Ordinis, Papiæ congregati, in gratiam Imperatoris, qui cum suis Ducibus terribilis „ aderat, quæcumque causam Alexandri juvare poterant, cum pro eo nemo allegaret; „ vel silentio supprimentes, quod pro altera „ parte minus de veritate suppetebat, arte „ supleverunt. *Hæc ille.*

359 His ab Imperatore & Conciliabulo peractis, adjecta sunt Imperialis edicta, comminantis exilii pœnam adversùs eos, qui Octaviani simulacro genua non flecterent: „ Sic „ itaque, *inquiunt acta Alexandri*, in perniciem animæ suæ Imperator, & in ruinam „ multorum, tunicam Christi, unitatem videlicèt Catholicæ fidei, scindere tentans: „ ipse priùs inclinavit se ad pedes illius, & „ alios quos posset, ad ipsum coegit. Quo „ facto, per totum sibi subjectum Imperium „ edictum misit: Ut Ecclesiarum Prælati ad „ statuam quam erexerat, adoraturi accederent: Quod quicumque agere nollent: „ de Terra sua non reversuri exirent. Hujus „ autem verbum durum & asperum insonuit „ per totam Italiam. Tunc omnes qui spiritu „ fervebant, elegerunt exilium potiùs pati, „ ac persecutionem pro Deo & manutenenda „ fidei unitate, quàm pacificè adhærere schismaticis, & honoribus abundare cum divitiis hujus sæculi. *Hæc ibi.*

360 Alexander verò cum horrore hæc omnia præsentiens, imperterritus tamen, non faciens animam suam prætiosiorem quam se, Divino Zelo accensus, in ipsa Anagnina Civitate sacro congregato cætu in die Cœnæ Domini, citat Imperatorem, non parentem, excommunicationem interminatur, ut eadem acta referunt, posteàque Urbe ac Italiâ relicta profectus est in Galliam, honorificè primùm à Januensibus, & si contrà præscriptum Friderici, in itinere susceptum, à Rege inde Galliarum Ludovico VII. omni profecutum veneratione & honore. Ubi posteà & Rex Anglorum ad eum venit, personaliter honorem & reverentiam exhibiturus. Ibidemque apud Turonium in Ecclesia Sancti Martini, magna congregata Synodo, cui interfuerunt Cardinales numero XVII: Epis. CXXIV. Abbates CCCCXIV. & maxima Clericorum & laicorum multitudo, Victorem Pseudopapam, atque Imperatorem Fridericum novo anathemati subjecit. Sequebatur quidem universus Orbis Christianus Alexandrum, Friderico Imperatore tantùm excepto, qui cum suis pertinaciter Octaviano favebat: Hinc & in Oriente Latini in Syria & Palestina commorantes, ad quos Legationem Alexander miserat, convocata apud Nazareth Synodo cum interventu complurium Episcoporum, aliorum Ecclesiastici Ordinis & Nobilium Personarum, Alexandro parendum decretum est, missam ad eundem Pontificem synodicam, tenoris sequentis Epistolam.

Domino & Patri suo digne Reverendo Alexandro, Dei gratia Romanæ & Apostolicę Ecclesiæ universali Papa, Amalricus Sanctæ Resurrectionis Ecclesię minister humilis cum omnibus Suffraganeis suis, tam debitam, quam devotam totius obedientiæ famulatum.

361 „ Sanctæ & Catholicæ & electæ electionis vestræ Epistolam, quanta debuimus „ veneratione suscepimus: & die præfixa, convocatis etiam in unum omnibus venerabilibus fratribus, & filiis nostris, qui omnes „ ex voluntario quidem & lubenti animo vel „ afferunt, vel literas excusatorias, assensum tamen suum præferentes & denunciantes miserunt. Eam, ut diximus Epistolam in præsentia omnium, Tyrensis & Nazareni, & reliquorum fratrum & filiorum „ nostrorum, legimus diligenter & relegimus. „ Audita verò contumacia & temeraria perversitate, & perversa temeritate, Octaviani scilicèt & Pseudofratrum suorum Joannis, & Guidonis, pertimuimus; & quia ab „ unitate S. Matris Eccl. recesserant, doluimus.

362 „ Attamen intellecta postmodùm „ Venerabilium Fratrum, & Dominorum nostrorum Episcoporum, & cæterorum Cardinalium concordi & sana unanimi voluntate, cognito etiam assentientis Cleri, & „ acclamantis Populi affectu & desiderio suo, „ per electione & consecratione vestra, tam „ sancta & canonica, respiravimus, & gaudio magno gauisi fumus, laudauimus & approbanimus communiter, & concorditer „ approbamus, & excommunicatis schismaticis, Octauiano, Joanne, & Guidone cum suis fautoribus, quantum in nobis „ est, uos in Dominum temporalem & patrem spiritualem elegimus unanimiter, & „ uoluntariè recepimus. *Hactenus Epistola synodica.*

363 Deterrimum hoc schisma fuit, pertinaciter illud fauente Friderico, nam licèt cuncti Orbis Christiani Principes Alexandro adhærerent, ipse solus cum sibi subjectis obstinato aduersabatur animo: adeout infœlici morte præuentus Octauianus, adhuc Alexandro superstite, nouum Idolum erectum in Sancta Dei Ecclesia non sit ueritus recipere, imò ad cumulum suæ damnationis jurare, ut acta Alexandri produnt, super Sancta Dei Euangelia,

gelia, neminem se agniturum pro Catholico Pontifice Romano, præter noviter intrusum, ejusque successores. Iste enim post Octaviani obitum fuerat Guido Cardinalis Cremensis, primarius auctor schismatis, à perfidis schismaticis inthronizatus apud Lucam, ubi miserè decesserat in suo schismate execratus, atque excommunicatus Octavianus, sumpto nomine Paschalis, hujus nominis III. Et eo pariter, Divino ulciscente Numine, morbo cancri miserrimè sublato, à schismaticis substitutum Joannem quemdam Abbatem Strumensem, virum apostatam, lubricum, voracem, & gyrovagum, moribus penè corruptum, pravis, & sceleratis hominibus, Apostatis scilicèt, Lenonibus, Scurris, Fugitivis, Furibus, & Raptoribus, adhærentem, sacrilegus Fridericus, licèt magna cum sui honoris ignominia, pariter in Romanum Pontificem recepit, suis præcipiens, ut manutenerent, & substentarent.

364 Itaquè funestissimum hoc schisma per Annos ferè XIX. sanctam Dei Ecclesiam molestavit: protractum enim est ab Anno MCLIX. ad Annum usquè MCLXXVII. quo apud Venetias convenientibus Alexandro, & Friderico, habitoque conventu, pax inter eos firmata est, degradato, & deposito Joanne de Struma, qui nomen Callixti III. sibi indiderat, atque ab omnibus Principibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam ab ipso Imperatore dejecto, & reprobato, necnon universis quoquè Episcopis, Archiepiscopis, & Abbatibus, qui ab eo, vel aliis præcedentibus schismaticis Pontificibus fuerant ordinati, pariter depositis, & degradatis, prout Scriptores ejus ævi scripto produnt. Compendiosè Tyrius lib. 18. cap. 26. de hujus schismatis diuturnitate hęc scribit: „ Divisa sunt eligentium desideria, itaùt pars „ eligeret Dominum Rolandum ejusdem Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Tituli „ Beati Marci, qui idem erat Sedis Apostolicæ Cancellarius, cui manus imponentes, „ & ordinantes Episcopum, Alexandrum appellaverunt; alii verò Dominum Octavianum, virum, secundùm carnem, nobilem, „ ejusdem Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Tituli Sanctæ Ceciliæ Transtiberim; „ cui etiam nihilominus manus imponentes, „ Episcopum constituerunt, vocantes eum „ Victorem. Cujus schismatis occasione universa Latinorum Ecclesia, peccatis nostris „ exigentibus, paulò minùs habuit dividi, „ & irrevocabiliter ab invicem separari, majoribus Orbis Principibus certatim partibus gratiam suam & favorem ministrantibus. Tandèm Anno nonodecimo, redeunte ad unitatem Ecclesiæ Domino Friderico Romanorum Imperatore, qui parti oppositæ auxilium suggerebat & consilium, „ & Domino Papæ plenâ charitate reconciliato, reddita est pax Ecclesiæ, & depulsis „ errorum tenebris, resplenduit tranquillitas, quasi Stella matutina in medio nebulę. *Hactenus ille.*

365 Eodem porrò tempore, quo Ecclesia Latina à Friderico tàm acritèr premebatur, Manuel Orientis Imperator, hortatu Ludovici Francorum Regis, Alexandrum se in Romanum Pontificem, & universalem Papam recipere, suis ad eundem Ludovicum datis literis, professus est. Extant literæ apud Labæum, tom. 10. Concil. pag. 1301. quæ ad hunc modum se habent.

Manuel in Christo Deo fidelis Imperator Porphyrogenitus, Regnator, Fortis, Excelsus, semper Augustus, Autocrator Romeon Comninos, dilectissimo Consanguineo, & Amico Imperii sui, Ludovico nobiliss. Regi Francorum salutem, & consanguineum indissolubile vinculum.

366 „ Ex quo iter, quod propter servitium Domini nostri Jesu Christi à vobis „ peractum fuit, nostrę unanimitatis & unionis causa extitit, ex tunc dilectionem vestram indeletam in animo nostro conservatam esse non hæsitatis. Quamobrèm soliciti sumus addiscere de nobilitatis vestræ „ prosperitatibus; quoniàm autem Divinæ „ Providentiæ placuit, tàm longinquam, atque vetustam effectam parentelam nostram „ & amicitiam, per aliam propinquiorem „ consanguinitatem renovare, & veluti quodammodò repubescentem reddere, in eo, „ quod de nobilissima prole vestra Imperium „ nostrum consortem ducere decrevit, filiam „ videlicèt R. nobilissimi Principis Antiocheni, unius quippè ex honoratissimis Imperii nostri Principibus, quam Imperiali Diademate magnificè insignivimus; justum est „ deinceps nos & scriptis, & Internunciis invicèm frequentiùs visitari.

367 „ Quamobrèm literas nobilitatis vestræ suscipientes, in quibus continebatur, „ quoniàm coadunatione Ecclesiarum, cæterarumque nobilium Personarum, à vobis „ tractatum, confirmatumque est, quasi justum Papam Sanctissimum Alexandrum suscipiendum esse, quem vos utiquè, quasi „ Patrem, Summumque Pontificem suscepistis, & ideò nostro Imperio scripsistis, „ quatenùs ei concedentem honorem & amorem, utpotè tali, tantoque Viro exhiberet, „ hoc nostrum vobis Imperium rescribit. Anteà quidèm addiscebat Imperium nostrum „ de statu sapientiæ, sobrietatisq; ipsius; nunc „ verò tale de Sanctitate ejusdem testimonium suscipiens, scripto tanti Viri, qualis „ vos estis, tùm præclarâ Coronâ insigniti, „ tùm fide & veritate decorati, & consanguinitatis propinquitate & amicitia Impe-

„ rio nostro obligati, credibile & receptibile „ testimonium vestrum decernimus, & condignam reverentiam ipsius Sanctitati exhibemus, & orationum ejus participes fieri optamus. Si autem vobis placet, diligentiùs de vestræ nobilitatis, & de sanctitatis ejus voluntatibus, per Internuncios vestros injunctum habentes, de omnibus hujuscemodi negotio pertinentibus loqui & audire, & operam dare his, quæ locuta fuerint, & confirmata nostro Imperio insinuare, paratam invenient tranquillitatem nostram ad hoc peragendum.

368 „ Quoniàm verò, non per Nuncios nostros apicem istum vestræ nobilitati porreximus, non ob aliud hoc factum fuit, nisi quia nobilium hominum immissio propter itineris difficultatem in præsenti tempore non facilis; & minorum vestræ nobilitati, & hujuscemodi negotii dispensationi indigna videbatur. Etenim non multò ante Nuncius Imperii nostri ad vestram nobilitatem missus fuit, post aliquos, quos præmiserat. Quapropter Venerabili Archiepiscopo Beneventino, hunc apicem, & dispensationis in eo contentorum, solicitudinem committere nostrum Imperium decrevit. Quatenùs, aut per seipsum, aut per Nuncios Imperii mei illùc missos, si tamèn adhùc in partibus illis habentur, aut alitèr ipsum vestræ nobilitati ostendat. Rescribere autem, & renunciando mittere nostro Imperio ea, quæ vestræ sublimitati placent, si volueritis, non pigritemini. *Hactenus Manuelis Epistola*.

369 Anno posteà Domini MCLXVI. Alexandri Pontificatus VII. Imperii Manuelis XXIV. Friderici Imperatoris XII. Indictione XIV. ipse Manuel cùm Ecclesiam suam quodammodò scissam cerneret, nec Ecclesiæ Romanæ perfectè coadunatam, atque unitam, Legationem, pro tractanda unione utriusque Ecclesiæ, ad Alexandrum Pontificem decrevit, selecto ad hoc munus obeundum Jordano Imperii Principis filio, atque Roberti Capuani Principis filio, quem cum pretiosis muneribus misit; Quæ omnia in Actis Alexandri expressa, his verbis leguntur: „ Per idem quoquè tempus Emmanuel magnus, & excelsus Constantinopoleos Imperator, sciens molestias, & gravamina, quæ prædictus Fridericus venerando Episcopo Alexandro, contrà Deum, & omnem justitiam minabatur inferre, misit ad Urbem Romam Jordanum Imperii sui Sebastum, filiumque Roberti Capuani Principis ad subventionem, & servitium ejusdem Pontificis. *Et item*. Veniens autem idem Sebastus, humilitèr se inclinavit eidem Pontifici, & oblatis ad pedes ejus magnis & pretiosis muneribus, omnia, quæ acceperat in mandatis, diligentèr ipsi exposuit; & inter cætera unum principalitèr continebatur, quod Deo, & hominibus apparebat valdè acceptum. Asseruit enim, quòd idem Imperator Ecclesiam suam unire volebat, sicut meliùs antiquitùs fuit, cum ipsa Matre omnium Ecclesiarum sacrosancta Romana Ecclesia, ut sub una Divinæ Legis observantia, & uno Ecclesiæ Capite, uterque Populus, & Clerus Latinus & Græcus, perpetuâ unitate subsisterent. *Hæc ibi*.

370 An verò pietate, & religione motus, talia procuraverit, vel Græcorum more propter aliquod temporale lucrum, ex iis, quæ eadem Acta subjiciunt, judicet Lector. Postulabat namque simul sibi tradi & Coronam Imperii Occidentalis, tanquàm sibi jure debitam: „ Nihilominùs petebat, *inquiunt Acta*, ut quià occasio justa, & tempus opportunum & acceptabile se obtulerat, Romani corona Imperii à Sede Apostolica redderetur, quoniàm non à Friderici Alemanni, sed ad suum jus asseretet pertinere. Ad quod opus faciendum, tantas auri, argentique opes, & fortium Virorum potentiâ se largiturum firmitèr spondebat, quòd non solùm Romam, sed etiam totam Italiam ad Ecclesiæ servitium, & restituendam sibi Ecclesiæ Coronam, absquè dubio sufficere poterit.

371 At Alexander honorificè suscepto Legato, ac benignè audito, cùm difficilis ei visa fuerit secunda Manuelis postulatio, habito cum fratribus suis consilio, decrevit Legatum à Latere suo ad eundem mittere pro causa tractanda: „ Quod verbum, *subjiciunt Acta*, licèt nimis difficile videretur ei, & multâ delliberatione opus haberet, utile tamèn visum est, ut Pontifex habito cum fratribus suis consilio, Episcopum Hostiensem, & Cardinalem Sanctorum Joannis & Pauli, pro causa ipsa tractanda, è Latere suo cum prædicto Sebasto ad ejusdem Imperatoris præsentiam destinaret. *Hactenus Acta*.

372 Verùm cùm eodem Anno à Luca Chrysoberge Patriarcha Constantinopolitano legatur Synodus celebrata in eadem Regia Civitate, nihil legitur in ea actum de prætensa ab Imperatore unione. Id, quod principalitèr tractari oportuisset, si ex corde, & cum effectu eam optasset Imperator. Nàm Theodorus Balsamon, qui ejus Synodi in suo meminit Nomocanone, licèt in Notis ad Canonem XV. Concilii Carthaginensis deplorct statum Ecclesiæ Orientalis, dùm tamèn nonnulla præfatæ Synodi Acta recenset, nec verbum quidèm habet de tractata unione. Ad Canonem verò octuagesimumquintum Trullanum, hæc tantùm habet: „ Tempore autem sanctissimi Patriarchæ Domini Lucæ synodicè affuerunt Agareni, & cùm ab eis postularetur, ut baptizarentur, dixerunt, quòd in suis Regionibus antè baptizati fue-

„ fuerant. Et interrogati, responderunt, „ esse consuetudinem, ut omnes Agareno- „ rum Infantes ab orthodoxia Sacerdotibus „ baptizarentur, non tamèn admissi fuerunt. „ Audierat enim, quòd baptismus, quem In- „ fideles à Christianis petunt, non bonâ affe- „ ctione, & orthodoxo proposito petitur, sed „ propter corporalem medicinam. Persua- „ sum est enim Agarenis, fore ut sui liberi à „ Dæmone vexentur, & tanquàm canes ma- „ lè oleant, nisi baptismum christianum asse- „ quantur. Quamobrèm, ut omnium animę „ sordium mundatorem, divinæque lucis, & „ sanctificationis præbitorem baptismum po- „ stulant, sed tanquàm veneficium & incan- „ tationem. Quidam autem eorum dicebāt, se „ matres habere orthodoxas, seque earum „ curâ ac studio fuisse baptizatos, sed nec „ ii exauditi sunt, quoniàm testes non addu- „ cebant. *Hactenus Balsamon*. Et de hac Synodo videnda sunt quæ consignata habentur lib. 3. Codic. Juris Orientalis, & quæ idem Balsamon notat in præfato Nomocanone, titul. 13. cap. 2. de Laicis. Notatur nàmque hac eàdem XIV. Indictione fuisse celebratam: qua absoluta, paulò posteà excessisse Lucam, suffecto ei Michaele Anchialo, conjectat Baronius ad hunc Annum sub numero 41.

373 Cæterùm antefatum Cardinalem Legatum, ab Alexandro ad Manuelem missum, honorificè fuisse susceptum, ac ferè per biennium ibidem mansisse, indèque muneribus ditatum, ad Pontificem, tunc Beneventi commorantem, dimissum, scribit Joannes Sareberiensis lib. 2. Epist. 26. data ad Episcopum Pictaviensem Anno Domini MCLXVIII. inquiens: *Dominus Papa receptis Nuntiis, qui Constantinopolim profecti fuerant, cum muneribus, & honore, & similiter Legatis Regis Siculi, prosperatur in viis Domini, moram faciens Beneventi*. Sed quænam cum Imperatore conclusa fuerint in causa præfatæ unionis, nihil habetur memoriæ proditum, proindè verosimile est, solis verbis tunc omnia conclusa, facta tamèn nequaquàm.

374 Porrò, quoniàm primariò mens Imperatoria eò tendebat, ut occasione dissidii Alexandri cum Friderico, posset Occidentale Imperium sibi subjugare, atquè in suam redigere potestatem, si Pontifex manus præbuisset: ideò Anno Dñi MCLXX. sui Imperii XXVIII. Alexandri III. Pontificatus XI. Friderici Imperatoris Occidentis XVI. Indictione III. alteram Legationem misit ad Alexandrum adhùc Beneventi degentem, selecto uno ex Primoribus sui Imperii Principibus, qui cum magna pecuniarum copia, eidem Pontifici contradenda, Beneventum venit, ubi veneratus, ut decebat, Alexandrum, postulata sui Principis exposuit, petens, ut jura Romani Imperii sibi restituantur, ut hac via Ecclesia Orientalis, sicut antiquitùs fuerat cum Ecclesia Romana sub eodem Pastore Romano Pontifice, in unum coalesceret. Ità ferunt Alexandri Acta, in quibus hæc leguntur: „ Intereà Emmanuel magnus Constanti- „ nopolitanus Imperator, cùm videret Fride- „ ricum Imperatorem, Ecclesiam Romanam, „ & Alexandrum Papam vehementèr cum „ schismaticis impugnare, & persequi, misit „ Beneventum de Majoribus Imperii sui „ Apocrisiarium, cum immensa multitudine „ pecuniarum, ad presentiam ipsius Pontificis, „ loquentem hæc verba: Dominus Imperator „ tamdiù desiderio desideravit exultare, & „ honorare Ecclesiam Romanam matrem „ suam, & personam vestram. Nunc autèm „ cùm videat Fridericum Imperatorem ejus „ Advocatum, qui ex officio suo eam debe- „ ret ab aliis tueri, atque defendere, acrem „ illius esse impugnatorem, & persecutorem: „ magis vult eidem Ecclesiæ servire, atque „ succurrere. Et ut temporibus istis illud „ Evangelicum adimpleatur verbum: *Et fiet* „ *unum ovile, & unus Pastor*, Ecclesiam „ suam Græcam in eo statu, in quo antiqui- „ tùs fuisse dignoscitur, eidem Romanæ Ec- „ clesiæ unire desiderat, atque subjicere, „ dummodò sibi velitis sua jura restituere. „ Undè rogat, & postulat, quatenùs prædi- „ ctæ Ecclesiæ adversario, Imperii coronâ „ jàm pravato, schismatis causâ, sibi eam, „ prout ratio est, & justitia exigit, restitua- „ tis. Pro cujus rei complemento, quidquid „ videritis necessarium, in sufficienti pecunia- „ rum summa, atque in potentia, & virtute „ armorum, juxtà vestrum beneplacitum „ paratus est elargiri, & solvere absquè mora. *Hactenus Apocrisiarius ad Alexandrum*.

375 In qua quidèm postulatione illud permaximè animadvertendum est, quòd Ecclesiæ Græcæ cum Romana unionem proponit, ea sub conditione, ut Jura Occidentalis Imperii ab eo prætensa, sibi restituantur: *Ecclesiam suam Græcam*, ait Apocrisiarius, *in eo statu, in quo antiquitùs fuisse dignoscitur, eidem Romanæ Ecclesiæ unire desiderat, atque subjicere, dummodò sibi velitis sua jura restituere*. Ergò sequitur, quod ea non purificata conditione, nolit Imperator, ut ambæ Ecclesiæ uniantur, velitque, quòd sicùt divisæ sunt temporali Imperio, ità & maneant etiam sejunctæ in spirituali Imperio, quasi quòd jura spiritualia Ecclesiæ sequantur temporalium Principum jura, & Ecclesiastica potestas, atque spiritualia fundata sint in potestate temporali, & non magis è converso. Hæc quidèm fuit antiqua Schismaticorum Græcorum sententia, Romam videlicèt, primatum super universas Orbis Ecclesias obtinuisse ratione Imperii Romani, primatum in temporalibus tenentis super Mundum universum, eoque Constantinopolim ad Grecos per magnum Constantinum translato, transiisse quoquè cum Imperio primatum Ecclesiasti- cum

eum ad ipsos Constantinopolitanos Patriarchas. Et hanc eandem sententiam, videtur secutus Emmanuel, dùm petit sibi restitui Imperium Occidentale, ut totius Orbis una Ecclesia fiat sub uno tantùm Pastore.

376 At Pontifex his auditis, *inquiunt Acta*, „ Cum Episcopis, & Cardinalibus, „ atque nobilibus Romanorum Consilio diutiùs habito, respondit prędicto Apocrisiario hoc modo, videlicèt: nos agimus gratias Domino tuo Imperatori, tamquàm charissimo Principi, & Beati Petri filio, „ ex devota, & frequenti visitatione sua, & ostensione bonæ voluntatis, quam habet ergà Sanctam Romanam Ecclesiam. Quapropter, & affectuosa ejus verba libenter audivimus, & postulationes, in quibus secundùm Deum possumus, paternâ benignitate admittere volumus. Ea verò quæ de Imperio postulat, nimis alta sunt, & valdè periculosa, & perplexa, quibus pro sua difficultate obviantibus Sanctorum Patrum statutis, assensum prebère sub hujusmodi conventionibus non possumus, nec debemus, qui ex officio nobis à Deo commisso, pacis auctores nos esse convenit, & custodes.

377 His dictis Pontifex munera sibi exhibita, & ab Imperatore ei missa, eidem Apocrisiario reliquit, quem honorificè dimisit, delegatis duobus Cardinalibus, quos ad ipsũ Imperatorem Apocrisiarios destinaverat, ut eum comitarentur: „ Sic igitur, *subjiciunt Acta*, exceptis ab omni munere ipsius Pontificis manibus, cum tota pecunia, quam detulerat jàm dictus Apocrisiarius, rediit ad Dominum suum, subsequentibus eum duobus Cardinalibus, quos ad eũdem Imperatorem idem Pontifex destinavit. *Hactenus Alexandri Acta*. Quid porrò egerint præfati Cardinales Legati cum Emmanuele, non est memoriæ proditum. Verum tamèn est, ipsum Alexandrum inter Romanæ Ecclesiæ fautores connumerasse Manuelem; nàm agens cum Legatis Friderici de pace inter eos firmanda Anno Domini MCLXXVI. ut in sæpè citatis actis habetur, inter alia, quæ Alexander prolocutus est, dixisse ferunt: *Sed si vult integram pacem suam nobis tribuere, & Ecclesiæ Romanæ, oportet, ut ampliatoribus nostris, maximè Regi Siciliæ, Lombardis, & Imperatori Constantinopolitano, qui nobis contrà eum in Ecclesiæ necessitatibus firmiter astiterunt, pariter tribuat*.

378 Compositis deindè diuturnis inter Fridericum Imperatorem, & Alexandrum, tàm Ecclesiæ Sanctæ perniciosis dissidiis, ac eidem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ pace restituta, Alexander ad turbatas Ecclesiæ res propter prefatum schisma, in pristinum restituendas, atq; collapsam Ecclesiasticam Disciplinam instaurandam, nec non, ut serpenti hæresi Catharorum, sivè Publicanorum, vel Pterinorum, quæ in Vascovia, in Albigesio, & in partibus Tolosanis maximè vigebat, opportuno occurret remedio, Anno Domini MCLXXVII. Synodum indixit Generalem celebrandam sequenti Anno in Ecclesia Lateranensis, cujus Indictionis Literæ, quæ datæ fuerunt ad Episcopos per Tusciam constitutos (quoniàm aliæ non extant) ad hunc modum se habent,

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Pisano Archiepiscopo, & universis Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus per Tusciam constitutis, salutem, & Apostolicam Benedictionem,

379 „ Quoniàm in agro Domini, qui est Ecclesia, tanquàm spinæ, & tribuli nascuntur quotidiè, & pullulant germina vitiorum, tùm videlicèt, quià proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescientia sua, tùm quià inimicus homo, de malitia sua, zizania superseminare non cessat, & germen bonum nititur suffocare: necesse est diligentiam adesse cultorum, & nunc evellere, & amputare jàm nata, nunc etiam nasciturìs nocivis germinibus proficiendi aditum obserare, subsequentèr autèm & inferere fructiferum germen, & seminare semen bonum, quòd trigesimum, sexagesimum, & centesimum fructum, fecundante Deo, possit afferre. Nàm & hæc verba illa Dominica sonare videntur, quibus Hieremiam Prophetam, & in eo Evangelicum Sacerdotem instruxit, dicens: *Dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te super gentes, & Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*.

380 „ Id autèm licèt universis Ecclesiarum Rectoribus incumbat, multò tamèn fortiùs imminet Romanæ Urbis Antistiti, quià Domino Jesu Christo, ut Caput esset Ecclesiæ, in Beato Petro accepit, & de pascendis Dominicis ovibus, & fratribus confirmandis, expressum, & specialiter noscitur habuisse mandatum. Indè siquidèm est, quòd nos licèt insufficientes meritis ad providentiam Apostolicæ Sedis, & ministerium universalis Ecclesiæ à Deo, ut ipsi placuit, disponente vocati, quià in Ecclesia Dei correctione videmus, quamplurima indigere, tàm ad emendanda, quæ dignâ emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa fuerint expedire: de diversis partibus personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentiâ, & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur; & quod bonum secundùm consuetudinem antiquorum Patrum, providcatur, & firmetur à multis.

Quod

„ Quod si particulariter fieret, non facilè „ posset plenum robur habere.

381 „ Quocircà per Apostolica vobis „ scripta mandamus, qualiter huic nostræ „ dispositioni plenis desideriis cooperari cu„ retis, & primâ Dominicâ advenientis „ Quadragesimæ, ad Urbem Romam, du„ cente Domino, veniatis, & cooperante „ Sancti Spiritus gratiâ, tùm in corrigendis „ enormitatibus, tùm in statuendis, quæ, „ Deo grata fuerint, communi studio quo „ fuerit agendum, agatur, & in uno humero „ sublevemus Arcam Domini, atque uno „ ore honorificemus Deum, & Patrem Do„ mini nostri Jesu Christi. Datum Tusculi „ XI. Kal. Octobris.

382 Hanc Synodum celebratam Anno MCLXXX., nonnulla Acta Synodica ejus referunt. Matthæus Parisius asserit celebratam Anno MCLXXIX., Willermus, Tyrius qui præsentialiter interfuit, lib. 21. de Bello Sacro cap. 26. tempus hujus Synodi cōsignat in eundē Annum, ejus verò Indictionem in Annum antecedentem: „ Anno, *inquit*, ab Incarnatio„ ne Domini MCLXXVIII. qui erat Re„ gni Domini Balduini IV. Annus V. men„ se Octobri, cùm Anno præcedente indi„ cta esset per universum Latinorum Orbem „ Romæ Synodus Generalis, ad eandem Sy„ nodum vocati, profecti sunt de nostro „ Oriente, Ego Willermus Tyrensis Archie„ piscopus, Heraclius Cæsariensis Archiepi„ scopus, Albertus Bethlemita Episcopus, „ Rodulphus Sebastenus Episcopus, Joscius „ Acconensis Episcopus, Romanus Tripoli„ tanus Episcopus, Petrus Prior Ecclesiæ „ Dominici Sepulchri, Raynaldus Abbas Ec„ clesiæ Montis Sion. *Et in fine ejusdem ca„ pitis subjungit*. Per idem tempus Romæ „ celebrata est Synodus in Basilica Constan„ tiniana, quæ dicitur Lateranum, trecen„ torum Episcoporum, Pontificatus Domini „ Alexandri Anno XX. mense Martio, In„ dictione XII. quinta die mensis: *Hacte„ nus ille*. Cùm ergo dicat, se cum recensitis Episcopis profectum esse Anno Domini MCLXXVIII. mense Octobris, & Synodum inceptam mense Martio, die quinta ejusdem mensis, fit certùm, eam celebratam Anno MCLXXIX. à proximo Januario inchoato, qui Annus reverà incidit in Indictionem XII. & in XX. Annum Pontific. Alexandri, qui erat Imperii Manuelis XXXVII. Friderici verò Annus XXV.

383 Eidem ergò Synodo interfuerunt, non solum ducenti octoginta Episcopi, ut corrupta Acta referunt, sed, ut ait Tyrius testis ocularis, trecēti. Complura etiam saluberrima decreta in ea sancita sunt, præcipuèq; ad schisma in futurum vitandum decretum est, ut Romanus Pontifex habeatur ille, qui à duabus partibus fuerit electus, & receptus. Cassata indè sunt universa Acta Octaviani, Guidonis, & Joannis Strumensis, atq; eorum ordinationes irritæ declaratæ sunt. Damnati quoquè fuerunt hæretici, cognominati Barbancones Aragonenses, Navarii, Bascoli, sivè Baschii, Coterelli, & Triaverdini. Complures insupèr schismatici redeuntes, recepti sunt, prævia abjurstione schismatis, hæresis, & plura alia definita habentur, quæ extant in ejusdem Generalis Concilii Actis. Ex Græcis porrò schismaticis Legatus antefatæ Synodo interfuit, Nectarius quidèm Abbas schismaticus & ipse, qui eâdem, qua venerat induratâ nequitiâ, atque perversitate, inflexus, & obstinatus, post prolixas disputationes reversus est ad suos, à quibus tamquàm in Olympiacis victor, magnâ cum honoris laude, atque virtutum famâ receptus est. Extant hujus argumenti literę Georgii Corcyræ Metropolitæ, ad eundem Nectarium datæ, tenoris sequentis.

Sapientissimo Præposito Sancti Monasterii Casulorum, & meo dilecto fratri in spiritu Domino Nectario, Georgius Corcyræ Metropolita, & tuarum precum egens.

384 „ Quærunt multi, cùr tu, optime „ Nectari, & ego tanto tempore taceamus, „ qui priores illas frequentes nostras mutuas „ literas noverunt, ac illas tribuunt amori „ illi, qui ex mutua aliqua necceßitate oriri „ solet, & hac de causa intermissas literas „ autumant, quasi amicitiæ nostræ vincula „ sint disrupta. Ego verò iis, qui à me hæc „ sciscitantur, illud respondère soleo: An „ non habemus facultatem uterque nostrum „ tacendi, & loquendi? Vel utrùm ad scien„ tiæ ostentationem id facere oportet, instar „ garrularium avium? Aut quemadmodùm „ in Dodona quondàm æs illud perpetuo „ tempore tinniebat, ità & nobis etiam fa„ ciendum? Vel utrùm solus ego, & Necta„ rius debemus loquendi studio navare ope„ ram? Cùm præsertim sapientem nobis præ„ cipientem audivimus, quòd sapientium la„ bia obstringuntur silentio, & suo tempore „ clauduntur opportunè, & aperiuntur; & „ quòd vir prudens silentium voveat, & lin„ guæ frenum imponit, nè hùc, illùc defera„ tur, sunt enim hæc tempora valdè pericu„ losa, & præcipitiorum plena. Hęc equi„ dèm respondère soleo illis, qui silentii no„ stri impatientes causam scire contendunt.

385 „ Ipsi verò non abstinent propterea, „ quin potius instantiùs nos urgent, hujus„ modi verbis: Dic nobis, Domine, utrùm „ ferendum & tolerabile tibi videtur, sapien„ tissimi Nectarii silentium ulteriùs progre„ di? Utrum tibi videtur honestum, ut nos „ nihil audiamus de illius profectione ad Ur„ bem magnæ gloriæ Romam? Vel de ejus „ impetuoso quodam motu à Deo excitato? „ Dùm fama per nostras discurrit aures, quòd ipse

„ ipse Nectarius ità ingenuè & intrepidè se „ gesserit ibi cùm adversariis, ut omninò non „ quasi judicandus, sed judicaturus potiùs, „ & damnaturus accesserit, pravos hæreticorum errores. Gladius enim factus est, „ veritatem segregans à mendacio, & ignis „ accensus est, qualem venit, ut poneret super terram Christus Dominus, qui depravantes dogmata, foret combusturus, & eos, „ qui veritati accederent, illuminaturus, nec „ non refrigeratur, ut utrique parti admirabilis apparuerit; alteri quidèm, quòd tale „ à Deo firmamentum obtinuarit; alteri verò, quòd quasi esset libra quædam, & gnomon exquisitus, eorum cogitationes obliquas correxerit.

386 „ Cùm indè fuerit reversus, & quasi „ alter Olympionices multis ornatus venerit „ coronis & præmiis, oporteret, ut ipse nobis non invideret, & suarum jucundissimarum narrationum nos participes faceret, „ quandoquidèm ejus aspectu, & locorum „ suorum certaminum, ità longè absuimus. „ Ità quidèm alius hinc, alius aliundè, magna cum instantia mecum contendunt. „ Ego verò cùm non valeam quidquam respondere adeò validis objectionibus, eò devenio, ut omninò obtumescam, nec possum effugere captiones eorum, qui nec „ cessabunt, nisi tu ipse nectarea tua aperueris labia, & narraveris ea, quæ coràm vertiee illo Apostolis comparando, summo „ videlicet Pontifice, & cum reliquo corpore illius, quæ ibi est Ecclesiæ, optimè disserueris, & certaveris propositum tibi certamen, cursum consumaveris, & fidem „ servaveris, ut reposita corona justitiæ tibi „ sit meritò expectanda, quam tibi reddet „ pulcherrimam in extremis temporibus justus Judex Dominus, qui certamina proponit, & præmia servis suis, ut par est. „ Me verò, qui jàm de salute corporis desperavi mei, præ gravitate dolorum, qui me „ nimis angunt; vel ab his doloribus liberet „ Deus tandèm, vel me doceat æquo illos „ animo ferre, si sua summa providentia, ut „ hæc patiar, conducibiliùs mihi fore decrevit. Saluta meo nomine Dominum „ Joannem. *Hactenus Georgii Epistola*, qui & schismaticus erat. In dies namque Græcorum augebatur in Oriente schisma, quod & Theodorus Balsamon ejusdem ævi scriptor permaximè fovebat, ipsiusmet testantibus scriptis, & notis in Monocanonem Photii; nàm licèt Manuel Imperator ergà Apostolicam Sanctam Romanam Ecclesiam devotus videretur, Episcopi tamèn, & alii Ecclesiastici Ordinis alia exadversò incedebant via.

387 Intereà verò temporis necesse est objisse Constantinopoli Michaelem Anchialum Patriarcham, suffecto in ejus locum Theodosio; quoniàm, ut habetur lib. VII. Juris Orientalis, eàdem Indictione XII. præfatus Theodosius constitutionem edidisse fertur de gradibus affinitatis, quam Balsamon, & Carthularius citant. Sed cùm Salhadinus Turcarum Princeps eàdem tempestate innumerabili multitudine in Syriam venisset, omniaque devastasset, occupatis Latinorum munitionibus, aliis dirutis, aliis incendio datis, & valdè timeretur, nè omnia, quæ Latini in Oriente possidebant, unà cum ipsa sancta Civitate, Barbaro deniquè cederent. Principes christiani, qui tunc in Oriente imperabant, auxilia ab Occidentalibus, maximâ cum instantia postularunt, literas dantes ad ipsum Alexandrum Papam, quatenùs suâ interpositâ auctoritate, ageret, ut necessaria auxilia præstò essent. Pontifex verò his acceptis, literas fecit ad universos Christiani Orbis Principes, Duces, Barones, & Comites, hortans eos ad subsidium indigentibus fratribus pro consequenda Terra Sancta exhibendum. Extant ejus literæ sub datis Tusculani XVII. Kalendas Februarii, incipientes: *Cor nostrum, & omnium fratrum nostrorum.* Fecit & alias ejusdem argumenti literas, incipientes: *Cùm Orientalis terra*, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Ecclesiarum Prælatos. Quibus literis commoti Principes, præcipuè Reges Angliæ, & Franciæ, se pararunt ad ferenda subsidia, quò citiùs sibi concessum fuisset, ut Rogerius in suis Annalibus refert.

388 At ubi ista, de Occidentalium scilicèt apparatu innotuère, Emmanuel Imperator de Latinorum expeditione sollicitus, sibi timens, nè in transitu aliquid in Imperium Franci molirentur, scripsit ad Alexandrum Romanum Pontificem de procurando rebus suis securitatem, mittendoque cum Francorum Exercitu aliquem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Legatum, cujus reverentiâ illi compescerentur. Literæ porrò ad hunc modum se habent.

Ad Alexandrum III., Emmanuel Comnenus Imperator.

389 „ Sanctissime Papa, cùm didicisset Imperium meum per missam ad me scriptam Epistolam Sanctitatis Vestræ, quià „ pronobilissimus Rex Franciæ moturus est „ Exercitum cum aliis quoque Principibus, „ & Comitibus, & reliquis Magnatibus in „ ultionem Sanctissimi Sepulchri contrà inimicos Dei, valdè hoc gratum habui, sicut „ anteà quoquè scripsi Tuæ Sanctitati, & „ paratum est Imperium meum, secundùm „ scriptam Epistolam Tuæ Sanctitatis, præparare his transitum in Orientem, & meatus in omnem Occidentem. Quia verò, si „ præbenda sunt eis necessaria, sinè vexatione debent permanere Terræ Imperii mei, „ necesse est certificari Imperium meum à de-

„ declarato protonobilissimo Rege, & cum „ eo venientibus, nè lædatur terra Imperii „ mei quomodolibet in transitu eorum; quià „ & Imperium, & transitus paratus est iis, & „ meatus in Occidentem, & contrà Turcas „ transitus in Orientem. Et ipsi quidquid „ receperint Civitatum à Turcis, quod in- „ trà confinem Romaniæ perstiterit (quarum „ catalogus missus est cum Apocrisiariis Im- „ perii mei (tradant hoc Imperio meo. Vult „ ergò meum Imperium excitari ad hujus- „ modi causam Tuam Sanctitatem, & coo- „ perari ad hæc, & scribere protonobilissimo „ Regi Franciæ, & his, qui cum eo venturi „ sunt, Magnatibus, quod certificationem „ de hoc faciant Imperio meo per præsentes „ Apocrisiarios.

390 „ Quià verò Tua Sanctitas in hu- „ jusmodi Dei placito servitio curatrix facta „ est, ut per scripturam suam cognitum est: „ Hoc Imperium meum vult, ut Cardinalem „ mittat Tua Sanctitas in transitu horum, & „ aliquod signum certiùs ab omnibus Fran- „ cis clarè cognitum, clarè missum Impe- „ rio. Quòd si fortè quidam stulti inquie- „ tum quid tentaverint contrà terram Im- „ perii, per eum ab hujusmodi cœptum „ refrenentur; nàm quòd in tanta multitu- „ dine non sint quidam etiam stulti, omni- „ nò impossibile est. Imperium verò meum „ mirabatur, quomodò nunc usquè non mi- „ sit Sanctitas Tua ad ipsum nostrum Impe- „ rium Nuncios, & redoceat ipsum per lite- „ ras de sospitatibus Tuæ Sanctitatis, quo- „ modò Deus eam adjuvet. Non est enim „ inconveniens, ut Imperium meum crebrò „ discat de salute Tuæ Sanctitatis, si à Tua „ Sanctitate eodem modo, quo à Deo ad- „ juvetur Imperium meum. Si verò plùs „ etiam quid vult inter nos fieri Tua San- „ ctitas ad unionem nostri, & concordiam „ majorem, gratum hoc & acceptum impe- „ rium meum arbitrabitur, vel in utilitatem „ Provinciarum Christianorum. Præsens ve- „ rò Nuncius Imperii mei . . . . vi- „ rilissimus, ac nobilis est fidelis Imperii. „ Missâ mense Martii, Indictione XIII. cu- „ stoditâ Civitate. *Subscriptio.*

Manuel Christo Deo fidelis Rex Porphy-rogenitus, sublimis, celsus, fortis Au-gustus, & Imperator Romanorum Co-mnenus.

391 Eâdem Indictione excessit ex hac vi- ta Nectarius Casulorum in magna Græcia Abbas, qui ut præfati sumus, Concilio La- teranensi interfuerat, fovens Schismaticorum factionem, quem Georgius Corcyræ Metro- politæ, eâdem schismatis fuligine tinctus, ut paritèr suprà diximus, multis laudibus extollit; undè in Epistolâ de ejusdem Necta- rii obitu, quam fecit ad Nicolaum Judicem Hydruntinum, inter aliàs adulatorias laudes, quas in eum profert, disputationem habitam in Synodo Lateranensi pro schismâ Græco- rum tuendo, plurimùm ad Cœlum usquè exal- tat: „ Honoravit, *inquit*, enim tandèm „ etiam gloriosissimorum Apostolorum Prin- „ cipem, cùm satis illustre & insigne esset „ ibi locutus, & periclitanti Civitati pro vi- „ rili sua est auxiliatus: Stetit enim quasi „ altera Nubis Columna, suis quidèm um- „ bra, & mite & suave propugulum Fi- „ dei factus, adversarii verò quasi ignis com- „ burens, apparens. Mihi autem opinari in „ mentem venit, quòd ea, quæ tunc habita „ fuit disputatio, mirabilem illum manife- „ stavit coràm illo præsidentium cœtu, & su- „ percilium attollente circùm circà, & co- „ nante Mysterium nostræ perfectionis con- „ culcare: Sed mirabiliorem puto illum fa- „ ctum ipsis Angelicis Choris, è Cœlo for- „ tassè observantibus, & verba excipienti- „ bus robusti illius Senis, cujus robur, & „ vigorem longa ætas non debilitavit, sed „ vigebat animo & robore; & eos, qui ser- „ monis velocitate & facundiâ præstabant, „ quasi juxtà Lydium Currum currentes, „ tardos, & segnes demonstrabat. Oh cor, „ è quo scatebat fons sapientiæ! vel potiùs „ venter Evangelicus, de quo (ut Evangeli- „ sta ait) fluvii pietatis emanabant & scatu- „ riebant! Oh lingua nihil unquàm non op- „ portunè, quæ oportebat, auditorem suâ fa- „ cilitate, & dicendi copiâ trahebat! *Hæc, & alia schismaticus Georgius in Schismatici Nectarii laudes.*

392 Porrò eodem tempore Emmanuel Imperator Synodum congregari jussit, datis literis ad universos Episcopos, & magni no- minis viros etiàm longè, atque in ipso Occi- dente positos; ad quos etiam Theodosius Pa- triarcha Constantinopolitanus suas convo- catorias fecit literas. Hæc omnia ex Epistolà ejusdem Georgii Corcyrensis Metropolitæ, nomine Occidentalium Prælatorum ad eun- dem Patriarcham data, perspicua fiunt. Ait namque in initio illius: „ Nos, qui in hac „ Occidentali Regione Pontificalem susce- „ pimus curam, & qui populus tuus, & oves „ pascuæ tuæ esse, & dici non erubescimus, ò „ superlucens Sol Patriarcharum lucidorum „ Orbis, nostri Principis mandatum paulò „ antè congregavit fœlicissimi Ducis Domi- „ ni Emmanuelis, qui pietatem armis orna- „ vit, & arma pietate illustravit: Sed man- „ datum ipsum, & congregatio ipsa nihil est, „ cùm literæ Sanctitatis Tuæ, ad ejus Alti- „ tudinem & Celsitudinem missæ, ad univer- „ sale Auditorium & Synodum, nullo pacto „ nos efficaciùs convocarent. Convenimus „ itaquè in unum, alius aliundè, & omnes „ ad sacri cœtus complementum, exceptò „ uno, aut altero, vel fortassè tertio, qui „ rationabili detenti sunt causâ. Quoniam ve-

„ verò quasi principio quodam, & signo da-„ to, dicto Principis mandato nostra Prælatorum caterva recto trumite se ad iter accinxit, & quicumque & dignitate, & armis, dicendi peritia præstabst: quinimmò „ quicumque virilem ætatem sunt adepti. *Hæc inter alia ibi de indicta Constantinopolitana Synodo*.

393 Cujus meminit & Nicętas, scribens, indictam esse ad discernendas in causis fidei quasdam, quæ emerserant, quæstiones; nec dubito quin principaliter mentem fuisse Imperatoris, ut in ea tractarentur etiam controversiæ illæ, quæ inter Ecclesiam Orientalem,& Latinam scissuram pariebant. Id quod in corde habuisse satis demonstrant & ejus literæ, & Legationes ad Alexandrum missæ, de quibus suprà egimus; quoniàm hac via poterat propensiores quoquè sibi reddere Latinos Orientales, necnon Occidentales properantes ad subsidium Terræ Sanctæ, quorum expeditio parabatur, quæ non modicum timorem ei indiderat, ut recitatæ ejus ad Alexandrum literæ denotant. Sed eodem anno indictæ Synodi, antequàm celebraretur, Manuele fato functo, ipsa Synodus infecta mansit.

394 Decessit nàmque Manuel Anno MCLXXX. sui Imperii Anno XXXVIII. Alexandri III. Pontificatus Anno XXI. Friderici Occidentis Imperatoris Anno XXVI. Pridie Nonas Octobris, Indictione XIV. inchoata mense, mense Septembris, relicto Imperio filio suo Alexio Comneno Porphyrogenito; de cujus obitu Willelmus Tyrius, lib.22. de Bello Sacro, cap.5. scribit: „ Eodem mense, tertiâ mensis die (*idest Octobris*) vir eminentissimus, & immortalis memoriæ, omnium Principum Terræ munificentissimus, Dominus Manuel Constantinopolitanus Imperator, onere carnis deposito, animam Cœlo reddidit: cujus memoria in benedictione, cujus eleemosynas, & beneficia largissima enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. *Hæc ille*; referens quoquè & obitum Ludovici Septimi Francorum Regis paulò antè, nimìrum XIII. Kalendas Octobris; cùm posteà pridie Nonas Kalend. Octobris ejusdem anni vitâ functus fuisset Almaricus Hierosolymitanus Patriarcha Latinus, Athanasio schismatico,ejusdem Ecclesiæ pro Græcis munere Patriarchatus fungente.

395 Elapso indè anno ad Superos migravit Sanctissimus Pontifex Alexander III., nimìrum VI.Kalendas Septembris, vel XII.Kalendas Octobris, ut alii scribunt, Anni Domini MCLXXXI. sui Pontificatus Anno XXII. cùm sedisset Annos vigintiduos, minùs diebus septem, ut Rogerius suis adnotat in Annalibus, cui suffectus est Lucius, hujus nominis III., anteà dictus Hubaldus Episcopus Hostiensis, Tuscus natione, patriâ Lucensis. Sic Tytius, eodem libro 22. cap.7. in fine, inquiens: „ Eodem Anno, mense Augusto,vigesimaseptima die mensis, Pontificatus ejus Anno vigesimotertio, Dominus Alexander Papa Tertius viam universæ carnis ingressus est, & in Ecclesia Lateranensi sepultus; cui substitutus est Dominus Lucius Papa Tertius, qui & Hubaldus, Hostiensis Episcopus, natione Tuscus, patriâ Lucensis, vir grandevus admodùm, & modicè literatus. *Hactenus ille*.

CAPUT XV.

De aucto post Manuelis obitum schismate, & Græcorum perfidia adversùs Latinos.

396 CUm regnante Manuele Latinus Populus tantam gratiam apud eum reperisset, ut neglectis Græculis suis, tanquàm viris mollibus & effœminatis, solis Latinis grandia committeret negotia, ipsisque in rebus arduis uteretur, concitatus est Nobilium, & aliorum Græcorum animus ad invidiam, qui ad tempus simulantes, eo defuncto conceptam pepererunt iniquitatem. Fovebant illi iidem schisma, etsi propter Imperatoris reverentiam, quem Latinis propensum sciebant, in manifesto non audebant, expectantes magis sibi favorabile tempus. Notat hæc omnia Tyrius, lib.22. cap.10., ubi recensitis quæ Manuel favoribus præstiterat Latinis, subjungit: „ Undè Græcorum nobiles, & maximè ejus consanguinei, sed & reliquus populus odium insatiabile adversùs nostros conceperant, accedente etiam ad indignationis cumulum, & odiorum fomitem & incentivum ministrante, Sacramentorum inter nos & eos differentiâ. Arrogantes enim suprà modum, & à Romana Ecclesia per insolentiam separati, hæreticum omnem eum reputant, qui eorum frivolas non sequitur traditiones; cùm ipsi magis hæreticorum sibi nomen adaptent, dùm contrà Romanam Ecclesiam, & Apostolorum Petri & Pauli fidem, adversùs quam portæ Inferi non possunt prævalere, novas, & pestiferas opiniones aut gignunt, aut sequuntur. Deniquè his & ejusmodi à multo retrò tempore, simultatem, quam apud se conceperant, opportunitatem quærentes, ut saltèm post Imperatoris obitum, invisum Latinorum populum, tàm in Urbe, quàm in Imperii finibus commorantem, delerent penitùs,odium inexorabile satiantes. *Hæc ille*.

397 Itaquè sublato Manuele, eique succedente tàm hæreditario jure, quàm vi paterni testamenti, Alexio ejus filio, annorum tredecim sub Matris tutela, procurante pro eo

eo Regni negotia Alexio Protosevasto, Manuelis ex fratre nepote, visum est tàm Majoribus, quàm Populo Civitatis Constantinopolitanæ, opportunitatem invenisse, ut quod adversùs Latinos malignè conceperant, possent effectui mancipare. Sed quoniàm Alexius Protosevasto, defuncti Principis vestigia sectatus, Latinorum consilio utebatur & auxilio, eosque sibi quantùm poterat, reddebat familiariores; existimantes nec sub hoc Principe posse malitiam suam complere, remque ad effectum reducere, aggressi sunt primùm insidias proprio tendere Principi, evocantes Andronicum ex Ponto seniorem prædefuncti Imperatoris Patruelem, virum perfidum & nequam, conspirationum seminatorem, atque ergà Imperium semper infidelem, qui sic vocatus, ait Tyrius cap. 11. „ Innumeras „ barbararum Nationum secùm trahens copias, ad Urbem accessit, & secùs Hellespontum è conspectu Civitatis castrametatus, universam occupavit Bithyniam: contrà quem missi quidam potentes, ut ejus resisterent moliminibus, proditorum more, ad eos se contulerunt; inter quos primi erant & præcipui, Andronicus Angeli Princeps Militiæ, quæ contrà eum directa fuerat, & Alexius Magaducas, qui Classi erat Præfectus, uterque Imperatoris consanguineus.

398 Sed quæ indè secuta sunt, ex eodem Tyrio cap. 12. ejusdem libri 22. audiamus: „ Factum est itaquè, *inquit*, quòd invalescente eorum conspiratione, captus est Protosevasto, & privatus est oculis, & argumentis virilibus decurtatus; undè nostri plurimùm mente consternati, timentes nè Civium super eos fieret repentina irruptio, præmoniti à quibusdam, qui conjurationis habebant conscientiam, qui validiores erant, alii in Galeis quadragintaquatuor, quas in Portu repererant, Græcorum effugerunt molimina; alii in Navibus, quarum in Portu maxima erat copia, omnem domum imponentes, mortis evaserunt discrimen. Qui autem seniores erant, vel infirmi reperti sunt, & ad fugam minùs idonei, ii in Domibus suis relicti, impietatis, quam alii effugerant, rabiem perpessi sunt.

399 „ Nàm parato clàm navigio supradictus Andronicus, universas, quas secùm trahebat, in Urbem introduxit copias, quæ vix ingressæ, unà cum Civibus in eam Urbis partem, quam nostri incolebant, irruentes, residuum Populi, qui aliis abeuntibus, aut noluerant, aut non poterant exire, desævientibus gladiis peremèrunt; & licèt pauci essent, qui ad arma possent sufficere, restiterunt tamèn diù, & cruentam de se hostibus reliquerunt victoriam. Immemores igitùr & fœderis, & obsequiorum, quæ plurima Imperio nostri contulerant, peremptis iis, qui resistere posse videbantur, ignem eorum domiciliis subjiciunt, & universam eorum Regionem subitò convertunt in favillam; mulieribus, & parvulis, senibus, & valetudinariis incendio consumptis.

400 Prosequitur indè crudeliora enarrare, inquiens: „ Nec sufficiebat eorum impietati in loca deſævire profana; verùm Ecclesias, & loca quælibet venerabilia succendentes, qui ad ea salutis causâ confugerant, cum ipsis pariter sacris ædibus concremabant. Nec erat differentia plebejorum, & Cleri, nisi quòd atrociùs in eos desæviebant, qui Religionis, & honestatis habitum prætendebant, Monachis enìm, & Sacerdotibus primas irrogabant injurias, & exquisitis perimebant cruciatibus; Inter quos virum venerabilem, Joannem nomine, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, quem pro negotiis Ecclesiæ Dominus Papa illùc direxerat, comprehendentes, in contumeliam Ecclesiæ decollaverunt, caput ejus ad caudam Canis immundæ religantes. Sed nec mortuis, quibus omnis parcere consueverat impietas, inter tàm detestabiles, & pejores parricidis sacrilegos, tuta erat quies, quos de monumentis extractos per vicos, & plateas, quasi illatas sentirent injurias, distrahebant.

401 „ Accedentes prætereà ad Xenodochium, quod dicebatur S. Joannis, quotquot in eo repererunt languidos, gladio peremèrunt. Qui autèm ex officio pietatis, oppressorum meritò tenebantur afflictionem relevare, eorum videlicèt Sacerdotes, & Monachi, hi dato pretio, grassatores, & sicarios, ad stragem invitabant, disquirentes secessus, & domorum penetralia, nè qui in eis delitescerent, ut mortis discrimen declinare possent: inventosque, & violenter extractos tradebant carnificibus: quibus etiam, nè gratis operam impenderent, pretium sanguinis pro miserorum interfectione porrigebant. Qui autèm clementiùs cum eis videbantur operari, hi eos, qui ad se confugerant, & quibus spem dederant salutis, Turcis, & aliis infidelibus populis, in perpetuum vendebant servitutem: ex quibus promiscui sexus ætatis, & conditionis, plusquàm quatuor milia, barbaris nationibus, pretio interveniente, distracta esse dicuntur. Sic ergò impius Græcorum populus, & genimina viperarum, more serpentis in gremio, & muris in pera, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, malè remuneraverunt hospites suos: quibus tamèn filias suas, nepotes quoque, & sorores, uxores dederant, & ex diutino convictu sibi reddiderant familiares. *Hactenus Tyrius*.

402 Ejusdem crudelitatis meminit Nicetas, complura tamèn omittens, ac nonnulla in sue

suæ nationis gratiam obvelans; agens enim de Andronici Imperio, ait: „ Andronicus alacrior factus, victoriâ potitus, Protosebasto capto, missis triremibus, quæ magnum Ducem sequebantur, & delectis ex suo exercitu cohortibus, bellum Latinis in Urbe versantibus infert. Cùm autèm urbana quoque multitudo animos, contrà eos sumpsisset, & invicèm ad strenuè pugnandum cohortari essent: terra marique simùl pugnatum, & Latini à duobus exercitibus circumventi, quià se defendere non poterant, ut quisque potuit, salutem quæsiverunt, apertis ad diripiendum ædibus, quæ plenæ divitiarum omnis generis, eorumque bonorum fuerunt, quæ mortales appetere solent. Neque enim consistere, neque Romanos invadere (*id est Constantinopolitanos*) neque eorum impetum sustinere audebant. Itàque alii, quos fors tulit in Urbe, sunt dispersi; alii in magnatū ædes evaserunt; alii longis navibus suorum popularium conscensis, ferrum vix evaserunt. Qui comprehensi fuêre, capitis sunt damnati; omnes rei familiaris jacturam fecerunt. *Hæc Nicetas*.

403 Joannem verò, quem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum à perfidis Græcis occisum, scribit Tyrius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuisse, ac Apostolicæ Sedis Legatum, petente Manuele, ab Alexandro missum, scribit Robertus ejusdem ævi scriptor, qui eadem gesta in Latinorum excidium à Græcis peracta enarrans, inter alia, inquit: „ Cùm autèm Latini occiderentur per crudelitatem istius Andronici, quidam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, Joannes nomine, quem Romanus Pontifex miserat Constantinopolim ad petitionem Manuelis Imperatoris, qui erat vir Religiosus, & volebat per prædicationem illius Cardinalis revocare Ecclesiam Græcorum ad institūta, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ: hic, inquam Joannes, cùm Latini occiderentur, erat in hospitio suo; veneruntque ad eum quidam Religiosi viri suadere ei, ut discederet, nè occideretur. Quod cùm audiret, dixit: *Absit hoc, nè fiat. Ego hic sto pro unitate Ecclesiæ, & præcepto Papæ Alexandri Domini mei*: qui miserat eum illùc. Tùnc irruentes in eum Græci perfidi, occidarunt eum, & ligantes canem cum eo, itâ quòd cauda canis esset in os ejus, traxerunt per vicos Civitatis, & factâ foveâ, ibi combusserunt eum, & posteà viri Religiosi de fovea tulerunt corpus ejus, & optimè sepellierunt illud, ubi crebrò fiunt miracula. *Hactenus Robertus*.

404 Ex hoc ergò constat, ab Imperatore Manuele procuratā suorum Græcorum unionem, cùm & Legatum ad hunc effectum à Romano Pontifice mittendum postulasset, ac hujus rei causâ Synodum Constantinopoli celebrandam jussisse, de qua suprà fati sumus, ut nimirùm in ea coràm Apostolicæ Sedis Legato res tractaretur, & tandèm finiretur: sed morte præventus Michael, optata perficere non valuit. Et tùnc apparvit, quantùm hactenus neglectum schisma excreverit, & quàm perfidè Græci Latinis adversarentur. Sub hoc scelestissimo Tyranno Andronico, occultum virus sub Emmanuelis Imperio in corde retentum, palàm prodiit, adeòut & Monasteria Grecorum, quæ in Urbe, & finitimis locis,& Insulis adjacentibus sita erant, plena apparuerint Monachis, & Sacerdotibus Schismaticis, quos PseudoMonachos, & sacrilegos Sacerdotes, Tyrius appellat. Qui describens, quæ indè in ultionem tantæ crudelitatis egerint, qui evaserant Latini, hæc subjungit.

405 „ Verùm non omninò, tantùm & à sæculis inauditum facinus impunè commisisse dicuntur; nàm qui, ut præmisimus, in galeis exierant, & qui postmodùm eos aliis navibus sunt subsecuti, habentes secum multitudinē maximam, & classem non modieam, circà Urbem, satis in vicino se collegerant, rei expectantes exitum. Qui postquàm pleniùs cognoverunt, quòd hi, qui in Civitate tumultum excitaverant, eorum succenderant Regiones; uxores quoque, & liberos, & omnem familiam partim gladio, partim consumpserant incendio, justâ indignatione commoti, exarserunt in iram. Et cupientes vehementi fervore, ultum iri suorum sanguinem, circuirent utrùmque Helespontì littus, ab ostio maris Pontici, quod ab Urbe Constantinopolitana distat triginta milliaribus, usquè ad ostium Maris Mediterranei, quod ab eadem distat milliaribus ducentis, Urbes, & quælibet municipia in utroque sita littore, comprehendentes violenter, & eorum habitatores ferro perimentes universos: sed & Monasteria, quæ tàm in utroque ejusdem Maris littore, quàm in Insulis modicis, quæ per illud Mare dispersæ sunt, sita erant, pervadentes, Pseudomonachos, & sacrilegos eorum Sacerdotes, in ultionem fraterni sanguinis, gladio peremèrunt, ipsa Monasteria cum iis, qui ad ea confugerant succendentes.

406 „ Ex quibus locis, infinitas auri, argenti, gemmarum, & holosericorum dicuntur extraxisse copias: undè damnum rerum amissarum, & dispendia bonorum suorum multiplici fœnore sibi poterant recompensare. Nàm præter Monasteriorum divitias innumeras, & thesauros infinitos, quos à multis retrò congesserant temporibus, Cives Constantinopolitani, ingentia ibidèm deposuerant auri,& cæterarū gazarum pondera: quæ omnia secùm deferentes, & Maris illius deferentes angustias, inter Seston, & Abydon, Urbes antiquissimas,

„ fimas, & maritimas, Mare ingreffi funt „ Mediterraneum; littora Theffaliæ, & Mari „ adjacentium Provinciarum Urbes, & Oppida perluftrantes diligentiùs, & cuncta „ incendio, & rapinæ tradentea, ftragem innumersm operati funt. Sed & galeas alias „ à Prioribus circà Chrifopolim, Urbem „ Mscedoniæ, dicuntur reperiffe decem, „ aliafque in locis aliis quamplures: undè fibi claffem maximam, & Græcis omninò „ formidabilem in eorum perniciem dicuntur „ ordinaffe. Alii verò, qui ftragem, & rapinam abominabantur operari, cum uxoribus, & liberis, & refiduo fubftantiolæ fuæ, „ naves ingreffi, quarum illis multus occurrebat numerus, à prædicto declinantes „ exercitu, ad nos in Syriam defcenderunt. *Hactenus Tyrius*.

407 Acta funt hæc Anno Domini MCLXXXIII. licèt per errorem apud Tyriũ legantur Acta Anno antecedente, Lucii Papæ III. Anno II. Imperii Friderici Anno XXIX. Alexii Comneni Anno II. Indictione 1. Qui fuit & Annus primus Tyrannidis Andronici: nàm eodem tempore perfidus Andronicus victoriâ potitus, ipfum infelicem Imperatorem Alexium crudeliter è medio fuftulit, ftrangulato ipfo nocte srcus nerno, abfolutione à juramento, quòd, viventi ipfi Imperatori Alexio præftiterat, ab Epifcopis facrilegis pollicitatione redemptâ, ut Nicetas in Andronico in fine lib. 2. fcribit, & ait, eodem tempore in Sede Patriarchali, indulgente Andronico fubftitutum Theodofio fuiffe Bafilium Csmsterum.

408 Poft hæc verò periclitantibus Latinorum rebus in Oriente, prævalente Saladino in multitudine Exercitus fui, miffa eft à Hierofolymorum Rege Legatio ad Lucium Papam, & ad Regem Angliæ, fungentibus hujufmodi Legatione Heraclio Hierofolymorum Patriarcha, & fummis Hofpitalis, & Templi Magiftris; de qua Legatione Rogerius in Anglorum Annalibus ad Annum Domini MCLXXXV. fic ait: „ Eodem anno „ Balduinus Leprofus Rex Hierufalem, & „ Templares, & Hofpitalsres miferunt ad „ Regem Angliæ filium Msthildis Imperatricis, Heraclium Sanctæ Civitatis Hierufslem Patrisrcham, & fummos Hofpitalis, & Templi Magiftros, unà cum Vexillo Regio, & Clavibus Sepulchri Domini, & Turris David, & Civitstis Hierufalem, poftulantes sb eo celerem fuccurfum, ficut ab hærede, & Domino Terræ „ Hierufalem. *Hæc ille*. Legati porrò Romam primùm venientes, datis Lucio Papæ literis, & oretenùs expofito infœlici Terræ Sanctæ ftatu, fusm opem paritèr implorarunt. At Pontifex his non finè animi mœrore auditis, fummâ cum celeritate ad Regem Angliæ eos remifit, datis per eos contradendis ad eundē Regem literis, tenoris fequentis, videlicèt.

Lucius Epifcopus Servus Servorum Dei, Henrico Illuftri Anglorum Regi, falutem, & Apoftolicam Benedictionem.

409 „ Cùm cuncti Prædeceffores tui, præ „ cæteris terræ principibus armorum gloriâ, „ & animi nobilitate longè retrò clsruerint, „ eofque fidelium populus habere in fua didicerit sdverfitste patronos: meritò ad te, „ non tantum regni, fed paternsrum virtutum hæredem, quadam fecuritste præfumpta recurritur, ubi Populo Chriftiano imminere periculum, imò exterminium formidatur; ut per brachium regiæ magnitudinis membris ejus impendatur præfidium, „ quietè, ut ad tantæ gloriæ & prælationis „ apicem pervenires fua pietate conceffit, & „ te contra tui nominis impugnatores nefarios murum inexpugnabilem ordinavit.

500 „ Primùm noverit Serenitas tua, jam „ crebris & moleftis fub hæc pulfata querelis, „ qualiter Terra Hierofolymitana, fpecislis. „ hæreditas Crucifixi, in qua noftræ falutis „ funt prænunciata Myfteris, & ipfius rei „ exhibitione completa, quàm ille qui cuncta condidit in fuam fortem peculisri privilegio deputavit, perfidę, & fpurciffimæ „ Gentis attrita, & convallsta preffuris, nifi „ ei celeri remedio fuccurratur, prona fit ad „ ruinam: & inde quod abfit, fubftineat „ irreparabilem Religio Chriftiana jacturam.

410 „ Ille enim Saladinus fancti & tremendi nominis immaniffimus perfecutor, „ ità fpiritu furoris incanduit, & totius nequitiæ fuæ vires ad internecionem populi „ fidelis exercet: ut nifi immanitatis ejus vehemens impetus, quafi objectis obicibus, „ reprimatur, certam fpem, fiduciamque „ fufcipiat, quod Jordanis influat in os ejus, „ & terra afperfione vivifici fanguinis confecrata, fpurciffimæ fuperftitionis ipfius contagio polluatur, & quam gloriofi & nobiles Prædeceffores tui à Domino Gentis incredulæ, multis lsboribus & periculis exemerunt, rursùs nefandò tyranni nequiffimi Dominio fubjugetur.

411 „ Ob hanc itaque neceffitatis, & imminentis doloris inftantism, msgnificentiam tuam Apoftolicis literis duximus exorandam, imò dilatatis præcordiis fumma „ acclamstione pulfandum, quatenùs ad honorem ipfius refpiciens, qui te conftituit in „ fublimi, & juxtà nomen magnorum, qui „ funt in terris, nomen tibi contulit gloriofum, ad defolstionem præfatæ terræ, pietatis ftudio te convertas, & ut ejus confufio „ in hac parte tollatur, qui pro te in ipfa „ terra voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem: quatenùs Prædecefforum „ tuorum veftigia fubfecutus, quam ipfi de

„ Principis tenebrarum faucibus eripuerunt, „ in cultu magni Dei per tuam diligentiam, „ auxiliante Domino conservetur. Eo au- „ tem curiosius celsitudinem tuam in tanta „ oppressionis angustia convenit laborare, „ quod terram ipsam regis, intelligis præsidio „ destitutam, & totam spem defensionis suæ „ ipsi proceres in tuæ magnitudinis duxerunt „ patrocinio collocandum.

412 „ Quod inde clariùs tua serenitas „ potest agnoscere, quod summos terræ il- „ lius magnificos defensores Venerabilem „ Fratrem nostrum Heraclium Patriarcham, „ & dilectum Filium nostrum Magistrum Ho- „ spitalis, ad tuam excellentiam destinarunt; „ ut ex ipsorum præsentia considerata digni- „ tate perpenderes quanta fuerit necessitatis „ angustia, pro qua eorum sustinent tamdiù „ carere præsidio, ut per ipsos faciliùs ad vo- „ ta sua tuam devotionem inclinent. Viros „ igitur præfatos, tanquam ab ipso Domino „ tibi destinatos, benignè suscipias, & debi- „ ta charitate pertractes, eorumque postula- „ tionibus tantò faciliùs aquiescas, quantò „ gravitatis, & honestatis intuitu favor est „ eis & gratia exhibenda. Sanè recolat pru- „ dentia tua, & solicita secum meditatione „ revoluat, promissionem illam quam de Im- „ pedendo sæpè dictæ terræ præsidio tuam „ celsitudinem obligasti: & ita in hac parte „ te cautum & studiosum exhibeas, ut te in „ tremendo judicio tua conscientia non accu- „ set, & ejus qui non fallitur districti Judi- „ cis interrogatio non condemnet. *Hactenus Lucii Epistola.*

413 Legati ergò his cum adjunctis literis profecti sunt in Angliam, cùmque propè es- „ sent: „ Rex Angliæ, *ait Rogerius*, oc- „ currit eis in Villa de Redinges, & eos cum „ gaudio suscepit. Qui statim ad pedes Re- „ gis provoluti, cum fletu magno & singul- „ tu verba salutationis ex parte Regis, & „ principum, & universæ plebis Terræ Hie- „ rosolymitanæ proferebant, exponentes cau- „ sam adventus eorum, tradiderunt ei vexil- „ lum regium, & Claves Sepulchri Domini, „ & Claves Turris David, & Civitatis Hie- „ rusalem ex parte Regis, & Principum Ter- „ ræ Hierosolymitanæ, & literas ex parte Lu- „ cii. *Hæc ille*. At Rex his auditis, distu- lit respondere, statuta die suæ responsio- nis pro prima Dominica Quadragesimæ; indèque profecti Londinum, die præfixa ha- bito conventu cum Episcopis, Abbatibus, & Regni proceribus, placuit universis, ut Dominus Rex consuleret quoque Philippum Franciæ Regem: Ac interim complures Viri nobiles, tam Clerici, quàm Laici de manu Regis crucem acceperunt. Denique habito cum Philippo colloquio dictum est Domino Patriarchæ, se promptos esse ad auxilium fe- rendum, tam in hominibus, quàm in pecunia: sed cum Dominus Patriarcha optaret, aut quod Rex ipse, vel unus ex ejus filiis perso- naliter ejusmodi expeditioni interesset, mini- mè placuit tale responsum: qui cum obtinere non potuisset, quod postulaverat repatriatu- rus, ut ait Rogerius, dolens, & confusus à Curia recessit.

414 Intereà dùm hæc agerentur Lucius Papa Primarius hujus expeditionis promotor, ex hac vita migravit eodem scilicèt Domini Anno MCLXXXV. Andronici Imperii III. Friderici Imperatoris XXXI. sui Pontificatus Anno V. Indictione IV. in ipsis Kalendis De- cembris, Veronæ dùm esset, ubi & honori- cè sepultus est, ubi sedisset Annos IV. Men- ses II. Dies verò XXVII. Cui mirò omnium suffragantium consensu substitutus est Urba- nus III. Mediolanensis, Lambertus anteà no- minatus, ex ejusdem Mediolani Civitate Ar- chiepiscopus, è genere Cribellorum.

415 Eodem pariter anno plusquam tragi- co eventu miserrimè ultimum quoque diem clausit Andronicus, qui tyrannidem ferè trien- nio exercuerat, Imperio invadente Isaacio Angelo, quem captum catenis & compedibus vinctum, ludibrio expositum, post varia tor- mentorum genera, populari indignationi in- terficiendum tradidit. De cujus funestissimo eventu, hæc scribit Nicætas Choniates: „ Ita- „ que in Ameniæ Castellum duabus gravibus „ catenis eum ferreis feris superbo collo inje- „ ctis, & compedibus oneratus, ut capti- „ vos tractari moris est, conjicitur; eoque „ habitu ad Isaacium perductus, contume- „ liosis verbis insultatur, alapæ impingun- „ tur, nates pulsantur, barba vellitur, den- „ tes excutiuntur, capilli evelluntur, pu- „ blicè omnibus ludibriis expositus, etiam à „ mulieribus pugnis cæditur, iis præsertim „ quorum maritos aut occiderat, aut excæ- „ carat: Deinde præcisâ dexterâ in idem Ca- „ stellum reducitur, sine cibo; sine potu, „ sine ullo cujusque officio.

416 „ Post aliquot dies altero oculo ef- „ fosso, scabioso camelo impositus, per fo- „ rum triumphi specie traducitur, calua gla- „ bra instar aridæ quercus, & ovo nudiore, „ & brevi tunicula tectus, spectaculum mi- „ serabile, quod rivos lacrymarum elicere „ queat ex oculis non inhumanis. Sed stoli- „ dissimi & petulantissimi Urbis incolæ, præ- „ sertim Sartores, Coriarii opifices, & cir- „ cumforaneа, sordidaque turba, muscarum „ instar, verno tempore ad mulctras, & pin- „ guia Cymbia convolantium, nulla ratione „ habita, quod is nudiustertius Imperator, „ regio diademate ornatus, ab omnibus lau- „ datus, celebratus, adoratus esset: quod- „ que sanctissimo jure jurando fidem & bene- „ volentiam suam ergà illum testati essent, ef- „ feratis animis sine ulla ratione ruentes, ni- „ hil mali prætermiserunt, quod Androni- „ cum per nefas non efficerent.

417

417 „ Alii clavas in Caput ejus impegerunt, alii stercore nares ejus fædarunt, alii „ spongias excrementis hominum & pecudum fœdatas in faciem ejus expresserunt, „ alii verbis obscenis parentes ejus infectati sunt. Erant & qui verberibus latera ejus „ pungerent. Impudentiores quidam lapidibus conjectis rabidum Canem eum appellabant. Scortum quoddam impudens ollam „ ferventi aqua plenam è cucina raptam, in „ faciem ejus effudit, nemo deniquè erat qui „ non malè faceret Andronico. Itá ignominiosè in Theatrum ridiculo triumpho perductum, ac misero illo camelo detractum, „ juxtà duas columellas, quibus supernè lapis incumbit, propè æneam lupam & hyænam, quæ inflexis cervicibus, quasi altera „ in alteram impetum factura, concitatæ adstant, pedibus suspendunt fune alligatis.

418 „ Tot mala perpessus, & alia sexcenta, quæ prætermisimus, tamen generoso adhuc animo illata mala tolerabat, ac „ mente integra ad affluentem turbam, & jacentem conversus, nihil dicebat aliud nisi: „ *Domine miserere: &: Quid calamum contritum infringitis*. Cæterùm dementissima „ populi turba, nè tum quidem afflictissimo „ pepercit Andronico, postquàm pedibus „ suspensus fuit: sed direpta tunicula, virilia ejus vexavit, & quidam homo nefarius „ longum ensem per facies ejus usque ad intestina adegit. Duo verò Latini generis, „ enses, ambabus annixi manibus in nates „ ejus adegerunt, ut periculum facerent, „ uter esset acutior, ictus dexteritate gloriati. Post tot ærumnas & clades ægrè vitam „ abrùpit, dexterâ cum dolore ad os admota, „ ut multi putarent, eum callidum ex ea „ sanguinem ob recentem plagam adhuc distillantem, exugere. Imperavit Annos duos: „ unum verò rerum potitus est sine purpura „ & regio diademate. *Hactenus Nicætas de infelici Andronici exitu*. Quem posteà detractum in Theatri fornicem quemdam projectum jacuisse ut bestiam, subjungit, donec quidam humanitate adducti, nec iræ nimium indulgentes, cadaver ejus indè sublatum juxtà Ephori Monasterium, quod ad Zeuxippum est, in quodam infimo loco posuerunt. Addit insuper, Imaginem Apostoli Pauli, ergà quem devotus Andronicus extiterat, antiqua manu pictam, auroque exornatam, in sua æde repositam, in præsaglum exitii lacrymasse, atque & in tanta copia, lacrymas effudisse, ut licèt linteolo ipse Andronicus abstergere curaret, magis tamen velut ex fonte excrescerent.

419 Itaque Isaacius potitus Imperio, Sede Patriarchali statim expulit Basilium Camaterum, substituto in ejus locum Nicæta Mundano, ut refert Nicætas Choniates in Isaacio, inquiens: „ Principatum adeptus Isaacius, „ Basilio Camatero, quamquam ejus ope „ maximè adiutus, Patriarchatu dejecto (causa prætexebatur, quod, quas Nobiles Matronas Andronicus in Monasteria invitas „ abstrusisset, iis ipse mirò vestitu deposito, „ reditum ad pristinum habitum, & vitæ rationem concessisset) Nicætam Mundanum „ pro eo Patriarcham designavit, Ecclesiæ „ maximè Sacellarium. *Hæc ille*. Sed hic, nec per integrum Annum sedit, dejectusque & ipse, dato ei ab Imperatore in successorem Leentio quodam Monacho, qui nondùm expleto Anno dejectus est, suffecto Dositheo Monacho studii, Viro Schismatico ex Patriarcha Hierosolymitano, excluso Theodoro Balsamone, qui ad eandem dignitatem anhelabat, ut refert idem Nicætas Choniata.

420 Imperante ergò Isaacio Angelo in Oriente, Ecclesiam verò Catholicam moderante Urbano III. capta est à Saladino Sancta Hierosolymitana Civitas IV. Kalendas Octobris, Anno Domini MCLXXXVII. Pontificatus ejusdem Urbani, Anno III. Imperii antefati Isaacii Angeli, Anno II. Friderici Imperatoris Occidentis, Anno XXXIII. ineunte Indictione V. exigentibus quidem Latinorum peccatis, sed cooperante Græcorum perfidia, quorum Imperator in perniciem Latinorum fœdus injerat cum Saladino, adhibitis indignis Christiano Principi conditionibus, in solius Latini nominis odium: Quæ omnia describit Conradus filius Marchionis de Monteferrato in Epistola data ad Archiepiscopum Cantuariensem; ad hunc modum se habente.

Cantuariensi Archiepiscopo Balduino,
Conradus Filius Marchionis
de Monte Ferrato,
salutem.

421 „ Turbantur elementa, & Catholicæ fidei derogatur, cum Sedes Hierosolymitana Apostolicæ Sedi subtrahitur. Periit enim Hierosolyma, & inertiâ Christianorum, à Sarracenis vilissimè pertractatur. „ Fœdant namque Dominicum sepulchrum, „ destruunt Calvariæ locum, Nativitatem „ Christi contemnunt, & Beatæ Virginis „ eradicant sepulchrum. Sedes Constantinopolitana Romanæ Sedi nullam exhibet „ reverentiam: Antiochena quidem laborare „ dignoscitur in extremis. Hæc autem omnia Christianorum constat dissidia desidiâ „ contigisse. Lugenda est Civitas Hierosolem, atque lugubriter lamentanda, quæ „ suis cultoribus spoliata, qui Christo per „ horas diei ac noctis constituti, Deo cantando, & orando, famulabantur. Nunc „ (proh dolor) Mahometh excelsa voce laudatur, ritibus polluta Sarracenis. Vestræ „ igitur celsitudini preces cum lacrymis porrigo commixtas, quatenùs calamitatum

Terræ

„ Terræ Sanctæ misereri dignemini, ut confortetis Reges, commoneatis fideles, ut canibus expulsis à patrimonio Jesu Christi, misericorditer subveniant, vincula solvant, profanata mundent, ut Terra Sanctis Christi pedibus calcata de potestate infidelium potenter liberetur.

422 „ Accedit etiam ad cumulum iniquitatis, ad opprobrium & desolationem Christianitatis familiaritas, quæ viget inter Saladinum & Imperatorem Constantinopolitanum, cui idem Saladinus tradidit omnes Ecclesias Terræ promissionis, ut in eisdem serviatur secundum ritum Græcorum. Insuper etiam & idem Saladinus misit Idolum suum Constantinopolim Imperatoria assensu, ut ibi publicè coleretur; sed per gratiam Dei captum est in Mari à Januensibus, & cum ipsa Navi perductum est Tyrum. Nuper etiam exercitus constructus est copiosus antè Urbem Antiochiæ, & dictus Imperator promisit centum Galeas. Saladinus quoque dedit ei totam terram promissionis, ità scilicèt, ut impediat viam Christianorum; maximè autem Francorum, ad succursum Terræ Sanctæ properantium. Nec est aliquis apud Constantinopolim, qui Crucem accipiat, quin statim capiatur, & incarceretur. Hoc autem nobis solatium est, quod nuper frater Saladini, & Filius antè Antiochiam capti sunt, & sub salva custodia deputati. *Hactenus Conradus*.

423 Ex Latinorum Principum dissidiis occasionem arripuisse Saladinum arma reassumendi adversùs eos, notat Jacobus de Vittiaco in sua Hierosolymitana Historia, cap.94. Et destitutos Dei auxilio, peccatis exigentibus, ad pugnam properantes in manus inimicorum devenisse, etiam salutifero Crucis ligno, quod tanquam inexpugnabile scutum fuerat hactenùs Christianis, antè captam Hierosolymam infœliciter amisso. Mense enim Julio ejusdem Anni ante captam Hierosolymam apud Tiberiadem, pugnatum est à Saladino magna cum Christianorum clade, quam idem Jacobus de Vittriaco cap. 94. cit. in fine sic describit: „ Mense Julio IV. Nonas ejusdem, in Festo Translationis Sancti Martini, Anno Incarnationis Domini MCLXXXVII. tradidit Dominus Populum Christianorum infinitis eorum peccatis exigentibus, in manus impiorum, adeò quod nostri subitò terga dantes inimicis, ferè omnes à maximo usque ad minium trucidati sunt, vel captivitate detenti. In tanta enim formidine & pusillanimitate humiliavit eos Dominus, quod unus ex hostibus versa vice, centum persequebatur ex nostris; & quidam arma sua turpiter proiicientes, in manus inimicorum se ipsos gratis tradebant. Facta autem magna strage Cæsorum Guido de Lisiniaco Rex Hierosolymorum, & Magister Militiæ Templi cum multis aliis, tam majoris, quàm minoris Ordinis in captivitate detenti abjerunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Ut autem certis indiciis & evidentibus signis Dominum sibi terribiliter offensum agnoscerent, & Divinæ protectionis clypeum ab ipsis recessisse non dubitarent, lignum salutiferæ Crucis quod die illo tenebroso secum in prædio detulerunt, lamentabili infortunio amiserunt. *Hæc ille*. Qui posteà subjungit, Saladinum hac parta Victoria, in deditionem, nemine resistente accepisse Acconem, Berithum, Biblium, cæterasque Maritimas Civitates, indèque progressum Hierosolymam, fixis tentoriis, absque difficultate sub nonnullis conditionem, traditam à Christianis, in suam redegisse potestatem.

424 De capta porrò Hierosolyma Marinus Sanctus dictus Torsellus in lib.3. Secretorum Fidelium Crucis par. 9. Cap. 6. hæc habet: „ His peractis Saladinus antè Hierusalem sua figit tentoria: & à parte Occidentali per decem dies continuè dat insultus, Civibus viriliter se tuentibus: à parte aquilonari muros machinis obruit: tandem XIV. die obsidionis MCLXXXVIII. XI. Octobris, Civitatem sub certis pactis, per deditionem accepit; ut videlicèt, dnobus aureis infans redimi valeat: decem verò. qui decem Annos excessit: Mulier quinque. Intrantes igitur Sarraceni innumeri, loca Sancta prophanant, in Ecclesiis, cæterisque locis, Deo dicatis, equos stabulant, & turpia quæque agunt: Ecclesiam quoque Sancti Sepulchri multo auro, nè polluatur redimunt Suriani. In Templo verò Domini, cum multa reverentia, adorant Turchi. Saladinus verò, antequàm illud intraret, parietes ejus lavari fecit aqua rosacea: habebat enim quingentos Camelos eadem aqua onustos: & multa millia pauperum absolvit à pretio prætaxato; infirmia etiam jussit necessaria ministrari: Deponi quoque fecit magnam Crucem auream, quæ erat in summitate Templi: quam Sarraceni funibus ligantes, confusibiliter traxerunt usque ad Turrim David, quæ est in Monte Sion, ibique eam confregerunt: hoc tamen, mandato Saladini factum non legitur. Capta quoque est Hierusalem à Turchis postquàm Annis LXXXVIII. fuerat sub Domino Latinorum; & quasi tantundem priùs fuerat à Turchis possessa. Ab illo tempore citrà, homines nasci dicuntur cum dentibus paucioribus solito; priùs enim dentes XXIII. habuisse dicuntur. *Hactenus ille*. Scripsit porrò de hac eadem Hierosolymitana clade Terricus magnus, quondam præceptor Templi ad Henridum Regem Angliæ, data ad eum Epistola tenòris sequentis.

Cha-

Chariſſimo Domino Henrico Dei gratia Illuſtri Anglorum Regi, Duci Northmaniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ, Frater Terricus quond. magnus præceptor Domus Templi Hieruſalem, ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus.

425 „ Sciatis, quod Hieruſalem cum „ Arce David reddita eſt Saladino. Syrii au„ tem habent cuſtodiam Sepulchri uſque ad „ quartum diem poſt Feſtum Sancti Michae„ lis: & ipſe Saladinus in domo Hoſpitalis „ permiſit remanere decem de fratribus Ho„ ſpitalis ad cuſtodiendum infirmos uſque in „ unum Annum. Fratres verò Hoſpitalis de „ Belliverio optimè reſiſtunt Sarracenis ad„ huc, & duas jam caravanas Sarracenorum „ expugnaverunt, in quarum alterius captio„ ne, omnia arma & utenſilia & victuaria, „ quæ erant in Caſtro Fabæ, quod Sarraceni „ deſtruxerant, viriliter lucrati ſunt. Adhuc „ etiam reſiſtunt Saladino Gragens Montis „ Regalis, & Mons Regalis, & Saphet Tem„ pli, & Grachus Hoſpitalis, & Magratum, „ & Caſtellum Blanchum, & Terra Tripolis, „ & Terra Antiochiæ.

426 „ Capta autem Hieroſolyma, Sala„ dinus Crucem de Templo Domini deponi „ fecit, & eam per duos dies per Civitatem „ in oſtentum fuſtigando portare fecit. Dein„ de fecit Templum Domini aqua roſata in„ tus & exterius, ſurſum & deorſum lavari, „ & legem ſuam deſuper illud per quatuor „ partes miro tumultu acclamari. A Feſto „ Sancti Martini uſque ad Circumciſionem „ Domini obſedit Tyrum, tredecim Perariis „ die noctęque lapides in eam inceſſanter ja„ ctantibus. In Vigilia Sancti Sylveſtri Do„ minus Conradus Marchio milites & pedites „ per murum Civitatis diſpoſuit, & armatis „ ſeptemdecim galeis, & decem aliis navicu„ lis, cum auxilio Domus Hoſpitalis, & Fra„ trum Templi adversùs Galeas Saladini di„ micavit, easque expugnans, undecim ex „ eis retinuit, & Magnum Alexandriæ Ad„ miraldum cum octo aliis Admiraldis cœpit, „ Sarracenorum multitudine interfecta. Re„ liquæ verò galeæ Saladini Chriſtianorum „ manus evadentes, ad Saladini exercitum „ confugerunt, quibus præcepto illius, ad „ terram extractis, ipſe Saladinus, igne ap„ poſito, in cinerem & favillam fecit redigi, „ nimio dolore commotus, Equi ſui auricu„ las & caudam amputans, equum illum per „ totum exercitum videntibus omnibus equi„ tavit. Valete. *Hactenus Epiſtola*. Extat altera ejuſdem Terrici Epiſtola de eodem argumento data ad univerſos Præceptores & Fratres Templi, quæ incipit. *Quot quantiſque calamitatibus ira Dei*. Ad eundem porrò Henricum Regem tempore obſidionis nondùm capta Sancta Civitas, literas fecit Narmericus Patriarcha Antiochenus; quarum initium eſt. *Condignum & inæſtimabilem dolorem noſtrum*.

427 Ex his porrò conſtat errorem irrepſiſſe in iis quæ Marinus Sannutus conſignat de tempore captæ Hieroſolymæ, tum in adnotatione anni, tum diei, cum tradat captam Civitatem Anno Domini MCLXXXVIII., die XI. Octobris. cum conſtet ex aliorum Scriptorum ſententia captam An. MCLXXXVII. die XXVIII. Menſis Septembris. De Anno verò fit evidens ex eò quod capta eſt ſub Urbano III. ſicut enim recuperata fuerat de infidelium manibus ſub Urbano II. ſic ad eorundem manus rediit ſub Urbano III. conſtat porrò Urbanum III. hoc eodem Anno MCLXXXVII. ex hac vita ad Dominum migraſſe. Captam indè antè Feſtum Sancti Michaelis Arcangeli, ſuper recenſita Terrici litera demonſtrat, ubi ait traditum Domini Sepulchrum Syris retinendum ad quatuor dies poſt ejuſdem S. Michaelis feſtum, quod cum incidat in diem XXIX. Septembris, hoc eſt III. Kal. Octobris, ſequitur, captam Hieroſolymam fuiſſe ſaltem die antecedente, nimirum XXVIII. Septembris, & IV. Kalendas Octobris.

428 Sed antè tam luctuoſam cladem diverſa oſtenta viſa in Cœlo eam præſagientia tradit idem Marinus Sannutus, lib. 3. cit. Capitolo 5., inquiens: „ Ipſo anno tres Lunæ „ in Cœlo viſæ ſunt, & in medio Signum „ Crucis: non multò poſt in Cœlo viſi ſunt „ tres ſoles. Sol etiam obſcuratum eſt parùm „ ante nonam, & diù duravit, & Lunæ Eclipſis fuit penè univerſalis VIII. Kal. Aprilis. „ Viſa quoque eſt IV. Idus Februarii, paulò „ ante Auroram, sereniſſima Nocte uſque ad „ terram in momento Luna deſcendere: & „ poſt Morulam, quaſi reſumptis viribus ad „ locum ſuum paulatim aſcendere. *Hactenus Sannutus*.

429 Illud deniquè memorabile, & omne excedens humanum judicium in memoriam reducendum eſt, quod refert Thomas Cantipatrenſis apud Surium ſub die 23. Junii, capite 30. nimirum, gaudium magnum factum in Cœlo, dùm hæc triſtia in terra acciderunt. Et dùm homines de amiſſa Hieroſolyma lugebant, Sancti exultabant Angeli, quoniàm in animarum lucrum ejuſdem Civitatis Sanctæ amiſſionem ceſſiſſe, Beatæ ac Venerabili Servæ Dei Chriſtianæ fœminæ, magni nominis in Germania tunc temporis revelatum tradit, inquiens: „ Longè etiam ante prædixit „ Terram Sanctam & Hieroſolymam in im„ piorum Sarracenorum ditionem redactum „ iri (*ideſt præfata Dei Serva*) Quo autem „ die à Saladino Ægypti Sultano capta fuiſ„ ſet Hieruſalem cum Sepulchro & Cruce Chri-

„ Christi: Illa in Castro Leonensi, tùm constituta, Spiritu cognovit rem gestam. „ Cùmque multum exultaret, ab iis, qui „ aderant, rogata ut ejus lætitiæ causam exponeret: Jure, *inquit*, exulto: nàm & „ Christus Dominus cum Angelis suis exultans, occasionem præbuit, qua magna possit hominum copia salva fieri. Illis rursùs „ sciscitantibus, quænam esset hæc occasio, „ respondit: Noveritis Terram Sanctam hodie venisse in manibus hominum impiorum, „ atque hac re magnam salutis oblatam occasionem. Christus enim pro illata sibi contumelia dignum censuit, ut terra illa hac „ ignominia afficiatur, quamvis ipsius passione sanctificata, attamèn in fine Mundi „ cum ipso Mundo peritura: quandò illius „ recuperandæ causâ animæ semper victoræ, „ ejusque Sanguine Redemptæ, ab iniquitate ad justitiæ studium convertentur, fundentque homines sanguinem suum,& quandam morti Salvatoris vicem cum multa devotione rependent. His dictis mirabantur. „ Omnes, & quidam adnotarunt tempus. *Hactenus Cantipatrensis*.

430 Intereà Urbanus Papa cum Ferrariæ esset, ultimum clausit diem XIII. Kalendas Novemb. eodemAnnoDominiMCLXXXVII. cum sedisset Annum I. menses IX. & dies XXV. ut Rogerius in Anglorum Annalibus scribit, qui afferit dolore pereitum propter amissam à Christianis Terram Sanctam, in morbum incidisse, quo posteà defunctum: *Eodem Anno*, inquit, *Urbanus Papa, cùm audisset, quod temporibus suis captus esset Rex Hierosolymitanus, & Crux Dominica, & Civitas Sancta Hierusalem, doluit vehementer, & incidit in ægritudinem, & mortuus est XIII. Kalendas Novembris apud Ferrariam*. Auctor verò ejus vitæ hæc scribit: „ Omne suum studium ad reconciliandosChristianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant „ convertit. Verùm cum in ejusmodi procurationibus operam luderet, & Christiani „ Principes odiis & dissensionibus intricarentur: Soldanus pluribus locis potitus,etiam „ Hierosolymam suo Imperio adjecit IV. Kal. „ Octobris, Anno, postquàm à Godefredo „ recuperata fuerat octogesimo quarto. Ad „ hæc, Crucem Dominicam ludibrio affectam, Regem Hierosolymitanum captum, „ & adversariorum copias adversùs Antiochiam directas esse intelligens: dolore percitus, in morbum incidit, ex quo Ferrariæ „ mortuus est XIII. Kal. Novembris, Anno „ Domini MCLXXXVII. cum sedisset annum I. mense IX. & dies XXV. *Hactenus ille*.

431 Cæterùm Nuntius de capta Hierosolyma non potuit pervenisse Romam, aut Ferrariam ante obitum Urbani: nam si capta est Hierosolyma IV. Kal. Octobris, nimirum die XXVIII. Septemb., & Urbanus decessit XIII. Kal. Novembris ejusdem anni, die scilicèt XX. Octobris, non potuit tam facilè spatio minus XXII. dierum Nuntius pervenisse, nam duo & viginti dies dumtaxàt interfuerunt à capta Hierosolyma ad obitum usque Urbani, qui certè aliquot dies ante ægrotasse fatendum est. Itaque probabiliùs est, accepisse Nuntium de Christianorum clade, & capto Hierosolymitano Rege in prælio inito, mense Julio apud Tiberiadem, ut supra fati sumus, ob cujus rei causam dolore pereitum, subsequentia mala prævidentem, in morbum incidisse. Optimè Neubriensis ejusdem ævi Scriptor adnotat post defunctum paulò ante Urbanum, & substituto jam Gregorio VIII. Nuntium Romam venisse: „ Rerum, *inquit*, intra Octavas Apostolorum Petri & Pauli infeliciter „ gestarum Nuntii circa Festivitatem Beati „ Lucæ Evangelistæ ad Apostolicam Sedem „ venerunt. Urbano Paulo ante hac luce subtracto, & maturè substituto Gregorio. „ Qui Venerabilis Pontifex ex tristi Nuntio „ perculsus ingemuit, & vi doloris anxius,tam „ enormem Christiani nominis jacturam inconsolabiliter deploravit. *Hæc ille*. Ubi notandum præstat, neque notitiam à capta Hierosolyma detulisse, verùm solum de clade à Latinis accepta, mense Julio infra Octavam Sanctorum Apostolorum, licèt, ut assolet, ante Nuntium potuerit fama pervenisse ante Urbani obitum.

432 Defuncto itaque Urbano, communi omnium consensu, altero ab obitu ejus die, electus est Gregorius VIII. Papa Beneventanus, Albertus anteà dictus. ex Presbytero Cardinali Tituli Sancti Laurentii in Lucina: qui utpotè doloris successor, ac hæres calamitatis, statim ad omnes fideles literas fecit, admonens ad agendam pœnitentiam, & ad Crucem capiendam in subsidium Terræ Sanctæ, concedens, & proficiscentibus ad bellum contra infideles, plenariam omnium peccatorum indulgentiam; & illorum bona durante illorum absentia, sub sua & Archiepiscoporum, & Episcoporum, aliorumque Eccl. Prælatorum cura suscipiens:Incipiunt literæ: *Audita tremendi severitate Judicii*: Datæ Ferrariæ IV. Kal. Octobris Indictione IV. inchoata scilicèt à mense Septembri, ejusdem Anni MCLXXXVII. Et eodem tempore aliam scripsit Breviorem pariter ad omnes fideles de servando jejunio, ac precibus agendis ad placandum Deum, quæ ad hunc modum se habet.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem,& Apostolicam Benedictionem.

433 „ Nunquam meliùs superni Judicis „ pacatur, quàm cum ex mandato ipsius car-

„ carnalia in nobis desideria extinguuntur. „ Proindè, quia Hierosolymitanæ Terræ di„ scrimen, quod irruentibus Sarracenis nu„ per evènit, ex peccato maximè habitato„ rum Terræ, & totius Populi Christiani, „ accidisse non dubitamus: Nos de Fratrum „ nostrorum communi Consilio, multis Epi„ scopis approbantibus, statuimus, ut omnes „ usque ad quinquennium, saltem per omnes „ sextas Ferias, in cibo Quadragesimali je„ junent. Et Missa, ubi Cantanda fuerit, ad „ Nonam cantetur: quod ab Adventu Domi„ ni, usque ad Natale Domini statuimus ob„ servandum: Feria verò Quarta, & Sab„ bato omnes indifferenter, qui benè valent, „ à carnibus abstineant. Nos autem & Fra„ tres nostri in secunda quoque Feria, nobis, „ & familiis nostris esum carnis interdicimus, „ nisi fortè, aut infirmitas, aut magna Solem„ nitas, vel alia evidens causa visa fuerit „ impedire: sperantes quod sic nobis igno„ scet Dominus, & relinquet post se benedi„ ctionem. Hoc igitur adeò statuimus obser„ vandum, ut quicumque transgressor exti„ terit, quasi prævaricator Quadragesimali „ jejunii habeatur. Datum Ferrariæ IV. Ka„ lendis Novembris. *Hactenus Gregorii Epistola*.

434 Præter hæc verò pro Terræ Sanctæ recuperatione Domini Cardinales de Pontificis assensu plura spoponderunt, digna sanè memoriâ, quæ in suis Annalibus Rogerius his verbis recenset, inquiens: Cardinales verò „ de assensu Domini Papæ inter se firmiter „ promiserunt, quod abjectis omnibus divi„ tiis, & deliciis prædicarent Crucem Chri„ sti, non solùm verbo, sed opere & exemplo: „ & euntes mendicando, acciperent Crucem „ primi, & præcederent alios in Terram Hie„ rusalem. Statuerunt etiam de assensu Do„ mini Papæ firmissimam treguam inter Prin„ cipes Christianitatis usque ad septennium: „ ità quod quicumque guerram contra Chri„ stianum medio tempore moverint, male„ dictioni Dei, & Domini Papæ, atque ex„ communicationi omnium Prælatorum uni„ versalis Ecclesiæ subjacebunt. Firmiter „ etiam inter se promiserunt, quod de cætero „ nulla munera ab aliquo, qui causam ha„ beat in Curia, sed ea tantùm recipere po„ terunt, quæ fuerint pro eorum necessitate „ & sustentatione donata, vel missa. Et non „ ascendent in equum, quamdiù terra, in „ qua pedes Domini steterunt, fuerit sub pe„ dibus inimici. *Hæc ille*.

435 Post hæc verò Dominus Papa Gregorius Pisas se contulit, ut Pisanos cum Genuensibus novo colligaret fœderis vinculo, ut conjunctis eorum Maritimis copiis, huic sanctæ expeditioni inservirent: sed dùm hæc omnia tanto cum fervore & honoris Dei Zelo, infaticabili animo ageret Pius Pontifex, placuit divinæ bonitati illum ad se vocare, decedens in eadem Pisana Civitate XVII. Kalendas Januarias, eodem labente Domini Anno MCLXXXVII. ubi sedisset dies LVII. Hinc in ejus vita hæc leguntur: „ Initio Pon„ tificatus, Christianos Principes Legationi„ bus literisque pro subsidio Terræ Sanctæ, „ & de agenda pœnitentia ad diversos scriptis „ solicitavit, ut exercitu Terra Marique com„ parato ad recuperandam Hierosolymam sese „ colligerent. Ut verò faciliùs id quod sua„ debat consequeretur, Pisas se contulit, ut „ ejus loci populos cum Genuensibus fœderis „ novi vinculo religaret, ac sic conjunctis „ copiis, quibus plurimum Mari valebant, „ ad hanc expeditionem sanctissimam anima„ rentur. Verùm inopinatus vitæ illius exi„ tus, sanctæ expeditioni & voluntati Pisis „ finem imposuit. Obiit enim XVII. Kal. Ja„ nuarii, Pontificatus sui die LVII. *Hactenus Auctor vitæ Gregorii*.

436 Huic posteà, elapsis diebus XX. vacantis Sedis datus est successor Clemens hujus nominis III. anteà Paulinus, patria Romanus, ex Cardinale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Prænestino, creatus VIII. Idus Januarii, ineunte Domini Anno MCLXXXVIII. Imperii Isaaci Angeli Anno III. Friderici Imperatoris Occidentis Anno XXXIV. Indictione VI.: „ Qui, *ut ex Rogerio, scribit Au*„ *ctor ejus vitæ*, statim indictam à prædeces„ sore expeditionem ad Terram Sanctam pro„ movère, eamque ad effectum ducere labo„ ravit, & indulgentiam confirmavit: sta„ tuens, ut quicunque ea de causa Sacram „ Crucem susceperit, de omnibus peccatis, „ de quibus pœnitens confessus fuerit, aucto„ ritate Dei & Sanctorum Apostolorum Petri „ & Pauli esset liber & absolutus. *Hæc præfatus Auctor*.

437 Deindè instituisse Clementem quandam formulam precum ad implorandum Divinum auxilium pro Terræ Sanctæ recuperatione, idem Rogerius est auctor, inquiens: „ Eodem Anno à Domino Papa & Cardinali„ bus statutum est, quod ab universali Ec„ clesia fieret sine intermissione oratio ad Do„ minum pro pace, & liberatione Terræ Hie„ rusalem, & Christianorum captivorum, „ qui in vinculis Sarracenorum detinebantur. „ Fiebat autem singulis diebus in Ecclesia „ Beati Pauli in hunc modum. Ad Missam, „ dicto à Sacerdote. *Pax Domini sit semper* „ *vobiscum*: & à Choro: *Et cum Spiritu tuo*. „ Antequàm Agnus Dei inciperetur, Sacer„ dos, vel præceptor incipiebat Antiphonam „ hanc. *Tua est potentia, tuum regnum, Do*„ *mine tu es super omnes gentes*. *Da pacem* „ *Domine in diebus nostris*. In die Dominica „ cum isto psalmo. *Quarè fremuerunt gentes*. „ Et in die Lunæ cum isto psalmo. *Deus in* „ *nomine tuo salvum me fac*. Et in die Martis „ cum isto psalmo. *Deus repulisti nos, & de*„ *struxisti nos*. In die Mercurii cum isto psal-

„ mo : *Ut quid Deus repulisti in finem?* Et in
„ die Jovis cum isto Psalmo : *Deus, venerunt*
„ *gentes in hereditatem tuam*. Et in die Ve-
„ neris cum isto Psalmo : *Deus, quis similis*
„ *erit tibi*. Et in die Sabbati cum isto Psal-
„ mo : *Deus ultionum Dominus*.

438 „ Dictis itaquè Psalmo & Antipho-
„ na prædicta sequitur : *Kyrie eleison, Chri-*
„ *ste eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et*
„ *ne nos. Ostende nobis Domine misericor-*
„ *diam tuam. Fiat misericordia tua Domine*
„ *super nos. Nè memineris iniquitatum no-*
„ *strarum antiquarum. Adjuva nos Deus sa-*
„ *lutaris noster. Salvum fac populum tuum*
„ *Domine. Esto eis Domine turris fortitudi-*
„ *nis. Nihil proficiat inimicus in eis. Fiat*
„ *pax in virtute tua. Domine Deus virtutum*
„ *converte nos. Domine exaudi orationem*
„ *meam meam. Dominus vobiscum*. Oremus.
„ Omnipotens sempiterne Deus, in cujus
„ manu sunt omnium potestates, & omnium
„ jura Regnorum, respice ad christianum
„ benignus Exercitum, ut gentes, quæ in
„ sua feritate confidunt, potentiâ tuæ dexte-
„ ræ comprimantur. *Hæc ille de precibus in-*
dictis à Clemente.

439 Eodem tempore, primo scilicèt sui Pontificatus Anno, ad conciliandos Angliæ, & Galliæ dissidentes Reges excitandos, quo ad Bellum Sacrum, Legatum misit Willermum Archiepiscopum Tyri, qui convenientes inter Triam, & Gisortium, præter omnium hominum opinionem, Domino miraculosè operante, factum est, (ait Rigordus in lib. de gestis Philippi Augusti ad Annum MCLXXXVII.) quòd per inspirationem Spiritus Sancti cœlitùs missi, illi duo Reges in eodem loco, pro liberatione Sancti Sepulchri Domini, & Sanctæ Civitatis Hierusalem, signum Sanctæ Crucis assumpserunt, & multi Archiepiscopi, Episcopi, & Comites, Duces, & Barones cum eis. Posteà in Anglia duo Concilia celebrata fuêre pro decimis taxandis, ad effectum subveniendi expeditioni faciendæ ad loca Sancta. In Gallia quoquè apud Parisios Philippus Rex magnum conventum habuit, in quo, ut ait Rigordus, innumerabilis militum multitudo, seù peditum, Sacratissimâ Cruce insigniti sunt; & taxatæ quædam Decimæ, quæ dictæ sunt Saladinæ, solvendæ uno tantùm Anno propter instantem Sacri Belli necessitatem : Fridericus quoquè Romanorum Imperator, Deo, Ecclesiæ, & Clementi Romano Pontifici priùs reconciliatus, de manu Henrici Cardinalis Albanensis Episcopi, & Apostolicæ Sedis Legati, Crucem accepit, & ad expeditionem sacram se præparavit, magno suorum Cruce signatorum collecto exercitu.

440 Dùm hæc in Occidente parabantur, semper in dies aucto Græcorum schismate, eorumque adversùs Latinos odium, quidam Impostor Pseudomonachus, magis quàm Monachus Monasterii Studii magnæ Urbis, qui Vatem se profitebatur esse, falsis vaticiniis animum perculit Isaacii Imperatoris, ut cùm adversùs Latinos concitaret, & huic sanctæ expeditioni obsisteret : asseruit nàmque præfato Imperatori, ut Nicetas Choniata scribit, Fridericum Occidentis Imperatorem rem suæ expeditionis in dolo agere, fingere nimirum simulareque, se in Palestinam adversùs Sarracenos profecturum, cùm serò aliud agens, potìri haberet in animo Constantinopolitanâ Civitate. Erat hic nomine Dositheus, vir aliundè ambitiosus, & qui in præmium detecti secreti, aut redditæ revelationis, post Leontium, qui Athanasio successerat, ab Imperatore obtinuit Patriarchatum Hierosolymitanum, quem posteà cum dedecore amisit, cùm ad Patriarchatum Constantinopolitanum anhelasset.

441 Anno itàque Domini MCLXXXIX. Pontificatus Clementis III. Anno II. Imperii Isaacii Angeli Anno IV. Friderici Imperatoris Romanorum Anno XXXV. Indictione VII. idem Fridericus profectionem suam in Terram Sanctâ instituit : cujus exercitus pars altera terrestri viâ, altera verò benè munitâ classe navium quinquagintaquinque, è portu Orientem solvit. Sed propter ingruentes afflictiones, & Græcorum Imperatoris perfidiam, nonnisi sequenti Anno in Thraciam pervènit exercitus. Isaacius nàmque fidem habens falsæ Dosithæi revelationi, varias curavit insidias tendere itineranti Friderici exercitui, adeòut conatus fuerit bellum, primum cum insidiantibus committere Græcia,ut ipsis superatis, patèret ei aditus proficiscendi in Syriam. Hęc describit Auctor Anonimus, Comes tamèn ejusdem Friderici, in quadam Epistola ab eo scripta, ubi in exordio ait.

442 „ Cognoscat itàq; vestræ Sanctitatis
„ discretio, quòd ab amantissimo Rege Hun-
„ gariæ Bela honorificè recepti, & benignè
„ ab ipso, & humaniter tractati, statim cùm
„ Regnum Græciæ intravimus, in manus
„ Furium, & Latronum incidimus, nullâ
„ in Græcis fide repertâ. Nam contrà com-
„ munem non violandorum Legatorum le-
„ gem, Episcopum Monasteriensem, & Co-
„ mitem Robertum cœperant. Undè cum
„ magno labore per partes Bulgariæ proce-
„ dentes, post longam viæ nostræ moram
„ (captâ priùs Civitate Philippopoli, & de-
„ structâ, & famoso Castro Verm destructo,
„ & totâ circùm jacente Regione gladio de-
„ vastata : captâ etiam nobili Civitate An-
„ drinopoli, & circùm jacentibus Civitati-
„ bus, captâque inexpugnabili Civitate Ti-
„ motico à Duce Sveviæ, & infinitis habi-
„ tatoribus Villæ occisis, destructo etiam
„ quodam Castro, nomine Maniceta, à mi-
„ litibus nostris, & paucis de exercitu, ubi
„ circiter sex millia Græcorum perierunt
„ igne, & gladio; captis quoquè compluri-
bus

„ bus Castris, & factâ magnâ strage Græco-
„ rum, cum etiam fame perirent; acceptis
„ etiam à Constantinopolitano Imperatore
„ idoneis obsidibus, redditis etiam nobis
„ Nunciis Soldani, & filiis ejus, quos ad nos
„ missos antè acceperat) in festo Paschæ
„ cum omni prosperitate rerum, & persona-
„ rum, Brachium Sancti Georgii transivimus,
„ sed postmodùm, quæ à prædicto Imperatore
„ jurata, & promissa sunt, nequaquàm sunt
„ observata. *Hæc ille*: prosequens indè brevi stylo cætera Friderici gesta enarrare usquè ad Illius obitum, qui accidit in eodem itinere, superato priùs Iconii Soldano, & innumeris sibi armatibus occurrentibus Turcis cæsis, IV. Idus Junii Anni Domini MCXC. sui Imperii XXXVI. De quo obitu hæc Idem Auctor scribit.

443 „ Moventes castra proximo Sabba-
„ to, directâ viâ versùs Jarandinum ivimus,
„ ubi Kal. Junii hospitati sumus. Et in tem-
„ pestæ noctis silentio tantus factus est Ter-
„ ræmotus, quod putabamus super nos Tur-
„ carum acies irruisse: quòd credidimus fuisse
„ præsagium mutationis circà D. Imperato-
„ rem. Nàm cùm indè procederemus, ivimus
„ Caleph (*sive Saleph, vel Selechinum*) ubi
„ tantam asperitatem, & difficultatem viæ
„ in transitu Montium invenimus, quòd
„ summâ jacturâ rerum vix pervenimus Ca-
„ leph in Dominico die, quæ fuit vigilia
„ Barnabæ Apostoli. Eodem die, cùm Do-
„ minus Imperator per quoddam compen-
„ dium transiret in Convallibus Montium
„ quamdam rapidissimam aquam, salvum se
„ recepit in aliam partem. Facto autèm indè
„ prandio, post infinitos, & intollerabiles
„ labores, quos per mensem jàm erat passus,
„ & vellet balneari in eadem aqua, & ità
„ refrigerari vellet natando, Dei judicio la-
„ crymabili, & inopinato, submersus est.
„ Cujus reliquias debitâ veneratione nobi-
„ scum portamus. *Hactenus ille de Friderici exitu.*

444 Compendiosè quoquè hæc omnia recenset Jacobus Vitriacus in sua Historia Hierosolymitana cap. 99., inquiens: „ Dùm
„ hæc in exercitu ab his qui præcesserant, va-
„ riè agerentur, Imperator Romanorum Fri-
„ dericus cum virtute magna, & innumera
„ pugnatorum multitudine per terram profe-
„ cturus, iter arripuit. Egressus autèm de
„ ultimis finibus Alemanniæ, transiensque
„ Hungariam, Macedoniam, & Græciam,
„ per terras Sarracenorum in manu potenti,
„ & brachio extento, subjugatis sibi Iconio,
„ Philomena, & aliis pluribus Civitatibus,
„ usquè ad Armeniam pervènit: ubi dùm
„ æstu maximo, balneandi gratiâ in fluvium,
„ quem Ferreum appellant Incolæ, descendis-
„ set, casu flebili, submersus, & suffocatus
„ in aquis, peccatis exigentibus interiit,
„ in totius Christianitatis detrimentum.
Hactenus Vitriacus. Sed Marinus Sanutus lib. 3. par. 10. agens de eodem sinistro Friderici casu, ait: „ Cùm verò intrasset Arme-
„ niam, & Saleph, parvi fluvii amenitate,
„ ut quibusdam placet, allectus, balneo, vel
„ secundùm alios, Equo lapsus, vix vivus
„ extractus est. Et paulò post moriens, uni
„ ex tribus filiis, quem secum habebat, exer-
„ citum commisit regendum Anno MCXC.
„ qui parvo post tempore naturali lege vitâ
„ functus est. *Hæc ille*; successit ei in Imperio Henricus, hujus nominis V.

445 Cùm porrò Henricus Rex in Italiam intraret profecturus Romam, atquè Apostolicam suscepturus benedictionem, Dominus Papa Clemens mortuus est, Anno scilicèt Domini MCXCI. Imperii Isaacii Angeli Anno VI. Indictione IX. sui Pontificatus Anno IV. ubi sedisset Annos III. menses III. dies verò IV. obiit enìm IV. Idus Aprilis, sepultusque in Lateranensi Ecclesia: eique suffragantibus Dominis Cardinalibus, datus est successor Cœlestinus, hujus nominis III. patriâ Romanus, ex Cardinali Diacono Sanctæ Mariæ in Cosmedin, ætate gradeuns, quoniàm ut scribit Petrus Blesensis in Epistola 123., qui tùnc clarebat, in officio Diaconatus S. Romanæ Ecclesiæ, permanserat antè suam electionem per Annos sexagintaquinque. Auctor vitæ ejus apud Labæum Tom. 10. Concil. pag. 1767. scribit ex Rogerio in Annalibus Anglicorum, Cœlestinum successisse Clementi IV. Idus Aprilis, & ità eodem die obitus Clementis, ordinatum Sacerdotem in Vigilia Paschæ, & consecratum ipso Paschæ die: „ Cœlestinus III., *inquit*,
„ Patriâ Romanus, qui Auctore Rogerio,
„ priùs Hiacynthus Diaconus Cardinalis Să-
„ ctæ Mariæ dictus fuerat, subrogatus est
„ Clementi Tertio, Anno Domini MCXCI.
„ IV. Idus Aprilis. In Vigilia Paschæ Sacer-
„ dos ipso Paschę die Pontificatum est conse-
„ quutus. *Hactenus ille*.

446 At Rogerius non dicit, Cœlestinum successisse Clementi IV. Idus Aprilis, sed eo die, ait, obiisse Clementem, eique posteà successisse Cœlestinum, ordinatum in Sacerdotem in Vigilia Paschæ, consecratum die Paschæ XVIII. Kal. Majas: „ Mense Aprilis,
„ *inquit*, IV. Idus ejusdem mensis, feriâ
„ quartâ, obiit Clemens Papa Tertius, cui
„ successit Hiacynthus Diaconus Cardinalis
„ Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & in ipsa Vi-
„ gilia Paschæ ordinatus est in Sacerdotem,
„ & in die Paschæ, quæ in XVIII. Kal.
„ Maii evènit, in Romanum Pontificem con-
„ secratus est ab Octaviano Episcopo Ostien-
„ si, & vocatus est Cœlestinus Papa Tertius.
Hactenus Rogerius. Per ea porrò, quæ refert Cencius Camerarius Auctor, qui vixit eodem tempore, de consuetudine tùnc servata circà electionem Pontificis post obitum antecessoris, conijci potest, Cœlestinum electum

Pridie Idus Aprilis, ordinatum Sacerdotem ipsis Idibus Aprilis, consecratum verò XVIII. Kal. Maii. Ait nàmque, tertiâ die ab obitu consuevisse Cardinales convenire ad electionem: *Secunda die*, inquit, *conveniunt in Ecclesia, & missâ mortuorum cantatâ, omnes similiter secundùm consuetudinem antiquam recedunt. Tertiò autèm die iterùm omnes in Ecclesia congregati, & missâ Sancti Spiritus celebratâ, tractant de electione*. Undè si Clemens decessit IV. Idus Aprilis, cùm tertia dies incidat in Idibus Aprilis, sequitur eâ die electum esse Cœlestinum, qui paulò posteà coronavit Henricum VI. in Romanorum Imperatorem, à quo antiqua Ecclesiæ Romanæ jura, & privilegia confirmata fuère, annuens cunctis à Romanis postulatis.

447 Eodem anno Philippus Francorum Rex in Palestinam venit, sequente paulò post illum Richardo Rege Angliç, qui propter injuriam irrogatam sorori Regis Navarrę desponsandę ab iis, qui nomine Isaacii Constantinopolitani Imperatoris Insulam Cypri tenebant, contrà Græcos ibidem commorantes arma vertit, & expugnatis cunctis munitionibus, captoque infido Gubernatore cum uxore, & filia, aliisque pluribus magni nominis, totamque Insulam in suam redègit potestatem, ut scribit Sannutus lib. 3. part. 3. cap. 4. Et dimissâ eâ sub Templariorum custodia, cùm universa præda Ptolemaydam venit, quam jam à Rege Franciæ obsessâ, junctis viribus in deditionem cum eodē recepit. Verùm ortâ indè gravi inter Regem Angliæ, & Regem Franciæ dissensione, divisi sunt ab invicem, Franciæ Rege in Galliam revertente. Richardus verò post nonnulla adversùs Saladinum egregiè gesta, dùm communi omnium Cruce signatorum desiderio agebatur de obsidenda, & iterùm recuperanda Hierosolyma, mutato consilio, reque infectâ, recessit, atque paulò post ad propria revertitur, exultante Saladino, mœrentibus autem Christianis universis.

448 Eodem tempore Georgius Xiphilinus Patriarchatum Constantinopolitanum adeptus est, ubi sedit Annos septem, ut Nicetas scribit; huic Theodorus Balsamon obtulit Commentarium suum super Canones, incœptum sub Emmanuele Comneno, & Michaele Anchialo Patriarcha, ipsis quoquè jubentibus; quod certè opus in causa fuit confirmandi, & augendi Græcorum schismatis, quoniam toto illo opere summâ animi amaritudine à se conscripto, nihil magis elaboravit, quàm ut infamaret Latinorū Ecclesiam principalem, Sanctam scilicèt Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam. In eo namque apocrypha cum authenticis miscuit, cœlibatum Clericorum in Ecclesiis Latina à primęvs Ecclesiæ traditione retentum calumniat; Jejunium Sabbati receptum secundùm priscam consuetudinem, in eadem Ecclesia prorsùs damnat. Jus appellandi ad Apostolicam Sedem aufert; primatumque Romano Pontifici adimit; Ecclesiam Constantinopolitanam frui in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegiis firmat, & alis ejusmodi in contemptum Ecclesiæ Romanæ, & illius dignitatis detrimentum. Itèmque, ut ait Baronius ad Ann. Domini MCXCI. sub num. 51., quod nemo alius Græcorum anteà fecerat, ex Actis Sancti Sylvestri Papæ, sub Eusebii Cesariensis nomine falsò græcè scriptis edidit edictum Constantini de donatione, non ut rem gratam faceret Romanæ Ecclesiæ, sed ut Constantinopolitanum Patriarcham ostenderet antiquissimum, atque simùl Ecclesiam Romanam ab ipso Constantino prælatam super universas Orbis Ecclesias, non à Christo Domino, eaque jura, quæ sibi attribuit, ab eodem Constantino accepisse. Quod quàm falsum sit, sequenti ostendemus Capite.

449 Ceterùm de promotione Georgii Xiphilini ad Patriarchatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ agens Nicetas, refert, Leontium Monachum, qui Nicetæ Mundano ab Isacio substitutus fuerat, ante annum suâ spontè se abdicasse; quo sic abdicato, dùm de substituendo successore ageretur, Theodorum Balsamonem ad eam aspirasse dignitatem, ab Imperatore tamen deceptum; quâ habito cum eodem Balsamone colloquio, dolens dixit, se non invenire in universo Imperio Virum tanto honore dignum, quòd si Canones non obstarent, circà translationem Episcoporum de una ad aliam Ecclesiam, libenter eum de Patriarchatu Antiocheno ad Thronum transferret Constantinopolitanum. Quo audito Balsamon demonstravit Principi ejusmodi translationes esse licitas. Imperator verò habita Episcoporum Synodo, Theodori sententiam comprobare fecit, eamque Imperialibus literis confirmatam voluit. Quibus peractis, non Balsamonem, sed Dositheum Prophetam suum Hierosolymitanum Patriarcham in Sedem Constantinopolitanam transtulit, licèt universis tàm de Clero, quàm de Populo contradicentibus; ubi tamèn non diù sedit, amotus indè cum ignominia, & cum amissione quoquè Patriarchatus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, substituto in Ecclesia Constantinopolitana Georgio Xiphylino, alio verò in Ecclesia Hierosolymitana.

450 Itaquè Nicetas his enarratis de Dosithei translatione, hæc subjungit: „ Dositheus verò à Sede Hierosolymitana Constantinopolim est translatus cum tàm frequenti & splendido comitatu, ut haud dubiè Regium Triumphum æquaret. At „ primarii Sacerdotes, cæterique facundiâ „ insignes, qui se Canonibus temerè violatis „ deceptos videbant, obstupefacti; cùm risum diutiùs perferre non possent, extraordinaria conciliabula, & plebis conventicu-

la

„ la instituunt. Alienæ Ecclesiæ occupator „ Audit Dositheus, secundo honore abro„ gato, è Sede educitur. Imperator verò „ ignominiam illam non ferens, omnibus „ modis adversatur; ac nihil non facit, ut „ approbata illa translatio valeat; nec multò „ post, abrogatione sublatâ, Dositheumque „ denuò confirmatum, per Bipenniferos Sa„ tellites, & Palatinos Proceres in sacram „ ædem deducit, populi motum veritus. Erat „ enim Dositheus ob ambitionem, & Impe„ ratoris intempestivam pertinaciam, & pa„ rùm laudatum sui studium omnibus invi„ sus. Ceterùm rursùs Sede ejicitur, eo„ demque modo, quo Canis Æsopicus, & „ Pontificatum, quem tenuerat, amittit (nàm „ alius Hierosolymis electus est) & majori „ Sede excidit, magno Vasorum Custode „ Xiphylino Georgio Patriarcha designato. *Hactenus Nicetas.*

451 Intereà surrexit adversùs Isacium quidam PseudoAlexius Tyrannus, qui incitatis Persis adversùs eum, in magno posuit discrimine, introductis plurimis ex illis in Regiam Urbem, in Templo Sancti Michaelis Archangeli reclusis, ubi & Sacra omnia prophanarunt, & Sanctorum Imagines ex calculis varii coloris expressas, vel, ut dicitur, opere musyco confectas abolerunt: Sed ad intentum non valuit pervenire Tyrannus, dormiens à quodam Sacerdote, propter ejusmodi nefaria scelera occisus. Cùmque hujus rei causâ Isacius in plurimos sæviret, quos suspectos habebat, factum est, ut exurgente adversùs eum Alexio Angelo, imperium amittere coactus fuerit, æmuloque suo cedere, à quo & in carcerem detrusus fuit Anno Domini MCXCV. Cœlestini Pontificatus Anno V. Imperii Henrici V. Anno V. Indictione XIII. ætatis suæ L. cùm imperasset Annos IX. & menses VIII. Hęc omnia ex Niceta Choniate, qui & ejus mores describit.

CAPUT XVI.

De Primatu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac de Constantini Donatione.

452 Emersit circà Annum Domini MCXCI. Auctore Theodoro Balsamone in Nomocanone Photii, tit. 2. & in Justiniani Novella cap. 123. edictum Constantini de Donatione facta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excerptum, ut ipse ait, ex Actis Sylvestri Papæ, sub Eusebii Cæsariensis nomine falsò græcè scriptis; cujus fragmentum inter paleas recitatur à Gratiano distinct. 96. cap. *Constantinus*. Integrum verò recensetur à Binio tom. 1. Concilior. pag. 310. & à Labbæo in suâ Collect. tom. 1. pag. 1530. sed corruptum quidèm, & interpolatum (sic genuinum edictum reverà à Constantino editum fuit, de quo infrà.) Nec ut rem gratam Romanis faceret, schismaticus auctor edidit, sed ut Constantinopolitanam Ecclesiam mirum extolleret in modum, ac ejus Patriarchatum antiquissimum ostenderet; Ecclesiamque Romanam, suam dignitatem, atque primatum ab ipso obtinuisse Constantino, non jure divino in Sancto Petro à Christo Domino collatum. In eo namque edicto, quod incipit: *Ea quæ Salvator noster*, ut apud antefatos Binium, & Labbæum legitur, post plura infrascripta habentur.

453 „ Utile judicavimus, unà cum om„ nibus nostris Satrapis, & universo Senatu, „ Optimatibusq; meis, etiam & cūcto populo „ Romanę Glorię Imperio subjacenti, ut sicut „ in Terris Sanctus Petrus Vicarius Filii Dei „ esse videtur constitutus, etiam & Pontifi„ ces qui successores sunt ipsius Principis „ Apostolorum, Principatus potestatem, am„ pliùs quàm terrena Imperialis nostræ Sere„ nitatis mansuetudo habere videtur, conces„ sum à nobis, nostroque Imperio obtineant, „ eligentes nobis ipsum Principem Aposto„ lorum, & ejus successores, firmos apud „ Deum esse patronos. Et sicut nostram ter„ renam Imperialem potentiam, sic ejus Sa„ crosanctam Romanam Ecclesiam decrevi„ mus veneranter honorari, & ampliùs quàm „ nostrum Imperium, & terrenum Thronum „ Sedem sacratissimam Beati Petri gloriosè „ exaltari, tribuentes ei potestatem, & glo„ riæ dignitatem, atque vigorem & honorifi„ centiam Imperialem; atque decernentes, „ sancimus, ut Principatum teneat, tàm su„ per quatuor præcipuas Sedes, Antioche„ nam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, „ & Constantinopolitanam, quàmque etiam „ super omnes in universo Orbe terrarum „ Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tem„ pore ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ „ extiterit, celsior & Princeps cunctis Sa„ cerdotibus totius Mundi existat, & ejus „ judicio quæque ad cultum Dei, vel Fidei „ Christianorum stabilitatem procurāda fue„ rint, disponantur. *Hactenus ibi.*

454 Hoc ergò fragmentum confictum, atque ab eodem Balsamone in edicto Constantini insertum, duo antefata demonstrant, nimirum quidquid dignitatis, aut primatus Ecclesia Romana obtinet, ex munificentia Constantini obtinere; Ecclesiam porrò Constantinopolitanam antè Constantini tempora dignitate Patriarchali fuisse insignitam; quæ quidèm, quàm falsa sint, luculentèr ostendemus.

455 Et primò adversùs prætensam antiquitatem Patriarchatus Ecclesiæ Constantinopolitanæ plura militant: non enim tempore Constantini Magni hoc titulo Patriarchali Ecclesia illa insignita fuit; nàm si tempus

pus dati edicti attendatur, nondùm Civitas à Constantino extructa fuerat, nec Constantinopolis adhùc appellabatur, sed antiquum retinebat Bizantii nomen. Legitur namque datum III. Kalend. Aprilis, Constantino IV. & Gallicano Cosseo verò anno, quo quartum gessit Consulatum, nec baptizatus adhùc fuerat Constantinus, & ille annus incidit in Annum Domini CCCXV. Immò nec quartum Consulatum gessit cum Gallicano, sed cum Licinio IV. cùm esset Imperii Constantini Annus X. Licinii IX. Silvestri I. Pontificatus II., ut accurati Chronologici adnotant: Constantinopolim verò nonnisi post Concilium Nicænum, Anno scilicèt Domini CCCXXV. Imperii Constantini XX. & Sylvestri Papæ XII. dicatum fuisse, & ab Imperatoris nomine nomenclaturam sumpsisse, atque & novam Romam appellatam, tradunt eruditi omnes, & ità fit manifestum, tempore dati edicti nondùm Civitatem Bizantii appellatam fuisse Constantinopolim.

456 Deindè in Concilio Nicæno eo anno celebrato, ubi mentio habetur Can. VI. de Ecclesiis Patriarchalibus, recensitis Romana, Alexandrina, & Antiochena, de Constantinopolitana altum silentium est. Et licèt Canone VII. aliquem honorem tribuant Patres Æliæ, sivè Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo, nulla in universa illa Synodo legitur concessa prælatio Episcopo Byzantino, vel Constantinopolitano. Hinc Græci absolutâ Synodo Constantinopolitanâ I. celebratâ Anno Domini CCCLXXXI. extrà eam, inter Canones ab eis editos, tertio loco Episcopo Constantinopolitano, post Romanum Episcopum, locum immediatè consignarunt, ut diximus Part. I. Cap. I. Si ergò à tempore Constantini obtinuisset Patriarchatus honorem, non erat necesse hac de re Canonem confingere, quem posteà cum aliis Sancta Romana Ecclesia reprobavit. Idem posteà conati sunt adstruere in Synodo Chalcedonensi, celebratâ Anno Domini CCCCLI., edito Canone XXVIII., absentibus Apostolicæ Sedis Legatis pro primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ post Romanam, protestantibus indè adversùs eum iisdem Apostolicæ Sedis Legatis, & fortitèr reclamante Leone Papa, ut in eadem Part. I. Cap. 2. fusè ostendimus. Et Gelasius Papa in Romana Synodo celebrata Anno Domini CCCCXCIV. inter Ecclesias Patriarchales nullo pacto enumerat Ecclesiam, Constantinopolitanam, quæ nonnisi Justiniani decreto evecta fuit in Patriarchalem, tacentibus Romanis Pontificibus pro bono pacis; pro qua recolenda sunt quæ in prima Parte hujus Operis dicta sunt.

457 De primatu porrò Ecclesiæ Romanæ, ejusque supèr cunctas Orbis Ecclesias prælatione, plura scripsère Viri docti, ostendentes, mentiri eos, qui aut primatum non habere contendunt, aut si concedunt, ex munificentia & liberalitate, vel Constantini Magni concessis privilegiis habere contendunt. Non est enim Ecclesiæ primatus quidquam temporale, quòd præstare possint hujus Sæculi Principes; sed quoddam spirituale, quod nonnisi ab eo, qui Spiritus est, & in Spiritu adoratur, immediatè conferri potest. Spiritualis potestas, quam super universum Populum Christianum exercet Sancta Romana Ecclesia, & Romanus Pontifex, non fluit à temporali Principum potestate, quæ longè est inferioris ordinis, sed immediatè à Deo, & Christo Jesu Domino & Salvatore nostro, qui hanc potestatem & primatum Petro contulit, dùm ei dixit, Joannis cap. 21. *Pasce Agnos meos; pasce Oves meas*, quam cùm adhùc esset in mortali carne in partes Cæsareæ Philippi promiserat, Matthæi cap. 16. dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.*

458 Hoc ergò testimonio, nisi Sancti Patres jure Divino primatum super omnes totius Orbis Ecclesiæ competere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romano Pontifice apertis verbis pronunciarunt: Undè Anacletus Papa Epistola 3. §. 3. ait: „ Hæc verò Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, „ non ab Apostolis, sed ipso Domino Salvatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani Populi gregem „ assecuta est, sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Deindè enumerans Ecclesias Patriarchales, eas tantùm consignans, quæ à Petro Apostolo, vel eo jubente, sunt fundatæ, asseritque, primam omnium esse Romanam à Petro fundatam, in qua & martyrium subiit; Alexandrinam secundam, à Marco ejusdem Beati Petri nomine fundatam; tertiam verò Antiochenam paritèr ab eodem Sancto Petro, antequàm Romam veniret, fundatam, subjungens posteà §. 4.: „ Si quæ verò causæ difficiliores inter „ vos ortæ fuerint, ad hujus Sanctæ Sedis „ apicem eas, quasi ad caput referre, ut Apostolico terminentur judicio; quià sic Dominum velle, ab eoque ità constitutum „ esse antedictis testimoniis declaratur. Hæc „ verò Apostolica Sedes cardo & caput (ut „ prætactum est) omnium Ecclesiarum, à „ Domino, & non ab alio, est constituta. „ Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus „ Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, „ Domino disponente, reguntur. *Hactenus Anacletus*, qui claruit Anno Domini CII. vel CIV.

459 Alexander I., qui claruit Anno Domini CXXI. vel CIX. Epistolâ 1. data ad omnes orthodoxos, §. 1. scribit: „ Relatum „ insuper est ad hujus Sanctæ & Apostolicæ „ Sedis apicem, cui summarum dispositio „ causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt quasi ad „ caput, ipso dicente Principi Apostolorum: „ *Tu es Petrus, & super hanc petram Ecclesiam meam ædificabo*; quod quidam æmuli Christi, ejusque Sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad Judices publicos accusare præsumant.

460 Sixtus I., qui claruit circà Annum Domini CXXX. vel CXXXII. Epistolà 2. data universis Ecclesiis, §. 2.: „ Si quis verò, „ *inquit*, vestrum pulsatus fuerit in aliqua „ adversitate, licentèr hanc Sanctam & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam, quasi „ ad caput, suffugium habeat, nè innocens „ damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum „ patiatur. *Hæc ille*.

461 Higinius Papa, qui claruit circà Annum Domini CLII. vel CLIV. in Epistola data ad omnes Christifideles, agens de causis Episcoporum à Metropolitanis cum Episcopis comprovincialibus cognoscendis, decernit ità procedendum, sed salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, cujus est, omnes causas Episcoporum cognoscere; ait namque §. 2. „ Cæterùm fratres, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus „ Metropolitanus, absquè cæterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, „ quià irritæ erunt, aliter, quàm in conspectu „ eorum omnium ventilatæ; & ipse si fecerit, „ coerceatur à fratribus.

462 Pius Papa I. qui claruit circà Annum Domini CLVIII. vel CLX. Epist. 1. data ad omnes Christifideles, Ecclesiam Romanam caput omnium Ecclesiarum dicit, cui cæteræ Orbis Ecclesiæ conformari debere fatetur; statuit nàmque die Dominico Pascha à cunctis fidelibus celebrandum, indèque subjungit: *Undè & vos Apostolicà auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, quià & nos eadem servamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere*. Et Epistola 2. data ad Italicos, dùm decernit causas spectantes ad Religionis observantiam, cognoscendas in Synodis Provincialibus, hoc fieri concedit, salvâ Apostolicâ auctoritate: *De cætero*, ait, *salva in omnibus Apostolicà auctoritate quæcumque sunt ad Religionis observantiam pertinentia, locis fuit, & à suæ Diœceseos Synodis, audiantur*.

463 Anicetus Papa I. qui claruit ergà Domini Annum CLXV. vel CLXVII. in Epistola data ad Episcopos Galliæ, Episcoporum judicia à Sede Apostolica esse cognoscenda declarat, inquiens: „ Si verò incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad „ hanc Apostolicam Sedem (cui omnium „ Episcoporum judicia terminare præcepta „ sunt) ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autèm propter nimiam longitatem, aut temporis incommoditatem, vel „ itineris asperitatem, grave ad hanc Sedem „ ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus „ Primatem causa deferatur, & penès ipsum „ hujus Sanctæ Sedis auctoritate judicetur. „ Similitèr, si aliquis Episcoporum proprium „ Metropolitanum suspectum habuerit, apud „ Primatem Diœceseos, aut apud hanc Apostolicam Sedem audiatur.

464 Eleutherius Papa, qui claruit Anno Domini CLXXVII. vel CLXXIX. in Epistola data ad Provincias Galliæ similia tradit in causis accusationum Clericorum, inquiens §. 2. „ De accusationibus ergò Clericorum, super quibus consulti sumus, „ quià omnes eorum accusationes difficile „ est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva Episcoporum tantùm judicia hùc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate „ finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque „ successoribus, multorum consensu Episcoporum, jam definitum est.

465 Victor Papa I. in Epistola data ad Theophylum Episcopum Alexandrinum, seù veriùs Metropolitanum Cæsareæ Palestinæ, cujus meminit Euseb. lib. 5. Histor. cap. 22. agens paritèr de causis Episcoporum terminandis, §. 3. ait: „ Similitèr, ea vos judicare ad Apostolicam delàtum est Sedem, quę „ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, idest, Episcoporum causas. „ Undè ità constitutum liquet à tempore „ Apostolorum, & deinceps placuit, ut accusatus, vel judicatus à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licentèr „ appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios „ suos, ejus retractari negotium procuret. „ Et dùm iterato judicio Pontifex causam „ suam agit, nullus alius in eo loco ponatur, aut ordinetur Episcopus; quoniàm „ quamquàm à Comprovincialibus Episcopis accusati, causam Pontificis scrutari liceat, non tamèn diffiniri, inconsulto Romano Pontifice, permissum est, cùm Beato Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab „ ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cælo; „ & quæcumque solveris super terram, erunt „ soluta & in Cælo*. Hæc Victor.

466 Victori successit Zepherinus, circà Annum Domini CCI. vel CCIII. qui in Epistola 1. data ad omnes Episcopos Sicilienses de Episcoporum judiciis, & majoribus Ecclesiæ causis ab Apostolica Sede cognoscendis, velut omnium Ecclesiarum matre, Principatum tenente in totius Orbis Ecclesias, hæc inter plura scribit: „ Finis verò ejus causæ

ad

„ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidèm terminetur; nec anteà finiatur, sicùt „ ab Apostolis, vel successoribus eorum „ olim statutum est, quàm ejus auctoritate „ fulciatur. Ad eam quoquè ab omnibus, „ maximè tamèn ab oppressis, appellandum „ est, & concurrendum quasi ad matrem, ut „ ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressoribus releventur, quià *non potest, nec debet mater oblivisci filium suum*. Judicia enim Episcoporum, majoresque Ecclesiæ causæ, à Sede „ Apostolica, & non ab alia, sicùt Apostoli, „ & sancti Successores eorum statuerunt, „ cum aliis sunt terminandæ; quia licèt in „ alios transferantur Episcopos, Beato tamèn Apostolo Petro dictum est: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælis*. Et reliqua „ privilegia, quæ huic Sanctæ Sedi concessa „ sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumque successorum, aliisque quampluri- „ mis cum eis concinnentibus, habentur inserta.

467 Fabianus Papa, qui claruit Anno Domini CCXXXVI., vel CCXXXVIII., Epistola 1. data ad universam Ecclesiam, Sanctam Romanam Ecclesiam omnium matrem dicit, eamque in suis ritibus sequendam admonet, inquiens in principio: „ Divinis „ præceptis, & Apostolicis monemur institutis, ut pro cunctarum Ecclesiarum statu „ impigro vigilemus affectu; Undè consequens est, debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, „ ut ejus sequentes exempla, ejus veri filii „ inveniamini, quæ vestra est mater vocata. *Hæc ibi*. Sed & in Epistola data ad Hilarium Pictaviensem, dùm peregrina judicia prohibet, Apostolicam auctoritatem reservat, inquiens § 2. *Peregrina verò judicia, salvà in omnibus Apostolicà auctoritate, generali sanctione prohibemus*. Deindè agens de Episcopo appellante ad Apostolicam Sedem, velut ad Caput omnium Ecclesiarum § 5. scribit: *Placuit etiam, ut si Episcopus accusatus, appellaverit ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod ejusdem Sedis Pontifex censuerit*.

468 Deindè Clerus Romanus, vacante Sede post Fabiani Martyrium, & urgente Decii Imperatoris persecutione, propter Ecclesiæ Romanæ principalitatem super cæteras Orbis Ecclesias, scripsit hortatoriam literam ad Clerum Carthaginensem, ad Fidei constantiam, & instruens quomodò se gerere deberet circà lapsos in Fide: Et quidèm ex debito talia scribere sibi incumbere testatur, inquiens: „ Et cùm incumbat nobis, qui videmur præpositi esse, & vice Pastoris custodire „ gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis quod antecessoribus nostris „ dictum est, qui tàm negligentes præpositi „ erant; quoniàm perditum non requesivimus, & errantem non correximus, & „ claudum non colligavimus, & lac eorum „ edebamus, & lania eorum operiamur. „ *Hæc & alia ibi*. Si ergò Ecclesia Romana „ Principatum nequaquàm habuisset in cæteras Orbis Ecclesias, talia minimè ausus „ fuisset ejus Clerus ad Ecclesiam rescribere „ Carthaginensem; Nec Cyprianus illius „ Ecclesiæ Episcopus consuluisset eundem „ Clerum in causa lapsorum, prout consuluit, ut ex ejusdem Cypriani literis ad „ eundem Clerum datis, & ex Cleri responsis luculenter apparet.

469 Electo posteà Cornelio circà Domini Annum CCLII., vel CCLIV., in Epist. 2. data ad Rusticum Coepiscopum Orientalem, ab eodem consultus, agens de Episcoporum causis, à Comprovincialibus Judicibus definiendis, inconcussum relinquit jus appellandi ad Apostolicam Sedem propter illius majorem dignitatem: *Nullus enim Sacerdotum*, inquit, *causam suam alieno committat judicio, nisi ad Sedem Apostolicam fuerit appellatum*: Et §.2. Romanam Ecclesiam universalem appellat: *Et Sacramenta*, ait, *super quibus hanc Sanctam Romanam, ac universalem Ecclesiam consulere voluisti, fieri prohibeas, & neminem unquàm infestes, aut noceas*. Intereà celebratâ Africanâ Synodo à S. Cypriano in lapsorum causa, prolatâque sententiâ, missa est Synodica ad Cornelium Papam, quæ incipit: *Statueramus quidèm jam pridèm*, ut certior redderetur de gestis in ea Synodo, postulantes quodammodo suam ab eodem Cornelio confirmari sententiam; scribentes inter alia: „ Placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente, „ & Domino per visiones multas, & manifestas admonente, quià hostis nobis imminere prænuntiatur, & ostenditur, colligere intrà claustra Militea Christi, & examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, „ imò pugnaturis arma suggerere, quod credimus vobis quoquè, paternæ misericordiæ „ contemplatione, placiturum.

470 Lucius indè Papa, successor Cornelii, qui claruit circà Domini Annum CCLIII., vel CCLV., in Epistola, quam dedit ad Galliæ, & Hispaniæ Episcopos, pro Primatu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, inter alia hæc quoquè §.6. subnectit: „ Hæc Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi „ Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiâ „ à tramite Apostolicæ traditionis numquàm „ errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut in exordio „ normam Fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata sine tenùs manet, secundùm ipsius Domini Salvatoris Divinam „ pollicitationem, qui Discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evangeliis: „ *Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetivit, ut cri-*

„ *cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego* „ *autem pro te rogavi, ut non deficiat fides* „ *tua. Et tu aliquandò conversus, confirma* „ *fratres tuos*. Et paucis interjectis, subjun„ git: Fidem Beati Petri non defecturam „ promisit, & confirmare eum fratres suos „ admonuit; quòd Apostolicos Pontifices, „ meæ exiguitatis prædecessores, confiden„ tèr fecisse semper cunctis est cognitum. „ Quorum & pusillitas mea, licèt impar & „ minima, pro suscepto tamèn, divinâ di„ gnatione ministerio, pedissequa cupit exi„ stere.

471 Stephanus indè I. creatus Romanus Pontifex Anno Dñi CCLV. aut CCLVII., Lucii successor, in Epistola 2. data ad omnes Episcopos per diversas Provincias constitutos, agens de Episcoporum causis, & judiciis, tradit majores causas ad Apostolicam Sedem, propter illius summam auctoritatem esse referendas: „ In ipsis verò Urbibus, *in*„ *quit*, post Christi adventum, Apostoli & „ successores eorum Patriarchas, vel Prima„ tes posuerunt, ad quos Episcoporum ne„ gotia, salvâ in omnibus Apostolicâ aucto„ ritate, & majores causæ, post Apostoli„ cam Sedem, sunt referendæ. *Hæc ille*; qui & primatum Apostolicæ Sedis satis exercuisse videtur ea in controversia de Hæreticorum baptismo exorta in Africa sub Cypriano Episcopo; nàm quòd Cyprianus diversis in Synodis cum Africanis Episcopis statuerat, Asianis quoquè compluribus cum Firmiliano consentientibus, de iterando nimìrum hæreticorum baptisma, cassavit supremâ sui Pontificatus auctoritate, atque annullavit, rescribens, ut idem Cyprianus in Epistola 74. ad Pompejum refert: *Si quis ergò à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm*. In quam posteà sententiam, licèt post multa dissidia, descenderunt universi Episcopi Africani, & Asiani, pace tandèm firmatâ, ut Sanctus Augustinus in lib. de Baptismo contrà Donatistas, pluribus demonstrat; & Divus Hieronymus in lib. contrà Luciferianos. Immò idem Augustinus Epist. 48. data ad Vincentium conjicit etiam, Sanctum Cyprianum suam correxisse sententiam. Ait namque in ea, quæ in nova editione est XCIII. sub num. 38. *Correxisse autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamèn de tali Viro existimandum est, quòd correxerit, & fortassè suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carère noluerunt*.

472 Sub eodem Pontifice agnitus est Ecclesiæ Romanæ primatus ab ipsis quoquè hæreticis, quoniàm Basilides Episcopus in Hispania propter hæresim depositus, ad Sedem Apostolicam veniens, decepto falsis repræsentationibus Stephano, obtinuit ab eo, ut in sua Sede restitueretur, ut scribit Cyprianus in Epistola 68. *Romam pergens*, ait de Basilide loquens, *Stephanum collegam nostrum longè positum, & gestæ rei, & tacitæ veritatis ignarum fefellit: ut exambiret reponi in Episcopatu, de quo fuerat justè depositus*. Et propter eundem Romani Pontificis Primatum idem Beatus Cyprianus in causa Marciani Arelatensis Episcopi Novatiani hæretici & Schismatici fautoris, scripsit ad eundem Stephanum Papam, quatenùs suprema sua auctoritate, datis literis ad Relatenses mandaret Marcianum deponi, & alium suo loco Episcopum Catholicum substitui. In ea namque Epistola 67. enarrat priùs Cyprianus Marciani lapsum, inquiens: „ Faustinus collega no„ ster Lugduni consistens, frater charissimè, „ semèl atque iterùm mihi scripsit, signifi„ cans ea, quæ etiam vobis scio utique nun„ ciata, tam ab eo, quàm à cæteris Coepi„ scopis nostris in eadem Provincia constitu„ tis, quod Marcianus Arelate consistens, „ Novatiano se conjunxerit, & à Catholicæ „ Ecclesiæ unitate, atque à corporis nostri „ & Sacerdotii consensione discesserit, tenens „ hæreticæ præsumptionis durissimam pravi„ tatem, ut Servis Dei pœnitentibus & do„ lentibus, & ad Ecclesiam lacrymis & gemi„ tu & dolore pulsantibus, divinæ pietatis & „ lenitatis paternæ solatia & subsidia clau„ dantur, nec ad fovenda vulnera admittan„ tur vulnerati, sed sinè spe pacis & commu„ nicationis delicti, ad Luporum rapinam „ & prædam Diaboli proiiciantur. *Hæc ille*.

473 Qui, ut huic malò remedium opportunum præbeatur, pro sua sententia consulens, subjungit: „ Cui rei nostrum est „ consulere & subvenire, frater charissimè, „ qui Divinam Clementiam cogitantes, & „ gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic „ censuram vigoris peccatoribus exhibemus, „ ut tamen lapsis erigendis, & curandis vul„ neratis, bonitatis & misericordiæ divinæ „ medicinam non denegemus.

474 Deindè optimè norens soliùs Romani Pontificis, ratione supremæ suæ in universas Orbis Ecclesiæ potestatis, esse Episcopos destituere, atque instituere, habereque præcipiendi cunctis fidelibus auctoritatem, hæc subnectit: „ Quaproptèr facere te oportet „ plenissimas literas ad Coepiscopos nostros „ in Galliis constitutos, ut ultrà Marcianum „ pervicacem, & superbum, & divinæ pietatis, „ ac fraternæ salutis inimicum, collegio no„ stro insultare patiantur: quod nec dùm vi„ deatur à nobis abstentus, qui jam pridem „ jactat, & prædicat, quod Novatiano stu„ dens, & ejus pervicaciam sequens, à com„ municatione se nostra segregavit.

475 Post verò aliqua addit Cyprianus: „ Dirigantur in Provinciam & ad plebem „ Arelate consistentem à te literæ; quibus „ abstento Marciano, alium in locum ejus „ substituatur, & Grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus nostris, annis istis superioribus excessisse sinè pace: vel cæteris subveniatur, qui supersunt, & diebus ac noctibus ingemiscunt. *Et in fine*. Significa planè nobis, qui in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros, dirigere, & conscribere debeamus. *Hactenus Cyprianus*.

476 Sixto porrò successit Dionysius Papa circam annum Domini CCLVIII. vel CCLXI. qui in Epistola 2. datam ad Severum Episcopum Apostolicam Sedem consulentem in causa Parochianorum, apertè in exordio illius fatetur Romanum Pontificem super universam Ecclesiam principatum tenère, inquiens: „ Olim & ab initio tantam percepimus à Beato Petro Apostolorum Principe „ fiduciam, ut habeamus auctoritatem universali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subvenire: & quidquid nocivum est, auctoritate Apostolica corrigere & emendare. „ Ad hoc enim Divinæ dispensationis provisio gradus, & diversos constituit ordines „ esse distinctos, ut dùm reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem inpenderent, una concordiæ fieret ex diversitate contextio. *Et paulò infrà*. Hinc etenim pax & charitas „ mutua se vice complectuntur, & manet „ firma concordiæ in alterna & Deo placita „ dilectione sinceritas: quià unumquodque „ tunc salubriter completur officium, cum „ fuerit unus, ad quem possit recurri Præpositus. *Hæc ille*.

477 Sub hoc Pontifice ab ipsis quoque Ethnicis agnita est Ecclesiæ Romanæ prælatio super cunctas Orbis Ecclesias, id quod ex actis Pauli Samosateni Episcopi Antiocheni pessimi hæretici, apud Eusebium lib. 7. hist. Cap. 23. & 24. & Cap. 30. in ædit: Valesiana, & Capitolo 26. in vetusta ædit. MCCCCLXXIX. palàm fit, qui cum esset damnatus in Antiochena Synodo, circa Annum Domini CCLXX. aut CCLXXII. ac depositus synodali Decreto, substituto in ejus locum Domno Demetriani filio, viro omni genere virtutum exornato, ut Patres in Epistola synodica testantur, è Domo Ecclesiæ secedere recusans appellavit Aurelianum Imperatorem: sed hic appellatione recepta, præcepit Domum antefatam iis tradi, quibus Italiæ Episcopi, & maximè Romanus Pontifex tradendam decernerent: „ Sed cum Paulus, *ait Eusebius*, è „ Domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet; „ interpellatus Imperator Aurelianus rectissimè hoc negotium diudicavit, iis Domum „ tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ „ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modò vir supramemoratus cum summo dedecore per sæcularem „ potestatem ab Ecclesia exturbatus est. *Hactenus Eusebius*. Et in antiqua editione legitur: *Aurelianus religiosè satis, sanctèque de hoc decernit, his præcipiens Ecclesiæ Domum tradi, quibus Italiæ Sacerdotes, & Romanus Episcopus scripserant*. Ex aliis fortè comprobatam habuisse Aurelianum Ecclesiæ Romanæ ac Pontificis Romani super universos Christianos potestatem, verosimiliter asseri potest.

478 Felix quoquè Papa I. Dionysii successor Anno Domini CCLXX. vel CCLXXII. in Epistola I. data ad Paternum Episcopum, & Epistola 2. data ad Episcopos Galliæ, suprema sua auctoritate multa præcipit servanda in causis accusationum Sacerdotum, & Episcoporum, & in prima Epistola §. 5. ut ostendat Apostolicæ Sedis auctoritatem in hujusmodi causis cognoscendis, ait: *Primates quoque accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quam Apostolica freti auctoritate*. In tertia quoque Epistola data ad benignum Episcopum consulentem super quibusdam fidei dubiis, ergà initium, *ait*: „ Semper enim dubia & majora „ negotia, terminum ab hac S. Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. „ Et ideò tu rectè fecisti, quod hujus Sanctæ „ Sedis consultis, te cæterosque firmari & „ instrui voluisti.

479 Euthychianus post Felicem adeptus Ecclesiæ Romanæ Pontificatum Anno Domini CCLV. Epistola 2. data ad Episcopos Siciliæ, de accusationibus, & modo procedendi in causis Ecclesiasticis, Romanam Ecclesiam universalem dicit, & quid servandum in hujusmodi causis suprema jubet auctoritate, inquiens §. 1.: „ Unde ista præcaventes, & stultorum animos prævidentes, cura pastorali „ cum omnibus Episcopis, & Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ utriusque Ordinis fidelibus, statuimus, non ità in Ecclesiasticis agendum esse negotiis, sicut in sæcularibus. *Hæc ille*

480 Sed & Cajus Papa electus Anno Domini CCLXXXIII. in Euthychiani locum, in Epistola data ad Felicem Episcopum consulentem Apostolicam Sedem, primò asserit præfatam Apostolicam Sedem fontem esse à qua quævis doctrinæ veritas emanat; „ Hoc „ ergò, *inquit*, frater carissimè, propositum „ tuæ consultationis tota mente tractantes, „ de te quoque provenire confidimus, qui regulam Catholicæ fidei iisdem studes tenere „ vestigiis, quibus eam in Apostolica Sede „ cognoscis esse fundatam. *Et posteà*. Si quid „ ex his in Ecclesia, quæ tuæ gubernationi „ (Domino auxiliante) commissa est, nedùm plena luce claruerit, ad eundem fontem

„ tem, de quo illa salutaris manarat lympha, „ recurritis. *Hæc ille*. Qui in fine Epistolæ ut primatum Apostolicæ Sedis palàm ostendit, concludens, ait: *Et quæcumque difficiles quæstiones per singulas Provincias exortæ fuerint, semper ad Apostolicam Sedem referantur*.

481 Cajo successit Marcellinus, huic suffectus est Marcellus I. Anno Domini CCCIV. qui in Epistola data ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ, præclarè de Ecclesiæ Romanæ Primatu pertractat: Ait namque, de Petro agens: „ Ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui „ ait Dominus: *Tu es Petrus & super hanc „ petram ædificabo Ecclesiam meam*, & reliqua. „ Ejus enim Sedes primitùs apud vos fuit, „ quæ posteà jubente Domino, Romam translata est, cui adminiculante gratia Divina, „ hodierna præsidemus die. Nec ab ejus dispositione vos deviare oportet, ad quam „ cuncta majora Ecclesiastica negotia (Divina disponente gratia) jussa sunt referri, „ ut ab ea regulariter disponantur, à qua „ sumpsere principia. Si vestra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est quæ ejus non subjecta „ sit ditioni, ad quam omnes quasi ad caput „ juxtà Apostolorum eorumque successorum „ Sanctiones, Episcopi qui voluerint, vel quibus necessè fuerit, suffugere, eamque appellare debent, ut indè accipiant tuitionem & liberationem, unde acceperunt informationem & consecrationem. Quod omnibus minimè convenit denegare Episcopis, „ sed absq;ulla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione, liberè ire concedatur. Simulque iidem (inspirante Domino) constituerunt ut nulla „ Synodus fieret, præter ejusdem Sedis auctoritate, nec ullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, suo tempore Apostolica auctoritate convocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel judicetur: „ quià (ut pauló superiùs prælibatum est) „ Episcoporum judicia, & summarum causarum negotia, sivè cuncta dubia, Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda & finienda. Et omnia comprovincialia negotia, „ hujus Sanctæ universalis & Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda judicio, si hujus Ecclesiæ Pontifex præceperit. *Hæc Marcellus*.

482 Marcello suffectus est Anno Domini CCCIX. Eusebius, & hic in Epistola 3. si genuina est, eandem principalitatem Ecclesiæ Romanæ tribuit, dùm ait: „ Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam „ suam Romanam Ecclesiam Beati Petri Apostolorum Principis Sacerdotio ditavit, nobisque viam monstrandam circà nos (propter universalem curam, quæ nobis est propter privilegium ejusdem Ecclesiæ) invicem charitatia indulsit, ut qui cohæremus „ firmitate fidei, jungamur quoque votivi „ jucunditate colloquii.

483 Melchiades indè Eusebii successor, creatus Romanus Pontifex Anno Domini CCCXI. In ea, quam ad Hispaniæ Episcopos scripsit, Epistola eandem prærogativam Ecclesiæ Romanæ concedit, si pariter genuina est: nàm in præfatione inter alia scribit: „ Episcopos nolite judicare, nolite condemnare absque Sedis hujus auctoritate. Quòd „ si feceritis, irrita erunt vestra judicia, & „ vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est servari, quod illæsum „ monet usque in odiernum diem. Episcopos „ ergò, quos sibi Dominus tanquam oculos „ elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, „ quibus etiam ligandi & solvendi dedit potestatem, suo judicio reservavit: hocque „ privilegium Beato clavigero Petro, sua vice solummodò commisit. Quod ejus justè „ prærogativum successit Sedi, futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, „ quoniàm & inter Beatos Apostolos fuit „ quædam discretio potestatis. Et licèt cunctorum par electio foret, Beato tamen Petro concessum est, ut aliis præemineret, „ eorumque quæ ad quærelam venirent causas & interrogationes prudenter responderet. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, nè omnes posteri eorum cuncta sibi vindicarent, sed semper „ majores causæ, sicut sunt Episcoporum, „ & potiorum Curæ negotiorum, ad unam „ Beati Principis Apostolorum Petri Sedem „ confluerent: ut indè suscipiant finem judiciorum, undè acceperunt initium, institutionum, nè quandoque à suo discrepa- „ rent capite. *Hactenus Melchiades*.

484 Hæc ergò sunt antè Sylvestrum, & antè Constantini edictum testimonia, quæ demonstrant Ecclesiæ Romanæ primatum alio jure concessum, quàm à Constantino Magno, ut expressè fatentur, quotquot Sylvestro præcesserunt ipsi Romani Pontifices, Viri Sanctissimi, qui majori ex parte gloriosum pro Christo subjere Martyrium. Quod si fortè hujusmodi testimonia minimè placent, vel quià Romanorum Pontificum causam propriam agentium (quod nefas est suspicari de calumnia in Sanctis Viris) vel quià fortè nonnulli recentiores critici, præfatas Epistolas, undè excerpta sunt prælibata testimonia, spurias pronunciant & supposititias, atque in eodem ordine reponentes cæteras, quæ circumferuntur sub nomine Romanorum Pontificem usque ad Syricium Papam: quibus tamèn complures eruditi viri adversantur, eas pro genuinis recipientes, aliquibus dumtaxàt exceptis, licèt & ille omni prorsùs non careant probabilitate. Utcumque tamèn se habeant, adsunt & testimonia quibus nemo adversari potest, cum non sit qui ea in dubium revocare possit, ac eorum esse non confiteri, à quibus prolata feruntur.

485 Itaquè cùm nemo dubitet genuinas esse Beati Cypriani datas ad Clerum Romanum literas, Sede adhuc vacante, & ad eundem Cyprianum à Clero redditas, ex iis perbellè elicitur Ecclesiæ Romanæ prærogativa ejusque prælatio super cunctas Orbis Ecclesias. Antè Dacianam persecutionem divinitùs revelatam, volens ad majorem suæ Ecclesiæ utilitatem illam secedendo vitare, literas ad Clerum Romanum fecit, secessus sui rationem reddens: „ Quoniàm, *inquit*, comperi, fratres charissimi, minùs simpliciter, „ & minùs fideliter vobis renuntiari, quæ hic „ à nobis gesta sunt & geruntur, necessarium „ duxi has ad vos literas facere, quibus vobis „ actus nostri, & disciplinæ & diligentiæ ratio redderetur. *Hęc ille*. In Epistolę exordio, quę est inter Cyprianicas Pamelianę ęditionis 14. Si verò Cyprianus haud agnovisset Ecclesię Romanæ prærogativam super cunctas Orbis Ecclesias, nequsquam tantam solicitudinem exhibuisset, reddendi sui secessus rationem. In fine porrò Epistolę, suggerit nonnullas causas indecisas reliquisse, definiendas tamèn, restituta Ecclesiæ pace, & de ejusdem Cleri Romani consilio & assensu: Planè, *inquit*, cæterorum causas, quamvis „ libello à Martyribus accepto, differri man„ davi, & in nostram præsentiam reservavi: „ ut cum pace à Domino nobis data, plures „ præpositi convenire in unum cœperimus, „ communicato etiam vobiscum consilio di„ sponere singula, & reformare possimus. *Hactenus Cyprianus*.

486 Hinc Clerus Romanus audito Cypriani secessu, literas fecit ad Clerum Carthaginensem, quibus ex officio sibi incumbere tradit instruere eos quid agere oporteret tempore hujus secessus, ut supra fati fumus: *Et cum incumbat nobis*, inquiunt, *qui videmur præpositi esse, & vice pastoris custodire Gregem*, & reliqua superiùs recensita: sunt autem hæc verba expressè designantia prælationem Ecclesiæ Romanæ super alias Ecclesias, sivè per universum Christi Gregem. Et in alia ejusdem Cleri Epistola inter Cyprianicas 31. data ad ad Cyprianum in causa lapsorum, de qua ipse Cyprianus per geminatas literas consuluerat, non obscurè indicatur principalitas Romani Pontificis in definitione, eorum quæ ad fidem & Ecclesiasticam disciplinam pertinent, ubi legitur: „ Quamquam nobis dif„ ferendæ hujus rei necessitas major incum„ bat, quibus post excessum nobilissimæ me„ moriæ Viri Fabiani, nondùm est Episco„ pus propter rerum & temporum difficulta„ tes constitutus, qui omnia ista moderetur, „ & eorum qui lapsi sunt possit cum auctori„ tate & consilio habere rationem.

487 Porrò sub Zepherino Papa, orta Montanistarum hæresi, damnatisque cunctis hujus sectæ fautoribus, reclamans Tertullianus, qui ei addictus fuerat, & Pontificio anathemati pariter cum aliis **subjectus**, diversa volumina adversùs Catholicos, quos Psychicos appellat, idest, animales, ædidit, & inter alia librum de Pudicitia, ubi, licèt in Romanum Pontificem infensus, attamèn Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum ea ætate dici rescribis, Cap. 1., inquiens: *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicèt maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & Mœchiæ, & Fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto*. Et licèt quasi irrisoriè talia scribat, irridet tamen id quod à communi Catholicorum consensione censebatur. A' Catholicis enim Pontifex Maximus appellabatur & pro Episcopo Episcoporum habebatur: undè Tertullianus exagerans ea epitheta tribuit, quæ à Catholicis tribui consueverant: quasi diceret: *Ille qui Pontifex Maximus appellatur, qui Episcopus Episcoporum dicitur, tale Decretum edidit*: Hinc & subjungit: *O, edictum cui adscribi non potest bonum factum?* Et infrà. *Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronunciatur, & virgo est? Absit, absit à Sponsa ista tale præconium*.

488 Deindè non negat Tertullianus communicatorias literas à Romano Pontifice solidas dare iis, qui de hæresi suspecti apud Apostolicam Sedem purgati, indè recedebant: quibus exhibitis cum Ecclesiis etiam à quibus ejecti erant communicare consueverant: quod nonnisi ratione supremæ potestatis super alias Ecclesias id licuisse indubium est: Afferit ergò Tertullianus in libro adversùs Praxeam, Romanum Pontificem literas has pro Montano & Phrygis dedisse: dolet tamen intuitu Praxeæ eas revocasse: agens enim de Praxea, ait. „ Idem tunc Episco„ pum Romanum agnoscentem jam Prophe„ tias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex „ ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Prygię „ inferentem, falsa de ipsis Prophetia & Ec„ clesiis eorum asseverando, & præcessorum „ ejus auctoritate defendendo, coegit & li„ teras pacis revocare jam emissas, & à pro„ posito recipiendorum charismatum conces„ sere. *Hæc ille*.

489 Sed antè Zepherini tempora: Victor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ratione supremæ potestatis jure divino sibi concessæ, Asianas Ecclesias pro controversia de celebratione Paschæ à Corpore Ecclesiæ Catholicæ, & à cæterorum fidelium communione abscindere conatus est, quoniàm in eorum opinione contra traditam à Sanctis Apostolis doctrinam, aut disciplinam, receptam atque retentam in Ecclesia Occidentali, & ferè in cunctis Orbis Ecclesiis, Asianis exceptis, pertinaces reperit. Hæc omnia ex Eusebio lib. 5. histor. ubi priùs præmissa controversia, & relatis in hac causa habitis diversis in locis Conciliis, & quam pertinaciter Asiani contenderent celebrandum esse Pascha Luna XIV. more Judaico

daico ad Moſaycę Legis præſcriptum, in quamcumque ſeptimanæ diem incideret, Capitulo 24., ait: „ His rebus adductus Victor, qui tùm Romanæ Eccleſiæ præerat, „ totius Aſiæ Eccleſias cum aliis finitimis, „ tanquam alteriùs fidei, & opinionis, ſimul omnes (ut complectar brevi) à communi unitate Eccleſiæ amputare conatur, „ & in eos per literas, graviter invehitur: „ atque adeò omnes fratres, eam incolentes regionem, prorsùs à communione ſecludendos edicit. *Hæc ex verſione Chriſtoforſoni*. Valeſius verò vertit: „ Victor quidèm Romanæ Urbis Epiſcopus illicò omnes Aſiæ vicinarumque Provinciarum Eccleſias, tanquam contraria rectæ fidei ſentientes, à communione abſcindere conatur. *Hæc ille*. Altera antiquior verſio Joannis Schalli edita MCCCCLXXXIX. lib. 1. cap. 24. legitur: „ Sed adhùc Victor Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus pertinaciùs agens, „ paſſim totius Aſiæ ac vicinarum Provinciarum Eccleſias à communionis ſocietate abſcindere nititur, tanquam in hæreſim declinantes, & literas mittit, quibus omnes ſimul abſque diſcretione ab Eccleſiaſtico fœdere ſegregaret. *Hactenus ibi*.

490 Hoc ergò facto perlucidè evincitur, Romanum Pontificem ſupremam habere in univerſam Chriſti Eccleſiam poteſtatem: non enim alius niſi ille, qui univerſo Dominico præeſt Græci talia efficere poteſt: Qui in juriſdictione limites habet præfinitos, illos excedere non poteſt: In Eccleſiam ſibi non ſubjectam nemo Epiſcopus ſententiam ferrè poteſt: nullus Epiſcopus extrà Diœceſim ſuam actum ullum juriſdictionis exercere valet, ſacris regulis contradicentibus. Ergò Victor Romanus Pontifex, qui talia egit adversùs Aſiaticas Eccleſias, ſupremam in eas habebat poteſtatem: nàm licèt diſplicuerit compluribus Epiſcopis ejuſmodi rigorem, nemo tamèn auſus eſt eum reprehendere, quaſi limites ſuæ poteſtatis exceſſiſſet, falcemque in meſſem alienam miſiſſet: imò ſupponunt in eo poteſtatem evellendi, & amputandi à Corpore univerſalis Eccleſiæ in fide contumaces: Quarè ſubjungit Euſebius: „ Verùm iſta cæteris omnibus parùm placebant Epiſcopis: Illum „ igitur contrà magnoperè hortabantur, ut „ pacis, & concordiæ & charitatis ergà proximos diligentem curam haberet: quorum „ verba, utpotè Victorem acriùs & acerbiùs „ coarguentium, ſcriptis prodita adhùc extant; inter quos Irenæus, quamquam per „ literas ſcriptas ex perſona fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit Myſterium Reſurrectionis Domini ſolo die Dominico recolendum quidèm eſſe: Victorem tamèn, „ de hoc videlicèt, nè tàm multas Eccleſias „ omninò propter traditionem ex antiqua „ conſuetudine inter illas uſurpatæ obſervationis, à Corpore univerſæ Chriſti Eccleſiæ penitùs amputet, cùm pleraque, tùm „ iſta quæ ſequuntur, appoſitè & convenientèr admonet. *Hactenus Euſebius*.

491 Idem porrò Irenæus lib. 3. adversùs hæreſes Cap. 3. apertis verbis Eccleſiæ Romanæ Primatum declarat dùm ait: „ Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ „ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & „ Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, cam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, „ per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel „ per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malā ſententiam, „ præterquàm oportet colligunt. Ad hanc „ enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſsè eſt omnem convenire „ Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique, „ conſervata eſt ab Apoſtolis traditio. *Hæc Irenæus*.

492 Item Tertullianus Catholicus in lib. de Præſcriptionibus adversùs hæreticos eandem prælationem agnoſcit in Eccleſia Romana dùm ait: „ Si Italiæ adjacet; habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes, poſteaquam „ in oleum igneum demerſit, nihil paſſus eſt, „ in Inſulam relegatur. Videamus quid dicerit, quid docuerit. *Hactenus Tertullianus*.

493 Cùm ergò allegata teſtimonia deprompta ſint ex genuinis Patrum ſcriptis, quibus nemo hactenùs auſus eſt contradicere, qui & ante Conſtantinum vixerunt, evidens ſit Eccleſiæ Romanæ jura, & ſuper univerſi Orbis Eccleſias privilegia, Primatum & Prælationem, non à Conſtantino, nondùm agnito à prælibatis Patribus obtinuiſſe, ſed à Chriſto Domino, ut ſupra præmiſimus: nè Eccleſia, quæ veluti corpus eſt, ut Apoſtolus ſcribit, Acephala eſſet, & ſinè viſibili capite, aut monſtruoſa ſub pluribus & diverſis non ſubordinatis capitibus appareret: nè inferioris ordinis, & minoris perfectionis exiſteret, ac fuerat Synagoga illius umbra & figura, quæ ſub uno ſummo, & ſupremo omnium Sacerdotum regebatur, cui univerſi parere tenebantur, ut habetur Deutoronomii Cap. 17. Et aliis pluribus de cauſis, quas in præſentiarum omittimus. Ineluctabilia quoque argumenta, tùm ex geſtis Eccleſiaſticis, tùm ex aliorum Sanctorum Patrum dictis, prætereo modo, alibi fuſiùs de iis tractaturus: quoniàm & præſens intentum ſolùm fuit convincere Balſamonem, ac Græculos ei adhærentes, qui ex Conſtantini edicto conati ſunt oſtendere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jura, privilegia,

gia, & Primatum ex munificentia Constantini Originem trahere: quod quàm falsò id afferant, satis demonstratum est. Modò ad ipsum edictum.

494 De Constantini edicto, & donationie Urbis Romæ aliarumque Civitatum in eo recensitarum, facta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, plures plura scripsere, & diù agitata inter eruditos controversia fuit. Adversùs eam calamum arripuere quotquot eidem Sanctæ Ecclesiæ doctrinæ novitate adversantur: Acri porrò stylo contrà eandem declamavit, integrò declamatorio edito libello, Laurentius Valla. At universi otioso labore: nàm primatum Ecclesiæ Romanæ, cui adversantur Novatores, & cujus causâ contrà edictum acritèr pugnare aggrediuntur, non humano aliquo jure, sed Divino concessum Catholici fatentur, ut & in superioribus probatum est. An verò dominium temporalem Urbis Romæ aliarumvè Civitatum eadem Sancta Romana Ecclesia acceperit, vel non acceperit à Constantino, nec auget, nec minuit illius supremam in spiritualibus dignitatem, ac super universas Orbis Ecclesias principatum. Nec pariter detrahit dominio ipso temporali omnium quæ possidet, quoniam & eo secluso edicto, extant plurium Imperatorum diplomata præfatum jus eidem Sanctæ Ecclesiæ concedentium post Constantini tempora.

495 Itaque Baronius ad Annum Domini MCXCL. sub num. 53. hæc ait: „ Quod „ autem inani studio laborent Novatores im„ probare, quod fertur edictum, seu decre„ tum Constantini donationis, è Græco in „ Latinum translatum: sciant ipsi, se in his „ nostram potiùs causam agere, quàm contrà „ nos pugnare, qui profitemur cum Irenæo, „ Cypriano, & aliis Sanctis Patribus, iis„ demque Romanis Pontificibus, Romanæ „ Ecclesiæ privilegia, non ab hominibus, „ sed à Christo in Petro esse collata, & à Pe„ tro in successores esse transfusa, id ipsum „ sentientibus cum Latinis, etiam Græcis „ Sanctis Patribus, qui ab exordio nascentis „ Ecclesiæ hactenùs floruerunt. Neque ob „ eam causam, quod nolint suffragari nobis „ ipsum Constantini decretum, mox jure ex„ cedit eadem Ecclesia temporalium rerum „ dominio, quod certum atque indubitatum „ in omnibus est, plurium Imperatorum di„ plomatibus, possidere. *Hæc ille*.

496 Cæterùm ex recentioribus nostratis Scriptoribus, Natalis Alexandri in historia Ecclesiastica sæculi IV. dissert. 24. fusè probare conatur ejusmodi donationem esse commentitiam: non enim contentus est afferere præfatum edictum, ubi continetur illa donatio, esse interpollatum & ex parte adulteratum, sed in totum rescindere aggressus est, utens in primis pro rationibus iis omnibus, quæ ferè communiter adjecta ab Interpollatore universi profitentur. Deindè per diversas Conclusiones probat, Ecclesiam Romanam à Constantini tempore ad Pipinum usque Francorum Regem, nullum dominium temporale habuisse supra Urbem Romæ, nec suprà alias Italiæ Civitates: Ex quo infert antedictam Constantini donationem esse omninò commentitiam, & suppositam. Non enim attendit, quod data etiam veritate donationis Constantinianæ potuerant Romani Pontifices, viri illius ævi Sanctissimi, ab eo dominio, ex humilitate, & modestia se abstinere præcipuè repugnantibus Constantini successoribus, & subsequentibus Imperatoribus: Non ergò per hoc, quod Romani Pontifices longo tempore non sint usi tali dominio, vel quià noluerint, vel quià non potuerint, prævalente aliorum Imperatorum potentia, rectè inferri licèt falsam esse, & commentitiam Constantini donationem. Certè, auctore Dione lib. 53. hist. Augustus Cæsar primus Romanorum Imperator, Romano Senatui tribuit Africam, Asiam, Numidiam, Epirum, Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Bithyniam, Pontum, Cyrenen, Siciliam, Sardiniam, & Hispaniam Beticam, & tamèn posteriores Imperatores eisdem pro arbitrio usi sunt, antedictam cessionem ab Augusto factam minimè attendentes.

497 Sed Natalis hoc quoquè utitur argumento, quod Magnus Constantinus suo Testamento, Italiam cùm Urbe Roma Juniori Constantino filio tribuerit, quòd non fecisset, si priùs Ecclesiæ Romanæ dono dedisset. Verùm incertum est, an divisio Imperii in tres illos filios Constantem, Constantium, & Constantinum facta à Patre fuerit, aut ab ipsismet Cæsaribus inter se concordantibus. Zonaras enim tom. 3. Annalium, quem Natalis citat, hoc absolutè non afferit, cum scribat: „ Inter tres illius filios divisum Impe„ rium, vel ab ipso Constantino, ut quidam „ scribunt, vel eo defuncto, ex ipsorum „ consensu in hunc modum: Constanti tri„ butam esse Italiam, & Romam ipsam, Afri„ cam, Siciliam cum reliquis Insulis, atque „ etiam Illyricum, Macedoniam, & cum „ Achaiam Peloponesum, Constantino Al„ pes Cottias cum Galliis. & tractum Py„ renæi usque ad Mauritaniam, Oceani an„ gusto freto direptam ab Hispanis. Con„ stantio ea obvenisse, quæ in Orientali par„ te Romanæ ditionis erant, & Thraciam „ cum Urbe paterna. *Hæc Zonaras*. Zosimus verò lib. 21. eosdem Constantini filios inter se partitos Imperium tradit, inquiens: „ Primùm nationes inter se partiebantur: „ Et Constantinus quidèm natu maximus, „ cum minimo natu Constante, omnia Trans„ alpes sita, & Italiam & Illyrieum sortitus „ est; præterea Ponto Euxino finitima & „ Africa quidquid ad Carthaginem pertinet, „ Constantio datum est, quidquid esset in Asia, „ & Oriente, & Ægypto. *Hactenus Zosimus*.

mus. At Victor de eadem Imperii partitione sic, in Constantino scilicèt scribit *accepisse Constantium cunctas Transalpes regiones, Constantinum à freto Propontidis Asiam & Orientem; Constantem Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achiam*. Neque ergò inter se concordant Scriptores circà hujusmodi Imperii partitionem.

498 Eusebius in vita Constantini libro 4. cap. 63., scribit Magnum Constantinum antè obitum, prout ipsi visum fuerat, cuncta disposuisse; *Cuncta*, inquit, *prout ipsi videbatur constituerit*. Quomodò posteà disposuerit, vel quomodò Imperium filiis diviserit, sub silentio præterit. Theodoretus lib. 1. capite 32. hæc alia habet: *Tres quidem Imperii hæredes reliquit, Constantinum scilicèt, Constantium, & Constantem natu minimum*: Quomodò porrò partitus sit inter eos Imperium, nihil prodit. Et Socrates lib. 1. capite 39. solùm tradit Constantinum suo Testamento Orienti Constantium præfecisse. Non ergò constat, dato etiam quod Constantinus Testamento suo diviserit inter filios Imperium, Constantino natu majori Italiam, & Romam tribuisse, ut Natalis Alexandri asseveranter tradit. In divisione namque Imperii Constantino cessit Gallia, Hispania, Brittania, & Africa Proconsularis. Constanti natu minimo, Italia, Africa reliqua, Illyricum, Macedonia, Græcia Pontoque Euxino finitima. Constantio Mysia, Thracia, Constantinopolis, Asia, Ægyptus, Orientisque Imperium ab Illyrico ad Nisibim, ex Zosimo lib. 2. Eunapio in Edesio pag. 45. Gotholredo in Chronologia Codicis Theodosiani, & aliis.

499 Et hanc divisionem compositam esse à Constantio in Pannonia, tradit Julianus Augustus in Oratione 3. sed nec omninò placuit Constantino, orto inter ipsum, & Constantem fratrem dissidio, tùm de Africa ad Carthaginem pertinente, cùm de ipsa Italia: quod quidem dissidium fatale fuit Constantino, occiso, procurante Constante, ut Zosimus eodem lib. 2. refert, inquiens: „ Cæterùm controversia mota inter Constantinum „ & Constantem de pertinente ad Carthaginem Africa, deque Italia; Constans incautum fratrem opprimere volens, inimicitias „ toto triennio dissimulat; expectatoque „ tempore, quo per Provinciam sibi fidam & „ benevolam ingressus erat; ablegat milites, „ specie quidem tenus opem Constantio laturos in gerendo bello Persico, sed re ipsâ „ Constantinum, nihil tale scientem oppressuros: hi perficientes quæ imperata fuerant, Constantinum occidunt. *Hactenus Zosimus*.

500 Ex hujusmodi dissidiis, & ex iis quę Julianus Augustus de composita à Constantio Imperii divisione conjici, licèt, ejusmodi divisionem, non à Patre Constantino factam, & suo Testamento firmatam. Id quod etiam colligi potest, ex eò quòd post Patris obitum, per tres ferè menses altercantes, nomen Augusti nemo ex eis sumpsit: adeòut toto illo tempore leges omnes, atque edicta, nomine Magni Constantini, tanquam superstitis inscribebantur: quod non obscurè Eusebius indicat lib. 4. de vita Constantini cap. 67. ubi ait: *Solus post mortem imperavit Princeps Beatissimus: cunctaque more solito administrata sunt, quasi adhùc in vivis esset*. Et cap. 71. *Ipse etiam post mortem Imperium retinens, quasi redivivus universum Orbem gubernans, Victor, maximus Augustus, suo adhùc nomine Rempublicam regeret*: Ubi Valesius in notis ait: „ Ex loco apparet, post obitum Constantini maximi tribus circiter mensibus, „ idest, toto interregni spatio, leges omnes „ atque edicta Constantini tanquam superstitis nomine inscripta fuisse: cùm nullus „ alius esset Augustus in Orbe Romano. *Hæc ille*. Hinc legitur in Codice Theodosiano, lib. 10. titul. 64. ex collectione Justiniani, titulo, *de Excusationibus Artificum* lex lata sub nomine Magni Constantini IV. Nonas Augusti, Fæliciano, & Titiano Conf. sub quorum Consulatu XI. Kal. Junias obiisse Constantinum Magnum consona est Scriptorum sententia cum Socrate, Ruffino, Sozomeno, Idacio, Chronico Alexandrino, & aliis. Extat quoquè Epistola Constantini Junioris data eodem Anno ad Ecclesiam Alexandrinam sub inscriptione, Constantinus Cæsar quę cum data legatur Treveris XV. Kal. Julias, demonstrat nondùm statim post obitum Patris, Augustum esse denunciatum: & ut in fastis Consularibus sub nomine Idacii scriptum habetur, nonnisi V. Idus Septembris, tàm ipsi, quàm æterni fratres denunciati sunt Augusti, jam tunc composita Imperii divisione per Constantium, ut antefati sumus.

501 Itaquè his omnibus perpensis, ac rectè examinatis elicitur, aut à Constantino Magno nullatenùs divisum Imperium inter filios vi Testamenti fuisse, ac ità falsum esse ab eo Constantino Juniori tributam esse Italiam cum Urbe Roma, aut si à Constantino divisum, eam à filiis non fuisse receptam divisionem, & quod de Urbe Roma uni filio tributa habetur, ex dispositione Constantii potiùs, quàm Constantini evenisse censendum est: eò magìs, quòd neque Constantino tributa fuit, ut Natalis asseverat, sed Constanti fratri, ut supra observatum est. Filii ergò Imperii aviditate, Patris donationem parvifacientes, potuerunt sibi jus addicere, tùm in Urbem Romam, tùm in cæteras Italiæ Civitates, non obstante Patris donatione, quemadmodùm fecere successores Augusti ergà eas Provincias, quas ipse Senatui Romano cesserat, ut suprà præmisimus.

mus. Hoc porrò dato, mirum non est, si Romani Pontifices per plura sæcula ab ejusmodi possessione exclusi fuerunt. Semèl autèm quòd Constantini filii jus præfatum sibi usurpaverint, cæteri subsequentes Imperatores, illorum sequentes vestigia, idem jus amittere noluerunt.

502 Præterea constat ex antiquis Scriptoribus, post obitum Constantini universum turbatum Imperium, adeòut omnia per vim agerentur. Occiso Constantino, ut suprà fati sumus, universum Imperium devolutum est ad duos fratres, Constantem, & Constantium: Deindè & inter eos exorta jurgia leguntur. Constans dolo Magnentii tandèm occiditur, arreptâ homicida Imperiali Purpura; cui in Pannonia æmulus emersit Vetranius Dux Exercitus, à Militibus acclamatus Imperator. Romæ verò in Solium evehitur Nepotianus, Eutropiæ Constantini Magni sororis filius, utpotè sanguine Constantiniano generi propinquior; sed hic occiditur paulò post ab Aniceto, quem Urbis Præfectum Magnentius constituerat. Indè bella exorta inter Constantium, & Magnentium, donec superato Tyranno atque occiso, totius Imperii summa ad ipsum devoluta est Constantium. Hic porrò cùm Arrianus esset, tantùm absfuit, ut Romanis Pontificibus patris privilegiis, sivè Donatione frui sineret, quòd eos dirè est persecutus, diùque afflixit. Huic porrò successit Julianus Apostata christiani nominis implacabilis hostis. Inter hæc verò mutatâ totius Imperii facie, omnia in Occidente per tyrannidem agebantur. Quomodò ergò Romani Pontifies poterant temporalem auctoritatem exercere in Romanam Urbem, aut reliquas Italiæ Civitates à Constantino concessas, si Tyranni Imperium per vim invadebant; si ipsi Imperatores, aut Ecclesiæ Romanæ, aut ipsius christiani nominis infesissimi hostes fuère? Per tyrannidem ergò ablatum est Romanis Pontificibus concessum à Constantino Magno dominium.

503 Extinctis porrò Tyrannis, & superatis Ecclesiæ hostibus, Christiani, & Catholici Imperatores, ut Valentinianus, Gratianus, Theodosius, & alii, Dominium præfatum sibi retinuère, permansitque apud eos usquè ad Augustulum, sub quo Anno Domini CDLXXVI. juxtà Chronologiam Baronii, imperante in Oriente Zenone, Anno illius Imperii III. Pontificatus Simplicii Anno IX. devolutum est ad Odoacrem Herulorum Regem, ex quo tempore prævalentibus Barbaris Regibus, per plura sæcula, ad Carolum Magnum usquè, nunquàm Romani Imperatores passi sunt quietè eo frui dominio: Licèt nàmque sub Justiniano Seniore, & Romana Urbs, & major pars Italiæ, in suam devenissent potestatem, pacificè tamèn possidere nec ipse potuit, nec ejus successores, Barbaris nondùm ex Italia penitùs exclusis continuis bellis infestantibus. Non est ergò undè probet Natalis Alexandri commentitium Edictum Constantini, ex non exercita auctoritate à Pontificibus Romanis in Urbem Romam, à tempore obitus Constantini usquè ad Odoacrem, sivè ab Odoacre ad Justiniani Imperium, aut à Justiniano ad tempora usquè Pipini, & Caroli Magni: si enim post Constantini obitum ipsi filii non suâ sorte contenti in invicem æmulati sunt, nec defuerunt viâ Tyranni aliena occupantes: quomodò poterant Romani Pontifices concessum possidere, vi Imperatorum, & potentiâ Tyrannorum prævalente? Ab Odoacre porrò ad Justinianum, si non potuerunt Imperatores ipsi Romanorum ullam exercère auctoritatem in univesam Italiam subactam à Barbaro Rege, & retentâ in manu forti ab ejus successoribus; multò minùs potuerant eam Romani Pontifices exercere. Armatus porrò, & maximâ cum potentia Justinianus, vix recuperatam Imperii Occidentalis partem possidere potuit, & post eum, qui in Imperio successerant, plura iterùm amiserunt, sub eorundem Barbarorum dominio devoluta: Quid mirùm est, si inermes Pontifices jurisdictionem illam temporalem exercère non potuerunt? Inutiles mihi videntur tot Natalis Alexandri conclusiones.

504 Verosimile mihi videtur, primos illos Romanos Pontifices, qui Beato Sylvestro in Petri Cathedra successerunt, defuncto Magno Constantino, nè in filiorum invidiam, de Imperio, & partibus Imperii contendentium inciderent, & pax Sanctæ Ecclesiæ turbarentur, cùm Fidei recentèr in universo Imperio plantatæ maximo detrimento, liberè filiis cessisse temporale dominium supèr Romanam Urbem, ac cæteras in edicto à Patre concessum, Italiæ Civitates, contenti solùm animas spiritualiter regere, quemadmodùm à Petro, qui à Christo acceperunt, relictâ temporali curâ sæculi Principibus. Quæ cessio licèt non inveniatur literis exarata, nec monumentis prodita, ex facto ipso elici potest: quoniàm non contradicentes, permissi sunt eo dominio ab ipsis Imperatoribus frui, ac omnia prædicta liberè possidere. Hæc itaquè sint dicta, salvo doctiorum, & eruditiorum meliori judicio.

505 Cæterum antè Pipinum, & Carolum Magnum nonnulla loca, & Civitates quasdam Roman. Pontifices possedisse, eorundem gesta declarant: scribit nàmque Anastasius in vita Gregorii Papæ, hujus nominis III. præfatum Pontificem muros à fundamentis jàm collapsos construi fecisse in Centumcellium Civitate: *Nàm*, inquit, *& in Centumcellium Civitate muros dirutos penè à fundamentis fortissimè construi fecit*. Quæ quidèm Urbs apud orsm Maris Thyrreni sita non ignobilis fuit, quam Plinius Secundus, lib. 6., Epistola 31. describit. Et sub eodem Pontifice scribit

idem

idem Anaſtaſius in vita Zachariæ Papæ, à Duce Spoleti Traſimundo, pro Luitprando Longobardorum Rege ablatas fuiſſe à Romano Ducatu quatuor Civitates, nimirum Ameriam, Ortas, Polimartium, & Bleram, quas poſteà eidem Zachariæ Papæ reſtituiſſe ait, inquiens: *& prædictas quatuor Civitates, quas ipſe antè biennium per obſeſſionem factam pro prædicto Traſimundo Duce Spoletano abſtulerat, eidem Sancto cùm eorum habitatoribus redonavit viro.* Indè ſubjũgit, plura alia loca ſpectantia ad patrimonium S. Petri triginta antè Annoa ablata, pariter eidem Sancto Pontifici, ſivè Beato Petro fuiſſe reconceſſa: „ Nàm, „ *inquit*, & Sabinenſem patrimonium, quòd „ per Annoa propè triginta fuerat ablatum, „ atquè Narnienſe, & Auximanum, atquè „ Anconitanum, nec non, & Numanatenſe, „ (ſivè Polimarenſe) & Vallem, quæ voca- „ tur magna, ſitam in Territorio Sutrino, „ per Donationis titulum ipſi Beato Petro „ Apoſtolorum Principi reconceſſit, & pa- „ cem cum Ducatu Romano ipſe Rex in „ viginti confirmavit Annos. *Hæc Anaſtaſius*.

506 Deindè cuncta, quæ Pipinus Rex Aiſtulpho Longobardorum Regi abſtulerat, & Beato Petro reddidit, jure ad ipſum Beatum Petrum ſpectare faſſus eſt Pipinus ipſe, & Stephanus II. Papa in Epiſtola, quem fecit ad eundem Pipinum. Sed quo jure, niſi acquiſito per Conſtantini donationem? Scribit ergò Stephanus Papa Epiſt. 3. ad Pipinum, incipien. *Providi, & ſapientiſſimi Salomonis*, dùm ab Aiſtulpho poſt initum fœdus cùm Pipino, vexaretur, inter alia hæc: „ Omnia „ deniquè, quæ per Dei juſſionem vobis lo- „ cuti ſumus, veraciter ediximus, & jàm „ patefacta ſunt, ut facta ipſa demonſtrant. „ Etenim ſicùt primitùs Chriſtianitati veſtræ „ ediximus, iniquus Aiſtulphus Rex, ingreſ- „ ſo in ejus corde perfido Diabolo, omnia „ quæ per Sacramentum Beato Petro per „ veſtros Miſſos reſtituendo promiſit, irrita „ fecit, nec unius palmi terræ ſpatium Beato „ Petro reddere voluit. *Hæc ille*.

507 Sed nè quis dicat loqui, Stephanũ de prædiis, aliiſque inferioris ordinis poſſeſſionibus, nequaquàm de Civitatibus, & Provinciis, recolenda ſunt quæ recenſet Anaſtaſius in vita ejuſdem Stephani, ubi recitatis iis, quæ egerat Pipinus Rex, contrà Aiſtulphum, ait, Pontificem eum rogaſſe, ut Ravennantium Urbem, & cæteras ejuſdem ditionis Civitates, & loca Imperatori Conſtantinopolitano tribueret: reſpondiſſet autèm Regem, ſe pati non poſſe eos alienari à jure Eccleſiæ Romanæ: „ At nequaquàm, *inquit*, valuit firmiſſimum „ jàm fati Chriſtianiſſimi, atquè benigniſſi- „ mi fidelis Dei, & amatoris Beati Petri „ Apoſtoli, ſcilicèt antefati Pipini Franco- „ rum Regis inclinare cor, ut eaſdem Civi- „ tates, & loca Imperiali tribueret ditioni. „ Aſſerens idem Dei cultor, mitiſſimus Rex, „ nullâ penitùs ratione eaſdem Civitates „ à poteſtate Beati Petri, & jure Eccleſiæ „ Romanæ, vel Pontificis Apoſtolicæ Sedis, „ quoquomodò alienari pati. *Hæc Anaſtaſius*, qui paulò poſt agens de inito fœdere inter Pipinum, & Aiſtulphum, ſubjungit, Aiſtulphum reſtituiſſe pactas in fœdere Civitates, ſimulq; cum eis etiam Comachium: *Reſtituit ipſas Civitates prælatas, addens & Caſtrum, quod cognominatur Comaclum*.

508 Quænam porrò Civitates, & loca reſtituta fuerant ab Aiſtulpho, & à Pipino, novâ donatione Eccleſiæ Romanæ ſunt attributa, idem Anaſtaſius tradit, inquiens: „ Eidem Apoſtolo, & ejus Vicario ſanctiſſi- „ mo Papæ, atquè omnibus ejus ſucceſſoribus „ Pontificibus perenniter poſſidendas, atquè „ diſponendas tradidit, idest, Ravennam, „ Ariminum, Piſaurum, atquè Fanum, Ceſe- „ nas, Senogallias, Æſium, Forum Pompilii, „ Forum Livii, cum Caſtro Suſſubio, Mon- „ tem Ferretri, Acerragium, Montem Lu- „ cari, Serram, Caſtellum Sancti Mariani, „ Bobium, Urbinum, Gallium, Luceolos, „ Eugubium, Comaclum, nec non & Civi- „ tatem Narnienſem, quæ à Ducatu Spole- „ tano à parte Romanorum, per evoluta an- „ norum ſpatia fuerat invaſa.

509 Infrà poſteà agens de Deſiderio, qui, vitâ functo eodem tempore, ſinè prole Aiſtulpho, Longobardorum Regnum accipere feſtinabat, aſſerit, hunc deprecatum Romanum Pontificem, quatenùs ad præfatum Regnum conſequendum auxilia præberet, ſub ſponſione jurata, reddendi Romanæ Reipublicæ quæ adhùc reſtituenda remanſerat: „ Ad „ hæc, *ait*, præfatus Deſiderius obnixè „ præfatum Beatiſſimum Pontificem depreca- „ tus eſt ſibi auxilium ferre, quatenùs ipſam „ Regiam valeret aſſumere dignitatem, ſpon- „ dens jurejurando omnem præfati Beatiſ- „ ſimi Pontificis adimplere voluntatem. In- „ ſuper, & Reipublicæ ſe redditurum profeſ- „ ſus eſt Civitates, quæ remanſerant, imò & „ copioſa datorum munera. *Hæc Anaſtaſius*; ubi notandum eſt verbum, *reſtituere*, quod indicat jure eas pertinuiſſe ad Eccleſiam Romanam, quam Rempublicam nominat ibi Anaſtaſius; ſicùt inferiùs agens de Stephani obitu, ait: *Et annuente Domino, Rempublicam dilatans, & univerſam Dominicam plebem, videlicèt rationales ſibi commiſſas oves, ut bonus Paſtor, animam ſuam ponens, ab inſidiis eruit inimicorum; curſumque conſummans, & omnia utiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens, ad æternam migravit requiem*. Loca verò à Deſiderio reſtituta, Faventiam fuiſſe cum Caſtro Tiberiano, ſeù Gabellum, & univerſum Ducatum Ferrariæ in integro, idem Anaſtaſius recenſet.

510 Stephanus verò Papa in Epiſtola VI. data ad Pipinum, cujus initium eſt, *Explere lin-*

lingua, scribit, & recensita, & alia loca Desiderium spopondisse restituere Beato Petro, dicit non dono dare, sed restituere: Verba ejus sunt: „ Longobardorum Desiderius „ vir mitissimus in præsentia ipsius Fulradi „ sub jure jurando pollicitus est restituen„ dum Beato Petro Civitates reliquas, Faventiam, Imolam, & Ferrariam cum eorum finibus; simùl etiam, Saltora, & omnia Territoria, nec non & Auximum, Anconam, & Numanam Civitates, cum earum Territoriis. Et postmodùm per Garinodum Ducem, & Grimoaldum, nobis reddendum spopondit Civitatem Bononiam cum finibus ejus. *Hæc ille*; qui superiùs in eadem Epistola rogat eum, ut plenariam justitiam tribuat Dei Ecclesiæ, agens, ut reliquæ Civitates Sanctæ Ecclesiæ restituantur: „ Pio Sanctæ Dei Ecclesiæ, *inquit*, „ perfectâ exaltatione, & ejus populi liberatione, & integrâ securitate, & plenariam justitiam eidem Dei Ecclesiæ tribuere digneris, atquè optimum, & velocem finem in causa fautoris tui Beati Petri adhibere jubeas, ut Civitates reliquas, quæ sub unius Dominii dictione erant connexæ, atquè constitutos fines, Territoria etiam loca, & Saltora, in integro marti tuæ spiritali Sanctæ Ecclesiæ restituere præcipiatis.

511 Eodem verbo restituere utitur Paulus I. Papa, Epist. 2. data ad præfatum Pipinum, quæ incipit, *Quotiès perspicua eximietatis vestræ*, quâ eum rogat, quatenùs compellat Desiderium Regem, atquè constringat, *ut prolatam à Deo promissionem Beato Petro, restituere debeat*, Imolam scilicèt, Bononiam, Auximum, & Anconam, quas Beato Petro Apostolo pollicitus erat restituere. Similis scribit tùm in Epistola tertia, tùm quarta ad eundem Regem datis. Sic & Stephanus III. Papa, Epistola 2. data ad Carolum, & Carolomannum Reges, & Pipini filios, quæ incipit, *Benedictus Dominus Deus noster*, qua eos hortatur, adjurat, & obsecratur, ut cogatur Desiderium Longobardorum Regem ad restituenda ea omnia, quæ propria erant Sancti Petri, & Romanæ Ecclesiæ: *ut plenarias justitias Beati Petri sub nimia velocitate exigere, & Beato Petro reddere jubeatis*. Et infrà, *ut sua propria idem Princeps Apostolorum, atquè S. Romana Ecclesia recipiat*.

512 De Caroli Magni porrò donatione, subacto jàm Desiderio Longobardorum Rege, hæc scribit Anastasius in vita Adriani I. Papæ: „ Et reverà Christianissimus Carolus „ Francorum Rex adscribi jussit per Etherium religiosum, ac prudentissimum Cappellanum, & Notarium suum, ubi concessit easdem Civitates, & Territoria Beato Petro, easque Beato Pontifici contradi „ spopondit, per designationem confinium, sicùt in eadem donatione continere monstratur, ideft, à Lunis cum Insula Corsica, deindè in Surisno, deindè in Monte Bardone, indè in Verceto, deindè in Parma, deindè in Regio, & exindè in Mantua, atquè Ponte Silicis, simùlque, & universum Exarchatum Ravennantium, sicùt antiquitùs erat, atquè Provincias Venetiarum, & Histriam, nec non & cunctum Ducatum Spoletanum, & Beneventanum.

513 Dicunt tamèn qui Constantinianæ Donationi adversantur, verba illa, *restituere*, referri ad Patrimonis Sancti Petri, Prædia scilicèt, Possessiones, & Latifundia, quæ Imperatores, Patritii, nec non & aliæ privatæ Personæ Ecclesiæ Romanæ liberalitèr obtulerant, nequaquàm ad Civitates, Castra, vel Provincias; vel si ad Civitates etiam referantur, intelligendum esse, respectu primæ Donationis factæ à Pipino Rege, postquàm barbari Longobardorum Reges, aut reddere promissa distulerunt, aut jàm reddita, per tyrannidem iterùm abstulerunt. Et ideò Romanos Pontifices deprecatos esse & Pipinum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per suam Donationem concessa, & nondùm à Longobardis reddita, ut restitui juberet. Sic paritèr exorasse Carolum Magnum ut ageret, quatenùs à Pipino Donata, à Longobardis adhùc retenta, vel iterùm ablata, restituerentur. Ità Natalis Alexandri cit. Differt.24. in responsione ad tertiam objectionem.

514 Verùm hæc responsio non videtur planè satisfacere testimonio ab ipsomet allegato, desumpto ex Epistola 1. Hadriani I. Papæ, data ad Carolum Magnum, cujus initium est: *Dùm nimio provocati amore*; in ea namque Beatus ille Pontifex hortatur Regem, ut Constantini exemplo, Ecclesiam exaltare pergat, tùm promissa largiendo, tùm à Longobardis erepta restituendo; undè ait: „ Et sicut temporibus Beati Sylvestri Romani Pontificis, à sanctæ recordationis piissimo Constantino Magno Imperatore, per ejus largitatem Sancta Dei Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia elevata, atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignata est; ità & in his vestris temporibus, atque nostris, Sancta Dei Ecclesia, ideft Beati Petri Apostoli germinet atque exultet, & ampliùs exaltata permaneat, ut omnes gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant: *Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te*.

515 Hæc autem verba clara sunt, perlucida sunt, & patentia. Ait enim Hadrianus, Constantinum Magnum elevasse, atq; exaltasse Sanctam Romanam Ecclesiam, potestatem largiendo in partibus Italiæ: *Per ejus largitatem Sancta Dei Catholica & Apostolica Romana Ecclesia elevata, atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri di-*

dignata est. Si enim de Prædiis tantùm, & Latifundiis, quæ Constantinus paritèr, tùm Ecclesiæ Sancti Petri, tùm aliis Ecclesiis, tàm Romæ eo jubente, quàm in universo Romano Imperio extructis in dotem eis concesserat, ut in ipsa quoquè Donatione refertur, loqueretur, non dixisset Hadrianus, largitum fuisse Constantinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ potestatem in Italiæ partibus, ac per ejusmodi largitionem eandem Sanctam Ecclesiam elevatam, & exaltatam fuisse. Ad dominium Italiæ contraditum à Constantino in suæ Donationis edicto, necesse est Hadrianum respexisse, dùm talia scripsit. In quo quidèm Edicto hæc leguntur: „ Undè ut. „ Pontificalis apex non vilescat, sed am- „ pliùs etiam quàm terreni Imperii dignitas, „ & gloriæ potentia decoretur, eccè tàm „ Palatium nostrum,ut prædictum est, quam- „ que Urbem Romam, & omnes totius Ita- „ liæ,& Occidentaliũ Regionum Provincias, „ Loca, & Civitates, præfato Beatissimo „ Pontifici nostro Sylvestro universali Pa- „ pæ contradimus, atque relinquimus, ac „ successorum ipsius Pontificum potestati, & „ ditioni, firmâ Imperiali censurâ, per hanc „ divalem nostram, & pragmaticum consti- „ tutum decernimus disponendum, atque in „ jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus „ permansurum. *Hæc ibi*. Undè liquet per hanc donationem & largitionem, elevatam, & exaltatam fuisse Romanam Ecclesiam, per quam potestatem accepit in partibus Italiæ, ut Hadrians scribit, non per Latifundia, & Prædia ex ejusdem Constantini munificentia recepta; quoniam si de Prædiis & Latifundis loqueretur Hadrianus, non rectè dixisset, potestatem accepisse in partibus Italiæ, ac perindè Principis largitione elevatam, & exaltatam.

516 De Donationibus porrò factis ab aliis Imperatoribus & piis Viris, subjungit Hadrianus, hæc scribens: „ Sed & cuncta „ alia, quæ per diversos Imperatores, Patri- „ tios etiam, & alios Deum timentes, pro „ eorum animæ mercede, & veniâ delicto- „ rum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seù Be- „ nevento, atque Corsica, simùl & Sabi- „ nensi Patrimonio, Beato Petro Apostolo, „ Sanctæque Dei, & Apostolicæ Romanæ „ Ecclesiæ concessa sunt, & per nefandam „ gentem Longobardorum per annorum spa- „ tia abstracta, atque ablata sunt, vestris „ temporibus restituantur.

517 Cùmque certum sit, cuncta, sivè à Constantino, sivè ab aliis Patritiis, & piis Viris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concessa, per Pipinum, & Carolum Magnum, ac eorum pietatem & munificentiam, à Barbaris priùs ablata, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ novâ Donatione restituta fuisse, & redonata: hinc est, quòd idem Hadrianus in Epistola 2. data ad eundem Carolum Magnum conquestus de usurpatione facta à Leone Archiepiscopo Ravennate jurium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Exarchatum Ravennæ, aliasque Civitates, puta Faventiam Forum Livii, Cæsenas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariæ, Imolas, & Bononias, inter alia scribit, eas Civitates, & Loca, ereptas de Longobardorum manibus, Sanctam Romanam Ecclesiam à Pipino, & ipso Carolo accepisse: „ Quid vobis profuit, *inquit*, quòd Longo- „ bardorum gens est abolita, & Regno Fran- „ corum subjugata? Et ecce jàm nihil de „ his, quæ promissa sunt, adimpletum est: „ Insuper & ea, quæ anteà Beato Petro con- „ cessa sunt à sanctæ recordationis Domino „ Pipino Rege, nunc ablata esse noscuntur. *Hæc, & alia ibi*. Subsequentes porrò Imperatores, & Principes solam Pipini, & Caroli Magni memorant Donationem, tanquàm notiorem & proximiorem. Sic Otho primus Imperator in Diplomate confirmationis jurium Romanæ Ecclesiæ dato, Anno Domini DCCCCLXII. tempore Pontificatus Joannis XII. ad Donationem factam à Pipino, & Constantino se reportat. Diploma porrò ad hunc modum se habet.

In nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

518 „ Ego Otho Dei gratiâ Imperator, „ Augustus, unà cum Othone glorioso Rege „ filio nostro, Divinâ ordinante Providentiâ, „ spondemus, atque promittimus per hoc „ pactum confirmationis nostræ tibi Beato „ Petro Principi Apostolorum, & Clavigero „ Regni Cœlorum, & per te Vicario tuo „ Domino Joanni Summo Pontifici, & uni- „ versali XII. Papæ, sicut à Prædecessoribus „ vestris usquè nunc in vestra potestate, at- „ que ditione tenuistis, & disposuistis Civi- „ tatem Romanam cum Ducatu suo & Sub- „ urbanis suis, atque viculis omnibus, & „ territoriis ejus, montanis, & maritimis, „ litoribus, atque portubus, seù cunctis Ci- „ vitatibus, Castellis, Oppidis, ac Viculis „ Tusciæ partibus, ideft, Portum, Centum- „ cellas, Cerem, Bledam, Marturianam, „ Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, „ Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, „ Perusiam cum tribus Insulis suis, ideſt, „ Majore, Minore, Pulvensim, Narniam, „ & Utriculum, cum omnibus finibus, ac „ territoriis ad suprascriptas Civitates perti- „ nentibus; nec non Cathedram Ravenna- „ tem sub integritate, cum Urbibus, Civi- „ tatibus, Oppidis, & Castellis, quæ piæ „ recordationis Dominus Pipinus, & Do- „ minus Carolus Excellentissimus Impera- „ tor, prædecessores videlicèt nostri, Beato „ Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris, „ jam dudùm per Donationis paginam con-

„ tulerunt, hoc est, Civitatem Ravennam, „ & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum „ Pompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, „ & Hadrianis, atque Gabellum cum omnibus finibus, territoriis, atque Insulis, „ Terrâ, Marique ad suprascriptas Civitates „ pertinentibus, simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numanam, Hesim, Forum Sempronii, Montem „ Feltri, Urbinum, & territorium Balnense, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum „ omnibus finibus, & territoriis ad easdem „ Civitates pertinentibus.

519 „ Eodem modo territorium Sablnense, sicut à Domino Carolo Imperatore antecessore nostro, Beato Petro Apostolo per Donationis scriptum concessum „ est sub Integritate. Item in partibus Tusciæ Longobardorum Castellum Felicitatis, Urbem Veterem, Balneum Regis, Ferentum, Vlterbium, Ortem, Martam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas, „ cum Suburbanis, atque viculis omnibus, „ & territoriis, ac maritimis, Oppidis, ac „ viculis, seù finibus omnibus. Itemque Almus cum Insula Corsica, deindè in Suriano, deindè in Monte Bardonis, deindè in „ Berceto, exindè in Parma, deindè in Regio, exindè in Mantua, atque in Monte „ Silicia, atque Provincia Venetiarum, & „ Istria, nec non Ducatum Spoletanum, seù „ Beneventanum, unà cum Ecclesia Sanctæ „ Christianæ, posita propè Paduam, juxtà „ Padum, quarto milliario.

520 „ Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam; nec non Patrimonia ad „ potestatem, & ditionem vestram pertinentia, sicuti est Patrimonium Beneventanum, „ & Patrimonium Neapolitanum, & Patrimonium Calabriæ superioris, & inferioris. „ De Civitate autem Neapolitana, cum Castellis, & Territoriis, & finibus, & Insulis „ suis sibi pertinentibus, sicut ad easdem respicere videntur; nec non Patrimonium „ Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo Civitatem Cajetam, „ & Fundum cũ omnibus earum pertinentiis.

521 „ Insuper offerimus tibi, Beate Petre Apostole, Vicarioq; tuo Domino Joanni Papæ, & successoribus ejus, pro nostræ „ animæ remedio, nostrique filii, & nostrorum parentum, de proprio nostro Regno „ Civitates, & Oppida cum Piscariis suis, „ idest Reatem, Amiternum, Furconem, „ Nurisiam, Balvam, & Marsim, & alibi „ Civitatem Interamnem cum pertinentiis „ suis.

522 „ Has omnes supradictas Provincias, Urbes, Civitates, Oppida, & Castella, Viculos, & Territoria, simùlque & „ Patrimonia, pro remedio animæ nostræ, & „ filii nostri, & parentum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cunctò à Deo „ conservato, atque conservando Francorum „ Populo, jàm dictæ Ecclesiæ tuæ, Beate „ Petre Apostole, & per te Vicario tuo spiritali Patri nostro Joanni Summo Pontifici, & universali Papæ, ejusque successoribus, usquè ad finem Sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineat jure, Principatu, atque ditione.

523 „ Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus Donationes, „ quas piæ recordationis Dominus Pipinus „ Rex, & postea Domnus Carolus Excellentissimus Imperator Beato Petro Apostolo „ spontaneà voluntate contulerunt; nec non „ censum, vel pensionem, seù cæteras dationes, quæ annuatim in Palatium Regia Longobardorum inferri solebant, sivè de Tuscia, sivè de Ducatu Spoletano, sicut & „ in suprascriptis Donationibus continetur, „ & inter sanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & Domnum Carolum Imperatorem „ convenerunt, quandò idem Pontifex eidem de suprascriptis Ducatibus, idest, Tuscano, & Spoletano, suæ auctoritatis præcepto confirmavit, eo scilicèt modo, ut „ annis singulis prædictus census ad partem „ Ecclesiæ Beati Petri persolvatur, salvâ „ super eosdem Ducatus nostrâ in omnibus „ dominatione, & illorum ad nostram partem, & filii nostri subjectione.

524 „ Cæterùm, sicut diximus, omnia „ superiùs nominata ità ad vestram partem „ per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant jure, „ Principatu, atque ditione; & neque à nobis, neque à successoribus nostris per quodlibet argumentum, sivè machinationem in „ quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut à vobis indè aliquid subtrahatur, „ de suprascriptis videlicèt Provinciis, Urbibus, Civitatibus, Oppidis, Castris, Viculis, Insulis, Territoriis, atque Patrimoniis, nec non & pensionibus, atque censibus; itaut neque nos ea facturi simus, neq; „ quibuslibet ea facere volentibus consentiamus, sed potiùs omnium, quæ superiùs leguntur, idest Provinciæ, Civitates, Urbes, „ Oppida, Castella, Territoria, & Patrimonia, atque Insulæ, Censusque, & Pensiones ad partem Ecclesiæ Beati Petri Apostoli, atque Pontificum in sacratissima illius Sede residentium, nos in quantùm „ possumus, defensores esse testamur, ad hoc, „ ut ea in illius ditione, ad utendum & fruendum, atque disponendum firmitèr valeant „ obtinere, salvâ in omnibus potestate nostrâ, & filii nostri, posterorumque nostrorum, secundùm quod in pacto, & constitutione, & promissionis firmitate Eugenii „ Pontificis, successorumque illius, continetur, idest.

525 „ Ut omnis Clerus, & universa Populi Romani nobilitas, propter diversas necessitates, Pontificum irrationabiles ergà populum sibi subjectum asperitates retundendas, sacramento se obligent, quatenùs futura Pontificum electio (quantùm uniuscujusque intellectus fuerit) canonicè & justè fiat; & ut ille, qui ad hoc sanctum atque Apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente, consecratus fiat Pontifex, priusquàm talem in præsentia Missorum nostrorum, vel filii nostri, seù universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem Domnus & venerandus spiritalis Pater noster Leo spontè fecisse dignoscitur.

526 „ Præterea alia minora huic operi inferenda prævidimus, videlicèt, ut in electione Pontificum, neque liber, neque servus ad hoc venire præsumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem Sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quòd si quis contrà hanc nostram institutionem ire præsumpserit, exilio tradatur.

527 „ Insupèr, ut nullus Missorum nostrorum cujuscumque impeditionis argumentum componere in præfatam electionem audeat, prohibemus; Nàm & hoc omnimodis instituere placuit, ut qui semèl sub speciali defensione Domni Apostolici, sivè nostra fuerint suscepti, impetrata justè utantur defensione. Quòd si quis quemquam illorũ, qui hoc promeruerunt, violare præsumpserit, sciat, se periculum vitæ suæ esse incursurum.

528 „ Illud etiam confirmamus, ut Domno Apostolico justam in omnibus servent obedientiam, sivè Ducibus, ac Judicibus suis ad justitiam faciendam. Huic enim institutioni hoc necessariò adnectendum esse perspeximus, ut Missi Domni Apostolici, seù nostri, semper sint constituti, qui annuatim nobis, vel filio nostro renuntiare valeant, qualitèr singuli Duces, ac Judices populo justitiam faciant. Hanc Imperialem Constitutionem quomodò observent qui Missi, decernimus, ut primùm cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum, seù Judicum fuerint inventi, ad notitiam Domni Apostolici deferant. Et ipse unum è duobus eligat, aut statim per eosdem Missos fiant ipse necessitates emendatæ, aut Misso nostro nobis renuntiante, per nostros Missos à nobis directos emendentur. Hoc, ut ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo, & nobilium Optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roboravimus, & Bullæ nostræ impressioni obsignari jussimus.

Signum Domni Othonis Serenissimi Imperatoris, ac suorum Episcoporum, Abbatum, & Comitum.
Signum Adalgagi Nammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi.
Signum Harberti Curiensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Drogonis Osnaburgensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Ottunini Nildesheimensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Landuvaarti Mindonensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Otgeri Nemetinensis Eccl. Episcopi.
Signum Gezonis Tortonensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Hucberti Parmensis Eccl. Episcopi.
Signum Widonis Mutinensis Eccl. Episcopi.
Signum Attonis Fuldensis Ecclesiæ Episcopi.
Signum Gunthari Herolfeldensis Monasterii Abbatis.
Signum Eberarti Comitis.
Signum Guntharii Comitis.
Signum Burghards Comitis.
Signum Utonis Comitis.
Signum Ernuster.
Signum Tietheris, Ricdages, Linpen, Hartvvi‿es, Arnolves, Ingilthies, Burcbartes, Retingent.

Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, Indictione quintà, mense Februarii, decimo tertio die ejusdem mensis, Anno verò Domni Othonis Imperii invictissimi Imperatoris vigesimo septimo facta est hæc pactio fœlicitèr.

529 Hoc autem Diploma emanatum videtur conformitèr ad pactum confirmationis editum olim à Ludovico Pio, Magni Caroli filio, ac in Imperio successore tempore Paschalis Papæ Primi, cujus fragmentum recitatur à Gratione dist.63. cap.30. *Ego Ludovicus*; sed integrum recenset ex Vaticana Bibliotheca Cardinal. Baronius ad Annum Domini DCCCXVII. sub num. 10. quod ità se habet.

In nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

530 „ Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo

„ tuo Domino Paschali Summo Pontifici, & „ universali Papæ, & successoribus ejus in „ perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris, „ usquè nunc in vestra potestate, & ditione „ tenuistis, & disposuistis Civitatem Romanam cum Ducatu suo, & Suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus, „ montanis & maritimis litoribus, & portubus, seù cunctis Civitatibus, Castellis, „ Oppidis, ac Viculis in Tusciæ partibus, „ idest, Portum, Centum Cellas, Cœre, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesii, Ortam, Polimartium, „ Ameriam, Tudertum, Perusiam, cum aliis „ tribus Insulis suis, idest, Majorem, & Minorem, Pulvensem, & Lacum; Narniam, „ Otriculos, cum omnibus finibus, ac territoriis ad supradictas Civitates pertinentibus. Simili modo in partibus Campaniæ, „ Signiam, & Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricium, Frusinonem, cum aliis „ partibus Campaniæ; nec non Tibur cum „ omnibus finibus, & territoriis ad easdem „ Civitates pertinentibus.

531 „ Nec non & Exarchatum Ravennatensem sub integritate, cum Suburbanis, „ Civitatibus, Oppidis, & Castellis, quæ „ piæ recordationis Domnus Pipinus Rex, „ ac bonæ memoriæ genitor Carolus Imperator Beato Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jàm dudùm per Donationis „ paginam restituerunt, hoc est, Civitatem „ Ravennam, & Ameliam, Robium (*sivè Bobium*) Cœsenam, Forum Pompilii, Forum „ Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, „ Ferrariam, Comaclum (*sivè Comiaclum*) „ & Adriam, & Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis, atque Insulis in Terra, „ Marique ad prædictas Civitates pertinentibus; simùl & Pentapolim, videlicèt Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, „ Anconam, Humanam, Æsium, Forum Sempronii, Montem Ferretri, Urbinum, & „ territorium Balnense, Calles, Luceolos, „ Eugubium cum omnibus finibus, ac terris „ ad easdem Civitates pertinentibus.

532 „ Eodem modo Territorium Sabinense, sicut à genitore nostro Carolo Imperatore Beato Petro Apostolo Donationis scriptum concessum est sub integritate, „ quemadmodùm ab Itherico, & Macenario „ Abbatibus, Missis illius inter idem Territorium Sabinense, & Reatinum, definitum „ est. Itèm in partibus Tusciæ Longobardorum Castellum Felicitatis, Urbevetum, „ Balneum Regis, Ferenti, Castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas. Et Insulas Corsicam, & Sardiniam, & Siciliam sub integritate cum omnibus adjacentibus, & territoriis maritimis, litoribus, portubus, „ ad supradictas Civitates, & Insulas pertinentibus. Itèm in partibus Campaniæ, „ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, & Patrimonia ad potestatem, & ditionem nostram pertinentia, sicut „ est Patrimonium Beneventanum & Salernitanum, & Patrimonium Calabriæ inferioris & superioris, & Patrimonium Neapolitanum, & ubicumque in partibus Regni, atque Imperii à Deo nobis commissi, „ Patrimonia vestra esse noscuntur.

533 „ Has omnes supradictas Provincias, Urbes, Civitates, Oppida, & Castella, Viculos, & Territoria, simùlque & „ Patrimonia jàm dictæ Ecclesiæ, Beate Petre Apostole, & per te Vicario tuo spirituali Patri nostro Domno Paschali Summo Pontifici, & universali Papæ, ejusque „ successoribus usq; ad finem Sæculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, „ Principatu, & ditione. Simili modo per „ hoc nostræ confirmationis decretum firmamus Donationes, quas piæ recordationis „ Domnus Pipinus Rex avus noster, posteà „ Domnus, & genitor noster Carolus Imperator Beato Petro Apostolo spontaneà voluntate contulerunt. Nec non & censum, „ & pensiones, seù cæteras Donationes, quæ „ annuatim in Palatium Regis Longobardorum inferri solebant, sivè de Tuscia Longobardorum, sivè de Ducatu Spoletano, „ sicut in supradictis Donationibus continetur, & inter sanctæ memoriæ Hadrianum „ Papam, & Domnum & genitorem nostrum „ Carolum Imperatorem convènit, quandò „ eidem Pontifici idem de suprascriptis Ducatibus Tuscano, & Spoletano, suæ auctoritatis præceptum confirmavit, eo scilicèt „ modo, ut annis singulis supradictus census „ Ecclesiæ Beati Petri Apostoli persolvatur, „ salvâ super eosdem Ducatus nostrâ in omnibus dominatione, & illorum ad nostram „ potestatem subjectione.

534 „ Cæterùm, sicut diximus, omnia „ superiùs nominata ità ad nostram potestatem, per hoc nostræ confirmationis decretum roboramus, ut in vestro, vestrorumque successorum permaneant jure, Principatu, atque ditione, ut neque à nobis, neque à filiis, & successoribus nostris, per „ quodlibet argumentum, sivè machinationem, in quacumque parte minuatur vestra „ potestas, aut vobis de suprascriptis omnibus, vel successoribus vestris indè aliquid „ subtrahatur, de suprascriptis videlicèt Urbibus, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, „ Castris, Viculis, Insulis, Territoriis, ac „ Patrimoniis, nec non & pensionibus, atque censibus, itaut neque nos ea subtrahamus, neque quibuslibet subtrahere volentibus consentiamus, sed potiùs omnia, „ quæ superiùs leguntur, idest, Provincias, „ Civitates, Urbes, Oppida, Castella, Territoria, Patrimonia, atque Insulas, census, „ ac pensiones, Ecclesiæ Beati Petri Apostoli,

„ li, & Pontificibus in facratissima illius Se-
„ de in perpetuum residentibus, in quantum
„ possumus, defendere nos promittimus, ad
„ hoc, ut omnia ea in illius ditione ad uten-
„ dum & fruendum, atque disponendnm fir-
„ mitèr valeat obtinere; nullamque in eis
„ nobis partem, aut potestatem disponendi,
„ aut judicandi, subtrahendivè, aut mino-
„ randi vindicamus, nisi quandò ab illo, qui
„ eo tempore hujus Sanctæ Ecclesiæ regi-
„ men tenuerit, rogati fuerimus. Et si qui-
„ libet homo de supradictis Civitatibus ad
„ vestram Ecclesiam pertinentibus ad nos ve-
„ nerit, subtrahere se volens de vestra juris-
„ dictione, vel potestate, vel quamlibet aliam
„ iniquam machinationem metuens, aut cul-
„ pam commissam fugiens, nullo modo eum
„ alitèr recipiemus, nisi ad justam pro eo fa-
„ ciendam intercessionem ità dumtaxàt, si
„ culpa, quam commisit, venialis fuerit in-
„ venta, sin aliter comprehensum, vestræ po-
„ testati eum trademus, exceptis his, qui
„ violentiam, vel oppressionem potentium
„ passi ideò ad nos venerint, ut per nostram
„ intercessionis justitiam accipere mereantur,
„ quorum altera conditio est, & à superiori-
„ bus valdè disjuncta.

535 „ Et quandò Divinâ vocatione hu-
„ jus sacratissimę Sedis Pontifex de hoc Mun-
„ do migraverit, nullus ex Regno nostro,
„ aut Francus, aut Longobardus, aut de
„ qualibet gente homo sub nostra potestate
„ constitutus, licentiam habeat contrà Ro-
„ manos, aut publicè, aut privatè veniendi,
„ aut electionem faciendi, nullusque in Ci-
„ vitatibus, vel Territoriis ad Ecclesiam Bea-
„ ti Petri pertinentibus, aliquod malum pro-
„ pter hoc facere præsumat, sed liceat Ro-
„ manis cum omni veneratione, & sinè ali-
„ qua perturbatione honorificam Pontifici
„ suo exhibere sepulturam, & eum, quem
„ Divinâ inspiratione, & Beati Petri inter-
„ cessione, omnes Romani uno consilio, &
„ unâ concordia, sinè aliqua promissione ad
„ Pontificatus ordinem elegerint, sinè ali-
„ qua ambiguitate & contradictione more
„ canonico consecrari. Et cùm consecratus
„ fuerit, Legati ad nos, vel ad successores
„ nostros Reges Francorum dirigantur, qui
„ inter nos, & inter illum amicitiam & cha-
„ ritatem & pacem socient, sicut tempori-
„ bus piæ recordationis Domni Caroli atta-
„ vi nostri, sivè Domni Pipini avi nostri, vel
„ & Caroli Imperatoris genitoris consuetu-
„ do erat faciendi.

536 „ Hoc autem, ut ab omnibus fide-
„ libus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, fir-
„ mum esse credatur, firmiùsque per futuras
„ generationes, & sæcula ventura custodia-
„ tur, propriæ manus signaculo, & venera-
„ bilium Episcoporum, atque Abbatum,
„ vel Optimatum nostrorum sub jurejuran-
„ do, & subscriptionibus pactum, istud no-
„ stræ confirmationis roboravimus, & per
„ Legatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Theo-
„ dorum Nomenclatorem Paschali Papæ di-
„ reximus.

Ego Ludovicus misericordià Dei Imperator subscripsi.

537 Eidem porrò constitutioni subscripserunt tres Ludovici filii, Episcopi decem, Abbates octo, & Comites quindecim, & Bibliothecarius unus, & Mansionarius unus, & Ostiarius unus, ut ex eodem codice Vaticano refert idem Baronius. Sed & in hac eadem constitutione illud pervaldè est adnotandum, quòd ergà initium, dùm agit Ludovicus de concessione facta à Rege Pipino, & Carolo, utitur verbo restitutionis, quasi anteriori jure ea ad Ecclesiam Romanã pertinerent: *Quæ piæ recordationis, ait Dominus Pipinus Rex, ac bonæ memoriæ genitor Carolus Imperator Beato Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris jàm dudùm per donationis paginam restituerunt.* Hinc Pipinus, & Carolus Magnus, qui jure belli à barbaris Regibus erepta sua fecerunt, respicientes tamèn ad antiqua Romanæ Ecclesiæ jura, eidem Sanctæ Ecclesiæ redonare summâ cum pietate voluerunt, & redonando olim deperdita, atquè amissa restituere. Debet Sancta Romana Ecclesia munificentiæ Constantini, sed multùm debet Francorum Regibus, sinè quibus tanto dominio numquàm usa fuisset, sicùt & post Constantinum, usquè ad Francorum Reges, Pipinum, & Carolum, nequaquàm uti potuit.

538 Hujus porrò Ludovici pii concessionis, sivè donationis, vel rerum concessarum, & donatarum confirmationis, & ratificationis, meminit Leo Ostiensis in Chronico Cassinate lib. 1. cap. 18. ubi habet:
„ Ultimo hujus Abbatis anno, Ludovicus
„ Imperator, qui cognominatus est Almus,
„ vel Sanctus, hujus Caroli filius, Quarto
„ Imperii sui Anno, Aquisgranum in Pala-
„ tio cum pluribus totius Franciæ Episco-
„ pis, Abbatibus, Religiosisque Monachis,
„ Concilium faciens, utilissima nostri Ordi-
„ nis observationi, octo generalia Capitula
„ constituit, quæ omnia apud nos perindè
„ ferè, ac Regula Sancti Benedicti observan-
„ tur. Hoc pactum constitutionis, & con-
„ firmationis fecit Beato Petro Apostolo,
„ ejusque Vicario Domino Paschali, paren-
„ tes suos Pip..um, & Carolum imitatus,
„ manusque suæ, ac filiorum subscriptione
„ corroborans x. Episcopos, VIII. Abbates,
„ & Comites xv. Bibliothecarium, Mansio-
„ narium, & Ostiarium unum subscribere
„ fecit, & per Legatum S. Romanæ Eccle-
„ siæ Theodorum Nomenclatorem, Domino
„ Paschali Papæ transmisit. *Hactenus Leo Ostiensis.*

539

539 Deniquè Carolus Calvus eadem jura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmavit, ut testatur Joannes Papa VIII. Epist. 9. data ad Landulphum Episcopum Capuanum, ubi scribit: „ Siquidèm nosse volumus tuæ re„ ligionis intentionem, quoniàm, Domino „ cooperante, Leone venerabile Episcopo „ nepote nostro, ac Sanctæ Ecclesiæ Roma„ næ eximiò Apocrisiario, aliisque nostris „ Legatis, quos nuper direxeramus, à charis„ simo filio nostro Carolo Imperatore Augu„ sto reversis, vobis, utpotè à secreto Con„ siliariis nostris, ratum ducimus animi „ ejus, Deo inspirante, circà Ecclesiarum „ præsertim Romanæ, quæ caput est om„ nium, exaltationem, affectum patefacere, „ omne fanè jus potestatis, antiquitùs attri„ butum capitularitèr renovatum in conven„ tu Episcoporum, ac Optimatum, inviola„ bilitèr concessit habendum. *Hæc ille*. Hujus porrò Concilii, sivè conventus, Legatorum quoquè, meminit Aimonjus lib. 5. de gestis Francorum, cap 33. Hæc itàque sunt, quæ hac in causa in medium afferre curavi, non ferens sententiam, hanc enim definiendam Doctoribus reservavi, verùm ad aliqualem notitiam; nàm hoc unum citrà controversiam est, ea scilicèt omnia, quæ Sancta Romana Ecclesia possidet, sivè ex Constantini munificentia, sivè beneficio Francorum Regum, & eorum Donationibus, & Concessionibus, possideat, legitimè, ac bona jure possidet.

CAPUT XVII.

De Innocentii Papæ III. Pontificatu, atque ab eo Græcorum unione procurata.

540 IMperante in Oriente Alexio Angelo, in Occidente Imperio vacante, ineunte Anno Domini MCXCVIII. ejusdem Alexii Angeli Imperii Anno IV. Cœlestini III. Pontificatus Anno VII. Indictione xv. inchoatâ à proximo Septembri, vel prima, si auspicatur à mense Januario, idem Cœlestinus Papa ex hac vita ad Dominum migravit, de cujus obitu Rogerius hæc scribit: *Eodem Anno millesimo centesimo nonagesimo octavo Cælestinus Papa senio & gravi morbo laborans, obiit Romæ mense Januarii, sexto Idus ejusdem mensis, feriâ sextâ, septimo Anno Papatus sui, & Laterani sepultus est*, ubi sedisset Annos VI. menses VIII. & dies XXVIII. In cujus locum mirâ animi consensione suffectus est Innocentius, hujus nominis III. ante Lotharius appellatus, ex patre Trasimundo, de Comitibus Segniæ, matre verò Clarina, juvenis annorum triginta, vel paulò plùs, vir tamen perspicacis ingenii, & tenacis memoriæ, staturâ mediocris, & decorus aspectu, prudens & liberalis; severus contrà rebelles & contumaces, sed benignus ergà humiles & devotos; fortis & stabilis, magnanimus & astutus; in justitia rigidus, sed in misericordia pius; humilis in prosperis, & patiens in adversis: erat enim omni virtutum genere exornatus, ut ejus vitæ ferunt Scriptores. Creatus est Romanus Pontifex v. Idus Januarii antefati Anni, sequenti scilicèt die ad obitum Cœlestini, reluctans, & nolens, ut ipse in Epistola de sua electione testatur.

541 Publicata per Orbem Innocentii electione Alexius Angelus Oratores muneribus onustos prætiosis misit, ad ostentationem magis, quàm ad filialem obedientiam præstandam, ut exitus probavit; & ut Legatos suos ad lustrandum amandaret Imperium per eosdem Pontificem rogavit: qui summa cum humanitate susceptis Oratoribus, annuens Imperatoris postulatis, Apocrisiarios ad eum direxit Albertum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, & Albertinum Diaconum, datis ad eum literis hortatoriis, ut Terræ Sanctæ suppetias ferret, & ut Græcorum Ecclesiam ad Apostolicæ Sedis obedientiam, à qua contumaciter tamdiù defecerat revocandam, operam daret: quibus in literis inter alia scripsit.

542 „ Imperialis Excellentiæ magnitu„ do, si se coràm eo humiliaverit, *qui humilia* „ *respicit, & alta à longè cognoscit*, & super eo „ sui stabilierit Imperii fundamentum, prætet „ quod aliud poni non potest; quod est ipse Je„ sus, & super quo ipse Dominus noster na„ scentis Ecclesiæ posuit fundamentum, *su*„ *per hanc petram*, inquiens, *ædificabo Ec*„ *clesiam meam*, exaltabitur & elevabitur; „ quoniàm *omnis, qui se humiliat, exaltabi*„ *tur* secundùm testimonium veritatis, & *fir*„ *mabitur, & non flectetur*: quoniàm ædifi„ cium, quod super hoc fundamentum con„ sistit, nec casum timet, nec ad machinas „ formidat hostiles. Ut autèm firmiùs, & „ fortiùs Imperium tuum in hujus fundamen„ ti firmitate persistat, oportet ut Deum uni„ versis tuis affectibus anteponas, & Spon„ sam ejus Romanam Ecclesiam, cujus ipse „ fundamentum, & fundator existit, præ„ cipuè venereris, ut dùm in dilectione Spon„ si, & Sponsæ perstiteris unitate, ex nulla „ parte celsitudinis tuæ sublimitas quatia„ tur.

543 „ Verùm non ut ad detractionem, „ sed tuam potiùs correctionem loquamur, „ miramur non modicum, murmurat etiam „ adversùs te Populus Christianus, imò & „ ipse Jesus, ubi ille te increpat: *Hospes* „ *fui, & non collegisti me, infirmus & non vi*„ *sitasti me, in carcere & non venisti ad me*. „ Cùm enim, peccatis nostris exigentibus, „ venerint gentes in hæreditatem Domini, & „ coinquinaverint templum sanctum ejus, imò

„ imò ipsum Jesum Christum quodam modò
„ captivaverint, Lignum Sanctæ Crucis, in
„ qua salus Mundi pependit, & delevit Chirographum mortis antiquæ in qua etiam
„ Apostolus se asserit gloriari: *Mibi absit*, inquiens, *gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Nec Christo exuli subvenire,
„ nec ad liberationem Terræ nativitatis ipsius intendere, hactenùs, sicut debueras,
„ curavisti, cùm tamèn ex vicinitate locorum, & abundantia divitiarum tuarum,
„ & potentia, qua inimicos Crucis munere
„ Divino præcellis, id potueris commodiùs,
„ & expeditiùs aliis principibus adimplere.

544 „ Est etiam aliud propter quod non
„ solùm adversùs te, imò adversùs Romanam
„ Ecclesiam, quæ id hactenùs, quasi sub dissimulatione transivit, murmurat Populus
„ Christianus. Cùm enim Dominus noster
„ unam sibi Sposam elegerit non habentem
„ maculam, neque rugam, juxtà quod in
„ canticis protestatur: *Una est*, inquiens,
„ *dilecta mea, Sponsa mea, columba mea*. Et
„ in Evangelio dicit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile, & unus Pastor*.
„ Cùm etiam inconsutilis tunica Christi divisa non fuerit, & in Symbolo contineatur
„ expressè: *Credo in unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*; Græcorum
„ populi ab unitate Apostolicæ Sedis & Romanæ Ecclesiæ recedentes, quæ disponente
„ Domino, cunctorum fidelium mater est, &
„ magistra, sibi aliam Ecclesiam confinxerunt, si tamèn præter unam est, Ecclesia
„ sit dicenda. *Hæc & alia Innocentius*.

545 Qui & alias adjecit literas ad Patriarcham Constantinopolitanum, quibus
paritèr hortatur, ut suas in tollendo Schismate partes adhibeat, atque ad recuperandam
Terram Sanctam, Christi imbutam sanguine, ac Sarracenorum flagitiis & sacrilegiis contaminatam, Alexium permoveret. Objerat jam
Gergius Xiphilinus Superiori Anno MCXVIII.
ubi sedisset Annos septem, ac in ejus locum
substitutus fuit Joannes Camaterus pessimus
Schismaticus, ad quem antedictas literas Innocentius scripsit: sed cum esset vaferrimus,
Legatos Pontificios humanissimè excepit, atque & Innocentii Zelum plurimùm commendavit, quod de unione Græcorum cum Romana Ecclesia procuranda animum adjecisset,
sed & perfidiam suam, per modum dubii, eidem
Sancto Pontifici exponere curavitt, datis ad
eum literis, quibus quæsivit, cur Romanam
Ecclesiam appellasset universalem, & omnium
Ecclesiarum Matrem, & non magis is dignitatis titulus attribuendus sit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cùm ex ea Christiana fides emanarit. Cujus literæ ad hunc modum se habent.

Innocentio Sanctissimo PP. Rom. & in Christo Domino dilecto fratri.

546 „ Quòd mihi in tuæ Sanctitatis scripto non modicam super induxit ambiguitatem, non abscondam. Nàm & pro mirò
„ habeo, quomodò unam & universalem Romanorum vocasti Ecclesiam, ut quasi, jam
„ divisam in species quasdam specialissimas,
„ & hæc uno existente Grege, ovilium Christi nobis quodammodò Pastoribus, sub eò
„ constitutis Pastorum principe communique
„ Doctore: & quomodò erit, quod apud vos
„ Romanorum Ecclesia Mater (ut dixisti)
„ communis aliarum Ecclesiarum, & secundùm quas aliquas rationes, & per quas
„ unquam causas quæro addiscere dubitans.

547 Quod autèm mihi & plus extendit
„ ambiguitatem, dicam, & indulge mihi sacerrimè Papa, si nunc primò hunc Patriarchalem sacrum Thronum me ascendentem,
„ nondùm de tali hac dubitatione diligentem solutionem addiscere accidit: Audiens
„ enim quis in psalmis David dicentem: *Mater Sion dicet homo & homo natus est in ea*,
„ secundùm verùm utique Verbi, & justitiæ
„ æquitatem, Hierosolymitanam Ecclesiam
„ Matrem aliarum Ecclesiarum nominabit,
„ prærogantem secundùm fidem, tàm tempore, quàm dignitate. In ea enim utique
„ ut novissimus omnium Christus & natus
„ est secundùm carnem, & conversatus est.
Hæc Camaterus.

548 De Schismate verò quod à Pontifice
Græcis fuerat exprobatum, se suosque purgans subnectit, inquiens: *Reprehensionem autem à tua Sanctitate nobis super inductam silere nequeo, ut scindentibus quasi unam, & desupèr contextam Christi vestem, & sic à vobis usque nunc discissis &c.* At Innocentius his acceptis literis, ut Pater & Doctor, ad Patriarchæ & Græcorum Instructionem alias fecit literas solidâ doctrinâ refertas, qua Camateri objecta diluit, in quibus inter plura
quæ diffusissimè scripsit, sequentia ad rem
præsentem exaravit. Allegatis namque quæ
de Petro Apostolorum Principe alleganda
erant, subjungens indè ait.

549 „ Huic Dominus oves suas pascendas, vocabulo tertiò repetito, commisit,
„ ut alienus Grege Dominico censeatur, qui
„ eum etiam in successoribus suis noluerit
„ habere Pastorem. Non enim inter has, &
„ illas oves distinxit, sed simpliciter, inquit:
„ *Pasce oves meas*, ut omnes omninò intelligantur ei esse commissæ. Jacobus enim
„ frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana sola contentus, ut
„ ibi semen fratris præmortui suscitaret, ubi
„ fuerat crucifixus; Petro non solùm univer-

„ sam Ecclesiam, sed totum reliquit sæculum gubernandum. *Et post plura*. Pro hoc argumento ex Sacris Scripturis producto, subjungit.

550 „ Ipse quidèm primus Judæos, ipse „ quoquè primus Gentiles, post ascensionem „ Christi convertit ad Fidem, ut super „ utrosque fideles se primatum accepisse „ monstraret. Cùm ipso die Pentecostes ad „ verbum exhortationis ipsius, circiter tria „ millia Judæorũ Baptismi receperint Sacramentum, ac deindè Cornelium Centurionem, & suos quasi primitias Gentium ad revelationem Angelicam baptizarit. Cùm „ autèm inter Apostolos ad Consultationem credentium magna fieret conquisitio, „ utrùm oporteret circumcidi fideles, & legem Mosaicam observari, Petrus, principali fretus auctoritate, respondit: *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem „ discipulorum, quod nequè Patres nostri, nequè nos portare potuimus?* Cujus sententiam subsecutus, Apostolicum super ipsa „ quæstione decretum Jacobus promulgavit, „ Paulus etiam postquàm abiit in Arabiam, „ & iterùm rediit in Damascum, deindè post „ tres annos venit Hierosolymam, ut Petrum videret, cum eo Evangelium, quod in „ gentibus prædicaverat, collaturus, nè „ fortè in vacuum curreret, aut etiam cucurrisset. *Et post alia*.

551 „ Quæsivisti etenìm, *ait*, dubitans, „ & addiscere volens, qua ratione Romanam „ Ecclesiam unam, & universalem in nostris „ literis vocaverimus, velùt in quasdam species specialissimas jàm divisam, cùm & „ unus sit Pastor, & unum ovile, licèt sub „ uno Pastorum Principe Christo plures sint „ constituti Pastores. Nos autèm inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia „ duabus de causis universalis vocatur: intelligentia nàmque dictorum ex causis assumenda dicendi, cùm non res sermoni, sed „ rei sit sermo subjectus. Dicitur enìm universalis Ecclesia, quæ de diversis constat „ Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica „ nominatur, & secundùm hanc acceptionem „ vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicèt, & præcipua, velùt caput in corpore, quoniàm in ea plenitudo „ potestatis existit; ad cæteros autèm pars „ aliqua plenitudinis derivatur.

552 „ Et dicitur universalis Ecclesia illa „ una, quæ sub se continet Ecclesias universas; & secundum hanc nominis rationem, „ Romana tantũ Ecclesia universalis nuncupatur, quoniàm ipsa sola singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata, sicùt „ & Deus universalis Dominus appellatur, „ non quasi jàm divisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed „ quoniàm universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, „ de qua veritas, inquit, ad Petrum: *Tu es „ Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et sunt multæ particulares „ Ecclesiæ, de quibus Apostolus, ait: *Instãtia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum*, ex omnibus una consistit, tamquàm ex particularibus generalis, & una „ præeminet omnibus, quoniàm cùm unum „ sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: *omnes unum corpus sumus in Christo*, „ illa velùt caput cæteris membris excellit.

553 „ Quæsivisti etiam, & te asseruisti „ non modicum dubitare, cupiens addiscere „ causam, quàm acceptabis sinè cõtradictione „ rationem habentem, cùm David de Hierusalem dicat in psalmis: *mater Sion dicet „ homo, & homo natus est in ea*, utpotè in „ qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter, & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens Fidei „ fundamenta, propter quòd meritò mater „ debet nuncupari, cùm ex ea doctrina processerit salutaris. Cùr mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quæ „ ab Hierosolymitana Ecclesia orthodoxæ „ Fidei Sacramenta recepit, cùm Apostolus etiam inquiens se usquè ad Illyricum „ Evangelium prædicasse, quòd quasi à Hierusalem inceperit, evidenter ostendat.

554 „ Licèt autèm ex præmissis intelligatur, & huic inquisitioni responsum, „ cùm Ecclesia Romana mater dicatur, non „ ratione temporis, sed ratione potiùs dignitatis; Nàm etsì secundùm Joannem Andreas priùs venerit ad Fidem, quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, „ cum & in Apostolorum Cathalogo semper primus, quasi præcipuus præmittatur, „ non quòd Petrus sit prior tempore, sed potior dignitate.

555 „ Ad omnem tamèn dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere, „ secundùm diversas nominis rationes inter „ Romanam, & Hierosolymitanam Ecclesiam, quòd illa dicenda sit mater Fidei, „ quoniàm ab ea Sacramenta Fidei processerunt: Ista verò dicenda sit mater fidelium, „ quoniàm privilegio dignitatis universis „ fidelibus est prælata. *Hæc Innocentius*. Qui & pro pace, ac Ecclesiarum unione conciliãda proposuit se Concilium œcumenicum celebraturum.

556 Scripsit porrò & Alexius ad Innocentium literas datas Indictione 11. mense Februarii, die 11. ejusdem mensis, missas per Georgium Venetum Nuncium suum, quibus asserebat, quòd nondùm pro Terra Sancta, & Sarracenorum manibus eripienda elaborandum foret, seque timere valdè, nè si illi liberandæ præfinitum à Deo tempus antevertere auderet, frustrà opus pertentaret, atquè adeò sibi à Domino propheticũ illud obji-

jice-

jiceretur: *Sibi regnaverunt, & non per me, dominati sunt, nec me noverunt*. Erat nàmque infœlix iste Princeps permaximè Astrologicis addictus prædictionibus, ut Choniates lib. 3. adnotat; adeòut, cùm aliquod opus agendum suscepturus erat, Astrologos consulere priùs non vereretur. Adjecerat porrò in iisdem literis, se pro unione Ecclesiarum promptum habere animum, operamque se daturum, ut optata perficeretur. Hinc Innocentius præfatis receptis literis, rescripsit ad ea primùm, quæ de liberanda Terra Sancta acceperat, in hæc verba.

557 „ Ut non ad reprehensionem, quàm „ instructionem loquamur, si diligenter con„ sideres, & inspicias veritatem, longè aliter „ intelliges sentiendum. Bonorum enim om„ nium dator, *qui reddet secundùm opera sua*, „ cui servitia coacta non placent, liberum „ homini concessit arbitrium, ut super his, „ in quibus humanum posset inveniri reme„ dium, Dominum non tentaret; scriptum „ est enim: *Non tentabis Dominum Deum „ tuum*. Est igitur in tanta necessitate po„ puli Christiani, vel potiùs Jesu Christi „ tàm tibi, quàm universis sacri baptismatis „ undâ renatis libero utendum arbitrio, & „ subveniendum exuli Crucifixo; nè, si Re„ demptionis ejusdem terræ tempus ignotum „ hominibus expectare volueris, & nihil „ agere per teipsum, sed universa relinquere „ dispositioni Divinæ, Sepulcrum Domini„ cum à Sarracenorum manibus, præter tuæ „ subventionis axilium liberetur, & indè „ per negligentiam Imperialis magnificentia „ Divinam incurrat offensam, undè per sol„ licitudinem suam, gratiam Domini po„ terat promereri. Nùmquid enim sensum „ Domini cognovisti? Nùmquid consilia„ rius ejus es? Ut certus indispositione Di„ vinâ tùnc primùm arma moveas in Paga„ nos, & ad liberationem Hierosolimitanæ „ Provinciæ accingaris, cùm Dominus mi„ sereri disposuerit populi Christiani, & hæ„ reditatem suam de Sarracenorum manibus „ liberare. *Hæc ille inter plura*.

558 Ad ea porrò, quæ Alexius scripserat de sui animi promptitudine ergà conciliandam Ecclesiarum pacem, ac earundem incundam unionem, rescripsit in eadem Epistola Innocentius, se hoc in plurimùm gaudere: „ Gaudemus autèm, *inquit*, quòd super Ec„ clesiæ unione, pro qua Imperatoriæ ma„ gnificentiæ specialiter literas nostras dire„ ximus, & Legatos, sicùt & literis tuis ac„ cepimus, promptum videris habere affe„ ctum, & ad consumandum, quod scripsimus, „ intendere diligenter. *Hæc ille*; qui & adjecit, se decrevisse Concilium Generale celebrandum, ad consulendum in eo Ecclesiæ commodis, atquè utilitatibus. Quas literas per Joannem Cappellanum suum, & familiarem, cum potestate Apostolicæ Sedis Legati, misit, quem & Alexio commendavit, & ut benignè eum exciperet, atquè honore prosequeretur, est hortatus.

559 Cùmque non corde recto, verùm simulatè agerent cum Innocentio, Alexius, & Camaterus, acceptis Pontificiis literis, quibus Pontifex Generalę Concilium pro ineunda, & pertractanda unione celebrandum promittebat, pœnituit Imperator de iis, quæ super hac unione scripserat, doluitque cum eo, & Patriarcha: qua de re inito malignantium consilio, in eâ sententiam descenderunt, esse Pontifici rescribendum, placere eis Concilium Generale, si in Oriente, ubi priora quatuor habita fuère, celebraretur. Sic Auctor gestorum Innocentii, Inquiens: „ Cùm „ autèm Imperator, & Patriarcha literas „ hujusmodi recepissent, & eas sibi fecissent „ diligenter exponi, non minimum doluerunt „ de iis, quæ priùs scripserant pœnitentes; „ quoniàm Imperator ex promissione sua co„ gnoscebat se obligatum, quòd cùm Roma„ nus Pontifex convocaret Concilium Ge„ nerale, ipse debebat Græcorum Ecclesiam „ ad illud Concilium destinare, statuta „ Concilii accepturus. Patriarcha verò ex „ responsionibus Apostolicis super suis con„ sultationibus factis, cognoscebat, se tàm „ rationibus, quàm auctoritatibus coarcta„ tum ad obedientiam Romano Pontifici ex„ hibendam. Imperator igitùr habito cum „ Græcis longè consilio, ad ultimum sic re„ spondit, quòd si Romanus Pontifex face„ ret in Græcia celebrare Concilium, ubi „ quatuor antiqua Concilia fuerant celebra„ ta, illùc Græcorum Ecclesia suos mitteret „ Responsales: & fingens se longiùs ire, ad „ aliam materiam se convertit, mittens sum„ mo Pontifici literas, in quibus nitebatur „ probare, quòd Imperium Sacerdotio præ„ pollebat, ad quas Dominus Papa respon„ dit. *Hæc ille*.

560 Qui & literas Innocentii ad Alexium redditas recitat, quibus vanam refutat, & falsam imperiti Principis opinionem, & non minùs solidissimis rationibus, quàm auctoritatibus ostendit, Sacerdotalem dignitatem longè Imperiali dignitati antecellere, subnectens indè, inquiens: „ Hæc si pruden„ ter attenderit Imperatoria celsitudo, non „ faceret, aut permitteret, venerabilem fra„ trem nostrum Patriarcham Constantinopo„ litanum, magnum quidèm, & honorabile „ membrum Ecclesiæ, juxtà scabellum pe„ dum suorum in sinistra sedère, cùm alii „ Reges, & Principes, Archiepiscopis, & „ Episcopis suis, sicùt debent, reverenter as„ surgant, & eis juxtà se honorabilem Sedem „ assignent. Nàm & piissimus Constantinus, „ quantùm honoris exhibuerit Sacerdoti„ bus, tua, sicùt credimus, prudentia non „ ignorat. *Hæc Innocentius*, ut immoderantiam superbi Principis retunderet.

561 Eodem tempore, dùm hæc ab Innocentio agerentur, scissâ hactenùs ab Ecclesia Romana Dicliæ, atque Dalmatiæ Ecclesiâ, per Legatos Pontificios Joannem Cappellanum, & Simonem Subdiaconum, adnitente Vulcano ejusdem Diocliæ, & Dalmatiæ Rege, reconciliata est; de qua re extant literæ præfati Regis, datæ ad Innocentium, inter ejusdem Pontificis literas insertæ, lib.2.Epist. 167. Literæ quoquè ejusdem argumenti scriptæ à Joanne Dioclienfi, & Antibarensi Episcopo ad eundem Innocentium, extant paritèr in eodem Volumine lib.2. Epist.169. Undè & præsentibus, & præsidentibus iisden Apostolicę Sedis Legatis, habita eodem tempore est Synodus pro Ecclesiastica Disciplina reformanda in universo illo Regno, editaque sunt salubria in ea decreta. Et ad verecundiam Patriarchæ Cōstantinopolitani Sancta Romana Ecclesia, Can.vi. *omnium Ecclesiarum Mater & Magistra appellatur*. Et Can. viii. anteponitur spiritualis potestas potestati sæculari & temporali.

562 Sed & eodem paritèr Anno, Domini videlicèt MCXCIX. Gregorius Armenorum Patriarcha, & Leo Rex illorum Legatione decretâ, nobiles Viros ad præstandam Romano Pontifici obedientiam cum muneribus direxerunt; undè in Actia hujus Pontificis habetur: „ Auditâ famâ nominis ejus Gregorius Armeniorum Catholicus, & Leo Rex minoris Armeniæ, Nuncios, & literas cum muneribus Domino Innocentio transmiserunt, ad devotionem & obedientiam ejus se humilitèr exponentes. *Hæc ibi*. Extant literæ ejusdem Regis, datæ ad Innocentium, relatæ etiam à Clemente Galano, tom.1. Concilior. Ecclef. Arm. cum Romana, cap. 23. depromptæ ex Codice Epistolar. Innocentii, lib.2. Epist. 208. ad hunc modum se habentes.

Leo Armeniæ Rex, Reverendissimo in Christo Patri Innocentio, Dei gratia, Summo Pontifici, & universali Papæ, tanto, ac tali honore dignissimo.

563 „ Leo per eandem, & Romani Imperii gratiam Rex omnium Armeniorum, cum salutatione seipsum, & quidquid potest. Gloria, laus, & honor Omnipotenti Deo, qui vos tantum & talem Pastorem Ecclesiæ suæ præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus; & tàm fructuosam, & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen super Candelabrum positum toti Orbi terrarum ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. In vestri veri luminis gratia salutaribus monitis Reverendissimi Patris nostri Archiepiscopi Moguntini instructi & informati, omne Regnum nobis à Deo commissum, amplissimum & spatiosum, & omnes Armenios, hùc illùc in remotis partibus diffusos, ad unitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Divinâ inspirante Clementiâ, revocare cupimus, & exoptamus.

564 „ Ad hæc calamitates, miserias, paupertates, & imbecillitatem Regni Syriæ, & nostrum, per ipsum prædictum Moguntinum (quia difficilior labor erat scripto retexere) pietati vestræ patefacimus. Ipse verò per singula rei veritatem vobis explicabit, in cujus notitiam ista non præterière. Hanc utiquè contritionem & collisionem in valle destituti lacrymarum jàm diù sustinuimus; quod de cætero sinè spe subsidii, & auxilii vestri sustinere nequimus. Verùm, quia zelus domus Dei tepescere non debet in cordibus tàm vestrò, quàm nostro, non ut personam instruentis geramus, ejusdem domus decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere, ut impetus, quem super eam faciunt inimici Crucis, cooperante Dei gratiâ, collectis in unum animi viribus, resistendo excludamus. Hinc est, quòd vestram flexis genibus imploramus pietatem, quatenùs lacrymabilibus Domini Moguntini precibus, & nostris, divino intuitu aures misericordiæ porrigatis; & miseriis Christianitatis compatientes, subsidium christianissimum nobis occurrendo mittatis, antequàm irremeabile, quod absit, incurramus diluvium, imò cum Dei, & vestro auxilio evaginato ense, de Hur Caldeorum, & persecutione Pharaonis liberari possimus. Datum Tarsi, Anno ab Incarnatione Domini MCXCIX. mense Majo, die 23. *Hactenus Leonis Regis Epistola*.

565 Hanc pius Rex Romam direxit per Legatum, ad hunc effectum ab eo specialitèr designatum, qua accepta, plurimùm gratulatus Innocentius, rescripsit ei, laudans illius studium ergà Sedem Apostolicam; deindè ejusdem Sanctæ Sedis primatum super universas Orbis Ecclesias demonstrat; atque, ut in obedientia ejusdem Sedis fidelitèr perseveret, hortatur; & subsidium contrà Sarracenos citò se missurum pollicetur. Ait namque suis in literis Innocentius.

566 „ In Ecclesiam suam congregatam ex gentibus, non habentem maculam, neque rugam, super gentes, & Regna constituit; is extendit palmites ejus usquè ad Mare, & usquè ad terminos terræ ipsius propagines dilatavit: *Cujus est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo*. Ipse etiam Romanam Ecclesiam, non solùm universis fidelibus prætulit, sed super cæteras Ecclesias exaltavit, ut cæteræ ab ea, non tàm vivendi normam, & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicæ documenta recipe-

„ cipetent, & ejus servarent humilitèr in-
„ stituta.

567 „ In Petro enim Apostolorum Principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi, & solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis;* Ecclesia Romana, Sedes ejus, & sessores ipsius Summi Pontifices, Successores Petri, & Vicarii Jesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singularitèr succedentes super Ecclesiis omnibus, & cunctis Ecclesiarum Prælatis, immò etiam fidelibus universis, à Domino primatum, & magisterium acceperunt; vocatis sic cæteris in partem sollicitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro, & cum Petro singulare illud privilegium expiravit, quòd successoribus ejus futuris usquè in finem Mundi Dominus in ipso concessit, sed præter vitę sanctitatem, & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdictio successorum, quos etsi diversis temporibus, eidem tamèn Sedi, & eàdem auctoritate Dominus voluit præsidere.

568 „ Gaudemus autem, quòd tu, sicut Princeps Catholicus, Apostolicæ Sedis privilegium recognoscens, Venerabilem fratrem nostrum Moguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana Collaterales existunt, benignè, ac hilaritèr recepisti, & non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus juxtà continentiam literarum tuarum totum Regnum tuum, licèt amplissimum, desideras informari, & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocare; sed ad honorem & gloriam Apostolicæ Sedis, quam constitutam esse novisti super Gentes, & Regna, Diadema Regni recepisti de manibus ejus; & eum curasti devotè, ac humilitèr honorare, & nos per ipsum, & literas tuas ad Orientalis terræ subsidium invitasti.

569 „ Ei ergò, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quos possumus, gratias referentes, quòd tibi tantæ humilitatis animum inspiravit; rogamus Serenitatem Regiam, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenùs in timore Domini, & Apostolicæ Sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariem Paganorum, & vindicandam injuriam Crucifixi, tantò potentiùs & efficaciùs studeas imminère, quantò fraudes & versutias hostium viciniùs positus, meliùs cognovisti, non in exercitus multitudine, aut virtute, sed de ipsius potiùs miseratione confidens, qui *docet manus ad prælium, & digitos movet ad bellum;* qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Jàm enim, per Dei gratiam, ad commonitionem nostram, multi Crucis signaculum receperunt, & plures, Domino dante, recipient, in defensionem Orientalis Provinciæ opportuno tempore transituri. Jam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ Crucis assumpsère vexillum, Exercitum Domini pręcessuri. Confide igitùr, & esto robustus, quià citiùs forsitàn quàm credatur, Orientalis Provincia subsidium sentiet expectatum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

570 Hæc porrò Epistola inserta habetur in Codice Epistolarum Innocentii, Epist. 209. ubi & lib. 2. Epist. 247. alia ad eundem Regem refertur Innocentii Epistola, qua vexillum Crucis se per Robertum Margat militem utendum in bello adversùs Sarracenos, se dirigere fatetur: „ Nos igitùr de tuæ devotionis sinceritate confisi, *inquit in ea Innocentius*, ad petitionem dilecti filii Roberti de Margat militis Nuncii tui, in nostræ dilectionis indicium, vexillum Beati Petri tuæ Serenitati dirigimus, quo in hostes Crucis dumtaxàt utaris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus Apostolorum Principis meritis, refręnare. Datum Laterani xv. Kalendas Januarii.

571 Rescripsit indè idem Leo Rex ad eundem Innocentium & aliam Epistolam anterioris responsivam, quà profitetur se Vexillum recepisse: „ Misisti autem, *inquit*, nobis Vexillum Sancti Petri in memoriale dilectionis Sedis Apostolicæ, quod semper antè nos portari contrà inimicos Crucis ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciemus. *Indè contestatur se omninò alligatum vinculis obedientiæ Apostolicæ Sedi.* Prætereà nos obedientiæ vinculis de cætero Apostolicæ Sedi esse alligatos non dubiteris; eapropter, si placet Sanctitati vestræ, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus, nec debemus alligari. *Undè & privilegium petit subjungens.*

572 „ Hinc est, quòd Sanctitatem vestram humilitèr flagitamus, quatenùs nobis literas apertas mittere dignemini, ut non teneamur, videlicèt cum Latinis de terra nostra de qualibet conditione, exceptâ Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, cuilibet Ecclesiæ Latinæ; & quòd non habeat potestatem, nos, seù Latinos, de terra nostra excommunicandi, vel sententiam in Regno nostro proferendi super Latinos quælibet Ecclesia, exceptâ, ut dictum est, Sede Apostolicâ. *Hæc ille.* Indulsit postulatis Innocentius, datisque literis per Garnerum Teutum Nuncium Regis, ad ipsum Regem ferendis, privilegium in hac forma concessit, inquiens.

573

573 „ Volentes igitùr, quantùm cum „ Deo possumus tuæ Serenitati deferre, & „ cum honestate nostra petitiones Regias ex- „ audire; tuis precibus inclinati, auctorita- „ te præsentium inhibemus, nè quis in te, „ Regnum tuum, aut homines Regni tui, „ cujuscumque conditionis existant, qui me- „ diantibus tamen ejusdem Regni Prælatis, „ Sedi Apostolicę sunt subjecti, prætèr Ro- „ manum Pontificem, & ejus Legatum, vel „ de ipsius speciali mandato, districtionem „ Ecclesiasticam audeat exercere. *Hæc Innocentius*, ut habetur lib.2. Epist. 44. Undè conspicere licebit quantâ cum differentia se gerant ergà Sanctam Romanam Ecclesiam Leo Rex Armenus, & Alexius Græcorum Imperator: Ille verò summâ cum devotione, miràque humilitate se Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi submittit, perfectamq; obedientiam promittit, cunctosque sui Regni ad eandem obedientiam & reverentiam præstandam, quantùm in se est, reducturum profitetur. Hic verò è contrario elatâ cervice, se & suos Romanæ Ecclesiæ submittere recusat; & ausu temerario audet de dignitate Sacerdotii contendere, & se Romano Pontifice digniorem facere, dùm dignitatem Imperialem non veretur Pontificiæ anteponere. Sed & quanto cum discrimine se gerat Gregorius Patriarcha Armenorum cum universo Clero ergà eandem Apostolicam Sedem, ac se gesserit Joannes Camaterus Patriarcha Constantinopolitanus, ex ejusdem Gregorii literis, ad Innocentium redditis, quæ habentur lib.2. Epist. 206. perspicuum erit: scribit nàmque ad hunc modum.

574 „ Vobis, qui estis caput post Chri- „ stum, consecrati ab eo, & Caput Catho- „ licæ Ecclesiæ Romanæ, Matris omnium „ Ecclesiarum, adeò prudentes & sancti, „ quòd debetis esse in loco Apostolorum su- „ blimis Papa; & vobis sanctis Archiepisco- „ pis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, „ & omnibus, qui sunt de Sancta Ecclesia, „ salutem,& fraternitatem: Pax Dei sit inter „ vos. Gregorius homo Jesu Christi, per „ gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ „ Armeniorum, filius vestræ Sanctæ Eccle- „ siæ, quæ est fundamentum Legis totius „ Christianitatis.

575 „ Sciatis, quòd nos Archiepiscopi, „ Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus „ Jesum Christum, qui est Caput omnium „ nostrum, ut servet vos, & vestros ab omni- „ bus malis, quià cùm vos, qui estis Ca- „ put, estis incolumes; nos, qui sumus cor- „ pus, benè valebimus per vestram benedi- „ ctionem.

576 „ Noveritis Domine, quòd ad nos „ venit nobilis, sapiens, & sublimis Archie- „ piscopus Moguntinus, qui nobis attulit „ ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ec- „ clesiæ Romanæ, & ex parte magni Impe- „ ratoris Romanorum sublimem Coronam; „ & coronavit Regem nostrum Leonem; & „ nobis reddidit Coronam, quam perdidi- „ mus à longo tempore, undè nos fuimus „ elongati à vobis. Et nos recepimus eam „ libentèr, & cum magno gaudio; & incli- „ namus, & regratiamus Deo, & Sanctæ „ Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Ro- „ manorum.

577 Sciatis Domine, quòd ipse nobis „ monstravit vestra præcepta, & nos ea mul- „ tùm libentèr audivimus, & libentèr volu- „ mus legem, & fraternitatem sublimis Ec- „ clesiæ Romanæ, quæ est Mater omnium „ Ecclesiarum, & nos solebamus eam habere, „ & nunc eam habemus, & libentèr volumus „ esse ad vestrum mandatum. Et firmitèr „ sunt ad mandatum vestrum omnes Archi- „ episcopi, Episcopi, & omnis Clerus no- „ stræ Ecclesiæ, qui sunt in nostris Terris, & „ sunt multi per Dei gratiam. Et nos roga- „ mus vos, ut oretis Deum pro nobis, quià „ nos sumus in ore Draconis, & in medio „ inimicorum Crucis, & inter eos, qui sunt „ naturalitèr inimici nostri.

578 „ Et nos vos rogamus per Deum, „ quatenùs nobis mittatis tale adjutorium, „ & tale consilium, quòd nos possimus con- „ servare honorem Dei, & Christianitatis, „ & Vestrum, quià postquàm nos sumus ve- „ stri, & vos estis memores Nostri, efficiatis „ tantùm ergà nos, quòd nos gratiam refe- „ ramus Deo, qui nos redèmit Sanguine suo; „ & quòd gratias agamus Sanctæ Cruci Do- „ mini nostri, qui fecit totum Mundum Je- „ sus Christus, defendat vos, & omnes ve- „ stros ab omni malo, & nobis det vestram „ benedictionem. *Hactenus Epistola*. Cui Innocentius rescribens, ut ab eodem Epistolarum, lib.2. Epist. 207. inter alia ait.

579 „ Ex eo te radicatum in fide catho- „ lica, & esse catholicum, non tàm nomine, „ quàm meritò, experimur; quòd Apostoli- „ cæ Sedis magisterium recognoscens, eam „ Ecclesiarum omnium Matrem, & nos Ca- „ put universorum Fidelium confiteris, sicut „ ex tuarum nobis innotuit serie literarum. „ *Deindè agit de primatu Apostolicæ Sedis*, „ *& posteà subdit*. Hoc autem tua fraterni- „ tas diligentèr attendens, ac sciens, quòd „ secundùm Apostolum, omnes unum corpus „ sumus in Christo, singuli autem alter alte- „ rius membra, nos, quos Dominus, licèt „ immeritos, Vicarios suos esse voluit, & „ Apostolorum Principis successores, Caput „ Ecclesię confiteri,& te,ac fratres,& Coepi- „ scopos tuos partē nostri corporis recogno- „ scis, sciens, quòd sicut Palmes non potest „ fructum facere à semetipso, nisi manserit „ in Vite, sic & membrum & sensu caret, & „ actu, si non in corporis permanserit unita- „ te. Gaudemus ergò non modicum, quòd „ in fide catholica perseverans, circà nos piè

ge-

„ geris devotionis affectum, & filium te esse „ Apostolicæ Sedis innuis, dùm eam esse „ Matrem omnium protestaris, recognoscens „ à nobis magisterium Ecclesiasticæ Disci„ plinæ. *Hæc, & alia Innocentius*.

580 Alias porrò idem Gregorius Patriarcha suo, & totius Cleri nomine literas feci ad eundem Innocentium Papam, quibus illi ob collatum Regium honorem gratias agunt amplissimas, commendantes Apostolicæ Sedis dignitatem, atque primatum, iterùmque obedientiam exhibentes; quarè in exordio dicunt: „ Post Deum, qui est Caput om„ nium bonorum, Apostolicam Sedem te„ nenti, & Summo Capiti totius Ecclesiæ, „ & totius terrenæ Sedis, magno Christi „ Confessori, primæ Domus Hospitalitatis „ totius Populi, & Religionis, & successori „ Beati Petri, majoris nati post Christum „ Principis, & Patris totius Mundii, sedenti „ secundùm Deum, & portanti Christum in „ corpore suo, Innocentio Dei gratiâ Sum„ mo Pontifici, & universali Papæ Summæ „ Sedis Romanę Urbis, quę Imperiali trium„ pho universum Mundum suo subjugavit „ Dominio, & nostro in Christo Patri spi„ rituali, tantæ Civitatis gloriâ sublimato, „ Gregorius minimus Episcopus catholicus „ omnium Armeniorum, peccator, & servus „ fidelium Christi, omnesque Archiepiscopi, „ Episcopi, Abbates, Sacerdotes, & Cle„ rici, orationes in Domino assiduas. Quià „ suprà Sedem dilecti Discipuli Christi sede„ tis, universæque dominamini Europæ, eò „ ampliùs vos de jure venerari debemus; & „ quià Pater estis totius fidei Christianitatis, „ mandatum vestrum cum amore recepimus, „ & posuimus super oculos., & faciem no„ stram, & referimus laudes Creatori totius „ Mundi, & benedicimus Deum Creatorem „ nostrum, qui dignatus est in nos tantum „ amorem habere, ut ipse amor noster fieret. „ *Hæc ibi, & alia plura*.

581 Per idem tempus, excusso à Bulgaris Græcorum jugo, idem Innocentius ad Joannem eorum Principem literas fecit, & Legatum misit, ut hac via ad Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ revocare gentem illam hactenùs Græcorum perfidia avulsam posset. Cujus Legationis, & literarum mentio fit in Actis Innocentii, ubi dicitur: „ Direxit „ Dominicum Archipresbyterum Bisunti„ num, virum in Græca & Latina Lingua „ peritum, ad Joannem Dominum Blanco„ rum, & Bulgarorum, qui a Græcorum „ dominio se subduxerat, per quem tales ei „ literas destinavit. *Hæc ibi*. Indè recitantur literæ Innocentii, in quibus inter alia hæc leguntur.

582 „ Respexit Dominus humilitatem „ tuam & devotionem, quam ergà Romanam „ Ecclesiam cognosceris hactenùs habuisse, „ & te inter tumultus bellicos, & guerrarum „ discrimina non solùm potentèr defendit, „ sed etiam mirabilitèr & misericorditèr di„ latavit. Nos autem audito, quòd de no„ bili Urbis Romæ prosapia progenitores tui „ originem traxerunt; & tu ab eis & sangui„ nis generositatem contraxeris, & sinceræ „ devotionis affectum, quem ad Apostolicam „ Sedem geris, quasi hæreditario jure, jàm „ pridèm te proposuimus & literis, & Nun„ ciis visitare; sed variis Ecclesiæ sollicitu„ dinibus detenti, hactenùs non potuimus „ nostrum propositum adimplere: nunc ve„ rò inter alias sollicitudines nostras, hanc „ etiam assumendam duximus, immò con„ sumandam potiùs jàm dudùm assumptam, „ ut per Legatos, & literas te in laudabili „ foveamus proposito, & devotione Sedis „ Apostolicæ solidemus. *Hæc & inter alia in ea Epistola*, quæ etiam habetur lib. 2. Epistol. 257. Et Calo Joannes receptis literis, & Innocentii Nuncio, in hanc formam rescripsit, ut habetur lib. 5. Epist. 115.

Venerabili & Sanctissimo Patri Summo Pontifici, ego Calo Joannes Bulgarorum & Blacorum, gaudium, & salutem mando tibi.

583 „ Notum facimus Sanctitati vestræ, „ quòd nos recepimus sacrosanctas vestras „ literas, quas nobis portavit religiosa Ar„ chipresbyter Brundusinus, & nos reputa„ vimus eas charas super omne aurum, & „ quemlibet pretiosum. Undè multas egi„ mus gratias Omnipotenti Deo, qui visita„ vit nos servos suos indignos, secundùm „ suam ineffabilem bonitatem, & respexit „ humilitatem nostram, & reduxit nos ad „ memoriam sanguinis, & patriæ nostræ, à „ qua descendimus. Et nunc Sancte Pater, „ tanquàm bonus Pastor, & Caput omnium „ fidelium Christianorum filios Sanctæ Ca„ tholicæ & Apostolicæ Sedis congrega„ re volens in unum, requisisti nos remo„ tos secundùm corpus. *Et post alia subjungit*.

584 „ Sanctissime Pater, significastis no„ bis per sacras literas vestras quod nos si„ gnificaremus vobis, quid ab Ecclesia Ro„ mana petamus: hoc autem petit Imperium „ nostrum ab Apostolica Sede, ut nos simus „ in Ecclesia Romana sicut matre filialitate „ firmati. In primis petimus ab Ecclesia Ro„ mana matre nostra Coronam, & honorem, „ tanquàm dilectus filius, secundùm quòd „ Imperatores nostri veteres habuerunt. „ Unus fuit Petrus, alius fuit Samuel, & „ alii, qui eos Imperio præcesserunt, sicut „ in nostris libris invenimus esse scriptum. „ Nunc autem, si placitum est Sanctitati ve„ stræ nobis istud implere, quidquid Impe„ rio nostro duxeritis injungendum, illud ad ho-

„ honorem & Ecclesiæ Romanę complebitur. „ *Et posteà*. Verùm, si placet vobis, Sanctissime Pater, mittere nobis magnos Nuncios, „ de quibus nobis per vestras literas intimastis, & istum destinare eum eis, & tunc „ certificabimur de prima missione, pariter „ & secunda: det vobis Dominus multos an„ nos. *Hæc Bulgarorum Rex*.

585 Scripsit & simùl omni officio & humanitate refertas literas ad eundem Pontificem Basilius Archiepiscopus Bulgarorum, quarum initium est, ut tradunt Acta Innocentii: *Honoratissimo & Sanctissimo Summo Pontifici Papæ, ego Basilius indignus Archiepiscopus Sanctitatis vestræ, & Pastor de Zagor, salutem, gaudium, & ad orationem meritè vobis tanquàm Patri nostro speciali. Quamvis non possimus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus*; & reliqua in eis contenta ejusdem argumenti cum Regiis literis, ut videre est lib. 5. Epist. 117. At Dominus Papa receptis his literis, inquiunt Acta, transmisit ad eos Joannem Cappellanum suū cum Apostolicis scriptis, habentibus hunc tenorem; indè recitantur literæ, quæ etiam habentur lib. 5. Epist. 116. in quibus inter alia ait Innocentius.

586 „ Petisti humiliter, ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicùt Illu„ stri memoriæ Petro, Samueli, & aliis „ progenitoribus tuis legitur concessisse. „ Nos ergò, ut super hoc majorem certitu„ dinem haberemus, regesta nostra perlegi „ fecimus diligenter, ex quibus evidenter „ comperimus, quòd in terra tibi subjecta „ multi Reges fuerant coronati. Præthereà „ continebatur in eis, quòd tempore bonæ „ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris no„ stri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta „ sæpissimè respondebat, cum toto Regno fi„ bi commisso ad prædicationem ejus fuerat „ baptizatus, & Rex ipse ab eo Archiepisco„ pum postularat. Legatus quoquè Michae„ lis Regis Bulgarici, cum donis regalibus „ Hadriano Papæ prædecessori nostro Regias „ literas præsentarat, & postularat ab eo, „ ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepi„ scopum eligendum dirigeret, quem post „ approbationem eorum ad Sedem Apostoli„ cam remeantem, ipse postmodùm consecra„ ret. Cùmque idem Hadrianus illùc cum „ duobus Episcopis quendam Subdiaconum „ direxisset, Bulgari corrupti donis Græ„ corum, & promissionibus circumventi, „ Romanis ejectis, Græcos Presbyteros re„ ceperunt.

„ 587 „ Licèt igitur tantæ memoria levi„ tatis nos usquè adeò induxerit ad caute„ lam, ut nullum ex fratribus nostris Car„ dinalibus, scilicèt præsentialitèr ad tuam „ præsentiam mitteremus, nihilominùs tamèn „ dilectum filium Joannem Cappellanum, & „ familiarem nostrum Apostolicæ Sedis Le„ gatum, virum providum, & discretum, „ quem nos, & fratres nostri suæ Religionis, „ & probitatis obtentu inter cæteros Cap„ pellanos nostros, specialis in Domino bra„ chiis dilectionis amplexamur, ad te duxi„ mus destinandum, cui etiam commisimus „ vices nostras, ut in tota terra tua, quo ad „ spiritualia corrigat, quæ corrigenda co„ gnoverit, & statuat, quæ secundùm Deum „ fuerint statuenda. *Hæc & alia Innocentius*, qui ejusdem argumenti literas fecit quoquè ad Basilium Archiepiscopum de Zagora, sub datis Laterani v. Kal. Decembris. Dùm porrò universæ Orientales nationes Christianæ piè, ac devotè se Romano Pontifici, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ submittere omni studio conabitur, soli Græci in sua permanentes perfidia schisma fovebant cum suo Alexio, & Constantinopolitano Patriarcha: sed quid eis acciderit, ulciscente Numine, dicemus in sequenti Capite.

CAPUT XVIII.

De amisso Alexii Angeli Imperio, ac Isaacii Angeli, ejusque filii substitutione.

588 Cum per tyrannidem Alexius Imperium arripuisset, ut in superioribus, cap. 15. num. 440, adnotavimus, dejecto Isaacio Angelo, quem obcæcatum, cum Alexio filio in carcerem recluserat, factum est, ut elapso tempore Alexius, arreptâ fugâ, de recuperando Imperio solicitus, ad Romanum Pontificem primùm, indè ad Latinos Principes, auxilium petiturus confugerit: quo comperto, Alexius Nuncios ad Pontificem Innocentium misit, rogans, nè Isaacii annuat postulationi. Hæc Auctor gestorum Innocentii, inquiens: „ Alexius au„ tèm filius Isaacii quōdàm Constantinopoli„ tani Imperatoris, de carcere fugiens, venit „ ad Summum Pontificem, gravem de patruo „ suo quærelam deponens, quòd videlicèt „ patrē suum Imperatorem Isaacium, quem „ sicùt fratrem, & Dominum debuerat ho„ norare, crudeliter excæcaverat, & inva„ dens violenter Imperium, tàm ipsum, „ quàm Alexium ejus filium incarceraverat, „ ferreis vinculis compeditum, postulans de „ eo justitiam exerceri. Contrà quem idem „ Imperator Nuncios, & literas suas Summo „ Pontifici destinavit, quarum tenor in ipsis „ responsivis Apostolicis explicatur, & ad „ alia, quibus idem Imperator ei scripserat „ respondetur.

589 De fuga verò Isaacii, & Alexii filii, & quomodò Alexius ad Philippum Sveviæ Ducem, qui sororem ejus in uxorem habebat, confugerat, auxilium postulaturus mediante sorore, scribit Nicetas lib. 3. Annalium in hæc

hæc verba: „ Alexius fratrem Isaacium Imperio dejectum excæcarat: Sed cùm ejus custodia prorsùs negligenda esset, oblitus plerisque inuri calamitates, nec deleri posse, & vindictam non perpetuò stertere, sed feria gaudere mutationibus, & celeriter ingruentem tacito eos pede consectari, qui nefaria facinori perpetrent fratres juxtà duas columnas, quæ in freti littore sunt, liberè vivere passus est, neque quemquam ad eum trajicere vetuit. Erat igitur cujusvis Isaacium adire; tùm verò Latinorum, cum quibus arcana consilia de ulciscendis injuriis, & evertendo fratre Alexio conferebat, literis ad Irenem filiam missis, Philippi Alemannorum Regis conjugem, quibus eam ad opem sibi ferendam instigabat, atque indè literas recipiebat, quibus quid agendum esset, monebatur.

590 „ Deindè filius quoquè ejus Alexius custodiâ eductus, liberè quò libuit, ambulavit, & ab Imperatore, contrà Protostratorem exituro, itineri comes est assumptus. Is verò de sententia Patris cum Pisano quodam maximæ rotundæ Navis Domino, consilio fugæ inito, navigandi opportunitatem captabat, quæ cùm contigisset, majus Navigium plenis velis ad Helesponti Ausoniam fertur; minùs verò Athyræ Alexii recipiendi causâ appulit, & quo id consilium latèret, Nautæ arenam intulerunt, suburrandi scilicèt vacui Navigii gratiâ, quo Alexius Damocranis eò profectus conscenso, ad magnam Navem pervehitur.

591 „ Fugâ ejus cognitâ, mittuntur ab Imperatore qui Navem perscrutentur, nec tamen Alexium deprehendere potuerunt, comâ in orbem rasâ, & Latina veste indutus, ut in turba magna obversans, inquisitores latuit, perductus in Siciliam, sorori indicatur, quæ justo præsidio misso, fratrem amplexa, maritum Philippum orat, ut Patri suo pro virili opem ferat, simùl & Imperio, & lumine privato; & fratrem quoquè juvet exulem & extorrem, & errantium Stellarum instàr vagantem, neque quidquam ferentem secùm, præter corpus. *Hactenus Niceta*. Sed quid Innocentius recepta Nunciis, & literis Imperatoris Constantinopolitani egerit, ex redditis ad eundem Imperatorem responsis, quæ extant lib. 5. Epist. 122. habemus, quæ ad hunc modum se habent.

Illustri Constantinopolitano Imperatori.

592 „ Literas, & Nuncios Imperatoriæ dignitatis, ea, qua decuit, benignitate recepimus, & tàm ea, quæ iidem Nuncii proponere voluerunt, quàm quæ in literis continebantur eisdem, intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidèm nobis dicti Nuncii tui, & id etiam tuæ literæ continebant, quòd cùm Christianorum Exercitus, qui venturus est in subsidium Terræ Sanctæ proposuerit tuæ Magnitudinis terram invadere, & contrà Christianos arma movere, nostro conveniebat officio, ut eos à tali deberemus proposito revocare, nè fortè manus suas de Christianorum nece fœdantes, & Dei exindè offensam incurrerent, ac inimicos Christi, debilitati non modicum, non possent aliquatenùs impugnare.

593 „ Ex parte insupèr tuæ Celsitudinis adjecerunt, quòd Alexio filio Isaacii Angeli quondàm Imperatoris, qui ad Philippum Ducem Sveviæ accessit, ut Imperium contrà te ipsius possit auxilio obtinere, favorem nullatenùs præstaremus, quià Imperium non debet ad eum aliquâ ratione devolvi, cùm illud non per successionem, sed per electionem nobilium conferatur, nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium Imperatoriæ dignitatis, quod unquàm idem Alexius non poterat allegare, cùm priusquàm pater ejus esset in Imperatorem promotus, natus fuerit, & quià pater ejus tùnc privata erat persona, in Imperio non poterat sibi jus aliquod vindicare.

594 „ Id etiàm ex parte tuæ Celsitudinis fuit propositum coràm nobis, quòd cùm Fridericus Imperator multùm offenderit Romanam Ecclesiam, & eam odio iniquo fuerit persecutus, & filii sui patris vestigiis inhærentes eam non modicum aggravarint, prædicto Duci Sveviæ, ut Regnum posset modo quolibet obtinere, non præstaremus subsidium, vel favorem. Ad quod efficiendum de facili debebamus induci, cùm idem Philippus clericali fuerat charactere insignitus, & personæ hujusmodi nec contrahere possint, nec militari cingulo decorari, vel dignitatem aliquam in populo obtinere, cùm sint excommunicationis vinculo innodati.

595 „ Nos autem Imperiali prudentiæ talitèr duximus respondendum, quòd prædictus Alexius olim ad præsentiam nostram accedens, gravem in nostra, & fratrum nostrorum præsentia, multis nobilium Romanorum adstantibus proposuit quæstionem, asserens, quòd patrem ejus injustè cœperis, & feceris etiàm nequitèr excæcari, eos diù retinens carcerali custodiâ mancipatos. Et quia ad Superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos, juxtà Apostolum, eramus tàm sapientibus, quàm insipientibus debitores, & justitiam facere tenebamus. Cùmque nos eidem dedissemus responsum, juxtà quod vidimus, expedire, recessit à nobis, & ad prædictum Philippum sororium suum concitus pe-

„ peravit, cum quo deliberato consilio sic
„ effecit, quòd idem Philippus Nuncios suos
„ ad Principes Exercitus christiani sinè qua-
„ libet dilatione transmisit, rogans eos, &
„ petens, ut quià pater suus, & ipse fuerant
„ jure suo & Imperio nequitèr spoliati, cum
„ eo Constātinopolitanum deberent Regnum
„ intrare, ac ad illud recuperandum, eidem
„ præstarent consilium & favorem, promit-
„ tens eisdem, quòd tàm in subsidium Ter-
„ ræ Sanctæ, quàm in expensis & donativis
„ eis magnificè responderet, paratus etiàm
„ in omnibus & per omnia nostris stare man-
„ datis, & quòd sacrosanctam Romanam
„ Ecclesiam vellet, juxtà posse suum, modis
„ omnibus honorare, ac ea efficere, quæ no-
„ stræ forent placita voluntati.

596 „ Cæterùm dicti Principes delibera-
„ to consilio responderunt, quòd cùm in tàm
„ arduo negotio sinè mandato & anctoritate
„ nostra non possent procedere, nec deberent,
„ nos volebant consulere super his, ac exin-
„ dè præstolari nostræ beneplacitum volun-
„ tatis, inducentes dilectum filium nostrum
„ Petrum tituli Sancti Marcelli Presbyte-
„ rum Cardinalem, qui cum eis transfretare
„ debebat, ut ad præsentiam nostram rediret,
„ & super prædictis omnibus nostram inqui-
„ reret voluntatem. Verùm idem Cardina-
„ lis ad præsentiam nostram accedens, omnia
„ nobis curavit proponere diligentèr, & cùm
„ Nuncii tui ad nostram accesserunt præsen-
„ tiam, super his cum fratribus nostris habe-
„ bamus tractatum, & illud statuimus, quòd
„ tibi poterit meritò complacere, quamquàm
„ plures assererent, quòd hujusmodi postu-
„ lationi benignum non deberemus præstare
„ favorem, pro eo, quòd Græcorum Eccle-
„ sia sit Apostolicæ Sedi minùs obediens, &
„ devota.

597 „ Super eo autem, quòd de juvando
„ illo ad Romanum Imperium obtinendum,
„ qui Romanam Ecclesiam deberet diligere,
„ & nostris obsecundare mandatis, tua nos
„ Celsitudo voluit commonere, noveris,
„ quòd licèt prædictus Philippus potens sit,
„ & multùm abundet, tamèn Rex Otho adeò
„ nostro studio, & diligentiâ mediante, per
„ gratiam Dei est promotus, quòd contrà
„ eum ille hactenùs non potuit prævalere, ad
„ quod exequendum, quantùm nobis subve-
„ neris, licèt multa fuerint nobis promissa,
„ Imperialis Excellentia non ignorat, quòd
„ utiquè tantò gratiùs deberes habere, quan-
„ tò id, te non promerente, noscitur procura-
„ tum. Si enim idem Philippus obtinuisset
„ Imperium, multa tibi ex Imperio suo gra-
„ vamina pervenissent, cùm per terram cha-
„ rissimi filii nostri Friderci Regis Siciliæ ne-
„ potis sui, in Imperium tuum insurgere de
„ facili potuisset, sicut Henricus olim Impe-
„ rator frater suus per Siciliam tuum propo-
„ suerat Imperium occupare.

598 „ Licèt autem à tempore inclytæ
„ mem. Manuelis prędecessoris tui Constanti-
„ nopolitani Imperium non meruerit, ut ta-
„ lia efficere deberemus, cùm semper nobis, &
„ prædecessoribus nostris per verba respon-
„ sum fuerit, & nihil operibus demonstra-
„ tum, in spiritu tamèn lenitatis & mansue-
„ tudinis duximus procedendum, credentes,
„ ut inspectâ gratiâ, quam tibi fecimus, emen-
„ dare celeritèr debeas, quòd tàm à te, quàm
„ à prędecessoribus tui minùs providè hacte-
„ nùs est omissum, cùm & secundùm huma-
„ nam industriam id deberes studiosissimè
„ procurare, ut ignem in remotis partibus
„ extingueres, non nutrires, nè usquè ad
„ partes tuas posset aliquatenùs pervenire.
„ Rogamus igitùr Imperialem Excellentiam,
„ monemus, consulimus, & hortamur, qua-
„ tenùs quicquid super his duxeris statuen-
„ dum, operibus nobis, & non verbis dum-
„ taxàt studeas respondere, quià nos dile-
„ ctionem, quam ad te habemus, in opere
„ demonstrare cursvimus, & effectu. Dispo-
„ suimus autèm nostrum propter hoc Nun-
„ cium destinare, qui si fortè tardaverit, tu
„ tamèn non tardes super hoc nobis, sicut
„ expedire cognoveris, respondere. Datum
„ Laterani XVI. Kalen. Decembris. *Hactenus Epistola Innocentii*.

99 Cæterùm Philippus Svevius, in pro-
posito de recuperando Imperio Alexio Soro-
rio suo permanens, & illius allectus pollicita-
tionibus, & uxoriis precibus ac instantiis per-
motus, inito consilio cum Marchione Montis
Ferrati christiani Exercitus sacri Belli Ducis,
decretum est, ut idem Marchio Romam pro-
pararet ad Innocentium sub prætextu tra-
ctandi cum eo de rebus ad eandem sacram
expeditionem pertinentibus, ac Pontificiam
accipiendi Benedictionem, eàque occasione
tantispèr præfatam tangeret materiam, non
tamen insisteret, si alienum Pontificis ani-
mum dignosceret. Id quod accuratè præstitit
idem Dominus Marchio, ut Auctor Inno-
centii gestorum prodit, qui cum de eodem
Marchione verba fecerit, subjungit.

600 „ Is verò de Francia per Aleman-
„ niam transitum fecit, ubi cum Philippo
„ Duce Sveviæ, qui se Regem gerebat, di-
„ cebatur habuisse tractatum, ut Alexium
„ Sororium suum, filium videlicèt Isaacii
„ quondàm Constantinopolitani Imperato-
„ ris, cujus sororem ipse Philippus duxerat
„ in uxorem, à fœdo captivitatis ergastulo
„ fugientem reduci faceret Constantinopo-
„ lim ab Exercitu christiano, ad obtinendum
„ Imperium Romaniæ, de quo cùm idem
„ Marchio ad Summum Pontificem accessis-
„ set, cœpit agere à remotis. Sed cùm intel-
„ lexisset ejus animum ad hoc non esse dire-
„ ctum, expeditis negotiis ad Crucis offi-
„ cium pertinentibus, ad propria remeavit.
Hæc ille.

601

601 Adveniente porrò constituto sacræ expeditionis tempore, quo omnia per integrum triennium elaborata, sivè parata in promptu erant, universi Crucesignati ex Italis, Germanis, Hungaris, Gallis, Belgis, Anglis, aliisque populis, cum eorum Ducibus, nimirum Bonifacio Marchione Montis Ferrati, Balduino Flandriæ Comite, Henrico Comite Sancti Pauli, Plea Comite Doloici, & aliis compluribus magni nominis Viris, & Bellatoribus conspicuis, Venetias confluentes, Naves à Venetis toto triennio fabricatas, conscensuri, Alexium juvenem, juxtà concordata inter Philippum Suevium, & Marchionem MontisFerrati, secum ducunt, licèt contrà Innocentii mentem, ad effectum recuperandi ei injustè Patri Isaacio ablatum Imperium, ut ferunt Innocentii Acta, in quibus dicitur.

602 „ Philippus autèm, sicut convene-„ rat cum Marchione Montis Ferrati, misit „ Alexium Sororium suum, filium videlicèt „ Isaacii quondàm Constantinopolitani Im-„ peratoris, & eodem Marchione sagacitèr „ mediante, tractatum est inter ipsum, & „ Exercitum christianum, ut idem Exercitus „ reduceret illum in Græciam, & juvaret „ ad Constantinopolitanum Imperium obti-„ nendum, ipseque pecuniam eis promissam „ solveret, & alia pacta cum eis inita custo-„ diret; postquàm Imperium obtineret. *Hæc ibi*. Rem quoquè narrat Nicetas Choniata, sed utpotè schismaticus, acri stylo adversùs Latinos, & nonnulla falsa commiscens; scribit nàmque.

603 „ Classe ad oram solvendam paratâ, „ malum malo cumulatur, & fluctus fluctum „ urget, ut dicitur; nàm Alexius Isaacii „ Angeli filius, literis veteris Romæ Ponti-„ ficis, & Regis Alemanniæ Philippi instru-„ ctus, qui piraticis istis collegiis plurimùm „ se debituros profitebantur, si adolescen-„ tem in patrium Imperium restitueret, ali-„ quantò post cupidissimè ad classem & per-„ venit, & excipitur, ut qui non tantùm la-„ trocinium illud contrà Romanos (*idest Græcos*) institutum promovere, & honestâ „ specie fucare, sed & pecuniarum acervis „ ipsorum avaritiam explere posset. Is non „ ætate magis, quàm animo puer, à Viris „ validis & versutis susceptus, pepigit, & „ Sacramento firmavit, ea se præbiturum, „ quæ perduci ad exitum minimè poterant; „ nec enim maria pecuniarum dumtaxàt illis „ postulantibus promisit, sed & auxilium „ contrà Sarracenos cum Romanis militibus, „ & quinquaginta Triremibus, & quòd ma-„ jus est, ac longè absurdiùs, Latinorum de-„ pravatam Religionem amplectitur, & pri-„ vilegiorum invocationem, & veterum Ro-„ manorum institutorum mutationem polli-„ cetur. *Hactenus schismaticus Scriptor*.

604 At veriùs rem narrat Guntherus apud Canisium tom. 5. dùm ait: „ Factum „ est, dùm adhùc Nuncii nostri in Curia ver-„ sarentur, certus rumor insonuit, venisse „ videlicèt Alexium juvenem in Castra, Græ-„ cum genere, filium videlicèt Isaacii Regis „ Constantinopolitani, missum à Philippo „ Rege Theutonicorum cum Nunciis, & „ mandatis, quibus enixè rogabat Exercitum, „ ut præfatum Juvenem in Regnum suum re-„ stituere niteretur. *Et posteà*. Certissimè „ promittens, si ille auxilio ipsorum Sedem „ suam reciperet, peregrinis omnibus tàm „ per Theutoniam, quàm per totam Græ-„ ciam tutam & liberam patère viam. Acce-„ debat etiam ad hoc, quòd idem Juvenis „ certissimè pollicebatur, si viribus eorum „ restitutus foret, eis in commune argenti „ trecenta Marcharum millia se daturum. *Hæc Guntherus*. Undè constat, non Maria pecuniarum promisisse, ut scribit Niceta, sed tantùm trecenta millia Marcharum, & quidèm ad solvendum æs alienum à Cruce signatorum Exercitu contractum Venetis, ut scribit Jacobus Meyer in Annalibus Flandriæ ad Annum MCCIII. Et simùl promisisse Ecclesiam Græcam se reducturum ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, idem auctor prodit.

605 Tantùm porrò absfuit, ut Innocentius vel minimam partem haberet in causa recuperandi Alexio Isaaci filio Imperium, quod nè in hoc Crucesignati se ingererent, datis literis mandaverit, ut enim tradunt ejus gesta, statim ac talia audierit Pontifex, scripsit, ut habetur lib. 6. Epistola 101. literas, in quibus inter alia dicebat: „ Cùm in „ manu valida, & extenso brachio egressi fue-„ ritis de Ægypto, ut vos ipsos Domino in „ sacrificium offerretis, doluimus non mo-„ dicum, & dolemus, quòd adhùc Pharao „ vos persequitur fugientes, vel potiùs vos „ sequimini Pharaonem, qui vos sibi qua-„ dam necessitatis specie, ac velamine pieta-„ tis sub jugo peccati vetustæ nititur subde-„ re servituti. *Et indè*. Pro Populo chri-„ stiano, *ait*, doluimus, & dolemus, quo-„ niàm indè humiliatur ampliùs, undè cre-„ debatur potiùs exaltari. Cùm enim multi, „ qui vos præcesserunt in Terræ Sanctæ suc-„ cursum, quòd non ascenderitis audito, ad „ propria sunt reversi de proximo vestro pas-„ sagio diffidentes: Sarraceni de accessu ve-„ stro dubii, & de illorum recessu securi, „ contrà Christianos animum assumpserunt, „ & qualitèr, peccatis exigentibus, præva-„ luerint contrà eos, referre nolumus, cùm „ sit ferè ubilibet divulgatum. *Et infrà*.

606 „ Nullus itàque vestrum, *subjungit*, „ sibi temerè blandiatur, quòd terram Græ-„ corum occupare sibi liceat, vel prædari „ tàmquam minùs Apostolicæ Sedis subje-„ ctum, & quòd Imperator Constantinopo-

„ litanus deposito fratre suo, & etiam excæ„ cato Imperium usurpavit. Sanè quantùm„ cumque in hoc, vel aliis idem Imperator, „ ac homines ejus jurisdictioni commissi de„ linquant, nec ad hoc Crucis signaculum „ assumpsistis, ut hanc vindicaretis injuriam, „ sed opprobrium potiùs Crucifixi, cujus „ vos obsequio specialiter deputastis. *Hæc & alia Innocentius*, quibus jure de aperto mendacio reprenditur Nicetas.

607 Verùm illi minùs attendentes Pontificis monita, splendidis Alexii juvenis allecti promissis, Constantinopolim cum universo exercitu appulentes, Regiam Civitatem, terrâ marique obsidione cinctam, Imperatore nocte clàm arreptâ fugâ die VIII. in deditionem receperunt, Anno Domini MCCIII. Pontificatus Innocentii III. Anno VI. Indictione VI. mense Julii, Imperii Alexii Angeli Anno IX. cùm scilicèt Imperasset Annos VIII. menses III. & dies X. Post cujus deditionem Alexius juvenis proclamatus est, atquè Imperator receptus, coronatus indè solemni ritu in Ecclesia S. Sophiæ, universis Proceribus, ac populo exultantibus. Hæc omnia Crucesignati in Epistola data ad Innocentium Papam, quæ habetur in sæpè citato Regesti Codice lib. 6. Epist. 211., ubi inter alia hæc leguntur.

608 „ Sæplùs per Nuncios nostros, Immò „ per ipsum Exulem nostrum, & Barones „ nostros, à Civibus postulantes audiri, nec „ adventus nostri causam, nec petitionis mo„ dum potuimus explicare, sed quotiès ter„ râ, vel mari stantibus in muro sermones „ obtulimus, totiès retulimus tela pro ver„ bis. Considerantes igitur, quòd præter „ spem nostram cuncta contingerent, in eum „ statum necessitatis Impacti, ut statim ne„ cesse haberemus, aut perire, aut vincere, „ cùm obsidionē ipsam nullâ ratione in quin„ decim dies protelare possemus, quoa „ victualium omnium incredibili urgeret an„ gustiâ, non ex desperatione quidèm, sed „ inspiratâ quadam securitate Divinitùs su„ spirare cœpimus ad bella promptissimi peri„ culis nos audactèr opponere, & incredibi„ liter in omnibus obtinere; ad conflictum „ etiam campestrem sæpiùs ordinati inæstima„ bilem multitudinem fugâ in Urbe Ignomi„ niosâ conclusimus. *Hæc illi*. Et quidèm in excusationem eorum, quæ contrà Pontificis monita egerant. *Pergunt indè*.

609 „ Aptatis igitur interim terrâ, & „ mari bellicis instrumentis, die obsidionis „ octavo violenter Civitas introitur, grassa„ tur incedium, disponit in Campo contrà „ nos acies Imperator, & paratis nobis exci„ pere venientes, constantiam nostram cum „ paucitate miratus, ignominiosè fræna re„ flectit in Urbem retrogressus ardentem, „ ipsâ nocte fugam cum paucis aggreditur, „ suamque in Urbe relinquit uxorem, & „ parvulam prolem. Eâdem re compertâ, ne„ scientibus nobis, Græcorum Proceres in „ Palatio congregantur, & Exulis nostri so„ lemnis electio celebratur, seù poiiùs resti„ tutio declaratur, insperatamque lætitiam „ copiosa in Palatio luminaria protestantur. „ Manè facto, prodit in Castra copiosa Græ„ corũ Procerum multitudo, suumque cum „ gaudio quærit electum, restitutam Civita„ ti asserit libertatem, & regredienti filio ad „ fasces Imperii, cum gaudio inæstimabili, „ sublevatum de carcere caput patris Isaacii „ Imperatoris ostendunt. Prærordinatis itá„ que, quæ necessaria videbantur, ad Eccle„ siam Sanctæ Sophiæ novus Imperator cum „ solemni processione deducitur, & Exuli „ nostro sinè omni contradictione Imperia„ le restituitur diadema cum plenitudine „ potestatis.

610 „ His peractis ad solutionem promis„ sorum exiit Imperator, & promissa rebus „ accumulat, victualia servitio Domini pro„ futura nobis præbet ad annum; ducenta „ Marcharum millia nobis solvere pergit, & „ Venetis sumptibus suis Stolium prolongat „ in annum, seque juramento astringit, „ quòd erigere nobis debeat Regale Vexil„ lum, & in passagio Martii nobiscum ad „ servitium Domini proficisci cum quantis „ poterit millibus armatorum, & sub eadem „ promissione concludit, quòd eam reveren„ tiam præstare debeat Romano Pontifici, „ quam antecessores sui Imperatores Catho„ lici prædecessoribus vestris Pontificibus, „ pridèm impendisse noscuntur, & Ecclesiam „ Orientalem ad hoc pro viribus inclinare, „ ac toto vitæ suæ tempore milites quingen„ tos cum sumptibus suis in Terra Sancta „ honorificè provisurum ad servitium Re„ demptoris. *Hactenus illi ad Innocentium*. Ad quem & ipse Alexius juvenis sequentes fecit literas.

Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio, Dei gratia, Summo Pontifici, Alexius fidelis in Christo Imperator à Deo coronatus, Romanorum moderator, & semper Augustus, reverentiæ filialis devotum obsequium.

611 „ Quanta mihi fecerit Dominus his „ diebus, secundùm misericordiam suam, „ Beatitudini vestræ potissimùm credidi bre„ viter explicandum, quam locum ejus in „ terris noscitur obtinère, in cujus manu „ sunt omnium potestates, & omnium jura „ Regnorum, tàm Deo, & Sanctitati Ve„ stræ in gratiarum actione devotus, quàm „ meritò teneor, & in perpetuum tenebor „ obnoxius. Novit pleniùs Sanctitas Vestra „ parricidio in fratrem commisso occupatum „ diutiùs, & pollutum Imperium, meque

ipsum

„ ipsum infælici exilio detestabilem evasisse tyrannidem, in quo, & mihi cœlitùs datum est Vestram Apostolicam videre personam.

612 „ Sed nec illud vestrum effugit auditum quòd peregrinorum beata societas crudelitatem abominata. Sceleris inauditi amore fraterno, seù potiùs miseratione paterna exilium meum, & causam justissimam quidèm, sed apud homines desperatam, tàm misericorditèr, quàm virilitèr adorsa fuerit sublevare. Et tùm qualiter in manibus eorum, tàm, mea, quàm Patris à Domino prosperata sit salus, sublevatum de carcere ejusdem Illustris Patris mei caput ostendit Imperialibus, ut decet, insignibus decoratum, & restitutum capiti meo cum solemnitate debita Imperii diadema, noctu elapso per fugam detestabili parricida, qui fasces Imperii inauditæ tyrannidis incubatione polluerat. Hic profectò suspirantem ad nos Urbem Regiam sermonibus adeò infecerat venenatis, ut ad subversionem libertatis antiquæ publicè Latinos assereret adventare, qui Apostolatui vestro locum, & gentem restituere laborarent, meque non dùm traherent amicorum, cujus occasione, & studio opus tàm insperatum Latinitas inchoasset.

613 „ Hæc, fateor, causa potissimum ad subsidium nostrum peregrinorum animos inclinavit, quòd promissione spontanea sub jurisjurandi Religione Christianâ sumus devotione polliciti, totius Christianitatis Ecclesiasticum Caput, Romanum videlicèt Pontificem Apostolorum Principis Petri Catholicū successorem nos humilitèr agnituros, & ad hoc ipsam Orientalem Ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis Divina miseratio restituisset Imperium, intelligentes profectò, quòd accedere debeat plurimùm honoris, & utilitatis Imperio, & nomini nostro decus æternū, si tunica Domini incōsutilis suam nostris temporibus, & operibus recipiat unitatem.

614 „ Ex hoc quidèm, ut dictum est, tàm peregrinis vestris sub juramento promisimus, quàm Paternitati Vestræ exhibere pleniùs præoptamus, omnem vobis, & successoribus vestris canonicè substituendis devotionem per præsentes literas promittentes, quam antecessores nostri Imperatores Catholici prædecessoribus vestris Patribus orthodoxis Romanis Pontificibus antiquitùs exhibuisse noscuntur. Illud paritèr promittentes, quòd opportunitate nobis à Domino præstita salutari, ad idem Orientalem Ecclesiam, tàm prudentèr Inclinabimus, quàm potentèr, super quo prudentiæ vestræ consilio desiderabamus inniti, ad hæc prædicta inducti præcipuè consiliis salutaribus, & monitis Venerabilium Patrum C..... Halbest, & G..... Treen, & N..... Suessionen. Episcoporum, Abbatis de Luced. & Magistri Joannis Novionen. Dat. in Urbe Regia VIII. Kal. Septembris. *Hactenus Imperatoris literæ*, quæ habentur lib.6. Epist.210.

615 His geminis literis recepti. Innocentius, atque attentè perlectis, rescripsit priùs ad Crucesignatos sub hoc titulo: *Nobilibus viris Bonifacio Marchionis Montis Ferrati, & Balduino Flandriæ, Ludovico Blesensi, & Henrico Sancti Pauli Comitibus, & aliis Baronibus, Militibus Crucesignatis, spiritum consilii sanioris*, ut habetur lib. 6. Epist. 230. omittit Sanctus Pontifex consuetam salutationem & benedictionem, quoniàm dubitat an novo anathemate fuerint contaminati, propter initum adversùs Græcos bellum, Imperiumque Alexio Angelo ademptum; undè ait.

616 „ Quia veremur vos iterato excommunicationis esse labe pollutos, & utinàm non incurreretis fidei læsionem, ideò ad cautelam vobis spiritum sanioris consilii loco salutationis, & benedictionis optamus. Licèt enim, sicut ex literis vestris accepimus, apud charissimum filium nostrum Alexium Constantinopolitanum Imperatorem Illustrem institeritis & obtinueritis ab eodem, ut juramento firmaret, se omnem devotionem nobis, & successoribus nostris substituendis canonicè impensurum. *Hæc Innocentius*, qui posteà subjungit, à nonnullis præsumi, talia ad excusationem tantùm eorum esse facta, non tamèn ex rei veritate, monetque quid agendum, ut de gestorum veritate certus reddatur. Ait ergò.

617 „ Valdè tamèn præsumitur à quibusdam, quòd id ad excusationem vestram feceritis, ut per hoc vestrum velaretis excessum, quàm ut ad matrem filia, membrum ad caput, & pars rediret ad corpus. Verùm quià opera testimonium perhibent veritati, qua id intentione feceritis, meliùs effectus subsequens demonstrabit, si videlicèt Imperator ipse, se juramentum hujusmodi præstitisse per literas confiteatur apertas, quas nobis dirigat in testimonium reservandas, si apud Patriarcham efficiat, ut per solemnes Nuncios Ecclesiæ Romanæ primatum & magisterium recognoscat, & reverentiam nobis, & obedientiam repromittat, & pallium de corpore Beati Petri sumptum, sinè quo Patriarchale officium exerceri ritè non potest, ab Apostolica Sede requirat. *Hæc ille*.

618 Deindè subjungit, admonens quid inferendum, si Imperator talia peragere detrectaret; nàm fortasiè dùm hanc Epistolam fecit, nondùm Imperatoris literas acceperat, vel satis sibi non fuisse visa sunt, quoniàm non per solemnem Legationem missas. Addit ergò: „ Quòd si forsàn hoc devotionis primor-

„ mordium circà suæ promotionis initia denegarit, & noluerit, quod scribimus adimplere, nec oculus vester simplex fuisse videbitur, nec intentio ejus pura, imò primæ transgressioni, quam apud Jaderam incurristis, videmini addidisse secundam, dùm arma, quæ in hostes Crucis credebamini assumpsisse, in Christianorum excidium iterùm convertistis. *Hactenus Innocentius*, qui ad Imperatorem in hunc modum rescripsit.

Innocentius &c.

619 „ Recepimus literas, quas nobis Imperialis Excellentia destinavit, affectione paternâ, & quæ significavit per eas, notavimus diligentèr. Gaudemus autem in Domino, & ei qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit, dabit illud, gratiarum exolvimus actiones, quòd pium tibi propitius inspiravit affectum, ut desiderares Ecclesiasticam unitatem, & ut membrum ad caput, & filia revertatur ad matrem, & Constantinopolitana Ecclesia, quæ Apostolicæ Sedi multo tempore devotionis debitum denegavit, reverentiam et obedientiam & honorem exhibeat, affectares, sicut & adhùc Exul cùm esset, in nostra præsentia constitutus asserebas te totis visceribus affectare.

620 „ Ut autem desiderium tuum plenius demonstrares, & ad id populos tibi subditos exemplo inducere meliùs, quàm sermone, semèl exul, & iterùm sublimatus juramento ni masti, te omnem devotionem nobis & successoribus nostris impensurum, quam antecessores tui Imperatores catholici prædictis nostris Patribus orthodoxis Romanis Pontificibus noscuntur antiquitùs impendisse, Promisso paritèr, quòd opportunitate concessâ, Orientalem Ecclesiam ad id prudentèr inclinabis paritèr & potentèr, sicut per Imperiales nobis literas intimasti.

621 „ Sanè si dictis facta compenses, & quod polliceris verbis, operibus exequaris, Deum tibi reddes propitium, quem in honorificentia suæ sponsæ probabis honorare, & præter id, quòd ipse Imperium tuum solidabit in pace, Apostolica Sedes illud stabilit efficaciter roborare. Cùm enim per Latinorum auxilium post divinum sis Imperio restitutus, debes non immeritò Romanam Ecclesiam honorare, cujus filii tibi talitèr astiterunt, & quæ post Deum tibi., & Constantinopolitano Imperio præcipuè poterit necessarium patrocinium impertiri. *Et post aliqua subdit.*

622 „ Monemus igitùr Imperialem Celsitudinem, & hortamur in Domino, quatenùs sic in Apostolicæ Sedis devotione consistas, sic efficias, quòd jurasti, nè fortè, quæ de tuis labiis processerunt, irrita facere videaris, sed verax appareas in promisso, & in juramento ndelis. Siquidèm si in timore Domini, & Apostolicæ Sedis reverentia Imperium tuum fuerit roboratum, non vacillabit, sicùt hactenùs vacillavit, sed in illius petræ soliditate fundatum, à qua Princeps Apostolorum dictus est Petrus, & de qua inquit Apostolus: *Petra autem erat Christus*, perpetuâ firmitate consistet, nec ventorum flatus, nec fluminum impetus, nec pluviarum formidabit incursus. Alioquin nè vano decipiaris errore, scire te volumus, quòd non solùm inimicorum tuorum rebellionem non poteris subjugare, sed antè ipsorum facies non subsistes. Datum Anagniæ. *Hactenus Innocentius.*

623 Et quidèm ultima hæc verbo prophetico protulit spiritu; quoniàm factus perjurius, per seditionem popularem dejectus est è Solio, indè per insidias necatus, ut dicemus sequenti Capite: hìc tantùm addens, seù potiùs Lectorem præmonens, ut antè recitatas in hoc Capite literas ad Historiæ veritatem anteponat iis, quæ schismaticus auctor Nicetas Choniates, ut Latinos infamaret, prorsùs falsa, in hac eadem immiscuit Historia.

CAPUT XIX.

De Alexii perfidia, ejus nece, ac Imperii Orientalis translatione ad Latinos.

624 Firmato, ut præfati sumus, in Imperio Alexio unà cum patre Isaacio, licèt cæco, & egressis ex Urbe Regia Latinis, nè ex morum dissimilitudine rixæ Græcos inter & Latinos suborirentur, novus ille Imperator pactorum, etsi juramento firmatorum, immemor, ingratus quoquè ad beneficia, arma adversùs Latinos movet, qui castra exadversò Urbis defixerant, expectantes, ut promissis satisfaceret. Inopinatæ mutationis mirati Latini, arma ad se tuendum parant; sed eodem tempore magnâ intrà Urbem exortâ seditione in Alexii odium, pleba cuncta de novo sibi deligendo Imperatore festinè agit: Cùmque Viri nobiles & prudentes purpuram recusarent, certissimè comperientes Alexium à Latinis propugnatum iri, ut scribit Nicetas, post triduum ab efferatâ plebe in Templo Sanctæ Sophiæ salutatus est Imperator Nicolaus Canabus, ætate adhùc adolescens: Sed perterritus Alexius, ad Latinorum, quos insigni læserat perjurio confugit opem.

625 Misit ergò Mursiphilum Oratorem suum ad Latinos Duces, qui Imperiale Palatium, Blachernas dictum, suo nomine polli-

liceretur, ut præsidio militari illud tenerent, donec promissa solveret, si semèl in hac necessitate auxilium præberent. Annuentes Latini, iterùm decepti sunt. Intereà tamèn idem Murssiphilus noctè Grecis aperit, de Blachernis tradendis cum Latinis agi, ac tùm servitutis frænum ipsis injectum iri, hortans plebem de corripiendo Imperio: Pergit porrò ad Alexium, cum quo fingit, plebem factâ conjuratione ingruere, eumque rapit, quasi vitâ periclitanti servaret, sic raptum, ignotâ veste in suum adducit tentorium, indè in vincula conjicit: vinctum autèm frustrà veneno necare tentatum, laqueo præfocat, mense VI. sui Imperii, die VIII. ut notat Nicetas; & oppresso Nicolao, jàm à plebe deserto, ipse tyrannidem arripit.

626 Acta Innocentii referunt, Tyrannum hunc Oratores misisse ad Latinos, tentantem blandis promissis delinire, eos verò contempsisse Lagatos, ac respondisse, se cum proditoribus fœdus inire non posse, mandasseque, ut Alexium & libertati, & Imperio restitueret. At illum in sequenti nocte clàm laqueo savus ei elisisse, ac clava ferrea latera perfregisse, evulgatà indè famâ, præcipiti ex alto casu extinctum, & manificentissimam funeris pompam, ut scelus tegeret, apparasse. Guntherus scribit, Murssiphilum, quem Murcissum appellat, qui in consilio fuerat, ut Isaacius pater obcæcaretur, suis propriis manibus Alexium præfocasse; & idem tradit Meyerus in Annalibus Flandriæ,

627 Tantum scelus detestati Latini, offensi quoquè, quòd talia in Imperatorem, qui per eos Imperium fuerat restitutus, egissent, consilium iniunt de capienda Urbe, & cùm hyems esset, expectato opportuno tempore, rem ad effectum producere aggrediuntur. Adveniente ergò mense Aprilis, V. Idus ejusdem mensis feriâ VI. antè Dominicam Passionis, cœpta est à Latinis expugnari Civitas navali prælio: Rejecti primùm Latini, iterùm roborati aggrediuntur 2. Idus Aprilis, feriâ secundâ post Passionem Domini, ac superatis muris, Vexilla in eis erigunt, atque in Civitatem habent ingressum; in crastinum verò victis, qui intùs pugnabant Græcis, Latini palatia munitissima occupant, & Tyrannus arreptâ fugâ, attonitam relinquit plebem, quæ cùm cogitat de novo sibi substituendo Imperatore, insecuti à Latinis, terga vertunt, ac universa Civitas cum suis opibus in potestatem remanent Latinorum. Capta ergò est Imperialis Constantinopolis Civitas à Latinis Anno Domini MCCIV. Pontificatus Innocentii Anno VII. Indictione VII. mense Aprilis.

628 Deindè ordinatis quæ disponenda poscebat rerum eventus, juxtà inter eos inita pacta, per Electores ei designatos, de quibus infrà, ventum est ad electionem Imperatoris, & summâ omnium consensione electus est Balduinus Comes Flandriæ in primum Constantinopolis Latinum Imperatorem; quoniàm ipse, & Bonifacius Comes Montiaferrati, propter eximias illorum dotes, præcunctis in Exercitu spectatissimi erant. Hic porrò sic electus, ac solemni ritu per manus Episcoporum Latinorum coronatus, literas fecit ad Innocentium Papam continentes antefata gesta, totamque hujus historiæ seriem, ex qua corriguntur Scriptores Græci, qui multa falsa in eorum scriptis inseruerunt in odium Latinorum. Literæ ergò Balduini missæ per Henricum Dandalum Venetorum Classis Ducem ad antefatum Innocentium, ad hunc modum se habent.

Sanctissimo Patri, ac Domino charissimo Innocentio Dei gratiâ Summo Pontifici, Balduinus eàdem Dei gratià Constantinopolitanus Imperator, & semper Augustus, Flandren. & Han. Comes, miles suus, cum devota semper obsequii voluntate oscula pedum.

629 „ Cum paternæ sollicitudinis zelo, „ & nostræ congregationis in idipsum amore „ speciali, quæ circà nos aguntur, Sanctitas vestra scire desideret, seriatim vobis, „ declarandum esse decrevimus, quàm mirâ „ circà nos usa sit Divina Clementia novitate, quàmque non nobis quidèm, sed nomini suo gloriam dederit omnibus sæculis admirandam. Mirabilibus ejus circà nos semper mirabiliora succedunt, ut etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil à nobis speratum, aut prævisum antè contigerit, sed tunc demùm nova nobis „ Dominus procurarit auxilia, cùm nihil „ humani videretur superesse consilii.

630 „ Et quidèm, si benè meminimus, „ per literas Paternitati vestræ transmissas, „ nostri progressus & status narrationem eo- „ usquè deduximus, ut Urbe populosâ captâ violentèr à paucis, Tyranno fugato, ac „ filio Isaacii Alexio coronato, mora nostra „ promissa foret & ordinata per hyemem, ut „ potentèr obtinerentur, si quæ resistere vi- „ debantur Alexio, & nunc breviter narranda suscipimus quæ circà nos posteà contigerunt, eo prænotato, quòd sicut non operà hominum fuère, sed Dei, quæ Græcis „ intulimus,ità non hominum operâ fuère, „ sed Dæmonum, quæ cum Imperatore novo, „ Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit.

631 „ Nos siquidèm nè discordiæ inter „ nos, & Græcos fomite ministraret moribus „ nostris adversa Barbaries, de Civitate exeuntes ex adverso Civitatis interjacente „ portu, ad preces Imperatoris castra posuimus,

„ mus, & ex insperatò, seù innatâ malitiâ, „ seù Græcorum seductus perfidiâ, animo „ recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus, Imperator, & in omnibus cum patre, Patriarcha, & mole nobilium nobis „ promissis perjurus, & mendax tot incurrit in perjuria, quot nobis præstitit juramenta.

632 „ Undè nostro tandèm destitutus „ auxilio, prælia contrà nos meditatur incassum, & navigii, quod eum adduxerat, & sublimaverat ad coronam, procurat incendia, „ sed voto tàm crudeli, Deo nos protegente, „ fraudatur. Fit pars sua cuncta deterior, & „ hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proveniunt, imminente foris pugnâ, „ intùs timoribus coarctatur, Imperatorem „ ei æmulum parantibus Græcis, eâ occasione „ captatâ, quòd nullum ad auxilium nostrum „ deberet habere consugium. Cùmque ei „ evadendi spes unica restaret in nobis, juratum sibi quendam Marchuslum nomine, „ sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis inpensis supèr omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui „ Blachernæ Palatium nobis sub Imperatoris, & suo juramento promittit in obsidium, donec nobis cuncta promissa reddantur. Accedit ad Palatium recipiendum „ nobilis Marchio, illudit Alexius Marchionem, & quos jàm nobis dederat, spretis „ obsidibus, consueta perjuria non veretur.

633 „ Noctc insecutâ Marchuslus Domino suo periurus, & nobis, Græcis reddendi nobis Palatii revelata arcana, atquè ex „ hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & „ ad hoc modis omnibus veniendum esse declarat, nisi dejiciatur Alexius, eujus proditionis merito tertius Imperator in Urbe attollitur, in Dominum dormientem, „ & rei nescium, sacrilegas mittit manus, „ eumque carcere tetro concludens, tertium Nicolaum quendam, qui apud Sanctam Sophiam Imperiales insulas noviter „ usurparat, traditum sibi Græcorum, qui „ eum creaverunt, proditione rursùs incarcerat: mortuoque postmodùm Isaacio, qui „ animum filii sui à nobis præ omnibus, ut „ dicebatur, averterat, ac clamante Clero „ Græcorum, & populo, ut de terra tolleremur, in brevi tantùm sanguinem nostrum „ sitientibus Græcis, prælium contrà nos „ proditor jàm dictus instaurat, Urbem machinis, & propugnaculis munit, quorum „ similia nemo viderit unquam.

634 „ Cùmq; murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cemētoq; tenacitatis, & firmitatis antiquæ constructus, in altum valdè „ consurgens Turres haberet amplissimas, pedibus circitèr quinquagenis, paulò plùs minùsve distantes, inter quaslibet duas à parte maris, quo noster timebatur assaltus, „ Turris lignea erigitur super murum stationibus tribus, aut quatuor, multitudinem „ continentibus armatorum. Nihilomnùs „ etiam inter quaslbet duas Turres, seù petraria, seù mangonellus erigitur; Turribus autèm supereriguntur ligneæ Turres „ altissimæ stationum sex, super quarū supremam stationem adversùm nos porriguntur „ scalæ, appodiationes ex utraque parte, & „ propugnacula continentes, paulò minùs „ excelsis scalarum capitibus, quam jacère „ in altum posset arcus à terra, murum „ etiam ipsum murus circumgingit inferior, „ duplexque fossa, nè muris ulla possent „ applicari ingenia, sub quibus valerent latitare fossores.

635 „ Interim terrâ, marique nos tentat „ perfidus Imperator, nos semper, Domino „ protegente, & suos frustrante conatus: „ Nàm præter orditionem nostram ad prædam victualium procul execuntibus nostris „ usquè ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine „ grandi, primoque congressu dissipatur omninò, cæsis, captisque non paucis finè „ damno nostrorum, fugâ ignominiosâ consulens, consulem sibi clypeum abjicit, arma deponit, & nostris vexillum Imperiale „ dimittit, nobilemque quam sibi præferre „ faciebat Iconem, quam Ordini Cisterciensis nostri dedicavère Victores.

636 „ Iteratò navigium nostrum flammis „ aggreditur, intempestæque noctis silentio, „ sexdecim suas naves incensas, velis in altum expansis, & inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter austro, nostras mittit in „ naves, sed, Domino faciente, cum multo „ nostrorum labore custodimur indemnes, „ & ardentibus navibus, clavis infixis catenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagum, & ab imminenti mortis „ periculo à Domino liberamur.

637 „ Nos igitur terrestrem cùm provocamus ad pugnam, & ponte, atquè amne „ transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis, antè portam diù stetimus Regiæ Civitatis, & Palatii Imperialis, quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini, agmina Israel, „ præcedente Cruce vivifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset. „ Et quidèm pro militiæ exercitio, exeuntem nobilem quemdam nostri pedites trucidarunt, sic in castra reversi, terrâ, marique sæpiùs provocamur, sed dante Domino, semper ac triumphaliter obtinemus.

638 „ Mittit ad nos pacis fictæ Legatos „ perfidus incubator Imperii, postulat, & „ obtinet cum Duce colloquium. Cùmque „ eidem Dux magnanimus objecisset, quòd „ nulla cum eo pacis posset esse securitas, „ qui Dominum suum carcere conclusisset, „ postpositâ jusjurandi Religione, & Fidei, „ ac fœderis inter quantumlibet infideles fir-

„ firmitèr obtinentis, & ipsi præripuisset „ Imperium, eidemque bonâ consuleret Fi„ de, ut Dominum suum restitueret, & hu„ militèr veniam postularet, nostras etiam „ pro se promitteret preces, & quod cùm eo„ dem Domino suo misericorditèr, si vellet, „ agere deberemus, ac quidquid contrà nos „ egerat venenosè, si rediret ad animum, „ imputare vellemus errato, lapsuivè consi„ lii, illa vana verba subintulit, quià quæ „ responderet rationabilitèr non haberet.

639 „ Obedientiam autem Romanæ Ec„ clesiæ, & subventionem Terræ Sanctæ, „ quam juramento, & scripto Imperiali fir„ marat Alexius, adeò refutavit, ut vitam „ mittere præeligeret, Græciamque subverti, „ quàm quòd Latinis Pontificibus Orienta„ lis Ecclesia subderetur. Nocte igitùr inse„ quenti Dominum suum latentèr laqueo „ suffocat in carcere, cum quo ipsâ die pran„ dium sumpserat Judas, & clavâ ferreâ, „ quam tenebat in manu, latera morientis, „ & costas inauditâ crudelitate confringit, „ casuque vitam, quam laqueo extorserat, „ confringit ereptam, ac Imperiali sepultura „ concessa, propalatum omnibus scelus fune„ ris honore dissimulat.

640 „ Sic nobis hyems tota perficitur, „ donec navibus nostris scalis aptatis, & in„ strumentis bellicis præparatis, nos, & no„ stra recipientes in navibus v. Idus Aprilis, „ hoc est, feriâ sextâ ante passionem Domi„ ni unanimitèr pro honore Sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ, & subventione Terræ Sanctæ, „ navali prælio invadimus Civitatem, & eâ „ die, sinè multo tamen nostrorum sangui„ ne, fuimus tanta perpessi, ut inimicis „ nostris in opprobrium verteremur, quo„ rum eâ die pars fuit per cuncta superior, „ adeoùt tracta in terram Græcis compelle„ remur bellica nostra machinamenta relin„ quere, & infecto negotio, ad ripam redire „ cogeremur adversam, eâ die, ut videbatur, „ inutilitèr fatigati.

641 „ Conturbati ergò plurimùm & con„ triti, sed demùm in Domino roborati, „ definito consilio rursùm instauramur ad „ pugnam, & quarto die secundo Idus Apri„ lis, hoc est, feriâ secundâ post passionem „ Domini, flante boreâ rursùm applicamur „ ad muros, scalis navium, scalis turrium „ applicatis cum multo labore nostrorum, „ permultùm resistentibus Græcis, sed ex „ quo cominùs gladios sensère nostrorum, „ non diù anceps belli duravit eventus. Duę „ siquidèm naves paritèr colligatæ, quæ no„ stros Episcopos Suessionensem videlicèt, „ & Trecensem deferebant, quorum erant in„ signia Paradisus, & Peregrina, primæ sca„ lis suis scalas turrium attigerunt, & fœlici „ auspicio peregrinos pro Paradiso certan„ tes, hostibus admoverunt. Prima muros „ obtinent Vexilla Pontificum, Ministrisque „ cœlestium secretorum prima conceditur de „ Cœlo victoria. Irruentibus igitùr nostris, „ cędit, Domino jubente, multitudo infinita „ perpaucis, & propugnacula relinquenti„ bus Græcis, nostri audactèr militibus por„ tas aperiunt.

642 „ Quorum cùm Imperator, qui pro„ cùl à muris in tentoriis stabat armatus, „ conspiceretur ingressum, statim tentoria „ derelinquit, & fugit, nostri cędibus occu„ pantur, Civitas capitur populosa, reci„ piuntur in Palatiis Imperialibus, qui no„ strorum enses effugiunt, multàque cæde „ factâ Græcorum, nostri sese recolligunt, „ advesperescente jàm die, arma fessi depo„ nunt, de assaltu Palatiorum in crastino tra„ ctaturi. Suos recolligit Imperator, & cra„ stinam hortatur ad pugnam, asserens, quòd „ nostros in potestate nunc habeat intrà mu„ rorum septa conclusos, sed nocte latentèr „ dat terga devictus.

643 „ Quo comperto Græcorum plebs „ attonita, de substituendo Imperatore per„ tractat, & dùm manè facto ad nominatio„ nem cujusdam Constantini procedunt, pe„ dites nostri non expectatâ deliberatione „ Majorum, ad arma prosiliunt, & terga dan„ tibus Græcis, fortissima & munitissima Pa„ latia relinquuntur, totaque in momento „ Civitas obtinetur.

644 „ Diripitur Equorum innumera mul„ titudo, auri, & argenti, sericorum, pre„ tiosarumque vestium, atque gemmarum, „ & omnium eorum, quæ ab omnibus inter „ divitias computantur, tàm inæstimabilis „ abundantia reperitur, ut tantùm tota non „ videretur possidere Latinitas, & quemad„ modùm pauca negaverant, cuncta nobis „ divino judicio reliquerunt, ut securè di„ camus, quia majora his mirabilia circà bel„ lorum casus nulla unquàm narrat Historia, „ ut impletâ Prophetiâ, manifestè videatur „ in nobis quæ dicit: *Persequitur unus ex „ vobis centum alienos*; quià si inter singulos „ victoriam partiamur, quilibet ex nostris „ non pauciores quàm centum, & obsedit & „ vicit. Non autem nobis victoriam usur„ pamus, *quia salvabit sibi dextera Domini, „ & brachium virtutis ejus revelatum est in „ nobis. A Domino factum est istud*; & su„ pèr omnia mirabilia, *mirabile est in oculis „ nostris*.

645 „ Ordinatis igitùr diligentèr quæ „ disponenda rerum poscebat eventus, ad „ electionem Imperatoris unanimitèr & de„ votè procedimus, & omni ambitione se„ clusâ, cum sex Baronibus Venetorum, ve„ nerabiles Episcopos nostros, Suessionen„ sem, Haberstatensem, Trecensem, Domi„ numque Bethlemitanum, qui à partibus „ transmarinis auctoritate Apostolicâ nobis „ fuerat delegatus, Acconensem electum, „ Abbatemque Lucedii Imperatoris nostri

„ sub Dominio nostro constituimus Electo-„ res, qui oratione præmissâ, ut decuit, „ Dominica, misericordiâ Domini, perso-„ nam nostram, quòd à nostris meritis pro-„ cùl erat, unanimitèr, ac solemnitèr elege-„ runt, divinis laudibus Clero, & Populo „ acclamante, sequentique Dominicâ, quâ „ *Jubilate* cantatur, præcipiente Apostolo „ Petro, Regem honorificari, eique obedire „ quasi præcellenti, & Evangelio nunciante, „ quòd *gaudium nostrum nemo tollet à nobis*, „ cum ingenti honore, atque tripudio, more „ etiam suo applaudentibus Græcis, ad ho-„ norem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, „ ac subventionem Terræ Sanctæ gloriosè „ coronatum, ad Imperii fastigia, Deo, & „ hominibus amabiles Patres memorati Pon-„ tifices, cum universorum applausu, & piis „ lacrymis sublimarunt.

646 „ Aderant Incolæ Terræ Sanctæ, Ec-„ clesiasticæ, militaresque personæ, quo-„ rum præ omnibus inextimabilis erat, & „ gratulabunda lætitia, exhibitumque Deo „ gratiùs obsequium afferebant, quàm si „ Civitas sancta Christianis esset cultibus re-„ stituta, cùm ad confusionem perpetuam „ inimicorum Crucis, Sanctæ Romanæ Ec-„ clesiæ, terræquæ Hierosolymitanæ sese Re-„ gia Civitas devoveret, quæ tamdiù tàm „ potentèr adversaria stetit, & contradixit „ utrique.

647 „ Hæc est enim, quæ spurcissimo „ Gentilium ritu pro fraterna societate san-„ guinibus alternis ebibitis, cum Infidelibus „ ausa est sæpiùs amicitias firmare ferales, & „ eosdem mammilla diù lactavit uberrima, „ & extulit in superbiam sæculorum, arma, „ naves, & victualia ministrando, Quid è „ contrario fecerit peregrinis, magis edocère „ sufficiunt in omni Latinorum gente exem-„ pla, quàm verba.

648 „ Hæc est, quæ in odium Aposto-„ lici culminis Apostolorum Principis no-„ men audire vix poterat, nec unam eidem „ inter Græcos Ecclesiam concedebat, qui „ omnium Ecclesiarum acepit ab ipso Domi-„ no Principatum.

649 „ Hæc est, quæ Christum solis didi-„ cerat honorare pictnris, & inter ritus ne-„ fandos, quos sibi spreta Scripturarum au-„ ctoritate, confixerat, etiam lavacri saluta-„ ris plerùmque facere præsumebat iterando „ jacturam.

650 „ Hæc est, quæ Latinos omnes, non „ hominum nomine dignabuntur, sed ca-„ num, quorum sanguinem effundere penè „ inter merita reputabant, nec ulla pœni-„ tentiæ satisfactione pensabant Laici, Mo-„ nachivè, penès quos, Sacerdotibus spre-„ tis, tota ligandi, atque solvendi consiste-„ bat auctoritas.

651 „ Hæc, & hujusmodi deliramenta, „ quæ epistolaris non valet explicare angu-„ stia, impletis iniquitatibus eorum, qui „ ipsum Dominum ad nauseam provocabant, „ Divina Justitia nostro ministerio dignâ ul-„ tione percussit, & expulsis hominibus Deũ „ odientibus, & amantibus sese, terram no-„ bis dedit omnium bonorum copiis affluen-„ tem, frumento, vino, & oleo stabilitam, „ fructibus opulentam, nemoribus, aquis, „ & pascuis speciosam, spatiosissimam ad „ manendum, & cui similem non continet „ Orbis aere temperatam. Sed nec in his de-„ sideria nostra subsistunt, nec ab humeris „ nostris sustinebimus Vexillum Regale de-„ poni, donec terra ipsa incolatu stabilita „ nostrorum, partes debeamus invisere trans-„ marinas, & Deo dante, propositum pere-„ grinationis explere: Speramus enim in „ Domino Jesu, quòd qui cœpit in nobis „ opus bonum, ad laudem & gloriam nomi-„ nis sui, inimicorum Crucis depressionem „ perpetuam *perficiet*, *confirmabit*, *solidà-„ bitque*.

652 „ Paternitatem igitùr vestram pro-„ pensiùs exoramus & obsecramus in Domi-„ no, ut gloriæ hujus, atque victoriæ, & „ spei peroptatæ, cujus ostium magnum no-„ bis apertum est, Principes esse velitis, & „ Duces, vestrisque temporibus & operibus „ adscribatis decus æternum, quod absque „ ulla vobis dubitatione continget, si Apo-„ stolicæ Sanctitati devotos, vestri præci-„ puè Incolas Occidentis, nobiles & ignobi-„ les cujuslibet conditionis, aut sexus eis-„ dem desideriis accensos, ad veras, immen-„ sasque divitias capessendas, temporales pa-„ riter & æternas salutaribus monitis accen-„ datis, proposita venientibus omnibus Apo-„ stolicâ Indulgentiâ, nobis & Imperio nostro „ aut temporalitèr, aut perpetuò fidelitèr „ servituri.

653 „ Universis enim, Deo dante, suffi-„ cimus, quos nobis Christianæ Religionis „ zelus adduxerit, universos volumus simùl „ & possumus, secundùm status suos, varie-„ tatemque natalium & augere divitiis, & „ honoribus ampliare. Specialitèr autem „ Deo amabiles Ecclesiasticos Viros cujus-„ libet Religionis, aut sollicitudo vestra pa-„ terna potentèr inducat, ut adversùs popu-„ lum prædicationibus publicis, & potenti-„ bus verbis accendant, & exemplis edo-„ ceant, catervatìmque & ipsi venire festi-„ nent in locis amenissimis & uberrimis, non „ jàm in sanguine, sed in multa libertate & „ pace, omniumque bonorum affluentia Ec-„ clesiam plantaturi, salvâ semper, ut de-„ cet, suorum canonica licentia Præla-„ torum.

654 „ Ad laudem etiam & gloriam Re-„ demptoris, & Sanctitatis vestræ perpe-„ tuum decus, utilitatemque præcipuam ge-„ neralis Ecclesiæ pertinere credentium nul-„ lus ambigeret, si in Civitate Constanti-

no-

„ nopolitana veteribus honorata Conciliis, „ vestra Paternitas generale Concilium convocaret, Beatissimæ Personæ vestræ præsentiâ confirmandum, novamque Romam veteri counirct sanctionibus sacris, ac perpetuò valituris. Jam enim ad Concilium Græciam rebellem vos didicimus invitasse, quasi qui tunc videritis tempora præsignando, licèt sivè pro rebellione Græcorum, sivè pro ntilitatibus Mundi, & variis occupationibus interim videamini distulisse.

655 „ Ecce nunc tempus acceptabile, „ Pater Sancte, ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus temporibus vestris cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorùm vestros posuit inimicos: *Canite*, quæsumus, *tuba* sacerdotali *in Sion*, amantissime Pater, *vocate cætum*, *congregate populum*, *coadunate senes*, & *suggentes ubera*, sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ unitatis & pacis, & quam ad Dominum custodimus, nostræ fortitudinis confirmandæ; quamtumlibet enim insufficientes simus ex nobis, sperare audemus in Domino, quòd gaudium Domini sit fortitudo nostra ad evacuandum scandalum Crucis, & subjiciendam in terris omnem adversariam potestatem, erigentem se adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Recordamini, Pater Sancte, Cathedræ vestræ Sessorum, quorum in Cœlo gaudent animæ, & in terris vivit gloriosa memoria, Joannis, Agapiti, & Leonis, seù aliorum, qui ex variis causis Constantinopolitanam leguntur Ecclesiam præsentialitèr visitasse, sicut in Apostolicis continetur Archiviis, & invenietis manifestè, si nos, qui asserunt se legisse, non fallunt, quòd pro causis longè minoribus eorum quilibet adventarit.

656 „ Si quid ex ardenti desiderio ultrà quàm decet, ingerimus, ex benignitate consueta, Reverende Pater, ignoscite, affectumque nostrum, apicemque negotii ulteriùs, & potiùs quàm verba, spectate. Illud autem silêre nullâ ratione debemus, quòd Reverendi Pontifices, & Abbates nostri, & inferioris status, venerabilis Clerus tàm magnificè ac decentèr, tàm honestè inter nos se habuit ac prudentèr, & armis Deo potentibus, tàm constantèr ac triumphalitèr dimicavit, ut coronam victoriæ de manu Domini meritò debeant expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione memoria, & quòd cis in ulla gratia desit, Apostolici favoris & gratiæ cumulum pro tàm benemeritis evidentiùs reportare. Illustrem virum Henricum Dandalum Ducem Venetorum dilectum nobis, ac meritò diligendum, cum amicis ac sociis nostris Venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, Paternitati vestræ pro suæ probitatis merito plurimùm commendamus. *Hactenus Balduini Epistola*, quæ habetur in Regesto Epistolarum Innocentii lib.7. Epist.152.

657 Præter enarrata Auctores Græci aliqua addunt à Balduino prætermissa. Referunt nàmque Murfiphilum Ducem, quem ferunt necasse Alexium, cùm omnia ruere videret, ac Civitatem ferè totam incendio datam, injicientibus in ea ardentes faces Latini, Euphrosinâ Alexii Angeli senioris conjuge, & Eudoxiâ ejus filiâ correptis, lemboque impositis fugam capessivisse; deindè ab Alexio Eudoxiæ patre captum, luminibus orbatum fuisse, ac demùm adductum Constantinopolim Judicum sententiâ, ob necatum Alexium, ex altissima columna, quæ in Tauro stabat, præcipitem dejectum, cùm aliquandiù in pedes descendisset, evoluto corpore in caput allisum miseram animam evomuisse. Ajunt etiam Græcos pugnantes cum Latinis, Imaginem Deiparæ, quam Imperatores Constantinopolitani secùm in bello pro præsidio ferre consueverunt amisisse, ac ad Latinorum manus devenisse. Denique ferunt etiam, Latinos Principes in Regni divisione Alexio seniori, licèt nefario, quià tamen Regia erat ortus Stirpe, portiunculam terræ tradidisse, ut in ea vitam honestè ducere posset. Sed quid Innocentius primis hisce receptis literis respondit, videamus.

658 Itaquè Innocentius relectis Balduini literis, ac benignè recepto & audito Nuncio, gavisus est, rescripsit indè, ut habetur lib.7. Epist. 153. insignem amoris notis refertam Epistolam, in quæ hæc in exordio habet: „ Literas Imperatoriæ dignitatis, quas nobis per dilectum filium Barrochium fratrem militiæ Templi tua devotio destinavit, paternâ benignitate recepimus, earumque tenore plenissimè intellecto, gavisi sumus in Domino, & in potentia virtutis ipsius, quòd is, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, magnifica tecum miracula dignatus est operari ad laudem & gloriam nomins sui, ad honorem & profectum Sedis Apostolicæ, & ad utilitatem, & exaltationem Populi christiani, ut de tua taceamus magnificentia, & virtute. Illud autem inter cætera nobis gratum est & acceptum, & super eo tuam prudentiam commendamus, quòd potentiæ tuæ parùm, aut nihil, Deo auctori & nobis, totum adscribis, ut exaltet humilitas, quem superbia non extollit. *Hæc ibi*. Cùmque in hac Epistola Innocentius dicat recepisse Balduini literas per Barrochium missas, verosimile est alias anteriores, fortè breviores, per hunc Militiæ Templi Equitem ad eundem Innocentium misisse, cùm suprarecensitæ missæ dicantur per Henricum Dandalum.

659 Addit porrò Innocentius in præfata Epistola, sese ad servandam ejus, amplificandamque dignitatem, omnem operam & sollicitudinem præstiturum: Cujus rei gratiâ, ait se scribere tàm Clericis, quàm Laicis Crucesignatis in Oriente commorantibus, ut ad Constantinopolitanum tuendum retinendumque Imperium, cujus auxilio faciliùs Terra Sancta ex infidelium manibus eripi, atquè in libertatem vindicari posset, strenuè contrà hostes ei operam navarent. Extant Innocentii literæ datæ ad antefatos Crucesignatos lib. 7. Epist.

660 In quibus inter alia habet: „ Tempus advenisse videtur, in quo destructis vitulis aureis Israel revertatur ad Judam, & ad Hierusalem Samaria convertatur, quatenùs Atrio, quòd secundùm Apocalypsim Joannis est extrà Templum, foràs ejecto, non jàm in Dan, & Bethel, sed in Montem Sion ad Dominum ascendatur. Nos igitur ei, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, & si non quantas debemus, quantas tamèn valemus gratiarum exolvimus actiones, & ei labiorum nostrorum vitulos immolamus, qui temporibus nostris dedit hanc gloriam nomini suo Sancto, & Glorioso, quòd invocatum est super nos. *Hæc inter alia ibi*.

661 Hortatur porrò Innocentius in antefata ad Balduinum data Epistola, ut Græcorum Ecclesiam, & Constantinopolitanum Imperium, quòd Apostolicæ Sedis auxilio, Divinâque virtute ipsi subegerant, in ejusdem Sedis obsequio conservare studeat. Et in Epistola data ad Crucesignatos, copiosè tractat materiam de processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, adversùs Græcorum errores, ut salutari doctrinâ pro hoc dogmate instructi, faciliùs illorum operâ, Græci de errore convicti, ad obsequium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, debitamque obedientiam traducerentur; ac proindè hortatur ipsos, ut Christianum exercitum ad pristinum ergà Romanã Ecclesiam amorem retinendum, augendũq; inflamment, & operam egregiè navent ad Græcorum Imperium universum, ad Sedis Apostolicæ observantiam adducendum, ut legere est in præfatis literis.

662 Post hæc autèm Balduinus alias fecit literas ad Innocentium, petens confirmationem conventionum, & pactorum, quæ antè captam Urbem, si caperetur, injerant inter se Duces, & nobiles, Episcopi, & Primores exercitus, insertâ eorundem pactorum, & conventionum Cedulâ. Literæ verò habentur lib. 7. Epist. 201. quæ ad hunc modum se habent.

Sanctissimo Patri Domino Innocentio, Dei providentiâ Summo Pontifici, Balduinus eâdem gratiâ fidelissimus in Christo Constantinopolitanus Imperator à Deo coronatus, Romanorum moderator, & semper Augustus, Flandriæ Ayneque Comes, cum debita subjectione obedientiam humilem, & devotam.

663 „ Statum, & processum exercitus Christiani, & nostrum Nunciis nostris literis Paternitati Vestræ pleniùs explanasse meminimus. Nùnc autèm conventiones inter nos, & peregrinos ex una parte, & Ducem Venetorum, & Venetos ex altera, antè expugnationem Regiæ Civitatis habitas, sigilli nostri munimine roboratas, vobis curavimus destinare: Sanctitatem Vestram, sicùt tenemus, attentiùs rogantes, ut dictas conventiones ratas habeatis, & eas auctoritatis Apostolicæ munimine confirmetis. Sanctitatem enim Vestram nosse volumus, quòd cum memorato Duce, & Venetis societatem bonam, & fidelem infinitè habuimus, & eos cooperatores probissimos, & efficaees ad honorem Dei, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii nostri, & ad subventionem Terræ Sanctæ, & unitatem Ecclesiæ conservandam societas eorum utilis sit, & necessaria, nec sine eorum societate, & amore Imperium nostrum, ad honorem Dei, & Vestræ Sanctæ Sedis regi valeat competenter. *Hæc ibi*. Pacta verò in Cedula contenta, exarata ad hùnc modum fuerant.

In nomine Dei Æterni amen.

664 „ Nos quidèm Bonifacius Montis Ferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ, Hannoniæ, L. Blesen, & Clarimontis, H. Sancti Pauli Comites pro parte nostra, vobiscum, vir inclyte Domine Henrice Dandale Venetiarũ, Dalmatiæ & Croatiæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc, ut unita, & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali evitandam ipso cooperante, qui est pax nostra, & fecit utraque unum, ad ejus laudem, & gloriam, talem duximus ordinem observandum, utraque parte juramento adstricta.

665 „ In primis omnes armatâ manu, Christi invocato nomine Civitatem expugnare debemus, & si Divinâ auxiliante potentiâ Civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere, & ire, qui fuerint super exercitnm prælecti, & eos sequi, secundùm quod fuerit ordinatum. Totum quidèm havere, quod in Civitate inventum fuerit, à quolibet duci debet, & poni in commune, eo loco, quo fuerit

„ rit ordinatum, de quo tamèn havere nobis, „ & hominibus Venetis tres partes debent „ solvi pro illo havere, quòd Alexius quondàm Imperator nobis, & vobis solvere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus, donec fuerint in ipsa solutiones coæquales. Si autèm aliquid residuum fuerit, debemus per medietatem inter vos, & nos dividere, donec fueritis placati. Si verò minùs fuerit, ità quòd non possit suscere ad memoratum debitum persolvendũ, undecùmq; fuerit havere priùs acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare, salvis tamèn victualibus, quæ debent observari, & dividi tã vestris, quàm nostris æqualiter, ità quod utraq; pars possit indè cõgruè sustentari. Quod autèm residuum fuerit, partiri debet in alio havere juxtà ordinem prænominatũ. Vos etiam, & homines Veneti liberè, & absolutè absquè omni controversia per totum Imperium habere debetis omnes honoreficentias, & possessiones, quas quondàm consuevistis habere, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, & omnes rationes, sivè consuetudines, quæ sunt in scripto, & sinè scripto.

666 „ Debent etiam sex homines eligi pro parte vestra, & sex pro nostra, qui juramento adstricti, eam personam eligere debent de exercitu, quæ credetur meliùs scire ordinare terram, & Imperium ad honorem Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii, & si fuerint in uno concordes, illum debemus Imperatorem habere, quem ipsi concorditèr elegerint. Si verò sex in una parte, & sex in alia concordaverint, sors mitti debet, & super quem sors ceciderit, debemus pro Imperatore habere; & si plures consenserint in una parte, quàm in alia, illum Imperatorem habebimus, in quem major pars consenserit; si verò plures partes fuerint, quàm duæ, super quem major pars concordaverit, sit Imperator. Debet verò iste Imperator habere universam quartam partem acquisiti Imperii, & Palatium Blachernæ, & Buccam Leonis: reliquæ verò partes per medietatem inter vos, & nos dividantur.

667 „ Sciendum etiam quòd Clerici, qui de parte illa fuerunt, de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi ad honorem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Imperii. Clerici verò utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint.

668 „ De possessoribus verò Ecclesiarum tot, & tantùm Clericis, & Ecclesiis debent provideri, quo honorificè possint vivere, & sustentari; reliquæ verò possessiones Ecclesiarum dividi, & partiri debent secundùm ordinem præsignatum.

669 „ Insuper enim jurare debemus, tàm ex nostra parte, quàm ex vestra, quòd ab ultimo die instantis mensis Martii morari debemus usquè ad annum expletum ad Imperium, & Imperatorem manutenendum ad honorem Dei, & S. Romanæ Ecclesiæ, & Imperii.

670 „ Deindè verò anteà omnes, qui Imperio remãserint ipsi Imperatori adstringi debent juramento, secundùm bonam, & laudabilem consuetudinem; & illi qui tùnc Imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent, quòd firmas, & stabiles partes, & rationabiles partitiones, quæ factæ fuerint, debebunt.

671 „ Est autèm & sciendum, quòd à nostra, & vestra parte duodecim homines, vel plures pro parte eligi debent, qui juramento astricti, feuda & honorificentias inter homines distribuere debent, & servitia assignare, quæ ipsi homines Imperatori, & Imperio facere debent, secundùm quòd illi bonum videbitur, & conveniens apparebit. Feudũ verò, quod unicuiq; assignatum fuerit, liberè, & absolutè possidere debet de hærede in hæredem, tàm in masculo, quàm in fœmina, & plenam habeat potestatem ad faciendum indè quidquid fuerit suæ voluntatis, salvo tamèn jure, & servitio Imperatoris, & Imperio. Imperator verò reliqua servitia facere debet, quæ fuerint facienda, præter quæ ipsi facient, qui feuda & honorificentias possidebunt, secundùm ordinem sibi injunctum.

672 „ Statutum est etiam, quòd nemo hominum alicujus generis, qui communem guerram vobiscum, & successoribus vestris, vel populo Veneto habuerit, recipiatur in Imperio, donec guerra illa fuerit pacificata. Teneatur etiam utraque pars ad dandum operam bonâ fide, ut hoc à Domino Papa possit impetrari, ut si aliquis contrà hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus.

673 „ Insuper Imperator jurare debet, quòd firmas, & stabiles partitiones, & dationes, quæ factæ fuerint, irrevocabiliter habebit secundùm ordinem superiùs distinctum. Si verò aliquid in istis omnibus fuerit addendum, vel minuendum, in potestate, & discretione vestra, & vestrorum sex Consiliatorum, & Domini Marchionis, & ejus sex Consiliatorum consistat.

674 „ Sciendũ est etiam, quòd vos, præfate Domine Dux, non debetis Imperatori, qui fuerit electus, vel Imperio ad aliqua servitia facienda juramentum præstare, propter aliquod datum, vel feudum, vel honorificientiam, quæ vobis debeat assignari, tamèn illi, vel ille, quem, vel quos loco vestro statueritis super his, quæ vobis fuerint assignata, debeant juramento teneri ad omne servitium Imperatori, & Imperio faciendum, juxtà omne ordinem superiùs

„ riùs declaratum. Dat. Anno Dñi MCCIV. „ mense Martii Indict. VII. *Hactenus Cedula conventionis.*

675 At Innocentius ea perlecta, nonnulla iniqua continere perspexit, & contrà Ecclesiasticam libertatem exarata. Anceps ergò, & fluctuans, viros prudentia spectatissimos, ultrà Dominos Cardinales consulendos coegit, & omnibus rectè perpensis, atquè libratis; cum visum fuisset hoc Græcis accidisse propter eorum perfidiam, qui ab obedientia Apostolicæ Sedis se subduxerant: adjecta spe faciliùs recuperandi Terram Sanctam, consistente apud Latinos Græcorum Imperio, in eam sententiam ventum est, ut Latini retinerent Imperium, conventiones inter Duces firmatas, iis demptis, quæ Ecclesiasticæ libertati adversabantur, confirmarentur. Ità ergò conclusum, Sanctus Pontifex literas fecit ad Marchionem Montis Ferrati, qui Apostolicam Sedem de iis præcipuè consuluerat, quæ habentur lib. 8. Epist. 131. Atquè in ejs primum reprehendit, de arrepto bello adversùs Græcos, indè de tot malis, & sceleribus commissis à militibus in Regia Urbe, ac deinquè sententiam suam de retinendo Imperio aperit, iniquas verò conventiones contrà Ecclesiasticam libertatem in Cedula pactorum expressas, abolendas decernit. Ait nàmque Innocentius in præfatis literis.

676 „ Vos nullam in Græcos jurisdictio- „ nem, aut potestatem habentes, à puritate „ voti vestri temerè declinasse videmini, dùm „ non contrà Sarracenos, sed contrà Chri- „ stianos arma movistis, non intendentes ad „ recuperandam Hierusalem, sed Constanti- „ nopolim occupandum, terrenas opes Cœ- „ lestibus divitiis præferendo.

677 „ Illud longè graviùs reputatur, „ quòd quidam nec Religioni, nec ætati, „ nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, „ adulteria, & incestus in oculis omnium „ exercentes, non solùm maritatas, & viduas, „ sed etiam Matronas, Virgines, Deoque di- „ catas exposuerunt spurcitiis gartionū. Nec „ Imperiales suffecit divitias exhaurire, ac „ diripere spolia majorum pariter, & mino- „ rum nisi ad Ecclesiarum Thesauros, & quòd „ graviùs est, ad ipsarum possessiones exten- „ deritis manus vestras, tabulas argenteas de „ Altaribus rapientes, & violatis Sacrariis, „ Cruces, Icones, & Reliquias asportantes, „ ut Græcorum Ecclesia quantumcùmque „ persecutionibus affligatur, ad obedientiam „ Apostolicæ Sedis redire contemnat, quæ in „ Latinis nonnisi perditionis exempla, & „ opera tenebrarum aspexit, ut jàm meritò „ abhorreat plusquàm canes.

678 „ Tu verò contrà jurisdictionem & „ potestatem, vel potiùs usurpatam, Aposto- „ licæ Sedis Legati consilium allegasti, tan- „ quàm ex eo vobis licuerit cum præfato „ adolescente ad restituendum sibi Constan- „ tinopolitanum Imperium proficisci, quam- „ vis & id potueritis allegare, quòd cùm vos „ victualium defectus urgeret, sinè quibus „ non poteratis votum Crucis implere, li- „ cuerit vobis propter causam adeò necessa- „ riam operas vestras illi locare, qui justam „ causam prosequi videbatur, præsertim cùm „ per hoc intenderitis finalitèr ad Terræ San- „ ctæ succursum, & Apostolicæ Sedis augu- „ mentum. Cùmque pollicitam vobis, & „ debitam negaverint illi mercedem, jura- „ mentis & pactis penitùs violatis, quin „ etiam armis, igne, dolo, & toxico vos sæ- „ piùs attentaverint, tanquàm in arcto po- „ siti tracti fuistis, ut contrà schismaticos & „ perjuros debita vobis injustè negantes, „ exerceretis debitam ultionem, Divinum „ enim videtur fuisse judicium, ut qui tam- „ diù misericorditèr tolerati, & totiès non „ solùm ab aliis, sed etiàm à nobis studiosè „ commoniti, , noluerunt redire ad Ecclesiæ „ universalitatem, nec ullum Terræ Sanctæ „ subsidium impertiri, per eos, qui ad utrum- „ que paritèr intendebant, amitterent locum „ & gentem, quatenùs perditis malè malis, „ terra bona bonis Agricolis locaretur, qui „ fructum reddant tempore opportuno.

679 „ Quià verò judicia Dei non nun- „ quàm adeò sunt occulta, ut à Propheta di- „ cantur *Abyssus multa*, itaùt & Apostolus „ exclamare cogatur: *Ob altitudo divitia-* „ *rum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incom-* „ *prehensibilia sunt judicia ejus, & investiga-* „ *biles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum* „ *Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nos „ doctàm profundo judicio nolentes temerè „ judicare, præsertim antequàm de veritate „ negotii pleniùs instruamur, cùm & illi po- „ tuerint justè puniri proptèr peccatum, „ quod commiserunt in Deum, & vos nihi- „ lominùs injustè punire proptèr odium, „ quod exercebatis in proximos, si tamèn „ proximi sint dicendi, qui proximare con- „ temnunt, cùm & proptèr justam illorum „ pœnam forsàn justam Deus dederit vobis „ mercedem, juxtà quod dixisse legitur in „ Propheta: *Quia servisti mihi in Tyro, da-* „ *bo tibi Ægyptum*; undè Assur Virgam sui „ furoris appellat. Illud omissis dubiis tibi „ præ cetero duximus respondendum, in uno „ paritèr & eodem, tàm Terræ Sanctæ, quàm „ Apostolicæ Sedi, nec non animæ tuæ salu- „ britèr consulentes, ut sub timore Domini, „ & spe veniæ terram divino judicio acquisi- „ tam teneas & defendas, & tenendam, ac „ defendendam acquiras, populos tibi in ju- „ stitia regens, sub pace conservans, & Re- „ ligioni conformans; itaùt Ecclesiastica bo- „ na restituas secundùm propriam faculta- „ tem, pœnitens & satisfaciens de commissis.

680 Et in Epistola ad Henricum Dandalum Ducem Ventorum, qui conventiones, & pacta confirmanda postulaverat, ut habe-

tur

tur lib. 7. Epift. 208. & Epift. 209. refpondit, fe ratam habere non poffe conventionem illam tangentem difpofitionem bonorum Ecclefiarum: „ Cùm Ecclefiarum thefauros, „ *inquit*, non finè Creatoris offenfa manus „ diripuerit violenta, majorem culpam in„ currerent, qui fpoliatas thefauris Eccle„ fias, fuis poffeffionibus mutilarent, nec de„ ceret Apoftolicæ Sedi illos hoc modo de„ fendere, qui fic Ecclefiafticam offenderent „ dignitatem. Præterea cùm ad honorem „ Ecclefiæ Romanæ hujufmodi fint initæ pa„ ctiones, & ferè in fingulis hoc expreffum, „ ut ad honorem ejus omnia provenirent, „ nec debuimus, nec potuimus confirmare, „ quod contrà juramentum ab utraque parte „ communitèr præftitum honori Sedis Apo„ ftolicæ derogaret. *Hactenus Innocentius*, qui paritèr & illam de eligendo Patriarcha conventionem, utpotè derogativam Jurium Apoftolicæ Sedis, irritam fecit. Ipfeque, ut habetur lib. 7. Epift. 204. formam præfcripfit eligendi Patriarcham Conftantinopolitanum, ut nimirum cùm Ecclefiam vacare contigeret, conventualium Ecclefiarum Prælati in Ecclefia Sanctæ Sophiæ unà cum Canonicis convenirent, atque is ad dignitatem efferretur, in quem majoris, vel fanioris partis fuffragia cecidiffent.

681 Cæterùm de Imperii Orientalis facta à Latinis divifione, Nicephorus Gregoras lib. 1. Hiftor. Rom. hæc fcribit: „ Conftan„ tinopoli à Latinis captâ, Romanorum„ que Principatu inftàr navigii à ventis & „ decumanis fluctibus comprehenfi, in plu„ rimas partes, & fruftrà difcerpto, alius „ alibi, quocumque fors tulit, regnavit. *Et* „ *infrà*. Quùm enim Latini verno tempore „ Urbem expugnaffent, Imperium triparti„ to inter fe diviferunt: Flandriæ Comes „ Balduinus, & Pleæ Comes Doloicus; fo„ lus verò Montis Ferrati Marchio Theffa„ lonicæ & adjacentium locorum Rex eft de„ claratus; Imperator autem ex eis Bizan„ tii Balduinus creatus, ftatim contrà Occi„ dentales Urbes, quæ fparfim in Thracia „ funt, movit, eafque celerrimè deditione „ cœpit. Montis Ferrati autem Marchio „ Theffalonicam ufquè progreffus, eaque „ potitus, facillimè inftàr incendii indè om„ nes ulteriores Pagos & Urbes eft pervaga„ tus, donec ipfam Peloponefum ingredere„ tur, *Hæc ille*.

682 Meminit ejufdem divifionis Marinus Sanutus lib. 3. Secret. Fidel. Cruc. part. XI. cap. I. ubi compendiosè univerfam captæ Urbis feriem recenfet, inquiens: „ Captâ igi„ tùr Jadriâ, dùm ibi hyemare coguntur, „ Illuftris puer Alexius Ifaacii Conftantino„ politani Imperatoris filius, cujus foror „ Philippo Alemanniæ Regi nupferat, ad „ Ducem Venetiarum, ac Barones Franciæ „ venit, exponens cafum: *Quià Ifaacius fra-* „ *trem haberet Alexium, quem à Turchorum* „ *captivitate multo redemit pretio; eratque illi* „ *in Regno fecundus. Reddidit autem fratri* „ *& Domino pro fructu pœnam, pro pietate do-* „ *lum; & fraude excæcato Imperatore, me hæ-* „ *redem duodecim annorum, in carcere pofuit:* „ *Sed Dei nutu, de carcere eductus, veftro pe-* „ *to auxilio Imperium mihi reftitui*. Stoli au„ tem impenfas & ampla promifit donaria, & „ Romanæ Ecclefiæ fubjectionem. Acceffe„ runt quoquè inftantiæ Regis Philippi præ„ dicti, apud quem fuerat puer prædictus „ educatus, Regisque Hungariæ. Petitioni „ autem dicti Barones annunt; eorumque „ virtute Conftantinopolis capitur, & puer „ coronatur. Et antè receffum Latinorum à „ Tutore puer nocte fuffocatur. Iteratò „ proindè Civitas capitur, & Imperii medie„ tas obvenit Francis, mediatas Venetis. „ Sed Balduino Comite Flandriæ Imperatore „ creato, MCCIV. Franci partis fuæ quar„ tam ei dederunt, & Veneti fimilitèr, undè „ eis remanfit quarta pars, & dimidia totiùs „ Imperii. Marchioni verò Montisferratis „ Regnum obvènit Thefaliæ. *Hæc ille*, de Imperii acquifitione, & divifione.

683 Subjungit indè in hoc completum effe Babylonicę Sybillæ Vaticinium, quod explicat, inquiens: „ *Eneadum gloria Bizantium* „ *deducetur*; ideft, Imperium à Roma in Bi„ zantium transfertur: *Eruntq; Danai in robore* „ propter Imperium: *delicato* propter pacem „ *ufquè ad Leonem*, Emmanuelem IX. *pedum*, „ ideft, annorum: tot enim annos ætatis ha„ buit, XL. autèm Regnavit: *Donec ca-* „ *tulos ejus*, ideft, filios, *urfus devoret*, An„ dronicus eorum Tutor. Hic enim Emma„ nuelis propinquus, cùm inter Principes, „ & Barones feditionem procurare inventus „ fit, plurièś carceribus mācipatus eft. Tan„ dèm nè pax turbetur, ad regendum Ponti „ regionem tranfmittitur. Mortuo verò Em„ manuele, ad Alexium puerum XIII. anno„ rum Imperium defertur. Cùm verò alius „ Alexius de fanguine Emmanuelis fuperbè „ Imperium procuraret, ab æmulis vocatur „ Andronicus, qui hunc peremit Alexium, „ fibique fumpfit Imperium, & pueri tutelam, „ quem in Mari fubmergi juffit. *Hinc Aquila* „ *defpecta*, Ifaacius, *urfum devoret*. Cùm enim „ Andronicus Ifaacium hunc, de genere Em„ manuelis interficere vellet, ipfe in Civita„ te factâ commotione, Purpuram & Coro„ nam fumit Imperii, ac locum capit, qui „ dicitur Os Leonis, ubi erant Regii The„ faurii; deindè Andronicum in Blacherno „ obfidet, & vinctum ignominiosè mori fe„ cit, ac gratiosè cunctis imperavit, conju„ gem accipiens fororem Regis Hungariæ, „ ex qua habuit Alexium puerum, qui à „ Gallicis, & Venetis prædictum impetravit „ auxilium, *Aquilam hircus obtenebret*, Ale„ xius frater ejus oculos eruendo. Cùm enim

Ifa-

„ Isaacius in quadam Abbatia Philippis cum „ paucis se recrearet, Alexius illum aggre- „ ditur, & captum exoculat. *Pullum voret* „ *Aquilæ*, Alexium puerum de quo præfati „ sumus: *fietque potaurium*, idest, Gallo- „ rum: *In aquit Adriaticis*, idest, in Mari „ Venetorum; *congregatio cæco præduce*, „ idest, Henrico Duce Venetorum, qui à „ Græcis abacinatus, quasi visum amisit:- „ *Hircum ambiget*, Bizantium prophanabunt. „ *Hircus*, Imperator Græcus, *non balabit* „ *Gallus*, eorum Patriarcha non cantabit: „ *Usque dum* LIV. *pedes*, idest anni: & IX. „ *pollices*, idest menses: *Semisque præmen-* „ *surati discurrant*: tanto enim tempore La- „ tini inibi Imperium tenuerunt. *Hactenus Sanutus*.

CAPUT XX.

De Balduini & Innocentii studio in Propaganda in novo Imperio Catholica fide, ac conciliandis Græcis, nec non de Balduini captivitate, eiusq; obitu.

684 NON immemor voti sui novus Orientis Imperator Balduinus, eodem ferè tempore, quo res humanas pro forma solidi regiminis disponebat, ad divinas quoque instaurandas adjecit animum; quoniàm non tantum ad Innocentium literas fecit, quibus viros præcipuè Religiosos postulabat sibi mitti, ut eorum operâ Catholica augeretur fides, solidareturque; verum similes literas, nonnullis tantum demptis, Encyclicas fecit ad omnes Christi fideles Occidentis: legitur namque apud Arnoldum Lubacensem in Chron. Slau. lib. 6. Cap. 20. data. *Universis Christi fidelibus*, *Archiepiscopis*, *Abbatibus*, *Prioribus*, *Præpositis*, *Decanis*, *cæterisque Ecclesiarum Prælatis*, *Ecclesiasticisque personis*, *Baronibus*, *Militibus*, *Sartianis*, *omnique Populo Christiano*. Sed Innocentius, cui unicè semper in corde fuit amplificandi Catholicam fidem, Balduini literas, sua quoque monita adjecit & hortamenta: qua de causa scripsit primum ad Archiepiscopum Remensem S.R.Ecclesiæ Cardinalem & Apostolicæ Sedis Legatos, ut lib. 8. Epist. 69. Inde ad universos Galliç Archiepiscopos & Episcopos, cæterosque Præsules, quatenus Balduinus annuerent postulatis. In ea namque data ad Archiepiscopum Rhemensem, post plura agens de Balduino, ait.

685 „ Hic igitur sublimatus mirabili- „ ter, nobis humiliter supplicavit, ut Apo- „ stolicæ Sedis devotos Clericos simul, ac „ Laicos nobiles, & ignobiles cujuslibet con- „ ditionis & sexus Apostolicis dignaremur „ exhortationibus invitare, ut ad ipsius ac- „ cedant Imperium, ab eo secundum quali- „ tates & merita personarum gratas divitias „ recepturi. Attendentes igitur, quod mu- „ tatio hujus Imperii dexteræ mutatio sit ex- „ celsi, & ab eo factum sit istud, qui tem- „ pora mutat; & transfert regna, cùm per „ illud Terræ Sanctæ posset utiliùs subveniri, „ quin potiùs, cùm per illa, ista creditur „ posse recuperari: fraternitatem vestram mo- „ nemus, & exhortamur in Domino, per „ Apostolica vobis scripta mandantes, qua- „ tenus tam Clericos, quàm Laicos effica- „ citer inducatis, ut ad capescendas spiritua- „ les pariter, & temporales divitias, ad præ- „ fatum Imperatorem accedant, qui, ut ejus „ verbis utamur, cùm sufficiat universis, quos „ ad eum Christianæ Religionis Zelus ad- „ duxerit, singulos vult, & potest secun- „ dum status suos, varietatemque Natalium, „ & augere divitiis, & honoribus ampliare. *Hæc & alia ibi*. In ea porrò quam fecit ad Archiepiscopos, Episcopos, & cæteros Galliæ Præsules, ut habetur lib. 8. Epist. 71. post multa pariter de Balduini Imperio & gestis exarata, subjungit.

686 „ Volentes Imperatorem eundem „ tanto benigniùs in suis petitionibus exau- „ dire, quantò majorem in majoribus fre- „ quenter sumus eis fidei sinceritatem exper- „ ti, vestras universitates rogo, atque hor- „ tor per Apostolica vobis scripta monentes, „ quatenùs pium ejus desiderium, quantùm „ in vobis fuerit, promoventes, de singulis „ ordinibus viros, moribus & scientia com- „ mendandos, ac in Religione ferventes, ad „ partes illas destinare curetis, per quos no- „ vella illa plantatio, in disciplina Domini „ erudita fructum reddat suis temporibus op- „ portunum, & quod in eis est mirabiliùs „ consumetur. Memoratos quoquè libros, „ quibus non solùm abundare, sed supera- „ bundare vos novimus, ad partes illas sal- „ tem pro exemplaribus mittere procuretis, „ & ut vestra abundantia illorum inopiam „ suppleat, & Orientalis Ecclesia in divinis „ laudibus ab Occidentali non dissonet, sed „ sicut est unus Deus, & Fides una, ità uno „ ore ipsum laudet, & glorificet oriens & oc- „ casus. Dat. VIII. Kalen. Junii. *Hactenus Innocentius*. Qui pariter ejusdem argumenti literas quæ habentur lib.8.Epist.72. scripsit ad Doctores, sivè Magistros, & Scholares Parisienses, quos etiam hortatur, ut, poscente Balduino, ad literarum studia instauranda in Græciam pergerent.

687 Porrò ad Ecclesiasticas res & personas disponendas, atque ordinandas, idem Balduinus ad se in Græciam vocavit Petrum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, in Provincia Hierosolymitana degentem: ut Acta ferunt Innocentii, in quibus legitur: „ Præ- „ fatus autem Balduinus Comes Flandriæ, „ postquàm ad Constantinopolitanum Impe-

rium

„ rium extitit ſublimatus, per Nuncios & „ apices ſuos vocavit ad ſe præſatum Petrum „ Tituli S. Marcelli Presbyterum Cardina- „ lem Apoſtolicæ Sedis Legatum, in Hieroſo- „ lymitana Provincia exiſtentem, ut acce- „ dens in Græciam, de perſonis & rebus Ec- cleſiaſticis auctoritate Apoſtolica ordinaret. *Hæc Acta*. Addentes Godefredum quoquè Presbyterum Cardinalem Tituli S. Praxedis, in partibus Syriæ Apoſtolicæ Sedis Legatum, initâ priùs cum Sarracenis ſex Annorum treguâ, ad Regiam Urbem cum eodem Petro ſe contuliſſe, ſequente innumera Clericorum, Laicorum, & cujusvis generis perſonarum, tàm de indigenis, quàm alienigenis multitudine, ut penè Syria chriſtianorum deſerta videretur. Quod minus placuit Innocentio, ut ex ejus literis, quæ habentur lib. 8. Epiſt. 124. conſtat.

688 Nec minori ſtudio intentus Innocentius, ut in novo Imperio cuncta rectè ordinarentur, miſit Conſtantinopolim de Latere ſuo Legato Benedictum S. Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Tituli S. Suſannæ, data ei ampliſſima poteſtate ordinandi res ad Eccleſiam ſpectantes, prout habetur lib. Epiſtol. 63. Quem plurimùm Balduino Imperatori commendavit per ſuas ad eum data literas, quæ habentur lib. 8. Epiſt. 56. ſcribens quoquè ad Præſules in Imperio Conſtantinopolitano commorantes, ut liquet lib. 8. Epiſt. 57. quatenus præſatum Legatum humaniter reciperent, eidem manus darent, ad Eccleſiam illam in optimo ſtatu collocandam: in qua Epiſtola, de Eccleſiæ unitate, quæ inconſutili Chriſti tunica adumbrata eſt, ac de Græcorum erroribus, nonnulla pertractat.

689 Deinde proviſa eſt Eccleſia Conſtantinopolitana de Patriarcha, quem Romę Innocentius conſecravit: De cujus conſecratione & privilegiis à Domino Papa conceſſis Acta Innocentii ajunt: „ Idem igitur Dominus Innocentius, præſatum Conſtantinopolitanum electum Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ in Diaconum ordinavit, & in Sabbato hebdomadæ medianæ „ in Sacerdotem promovit, & ſequenti Dominica Romæ apud S. Petrum in Epiſcopum conſecravit, ac poſtmodum contulit „ ei pallium, in ſignum videlicèt plenitudinis „ Pontificalis officii, de Corpore Beati Petri „ Apoſtoli ſumptum, recepto ab eo fidelitatis, & obedientiæ juramento, ſub ea forma jurandi antiqua & approbata, & ſecundùm quam Primates, & Metropolitani ſolent in ſuſceptione pallii Romano Pontifici, „ & Eccleſiæ Romanæ jurare, privilegium ſibi „ ſub hac forma concedens.

690 „ Prærogativa dilectionis & gratiæ, „ quam Apoſtolica Sedes exhibuit Eccleſiæ „ Bizantinæ, cum eam in Patriarchalem Sedem erexit Eccleſiaſticæ plenitudine poteſtatis, quam non homo, ſed Deus, imò verius Deus homo in Beato Petro Eccleſiæ „ Romanæ conceſſit, evidenter atteſtatur, & „ quod Romanus Pontifex ejus Vicarius ſit „ oſtendit, qui & primos noviſſimos, & noviſſimos fecit primos.

691 „ Sanè cum eadem Eccleſia, quæ „ tunc Bizanzena, nunc autem Conſtantinopolitana vocatur, nec nomen, nec locum inter Sedes Apoſtolicas haberet, Apoſtolica Sedes fecit ei nomen grande, juxtà „ nomen magnorum, qui ſunt in terra, & ipſam quaſi de puluere ſuſcitatam, uſq; adeò „ ſublimavit, ut eam tàm Eccleſiæ Alexandrinæ, quàm Antiochenæ, ac Hieroſolymitanæ, dignitatis privilegio anteferret, „ atque poſt ſe præ cæteris exaltaret; ità „ quod cùm multæ filiæ divitias congregarunt, hæc ſola per Matris gratiam ſpecialem ſupergreſſa fuerit univerſas; Licèt autèm eadem Eccleſia interdùm ab obedientia „ Sedis Apoſtolicæ declinarit, quià tamèn „ ad eam per Dei gratiam humiliter eſt reverſa, tuis precibus annuentes, eandem Eccleſiam, cui Deo auctore, præeſſe dignoſceris, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina „ communimus. *Hæc ibi*. Datum eſt hoc privilegium Romæ apud S. Petrum III. Kalendas Aprilis, Innocentii Pontificatus Anno VIII.

692 Ex hoc namque tempore Eccleſia Conſtantinopolitana evecta eſt ſuper cæteras Orientis Patriarchales Eccleſias, prælata ſcilicèt eſt Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ, hactenùs verò, ut in progreſſu hujus hiſtoriæ vidimus, ultimum locum inter Patriarchales Eccleſias tenebat, quem etiam locum, nec Summorum Pontificum, nec Generalium Conciliorum auctoritate, aut decreto obtinuerat, ſed tantùm à Juſtiniano Imperatore accepit, Romanis Pontificibus, ad majora vitanda mala, tacentibus: qui tamen, quotiès Conſtantinopolitani Patriarchæ auſi ſunt in alias Orientis Patriarchales Eccleſias, manus opponere, eis acerrimè reſtiterunt, ac per literas increparunt, ut ex ſuperiùs enarratis liquet.

693 Itaquè Eccleſia Bizantina in Concilio Niceno inter Apoſtolicas & Patriarchales Eccleſias, nequaquam legitur computata: Canone namque VI. poſt Romanam Alexandrina, & Antiochena recenſentur, adjecta Hieroſolymitana in honorem S. Jacobi, ſubreptitios indè Canones à Græcis editos ſub nomine Synodi Conſtantinopolitanæ primæ, & Chalcedonenſis, Romani Pontifices reprobarunt. Et S. Leo Epiſt. 33. ad Anatolium data, poſt Romanam, ſolam Alexandrinam, & Antiochenam Patriarchales eſſe pronunciat. Ità & Nicolaus I. reſpondens ad Conſulta Bulgarorum, notans, Eccleſiam Conſtantinopolitanam, favore Principum potiùs, quàm ratione evectam in Patriarchalem. Trullani Canones,

nes, in quibus pariter Græci, ut in Canone xxxvi. constabilire conati sunt Ecclesiam Constantinopolitanam inter Patriarchales, eique primùm, post Romanam, locum consignare, à Romanis Pontificibus prorsùs rejecti sunt. Canones porrò xxi. Synodi Constantinopolitani iv. & Generalis viii. pro bono pacis nequaquam refragarunt Romani Pontifices, quoniàm tunc temporis agebatur de abolendo Photiano Schismate, & concilianda Ecclesia Græca cum Latina, ac ideò non visum est opportunum contraire, nè ex hoc pax optata turbaretur, & fomentum sumerent Græci augendi schisma.

694 Et ità ab Innocentio III. legitimè præfata Ecclesia secundùm locum obtinuit inter Patriarchales, & prælata est cæteris Orientis Sedibus Patriarchalibus. Quod synodali decreto firmavit in Concilio Generali Lateranensi Cap.5. ubi sancitum legitur: „ Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante sancimus, post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpotè Mater universorum Christi fidelium & Magistra, Constantinopolitana primùm, Alexandrina secundùm, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate. *Hæc ibi*. Similiter idem renovatum est in Concilio Generali Florentino sub Eugenio IV. in decreto unionis.

695 Dùm verò hæc agerentur, satis tristia acciderunt in Oriente, exigentibus peccatis: victis in Bello Bulgarico Latinis, capto Balduino Imperatore, ac in servitutem redacto, ut in Actis habetur Innocentii, & narratur in Epistola Henrici fratris Balduini, ad eundem Innocentium data, in qua tota facti historia narratur, quæ sic se habet, ut ex lib.8. Epist.129.

Sanctissimo Patri, ac Domino Innocentio, Dei gratia Summo Pontifici, Henricus frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator Imperii, cum debita reverentia, humili & devota pedum oscula.

696 „ Cùm universum Christiani exercitus progressum, & laborum peregrinationis nostræ seriem Paternitati vestræ per multiplices literas & Nuncios frater meus & Dominus Imperator, usque ad Martium elapsum novissimè satis lucidè significaverit, eventus nostros ex tunc prioribus multum dissimiles, imò pecatis nostris exigentibus nimis miserabiles, vobis tanquam Patri & Domino dignum duxi propalare.

697 „ Contigit Græcos, qui ex innata malitia, & perfidia consueta, post omne genus securitatis & cautionis, proditioni se semper pronos exhibent, statim post dimissionem Nunciorum ad vos ultimò directorum, proditionem, quam pridem mente conceperant, rebellione contra nos facta, detegère manifestè. Quo comperto frater meus & Dominus Imperator opportunè paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contrà caput Rebellionis, Adrianopolim videlicèt, quæ Civitas est Græciæ muntissima, & montibus tantum interpositis, Blachorum affinis populis, ulciscendi animum intendens, Urbem Regiam aggressus est.

698 „ Eramus tunc temporis sic divisi; Marchio Montis Ferrati ultrà Thessalonicam erat cum multis; Ego ex altera parte brachii Sancti Gregorii eram apud Andromiticum cum non paucis, Paganus de Aurelia, & Petrus de Braccel versus Niceam ex eadem parte E. de Tric. apud Philippopulim cum pluribus, & aliis alibi per loca & munitiones dispersi. Porrò audito à Joannitio Blachorum Domino, quod Latini in tanta virorum paucitate Civitatem prædictam obsedissent; quem etiam Græci in auxilium suum, occultè tamen, ut magis læderet, evocarant, irruit subitò Blachus ille Joannitius in nostros cum multitudine Barbarorum innumera, Blachis videlicèt, Cumanis, & aliis, quibus etiam nimis improvidè obviam exeuntibus nostris, & remotiùs quàm oporteret instantibus, & per inimicorum insidias, tandem vallatis undique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes Ludovicus, Stephanus de Pertico, & quidam alii Barones & milites, quod non sine sanguinearum lacrymarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine damno tamen illorum ab inimicis intercepti sunt; nescimus reverà qui capti fuerint, qui occisi: accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis, & famâ veridicâ, quod Dominus meus Imperator sanus teneatur & vivus, qui ab eodem Joannitio satis, ut asserunt, pro tempore honorabiliter procuratur cū quibusdam aliis, quos tamen adhuc expressè nescimus nominare.

699 „ Sciatis autem quod ab ea die, qua Græcorum fines ingressi fuimus, usque ad diem infelicis illius congressus, quantacumque nobis ex nostris occurreret multitudo, licèt aliquando nostri paucissimi fuissent, cum triumpho tamen semper & victoria recesserunt. Inæstimabilem verò jacturam, quam tunc nobis dolemus & plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia, & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaquè qui elapsi è prælio manus inimicorum evaserunt, Consilio abbreviato cum iis, qui ad tentoria servanda remanserant, absque alio damno ab

„ ab obfidione recefferunt; quibus tendentibus ad Urbem Regiam, & tam inopinabiliter defolatis, tantam Domino fubitò dedit confolationem, ut quafi in momento omnes fimul, quotquot difperfi fuerant, tanquam convocati à Domino, apud Civitatem quamdam, quæ dicitur Rodeftec convenirent. Marchio tamen feliciter & victoriosè in fuis Marchiis, E. de Tric. in fuis partibus, per Dei gratiam incolumis morabatur & indemnis. Infpectis igitur ibidem noftrorum viribus, Urbes & Caftella ex tunc munire cœpimus, quæ contra Græcorum rebellionem tenere poffe videbamur, & inter agendum Conftantinopolim ufq; profecti fumus.

700 „ Licèt itaquè in perfonis amiffis infortunium lugubre nobis acciderit, fperamus tamen in Domino, & audenter confidimus, quod inimicorum noftrorum, infidias, & affaltus, diutiùs, volente Domino, fuftinere poterimus, & etiam de longinquo fubventionem & auxilium expectare. Ecce tamèn, quod verebamur, hoc accidit, & quod fama canebat publica, quoque per literas ipfius Blachi, confederationem ipfius cum Turcis, & cæteris Crucis Chrifti inimicis continentes edocti fuimus, quas etiam à nobis cum Nunciis ipfius, interceptas Apoftolatui veftro in utraque lingua tranfmifimus.

701 „ Legatos igitur cum auctoritate Apoftolica à Latere veftro in Italiam, Franciam, & Alemanniam, & alias Occidentalium regiones dimitti petimus, qui integram Indulgentiæ plenitudinem in auxilium noftrum & fubventionem, ad nos propter prædicta venturis deferant, quæ à Sede veftra Apoftolica indulta eft per annum integrum in fervitio Crucifixi in terra Syriæ moraturis. Quoniàm autem quæ Paternitati veftræ fignificare cupimus, longum eft fcriptis inferere, Nuncios noftros, & fideles, & præcipuè Venerabilem Patrem noftrum Sueffionenfem Epifcopum, qui tam fideliter, quàm conftanter pro Terræ Sanctæ fubventione, & negotio Romanæ Ecclefiæ laboravit, & adhuc tanquam fidelis & prudens talenti fibi commiffi difpenfator, ficut vos ipfi cernitis laborare non definit, cujus abfentia plurimum nobis effet damnofa, nifi cogens rei neceffitas, & ipfa negotii arduitas, nos ejus præfentiâ ad tempus carere compellerent, & nobiles viros de Malli, & Joannem Bliaut Paternitati Veftræ tranfmitto, rogans & cupiens, ut eis, in iis, quæ de facto isto Apoftolatui veftro fuggefferint, fidem indubitatam adhibere velitis & firmam, & confilium veftrum, & auxilium ficut Ecclefiæ totique Chriftianitati, necnon & Domini, & fratris mei liberationi, qui fe veftrum ubique devotum gerebat, & dicebat militem, expedire videritis apponatis. Datum in Palatio, Anno Domini MCCV. Quinto Nonas Junii. *Hactenus Henrici literæ.*

702 Dolens hæc accepit Innocentius, ac Latinorum infortuniis compatiens, brevem refcripfit Epiftolam Henrico, quæ habetur lib. 8. Epift. 132. hortans eum ut curet firmam cum Bulgarorum Rege conftabilire pacem,. intendatque ad fratris liberationem: „ Nobilitati tuæ, *inquit*, per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus ad liberationem fratris tui intendens, veram & firmam pacem ftabilias cum chariffimo in Chrifto filio noftro Calo Joanne Rege Bulgarorum & Blachorum illuftri, ut inter Bulgaros & Latinos, fidelis & ftabilis amicitia de cætero perfeveret breviter fcribimus, quia opus eft magis opere quam fermone, multum enim utique poterit effe amicitia fructuofa. *Hactenus Innocentii Epiftola.*

703 Scripfit porrò, ut habetur in Regefto lib.8. Epift.127. ad ipfum Bulgarorum Regem pro Balduini liberatione, & pro pace cum Latinis ineunda, atque firmanda, ut ea mediante fui Regni confuleret fecuritati, quoniam aliàs periculum erat, nè ab Ungaris ex una parte, ex altera à Latinis illud invaderetur: „ Noveris, *inquit*, fili chariffime, quod ingens exercitus de Occidentalibus partibus eft in Græciam profecturus, præter illum qui nuper acceffit, unde tibi, & terræ tuæ debes fummoperè providere, undè dum poteft pacem ineas cum Latinis, nè fi fortè ipfi ex una parte, & Ungari ex altera te ftuduerint impugnare, non facilè poffis refiftere conatibus utrorumque. Quocircà ferenitati tuæ fuggerimus, & confulimus recta fide, quatenus cum Balduinum Conftantinopolitanū Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi provideas, ut per liberationem ipfius veram & firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tua, & terræ tuæ penitùs conquiefcant. Nos enim Henrico fratri ejufdem Imperatoris, qui Conftantinopoli præeft exercitui Latinorum, per Apoftolica fcripta mandamus, ut ad pacem tuam, pro liberatione ipfius Imperatoris Latinos inclinet, & à tua moleftatione ceffet omnino. *Hæc Innocentius.*

704 At inter hæc captivus adhuc detentus deceffit Balduinus, quo tamen mortis genere, nondum exploratum eft. Joannes, five Calo Joannes Bulgarorum Rex, in reddita ad Innocentium Epiftola, ut ferunt Innocentii Acta, fcripfit in carcere conftitutum è vivis difceffiffe. Baptifta Egnatius ut referunt Annales Flandriæ, tradit fatali morte deceffiffe, Imperio fratri per manus tradito. Sed auctores Græci à Bulgarorum Rege occifum ferunt: „ Cæterùm Balduini mors ita *contigit*, *ait* „ *Nicetas Choniata*, Scythico bello captus, & vin-

„ & vinculis, ut dixi, oneratus, longo tem-
„ pore Ternobi fuit; Cum autem Aspietes ad
„ Latinos defecisset, Joannes irâ æstuans, &
„ dolere in dies ingravescente penè in rabiem
„ actus, Balduino educto è carcere pedes à
„ genibus, & manus à brachii Tenedia pla-
„ nè securi amputari, deinde ipsum in val-
„ lem præcipitari jubet: ubi tertiodecimo die
„ esca volucrum miserabiliter expiravit: ne-
„ que verò hunc solùm, sed Romanos etiam
„ captivos, eadem crudelitate interfecit, om-
„ ninò voce, & supplice gestu repudia-
„ to. *Hæc ille*.

705 Gregorius verò Logotheta decollatum obiisse tradit: „ Balduinus Imperator
„ captus, *ait*, & vinculis gravis ad Bulga-
„ rorum Regem Joannem adducitur, illius
„ caput abscissum, sordibusque internis ex-
„ purgatum. & ornamentis undique circum-
„ septum, poculi loco, Barbaro inservisse,
„ fama est. *Hactenus ille*. Unde, & Annales Flandriæ ex aliorum sententia, clàm decollatum volunt. *Sunt*, inquiunt, *qui ab Joanne Vallachorum Rege captum, ac clàm decollatum constanter tradant*. Id quod probabiliùs est, semel quod fatali mortis necessitate, non concedatur obiisse, nè Rex scribens ad Innocentium, quod in carcere obiierit, de mendacio à Pontifice reprehendi posset. Et Nicephorus Gregoras lib. 1. histor. Rom. præterit Balduini obitum, captum dumtaxat scribit, sed obitum silet: Ducem porrò Venetiarum Henricum Dandalum, ex receptis in bello plagis ultimum clausisse diem refert: *Nonnullos etiam vivos ceperunt*, ait, *inter quos, & Balduinus fuit. Doloicus Pleæ Comes in acie ceciderat. Venetiarum verò Dux Henricus Dandalus, cum per paucis fuga elapsus, non multò post ex acceptis in pugna vulneribus decessit*.

706 Imperavit Balduinus menses XI. & dies VI. nimirum à die IX. mensis Maji anni MCCIV. quo renunciatus fuit Imperator, ad diem XV. Aprilis Anni MCCV. quo, ut notat Niceta, à Bulgaris captus est. Fuit aliunde vir pius, modestus, pudicus, & aliarum virtutum genere ornatus, dignus sanè Imperio: De quo idem Nicetas, licèt Græcus, & Latinis infensus, hæc tamen in ejus laudem scripto commendavit, inquiens: „ Non-
„ dùm Balduinus annum ætatis XXXII. ex-
„ cesserat, & alioqui vir erat pius, & mo-
„ destus, nè impudico quidem aspectu mu-
„ lierem intuitus, quandiù à sua conjuge ab-
„ fuerat: vacabat Divinis laudibus, neces-
„ sitatibus conflictantes sublevabat, suæ sen-
„ tentiæ adversarios æquo animo audiebat,
„ & quod maximum est, his qualibet heb-
„ domada vesperi proclamari jubebat, nè quis
„ in suo Palatio cubaret, qui alienam mu-
„ lierem attigisset. *Hæc Nicetas*.

707 Per hæc tempora plures in Oriente constitutæ sunt Monarchiæ, & initia sumpsit Trebizondæ ad Pontum Euxinum Imperium; de qua re Nicetas scribit: „ Unde multorum
„ dominatus Orientem depascebat, tricipi-
„ ti quadam bellua à vecordibus implexa.
„ Nam Maurozomes Manuel Caichosrois
„ auxiliis fretus, cui non multo ante recu-
„ perato Iconio filiam desponderat, nihil non
„ conabatur, ut Imperatorio nomine poti-
„ retur, & omnem Mæandrium tractum Tur-
„ cis vastabat; Theodorus Lascaria nobilis-
„ simo genere ortus, & Imperatoris affinita-
„ te inclytus, illo profligato, & rubro cal-
„ ceo induto, ab omnibus Orientalibus Im-
„ perator consalutabatur. David porrò Com-
„ nenus exercitu ex Paphlagonia & Pontica
„ Heraclea coacto, & Iberum, qui ad Pha-
„ sidem habitant, legione conducta, Pagos
„ & Urbes subigebat, & ut fratrem suum
„ Alexium Magnum redderet, præcursorem
„ ejus, & præconem agebat. *Hæc Nicetas*.

708 Ab hoc tempore auspicatur à Græcis Imperium Theodori Lascaris, de quo Georgius Logoteta, ait: „ Ante direptionem
„ ascedens, & circa Nicæam Nicænos exo-
„ rabat, ut semet intus reciperent, sibique
„ veluti Domino obtemperarent: cùm non
„ proficeret, acriùs incumbens, vel uxo-
„ rem solum admitterent, impensè depre-
„ cans, vix tandem illis hoc persuasit. Qua-
„ re Niceæ uxore relicta, circa Prûsam loca
„ omnia excurrebat eo animo, ut illa sibi
„ subjiceret, & pro Socero Alexio ipse velut
„ Imperator res ageret, ac ministraret: nec
„ spes eum fefellit, namque interim ad Per-
„ sarum Principem sibi amicitiâ devinctum
„ profectus, atque auxiliaribus copiis au-
„ ctus, quæ jamdiù animo conceperat, per-
„ fecit. Duobus itaque annis integris cum
„ ab omnibus uti DispotaLascaris agnoscere-
„ tur, conventusque ex viris celeberrimis,
„ atque ex Ecclesiæ Primatibus Niceæ habe-
„ retur, illud inter eos agitatum est, que-
„ madmodùm Theodorus ad illa usque tem-
„ pora Despota, Imperator acclamaretur.
Hæc ille.

709 Nicephorus Gregora, qui ab Imperio Theodori Lascaris suam auspicatur historiam, refert lib. 1. Alexium, qui jam Imperio exciderat, cum intellexisset Theodorum generum suum in Oriente Imperatorem renunciatum, fœdus adversùs eum iniisse cum Jathatine Turcarum principe, & cum innumera Barbarorum multitudine ad prælium provocasse, ac inita pugna, vicisse Theodorum, & decollato Barbaro principe, capto Alexio vitam condonasse, ductumque Niceam in habitu privato vitam ducere permisisse, universa tamen ei necessaria suppeditasse. Indutum Imperialibus vestimentis Theodorum à Michaele Antonino loco Camateri vocati, ac renuentis accedere, in Patriarchali Throno suffecto, tradit idem Georgius Logotheta.

CA-

CAPUT XXI.

De Henrici Imperio, & Innocentii studio pro reducendis Græcis ad Eccl. Catholicæ unionem.

710 Capto à Bulgaris Balduino, ut præfati fumus, Henricus ejus frater moderandas suscepit Imperii res, non suscepto Imperatoris Titulo, nisi post habitam de fratris morte certam atque indubitatam notitiam, quam nonnisi post annum, & menses quatuor accepit, & tunc Imperatoria Titulo insignitus est: ut disertè notat Nicetaa Chonista, inquiens: „ Ipsi Bizantium reversi Henricum Balduini primi, & Latinia Bizantio dominsti fratrem Imperstorem declarant. Cum autem unum annum, & menses quatuor Rempublicam sine Imperatore administrarent, nemini popularium suorum Regni inaugurationem condonare voluerunt, nisi Balduini morte priùs explorata.. *Hæc ille*. Quare initis Imperii Henrici auspicanda sunt à mense Augusti, nec ante diem xv. Anni Domini MCCVI. Quo Anno labente, nempè III. Idus Decembris, Innocentius in literis ad Marchionem Namurcensem, aliosque fideles crucesignatos, Henricum Imperatorem appellat, quem, & plurimùm commendat: „ Præterea, *inquit*, præsentibus vobis literis innotescat, quod postquàm Illustris, memoriæ Balduinus Imperator sub hostili custodia diem clausit extremum, charissimua in Christo filius noster Henricus germanus ipsius Balduini frater, Imperator Illustria ab universo exercitu Latinorum unanimiter, & concorditer fuit in apicem Imperii sublimatus, & tam contra.... Blachium, quam contra alios hostes Imperii postmodum sæpiùs triumphavit, qui etiam ante sublimationem suam victoriosus exiterat contra illos, propter quod firmiter sperare debetis, quonism ex quo ad partea illas aura vos salutaris impleverit, etiam qui habitant fines Imperii ad vestrum introitum contremiscent, & facilè subjugabitis vobia nationes exteras ad obsequium Crucifixi. Datum Romæ apud Sanctum Petrum III. Idu. Decembris. Anno IX. *Hæc Innocentius*.

711 Henrico itaque modersnte Imperium Constsntinopolitanum, VIII. sui Imperii anno, Othonis verò Imperatoris Occidentis Anno V. Domini verò MCCXIII. Innocentii Pontificatus Anno XVI. Indictione I. Idem Sanctissimus Pontifex Innocentina, cui Græcorum unio cum Sancta Romana, & Catholica Ecclesia in corde erat, creavit Apostolicæ Sedis Legstum in partibus Orientalis Imperii Pelagium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Episcopum Albanensem, quem summa misit cum auctoritate, datis in mandatis, ut Græcos, qui Latinis parebant à Schismate abduceret, atque ad Ecclesiæ sinum revocaret: & ut omnia optatum sortirentur effectum, & Legatum, & ipsam causam Henrico Imperatori plurimùm commendsvit: inquiens in Epistola ad eum data, quæ recitatur lib. 16. Epist. 104. inter alia: „ Ipse summua angularia lapia Christus Jesus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Ssnctum in Domino, Ecclesiæ fundamentum, & fundator existens, inter cætera, quibua salutaria providit remedis populo Christiano, ad consolidandam fidei unitatem, & unua psstor esset, & unum ovile, Sedem Apostolicam totius Christianitatis csput instituit, & msgistram, à qua sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, & ad oram etism vestimenti, panis intellectus, & vitæ ad alias procedat Ecclesias, cum doctrina fidei, & aqua sapientiæ salutaris. *Et infrà*. Cum non solum necessitas Ecclesiæ, sed etiam utilitas Constantinopolitani Imperii postularit, illuc à Latere nostro destinari Legatum, nos ad exaltationem & commodum Ecclesię pariter, & Imperii, necnon personæ tuæ specialiter intendentea, ut in missi persona mittentia notetur affectus, illum ad partea ipsas duximus destinandum, quem inter fratres nostros speciali dirigimua charitate. *Hæc ille*.

712 Deinde, & aliaa ejusdem argumenti literas quæ habentur eodem lib. 16. Epist. 206. fecit Innocentius ad Achajæ Principem, cæterosque proceres, opibus, & dignitate pollentibus, quos, & hortatus est, ut Legati monitis faciles se præberent. Porrò, & Archiepiscopia, & Episcopis pariter literas dedit, quæ recensentur lib. 16. Epist. 105. mandana, ut in reducendis Græcis manus Legato præberent, Ecclesiæque unitatem his verbis commendsns, inquiena: „ Inconsutilis Domini tunica uni cessit in sortem ut in ipsius Ecclesia servaretur unitas illibata. Ad conservandum autem in ea mysterium unitatis, unum eidem, Beatum Petrum videlicèt, Dominus caput instituit, & magistrum, sui oves Christi, dicente Domino, *Pasce oves meas*. sunt sine distinctione commissæ, alienis ab ovili Dominico repntatis, qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt esse pastorem. *Hæc Innocentius*.

713 Cæterùm Legatus honorificè ab Henrico susceptus, permissus est suo munere fungi, esque pro Græcorum unione, juxtà Pontificia mentem agere, quæ agendi ei videbantur. Sed quoniàm ardòre fidei incensus, non lenitate tantum, qnam inutilem expertus fuerat, sed vi quoque utebatur, reclamantibus ad Imperatorem Græcis, & de vi conquerentibus, inclinavit se illis, postulatisque

tisque annuit, ut finerentur sua Græci uti libertate, nec vi cogerentur Romano parere Pontifici, qui sua spontè illi subdi detrectarent. Hæc omnia, licèt acriori stylo, & plura præter rei veritatem exagerans, refert Schismaticus scriptor Græcus Georgius Logotheta, inquiens: Henricus cùm Bizantii imperaret, ad Reginam Urbium à Summo Pontifice, Præsul, quem ipsi Legatum indigitant, Pelagius nomine, Papæ prærogativas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur, quinimmò æqui sagulum, & fræna eodem inficiebantur veneno: Et cum moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentiæ plenus, nimium seviit in Constantinopolitanos, neque propositum à ratione aberat, omnes enim ut veteri Romæ colla subiicerent compellebat.

714 „ Hinc Monachi in carcerem impingebantur, Sacerdotes in vincula, & Templa omnia occludebantur, nec præter hęc duo tertium statuebat, etenim vel Papam primum omnium Pontificum faterentur, illiusque inter sacrorum solemnia memoriam facerent; vel qui id abnuissent, morte penderent pœnam. Ob hoc Bizantii accolæ, & inter eos primas obtinentes angi excruciarique animo, ad Henricum Imperatorem profecti: Nos, inquiunt, alio genere orti, aliumque habentes Pontificem, nosmet Imperio tuo, & potestati subjecimus, itaut corpora, non in animum, & spiritum dominareris. Namque in tui defensionem, dum bellum geritur, arma capere necessè est: at nostris ritibus, & cæremoniis cedere, fieri omninò nequit. Aut itaque nos ab urgenti discrimine libera, aut tanquam liberi ad indigenas aditionem dato. Sic locutis, ille cum tot probis optimisque viris privari nollet, etiam invito Legato, ac renuente templa reseravit, & vinculis, custodiisue circumventos Monachos, ac Sacerdotes liberavit, & tempestati, qua tum Bizantium jactabatur, subvenit. *Hactenus ille*.

715 Intereà idem S.Pontifex eodem anno Generale Concilium indixit Laterani celebrandum, tum pro Hierosolymitana Urbe, & Terra Sancta recuperanda, tum pro universæ Ecclesiæ reformatione, ac etiam pro ipsa Græcorum unione procuranda. Et primum Encyclicas fecit literas ad omnes Christi fideles per Provinciam Moguntinam, & Magdeburgensem, Bremensem, Coloniensem, Saltzburgensem, Treverensem, Lundensem, aliasque in calce earundem literarum, ut in præambulis ad hoc Lateranense Concilium recensentur, constitutos: quibus literis incipientibus: *Quia major nunc instat necessitas*, hortatur fideles ad Crucem sumendam pro antefata expeditione, ac in fine mandat ut pro fęlici exitu ad divinum implorandum auxilium publicæ preces fiant, inquiens.

716 „ Verùm cum longè plus de Divina Clementia, quàm de humana potentia confidere debeamus: oportet nos in tali conflictu, non tam corporalibus armis, quàm spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, & mandamus, ut singulis mensibus semel fiat generalis processio, seorsum virorum, ac seorsum, ubi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis cum devota orationum instantia postulantium, ut misericors Deus auferat hoc à nobis confusionis opprobrium, liberando terram illam, in qua universa Redemptionis nostræ Sacramenta peregit, de manibus Paganorum, restituendo eam ad laudem, & gloriam nominis sui sancti populo Christiano, proviso prudenter ubi semper in ipsa processione verbum salutiferæ crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi verò jejunium, & eleemosyna conjungantur, ut his quasi alis facilliùs, & celeriùs ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno.

717 „ Singulis quoque diebus intra Missarum solemnia, post pacis osculum, cum jam pro peccatis mundi offerenda, vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quàm mulieres humiliter prosternantur ad terram, & à Clericis psalmus iste. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, alta voce cantetur: quo cum hoc versu devotè finito: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant qui oderunt eum à facie ejus*: Sacerdos qui celebrat, Orationem istam super Altare decantet alta voce. *Deus qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, ut Terram, quàm Unigenitus filius tuus proprio sanguine consecravit, de manibus inimicorum Crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad ejus liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternę. Per Dominum nostrum &c.*

718 „ In illis autem Ecclesiis, in quibus conveniet processio generalis, truncus concavus statuatur tribus clavibus consignatus, una penès honestum Presbyterum, alia penès devotum Laicum, & tertia penès aliquem regularem fideliter conservandis, in quo Clerici & Laici, viri, & mulieres eleæmosynas suas ponant in Terræ Sanctæ subsidium convertendas secundum dispositionem eorum, quibus hæc fuerit sollicitudo commissa. Porrò super processu, & transitu modesto ordinato, congruo loco, & tempore faciendo, nondùm oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini Cruce signetur. Sed tunc pensatis undique circumstantiis, quæcumque

„ que viderimus opportuna, de prudentum „ Virorum consilio statuemus. *Hactenus ibi Innocentius*.

719 Deindè alias fecit literas encyclicas paritèr pro Concilii generalis convocatione, datas ad Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, & Priores ferè per totius Orbis Provincias constitutos, per quas nedùm Latinos, verùm & Græcos vocavit: misit nàmque illas ad Episcopos Cypri, Athenarum, Heracleæ, Thessalonicæ, Larissæ, Patræ, Cretæ, aliosque earundem Provinciarum Episcopos, nec non ad Latinoa & Græcos per Constantinopolitanam Provinciam constitutos. Et prætèr hos, atque universos Latinos Episcopos, per easdem literas vocavit Armenios, Imperatorem Constantinopolitanum, Regem Cypri, & ferè cunctos Reges Europeos: Similitèr & fratres Militiæ Templi, & fratres Hospitalis Hierosolymitani, qui omnes recensentur ad calcem illarum literarum, in præambulis ad præfatum Concilium, quæ ad hunc modum se habent.

720 „ Vineam Domini Sabaoth multi„ formes moliuntur bestiæ demoliri, quarum „ incursus adeò invaluit contrà ipsam, ut „ ex parte non modica pro vitibus spinæ suc„ creverint, &, quòd gementes referimus, „ ipsæ jàm vites proferant pro uva labruscam „ infectæ multiplicitèr & corruptæ. Illius „ ergò testimonium invocamus, qui testis „ est in Cœlo fidelis, qnòd inter omnia de„ siderabilia cordis nostri, duo in hoc sæculo „ principalitèr affectamus, ut ad recupera„ tionem videlicèt Terræ Sanctæ, ac refor„ mationem universalis Ecclesiæ, valeamus „ intendere cum effectu. Quorum utrumq; „ tantam requirit provisionis instantiam, ut „ absquè gravi & grandi periculo ultrà diffi„ mulari nequeat, vel differri. Undè sup„ plicationes & lacrymas frequentèr effudi„ mus coràm Deo, humilitèr obsecrantes, „ quatenùs super his suum beneplacitum re„ velaret, spiraret affectum, accenderet de„ siderium, & propositum confirmaret, facul„ tatem & opportunitatem præstando ad ea „ salubritèr exequenda.

721 „ Quaproptèr habito super his cum „ fratribus nostris, & aliis Viris prudentibus „ frequenti, sc diligenti tractatu, prout tanti „ sollicitudo propositi exigebat, hoc tan„ dèm ad exequendum prædicta de ipso con„ silio providimus faciendum, ut quia hæc „ universorum fidelium communem statum „ respiciunt, generale Concilium, juxtà pri„ scam Sanctorum Patrum consuetudinem „ convocemus, propter lucra solummodò „ animarum opportuno tempore celebran„ dum,, in quo ad extirpanda vitia, & plan„ tandas virtutes, corrigendos excessus, & „ reformandos mores, eliminandas hæreses, „ ad roborandam fidem, sopiendas discor„ dias, & stabiliendam pacem, comprimen„ das oppressiones, & libertatem fovendam, „ inducendos Principes, & Populos chri„ stianos ad succursum & subsidium Terræ „ Sanctæ, tàm à Clericis, quàm à Laicis im„ pendendum, cum cæteris, quæ longum „ esset per singula numerare, providè statuan„ tur inviolabilitèr observsuda. Circà Præ„ latos & subditos regulares & sæculares „ quæcumque de ipsius approbstione Conci„ lii visa fuerint expedire, ad laudem & glo„ riam nominis ejus, remedium & salutem „ animarum nostrsrum, ac profectum & uti„ litatem Populi christiani.

722 „ Quià verò ante biennium univer„ sale non posset Concilium commodè con„ gregari, disposuimus interim per Viros „ prudentes in singulis Provinciis pleniùs „ explorare quæ Apostolicæ provisionis li„ mam exposcunt, & præmittere Viros ido„ neos ad Terræ Sanctæ negotium procuran„ dum, ut, si exigente necessitate, sacrum „ Concilium approbaverit, nos personalitèr „ ipsum negotium assumamus efficaciùs pro„ movendum.

723 „ Credentes igitùr hoc salutare pro„ positum ab illo descendere, à quo est omne „ datum optimum, & omne donum perfe„ ctum universitati vestræ per Apostolica „ scripta præcipimus, quatenùs vos talitèr „ præparetis, quòd à præsenti Dominicæ In„ carnationis millesimo dncentesimo tertio„ decimo Anno, usquè ad duos Annos, & di„ midium, præfixis vobis pro termino Ka„ lendis Novembris, nostro vos conspectui „ præsentetis cum modestis & cautela, ità „ quòd in vestra Provincia unus, vel duo de „ Suffraganeis valeant Episcopis remanere „ pro Christianitatis ministeriis exercendis, „ & tàm illi, quàm alii, qui canonicà fortè „ præpeditione detenti personalitèr venire „ nequiverint, idoneos per se dirigant re„ sponsales, personarum, & evectionum me„ diocritate servatà, quam Lateranense Con„ cilium definivit, ut nullus omninò plures, „ quivis autem pauciores adducere secùm „ possit, nec quisquam superfluas faciat & „ pompoſss, sed necessarias tantùm, & mo„ deratas expensas, ostendendo se actu & ha„ bitu verum Christi cultorem, cùm non sæ„ cularis applausus, sed spiritualis profectus „ in hoc sit negotio requirendus.

724 „ Injungatis autem vos fratres Ar„ chiepiscopi, & Episcopi ex parte nstra uni„ versis Ecclesiarum Capitulis, non solùm „ Cathedralium, sed etiam aliarnm, ut Præ„ positum, vel Decanum, aut alios Viros „ idoneos, ad Concilium pro se mittant, cùm „ nonnulla sint in ipsa tractanda, quæ spe„ cialitèr ad Ecclesiarum Capitula pertine„ bunt. Interim verò & per vos ipsos, & per „ alios Viros prudentes, uinversa subtilitèr „ inquiratis, quæ correctionis, aut refor„ mationis studio indigère videntur, & ea

fide-

„ fideliter conscribentes, ad sacri Concilii „ perferatis examen circà subventionem ne- „ cessariam Terræ Sanctæ, ubi Deus Rex „ noster antè sæcula salutem in medio Terræ „ dignatus est operari, opem & operam effi- „ cacitèr impensuri, assistendo fidelitèr, & „ prudentèr iis,quos deputavimus ad hoc ne- „ gotium specialitèr procurandum.

725 „ Nullus itaquè se fallacitèr excu- „ sando, ab executione tàm sancti operis se „ subtrahat, si canonicam vult effugere ul- „ tionem. Nemo dissensionum obstacula, „ vel itinerum impedimenta causetur, quæ, „ Domino faciente, signum in bonum ex „ magna jàm parte cessare cœperunt; nàm & „ quantò imminent majora pericula, tantò „ potiora remedia convenit adhiberi; nun- „ quàm enim navigabit per æquora qui sem- „ per expectat, ut mare non concitet ex se „ fluctus. Datum Laterani XIII. Kalendas „ Maii, Pontificatus nostri Anno XVI. *Ha- ctenus litera*.

726 Fecit etiam peculiarem Epistolam Patriarchæ Alexandrino, quæ incipit: *Ex li- teris*, certiorem reddens de indicto à se generali Concilio, ad quod personalitèr accedendum, si fieri potest, hortatur, & mandat: „ Quià igitùr, *ait in fine Epistolæ*, in tanto „ negotio tuam desideramus habere præsen- „ tiam, fraternitatem tuam rogamus distri- „ ctiùs, & monemus per Apostolica tibi scri- „ pta mandantes, quatenùs, si fieri poterit, „ personalitèr ad præsentiam nostram acce- „ das termino suprascripto, quòd si forsàn „ venire nequieris, saltèm aliquem Virum „ idoneum pro te ad Concilium mittere non „ postponas. *Hactenus Innocentius*.

727 Similitèr ad Patriarcham Hierosolymitanum alias scripsit literas, incipientes: *Pium & sanctum propositum*, quibus post plura & ipsum ad Concilium accedere hortatur, & præcipit, dummodò id fieri possit sinè dispendio rerum Terræ Sanctæ: „ Quià verò, „ inquit, tuum nobis præsentiam ad hoc sa- „ lutare propositum exequendum valdè cre- „ dimus necessariam, immò quàm maximè „ fructuosam, fraternitatem tuam rogandam „ duximus & monendam, per Apostolica tibi „ scripta mandantes, quatenùs si videris pos- „ se fieri absque gravi dispendio Terræ San- „ ctæ, præfixum ad universale Concilium „ celebrandum, quàm citò poteris, satagas „ prævenire terminum, ducens aliquos Vi- „ ros tecum in consilio providos, & in com- „ misso fideles, qui plenè noverint circum- „ stantias causarum, & rerum, temporum, „ & locorum,quibus undiq; circumspectis,ad „ deliberationem hæreditatis Dominicæ uti- „ liùs intendere valeamus. *Hactenus Innocentius*, qui eodem tempore pro Terræ Sanctæ restitutione scripsit ad Salphadinum Soldanum Babyloniæ & Damasci sequentem Epistolam.

Nobili viro Salphadino Soldano Babyloniæ & Damasci, timorem Divini Numinis, & amorem.

728 „ Daniele Prophetâ testante, didici- „ mus, quòd est Deus in Cœlo, qui re- „ velat mysteria, mutat tempora, & trans- „ fert Regna, ut universi cognoscant, „ quòd dominatur Excelsus in Regno homi- „ num, & cui voluerit, dabit illud. Hoc „ autem evidenter ostendit, cùm Hierusa- „ lem, & fines ipsius in manus fratris tui (ni- „ mirum Saladini) tradi permisit, non tàm „ propter ejus virtutem, quàm propter offen- „ sam populi christiani, Deum ipsum ad „ iracundiam provocantis. Nunc autem ad „ illum conversi speramus, quòd ipse mise- „ rebitur nostri, qui secundùm Prophetam, „ *cùm iratus est, non obliviscitur misereri*. „ Undè illum imitari volentes, qui de se di- „ cit in Evangelio: *Discite à me, quià mitis „ sum, & humilis corde*, magnitudinem tuam „ humilitèr obsecramus, quatenùs nè pro- „ ptèr violentam detentionem præfatæ terræ „ plùs adhùc effundatur humani sanguinis, „ quàm hactenùs est effusum, saniori utaris „ consilio, restituas eam nobis, de cujus de- „ tentione, præter inanem gloriam, fortè, „ plùs tibi difficultatis, quàm utilitatis ac- „ crescet: ipsaque reddita, & dimissis utrim- „ que captivis, quiescamus à mutuis impu- „ gnationum offensis. Itaquè apud te non sit „ deterior conditio gentis nostræ, quàm „ apud nos est conditio gentis tuæ. Latores „ ergò præsentium ad tuam præsentiam de- „ stinatos, rogamus, ut benignè suscipias, „ & honestè pertractes, dignum illis respon- „ sum tribuens cum effectu. Datum Latera- „ ni XIII. Kal.Maji, Pontificatus nostri An- „ no XVI. *Hactenus ad Soldanum*; quæ literæ recensentur in Regesto Innocentii lib.16. Epist.34.

729 Soldanus verò his acceptis literis, ac auditâ famâ indicti Concilii generalis pro expeditione ad recuperandam Terram Sanctam, tanti apparatus metu perfusus, Terram Sanctam restituere profitetur, ac, ut à Christianorum armis tutus esset, se clientelæ Patriarchæ Hierosolymitani committere fassus est, solutâ ei certâ quadam auri summâ, ut refert in suis Annalibus Richardus à Sancto Germano ex literis Venetorum operâ ad Innocentium redditis, in quibus inter alia hæc recitantur: „ Volunt isti libentèr red- „ dere in manus Domini Papæ Terram San- „ ctam, quam tenent, ad opus Christiano- „ rum, ut certi sunt; & securi de alia terra „ à Populo christiano, singulis annis volunt „ esse sub certo tributo Patriarchæ Hieroso- „ lymitano, & dabunt indè cautelam Roma- „ næ Ecclesiæ de non impedienda ampliùs „ Terra Sancta, quam Dominùs noster Je- sus

„ fus Christus fuis pedibus ambulavit. *Hæc ibi*. Similia in terminis recitantur à Jacobo de Vittriaco lib.3. Histor. Orientalis propè initium,

730 Porrò præfixo tempore, nimirum Anno Domini MCCXV. Pontificatus Innocentii III. Anno XVIII. Othonis Occidentalis Imperatoris Anno VII. Imperii Henrici Anno X. Indictione III. habita est generalis Synodus in Ecclesia Sancti Salvatoris Romę, quæ Constantiniana vocatur, inchoata III. Idus Novembris, cui interfuerunt, ut habetur in Chronico Fossæ novæ Episcopi CDXII. Primates & Metropolitani LXXI. exceptis Patriarchis: Abbates verò & Priores ultrà octingentos, exceptis omnibus Nunciis Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Prælatorum, nec non Regum & Principum. Hinc Vespergensis ait: „ Eodem anno, ideft „ Dominieæ Incarnationis MCCXV. cele„ brata est Romæ sancta & universalis Syno„ dus in Ecclesia S. Salvatoris, quæ Con„ stantiniana appellatur, mense Novembri, „ præsidente Papa Domino Innocentio III. „ Pontificatus ejus Anno XVIII. in quo fue„ runt Episcopi CCCCXII. inter quos fue„ runt de præcipuis Patriarchæ duo, Con„ stantinopolitanus & Hierofolymitanus; „ Antiochenus verò gravi languore detentus, „ venire recusavit, fed misit pro se Vicarium „ suum Antididensem Episcopum: Alexan„ drinus verò sub Sarracenorum dominio „ constitutus, fecit quod potuit, mittens „ pro se Germanum Diaconum suum. Pri„ mates verò, & Metropolitani LXXVII. „ Abbates, & Priores ultrà DCCC. Procu„ ratores quoquè Archiepiscoporum, Epi„ scoporum, Abbatum, Priorum, & Capitu„ lorum absentium,tantus non fuit numerus. „ Legatorum verò Imperatoris Constantino„ politani, Regis Siciliæ in Romanorum Im„ peratorem electi, Regis Franciæ, Regis „ Angliæ, Hungariæ, Hierosolymitani, Cy„ pri, Aragonum, nec non aliorum Princi„ pum, & magnarum Civitatum, & aliorum „ locorum, ingens adfuit multitudo. *Hæc ille*. Et totidèm verbis idem fcribit Matthęus Parisius. Surius verò numerum Patrum, qui huic Synodo interfuerunt, ascendisse ait ad MCCXV. vel, ut ait, eo plures.

731 In ea ergò Synodo, post Fidei decretum damnata est doctrina Abbatis Joachim contrà Petrum Lombardum Magistrum Sententiarum. Excommunicati indè sunt generalitèr universi hæretici, eorumque fautores & receptores. Almarici quoquè doctrina hæretica atq; insana, proscripta paritèr & damnata est. Complura alia porrò salubria decreta ad Ecclesiasticam disciplinam & morum reformationem edita sunt, quæ recitata habentur in eiusdem Concilii Actis. Edita est & Constitutio pro recuperanda Terra Sancta, quæ incipit: *Ad liberandam Terram Sanctam*, ubi primùm, facro approbante Concilio, definitum est, ut ità Crucesignati se præparent, quòd in Kalendis Junii sequentis post proximùm,omnes qui disposuerunt transire per Mare, conveniant in Regnum Siciliæ; alii, sicut oportuerit & decuerit, apud Brundusium; & alii apud Messanam, & partes utrobique vicinas. Deindè statuit, ut Clerici, qui hanc peregrinationem assumpserint, beneficia sua integra percipiant per triennium; ac si essent in Ecclesiis residentes. Monet Prælatos, ut hortentur qui Cruce signati sunt ad votum persolvendum. Concedit transeuntibus in Terram Sanctam, cunctis quoquè auxilium præstantibus, Indulgentias, & peccatorum remissionem, sicut in generalibus suis literis expresserat. Cogendos jubet remittendas Crucesignatis usuras per præstationes exigendas. Cursarios & Piratas capientes, aut spoliantes Crucesignatos transeuntes, aut bona in subsidium Terræ Sanctæ deportata rapiunt, diræ excommunicationi subjicit; cui anathemati ligatos decernit qui arma, ferreamina, naves, vel quodvis genus rerum bellicarum ad Sarracenos deferunt. Prohibet sub eadem pœna, nè in partes Sarracenorum, qui partes Orientales inhabitant, usquè ad quadriennium transmittant, aut transeant naves suas, ut per hoc volentibus transfretare in subsidium Terrę Sanctæ maior navigii copia præparetur, & Sarracenis subtrahatur auxilium. Statuit insupèr, ut saltèm per quadriennium in toto Orbe christiano fervetur pax generalitèr, ità quòd per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem,aut firmam treguam inviolabilitèr observandam. Hæc & alia pro fœlici negotio ejusmodi expeditionis sancita leguntur in præfata Constitutione.

732 Actum quoquè in eadem Synodo de Græcorum unione, scribit Surius, inquiens: *Nemo sanæ mentis ambigere potest, hanc quæ sequitur Synodum Lateranesem cum primis insignem & verè æcumenicam fuisse; quippè in qua de negotiis Religionis summa Latinæ & Græcæ Ecclesiæ concordia tractatum est; cuique interfuère Patriarcha Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Archiepiscopi tùm Latini, tùm Græci septuaginta, Episcopi* CCCCXII. *Abbates, & Priores plùs* DCCC. *simùl omnes Prælati* MCCXV. *aut eo plures*. Immò Ecclesiam Græcam in eadem generali Synodo se Latinæ subjicisse, tradit Godfridus Monachus in suis Annalibus ad Annum Domini MCCXV. ubi ait: *In hoc Concilio Orientalis Ecclesia, quòd anteà inauditum fuit, se subditam Romanæ Ecclesiæ exhibuit*. Et subjungit, de duobus Patriarchis Constantinopolitanis, Latino scilicèt & Græco, unum electum, qui & Latinis præesset & Græcis: *Nàm Constantinopolitani*, inquit, *duo in Patriarcham electi Romam venerunt; qui ambos consilio Cardinalium depo-*

fuit, & tertium substituit & investivit, & ad Sedem propriam remisit.

733 Hoc idem indicat decretum in eodem Concilio editum, recitatum §.4. ubi statuitur: „ Licèt Græcos in diebus nostris ad „ obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes, „ favère & honorare velimus, mores ac ritus „ eorum, in quantùm cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum. Postquàm enim „ Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia „ Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantùm „ Græci cœperunt abominari Latinos, quòd „ inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, si quandò Sacerdotes „ Latini supèr eorum celebrassent Altaria, „ non priùs ipsi sacrificare volebant in illis, „ quàm ea tanquàm per hoc inquinata lavissent. Baptizatos etiàm à Latinis & ipsi „ Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant; & adhùc, sicut accepimus, quidam agere hoc non verentur. Volentes ergò tantùm ab Ecclesia Dei scandalum amovere, sacro suadente Concilio, districtè „ præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se tanquàm obedientiæ filii sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit unum ovile, & unus Pastor. „ Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab „ omni officio, & beneficio Ecclesiastico deponatur. *Hactenus Decretum*. Sequitur indè & alterum Statutum de ordine Sedium Patriarchalium, quod in superioribus recensuimus. Et ità apparet quandam Græcorum unionem in eodem initam fuisse Concilio.

734 Discordiam porrò Episcoporum Græcorum Insulæ Cypri sub Lusiniano Rege, quibus Latini parere renuehant, in eadem Generali Synodo compositam, scribit Stephanus Lusinianus in Historia Cypria, inquiens: „ Absente Hugone Lusiniano Rege, „ & bellis adversùs Sarracenos occupato, „ ejus conjux Aloysia Regina, Nuncios ad „ Lateranense Concilium cum mandatis misit, qui peterent, ut quies restitueretur Ecclesiæ Cypriæ, tùm valdè perturbatæ, quòd „ Græcis Episcopis, qui in Insulam omnem „ potestatem exercebant, parere Latini nollent. Itèm, ut Salaminius Archiepiscopus, „ qui eversa Salamine, Famagustam translatus fuerat, Nicosiam Famagustà transferretur, in qua nobilitas universa, Regiusque Comitatus, & Latini omnes versabantur. Annuit Concilium Reginæ postulatis; „ Nicosiam translatus Archiepiscopatus; „ creatus Latinus Archiepiscopus, qui Latinis tantùm præesset, cui & Græci ipsi „ paruerunt, sublato è vivis Græco Archiepiscopo Simone. Tres alii Latini Episcopi „ instituti, Famagustanus, Nemosiensis, Papius; & Græci Episcopi quatuordecim ad „ Latinorum numerum redacti, iisdemque in „ Urbibus. Quibus defunctis, eorum Ecclesiæ, & Decimæ Latinis attributæ sunt, certo tantùm stipendio Græcis concesso. *Hactenus ille.*

735 Cæterùm dùm aliena refero, nostra præterire nequaquàm debeo. Interfuisse huic Generali Synodo Beatissimum, & Sanctissimum Patriarcham meum Franciscum, ac in eo habitam esse, ut approbatam Regulam Fratrum Minorum, quam Anno Domini MCCX. ab eodem Pontifice finè Bulla fuerat jàm probata, testatur, & probat Wadignus nostrorum Annalium celeberrimus Scriptor, ad hunc eundem Annum MCCXV. sub num. 33. ubi ait: „ Dùm autèm Romæ jàm omnia „ erant in promptu, ut inciperetur frequentissimum, & celeberrimũ Concilium Universale Lateranense, mense Novembri, ut „ habent Matthæus Parisius, & Abbas Vespergensis, & XVII. ejusdem mensis die, ut „ peculiaritèr notat Marianus, venit in Urbem Sanctus Patriarcha, indicto Concilio „ de rebus sui instituti acturus, quod & fecit. Nàm ad ejus instantiam, ut his ipsis „ verbis rem refert Marianus: *Dominus Papa* „ coràm omnibus ordinem suum esse approbatum manifestare fecit: idemque expressè „ afferunt Beatus Leo in legenda trium sociorum, & Beatus Angelus Clarenus in proemio expositionis in Regulam Fratrum Minorum apud me M. S. & in caput primum „ ejusdem. Quòd omninò verosimile, & rationabile erat, nàm, cùm tot molestias „ pateretur per varias Regiones, præcipuè „ ultramontanas, ejus Sectatores, propter „ vitæ, & habitus novitatem eo tempore, „ quo tot vigebant hæreses, effervescebantque undiq; sectarii perniciosi, quorum in limine horũ Annalium mentionem fecimus, „ necessarium erat agere apud Pontificem, „ ut in solemnissimo, & frequentissimo conventu totiùs Orbis Patrum (utpotè bis „ mille ducentorum duodecim, ut ex æquo „ computo deducit Severinus Binius) declararet se, suosque non ex numero Hereticorum, sed ex Græge fidelium esse, manifestarique juberet in Concilio suum Institutum, & Regulam, quibusdam jàm annis „ à se approbatam. Idem confirmat Reverendissimus Dominus Gonzaga, dicens: *Sub* „ *Innocentio III. celebratum fuit Romæ Concilium Generale, in quo ab Ecclesia receptus,* „ *approbatus, & confirmatus est Ordo Minorum.* „ Hoc idem velle judico Chronicon Magnum Belgicum, dùm ait: *In Concilio Lateranensi constitutum fuisse Ordinem Minorũ.* Hactenus Wadingus: qui subjungit, etiam S. Patriarcham Dominicum inclyti Ordinis Prædicatorum Fundatorem, eàdem de causa eidem Concilio interfuisse, pro sui scilicèt

Or-

Ordinis approbatione: concluditque hos ambos Ordines in præfato Concilio receptos fuisse, & approbaos.

736 Eâdem tempestate Suriani complures cum suo Patriarcha Jona, quovis abjurato errore, Catholicam Fidem professi sunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ suavi jugo colla submiserant, & præfatus Patriarcha sancto, & universali Lateranensi interfuit Concilio, quorum Surianorum conversio non sinè miraculo accidit, quòd in Magno Belgi Chronico ad Annum Domini MCCII. his verbis narratur: „ In partibus Asiæ Majoris versùs „ Mesopotamiam, & Armeniam, quidam Jo„ nas vir Venerabilis, erat Patriarcha in Ci„ vitate Susis; in cujus Jonæ manibus, dùm „ Missam celebraret more suæ gentis (hoc „ est, secundùm consuetudinem Surianorum) „ tale refert accidisse miraculum, ut panis „ ille magnus fermentatus, undè fiehat Sa„ crificium, in parvam, & pulchram hostiã, „ ad morem Sacrificii Latinorum, conver„ teretur, & calix ligneus destrueretur cum „ cochlearibus, reperto vero Sanguine in „ argenteo calice. Et hoc accidit in Festo „ S. Joannis Baptistæ hujus anni. Undè „ plures Surianorum Ecclesiæ, Armeni, „ Giorgiani, & Jacobitæ, consuetudinem „ Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ „ de die in diem per hoc miraculum cœpe„ runt converti. Et iste Jonas Patriarcha „ magno Concilio Romano interfuit, & „ postmodùm in Patriarcham Alexandrinum „ promotus est. *Hactenus ibi*. Patriarcham deniquè Maronitarum, qui juga Libani incolunt, & sub Lucio Papa operâ Episcopi Tyriensis, abjurata Monothelitarum hæresi, Fidem Catholicam susceperunt, eidem Concilio interfuisse, Acta Synodica produnt, & in Notis observat Binius.

CAPUT XXII.

De Innocentii III. obitu, Honorii III. substitutione, Henrici quoquè Constantinopolitani Imperatoris excessu, Petri Imperio, atquè hoc Regnante Græcorum perfidia.

737 ABsolutâ Lateranensi œcumenicâ Synodo, Innocentius totus intentus ad expeditionem decretam pro recuperanda Terra Sancta, cùm conspiceret orta inter Pisanos, & Genuenses dissidia & bella, plurimùm detrimenti afferre præfatæ expeditioni, ut eos in concordiam revocare posset, Perusium se contulit, ubi gravi morbo correptus, spiritum Deo reddidit: *Cum Papa*, ait Martinus Polonus, *propter subventionem Terræ Sanctæ, inter Pisanos, Genuenses, & Longobardos pacem intenderet facere, in itinere ad hoc constitutus, apud Perusium est defunctus, ibique in Ecclesia S. Laurentii est tumulatus*. Defunctus est Anno Dñi MCCXVI. sui Pontificatus Anno XIX. Henrici Constantinopolitani Imperatoris Anno XI. Imperii Othonis in Occidente Anno VIII. Indictione IV. XVI. Kalendas Augusti, ut scribit Vespergensis, inquiens: *An. Dom. MCCXVI. Innocentius Papa obiit apud Perusium* XVI. *Kal. Augusti, Pontificatus sui Anno XIX.* Richardus de Sancto Germano in Chronico, defunctum dicit XVII. Kalendas Augusti: *Innocentius Papa*, inquit, *Urbem exiens, Perusium vadit, ubi mense Julio* XVII. *Kal. Augusti languore correptus, fœliciter expiravit*. Et hanc veriorem esse sententiam testantur literæ Honorii III. datæ ad Regem Hierosolymitanum, incipientes: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, quibus asserit, Innocentium carnis debitum solvisse XVII. Kal. Augusti, sedit in Pontificatu Annis XVIII. mensibus VI. diebus verò IX.

738 Post cujus obitũ celebratis, de more, honorificis exequiis, convenientibus Dominis Cardinalibus in unum, & Missâ Spiritus Sancti celebratâ, tertiâ scilicèt ab obitu Innocentii die, post unum tantùm integrum vacantis Sedis diem, unanimi omnium consensu renunciatus est Romanus Pontifex Honorius, hujus nominis III. Cencius antèa nuncupatus, natione Romanus, de nobilissima Sabellorum familia, ex Presbytero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Tituli Sanctorum Joannis, & Pauli. Hæc omnia ex ipsius Honorii literis certa redduntur. Ait nàmque in Epistola data ad Regem Hierosolymitanum, recensita in suarum Epistolarum Regestu lib. 1. Epist. 1. „ Fœlicis recodationis „ Innocentio Papa prædecessore nostro septi„ modecimo Kalendas Augusti, soluto debi„ to carnis, ad Regionem Sanctorum Spiri„ tuum, ut credimus, evocato, & sequenti „ die celebratis exequiis, ac cum honore de„ bito collocato ipsius corpore in sepulcro, „ unà cum fratribus nostris ad eligendum „ convenimus successorem, & die tertio Spi„ ritus Sancti gratiâ invocatâ, super hoc „ tractavimus diligenter, & post tractatum „ diutinum placuit fratribus universis hume„ ris nostris, quàmvis insufficientibus, im„ ponere onus istud. *Hæc ille*. In Epistola porrò data ad Abbates Cistercienses generalem conventum habentes, & ex lib. 2. Epist. 1020. testatur, se ex Cardinali Presbyt. tituli Sanctorum Joannis, & Pauli ad Pontificatus apicem evectum: *Sanè nos*, ait, *ad eosdem gloriosissimos Martyres specialem devotionem habentes, utpotè qui ad eorum titulum Sacerdotii gradum accepimus*. Fuerat antè Diaconus Cardinalis tituli Sanctæ Luciæ in Silice. Et ut notat Vespergensis, functus quoquè fuerat Camerarii officio, Vir sanè optimè me-

ritus, & singularibus exornatus dotibus.

739 Duxerat, humilis Pontifex, in animo suo tantæ dignitati resistere, nisi videretur Divinæ se velle resistere vocationi, assumpsit onus, in eum fiduciam suam unicè collocans, qui dat omnibus sufficientiam, & dat posse, & perficere: undè in antefata prima sua Epistola, ait: „ Et licèt in primis duxe„ rimus resistendum, nè tamèn videremur „ vocationi Divinæ resistere, submisimus „ humeros ad portandum; sperantes in eo, „ qui linguas infantium facit disertas, qui „ vota fratrum aspirando prævenit, prose„ quetur etiam adjuvando. Fiduciam enim „ talem habemus per Christum ad Deum, „ non quòd sufficientes simus cogitare aliquid „ à nobis, quasi ex nobis, sed nostra suffi„ cientia est ex Deo, qui nos ad suum mini„ sterium evocavit. *Hactenus Honorius*.

740 Creatus est ergò Honorius Romanus Pontifex xv. Kal. Augusti, consecratus est in Ecclesia Sancti Petri Perusii ix. Kalendas ejusdem mensis; indè pridie Kal. Septembris reversus est Romam, & pridie nonas ejusdem, receptus est in Basilica Lateranensi; quæ omnia accuratè consignata leguntur in Chronico Fossæ Novæ, ubi habetur: „ Nono Kal. „ Augusti consecratus est, pridie Kal. Se„ ptembris reversus est apud Romam ad San„ ctum Petrum, pridie nonas Septembris re„ ceptus est in Ecclesia Lateranensi cum „ tanto gaudio, & veneratione, glorâ, & ju„ cunditate, quòd omnes videntes, dixerunt, „ quòd nullua de prædecessoribus suis in re„ ceptione similis ei fuisset. *Hactenus ibi*.

741 In exordio sui Pontificatus, cùm adhùc Perusii esset, plures scripsit literas, ad Patriarchas, & Archiepiscopos pro expeditione ad recuperandam Terram Sanctam, confortans universos, nè per obitum Innocentii consternarentur, ac simùl hortans, ut ad præscriptum tempus decretum in Lateranensi Concilio parati sint, qui Crucem sumpserunt ad transfretandum. In ea verò, quæ ad Regem Hierosolymitanum scripsit, post suprà recensita ait: „ Non ergò propter obitum „ præfati prædecessoris nostri consternetur „ cor tuum, neque formidet, quasi propter „ hoc Terræ Sanctæ impediatur succursus, „ quoniàm etsi illius sufficientiæ nostræ vi„ deatur inferior, ad liberationem tamèn „ ipsius votis non minoribus adspiramus; „ quibus ipse Dominus, qui sperantes in „ se nullatenùs deserit, effectum tribuat, & „ profectum; ut quòd possibilitas nostra non „ obtinet, ejus nobis gratia largiatur. Se„ renitatem igitùr Regiam rogamus atten„ tiùs,& monemus, & exhortamur in Domi„ no, quatenùs de gratiæ nostræ favore secu„ rus,utpotè qui ad subventionē TerręSanctę „ ipsius tota intendimus voluntate, confor„ teris in Domino, & in potentia virtutis „ ipsius, ad conservationem Terræ intendens „ viriliter, & prudenter, præliaturus prælia „ Domini,cùm tempus advenerit opportunū, „ & ob hoc recepturus ab eo gratiam in præ„ senti, & gloriam in futuro. *Datum Perusii* „ *VIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno* „ *Primo*.

742 Imperatorem quoquè Constantinopolitanum, dùm per literas, quæ habentur lib. 1. Epist. 5. certiorem reddit de sua ad Pontificatum promotione, admonet, ut Schismaticorum fastum edomare curet, ac Imperium Orientale, ex quo veluti ex arce fortissima in Sarracenorum, ac Terræ Sanctæ invasores excurrendum est, contrà Græcorum impetus, munire, & firmare satagat. Indè Romam reversus, primùm Burgundiæ, & Brabantiæ Duces, Berensem, & Antisiodorensem Comites, aliosque Principes, qui sacrę militiæ nomen dederant, ad trajiciendum cum reliquo Christiano exercitu expeditos esse jubet. Indè ad incendendos militari ardore Christi milites, qui se Cruce insigni erant, missis in Gallias ac Germaniam Legatis, has literas, ex lib. 1. Epist. 81. fecit.

Honorius Episcopus &c.

743 „ Cùm dicatur nobis à Domino per „ Prophetam: *clama, nè cesses, quasi tuba* „ *exalta vocem tuam*, tacère amodò non de„ bemus, quin ad prælia Domini prælianda „ Christianos milites compellamus;nàm pro„ pè est, ut veniat tempus pugnæ, quo Rex „ noster Dominus Dominator suæ Crucis „ vexillum explicet, ut suo congregato exer„ citu, in manu forti, & extento brachio di„ micet contrà hostes ad faciendum vindictas „ in nationibus blasphemorum, qui Hieru„ salem nostram inclytam Civitatem, in Po„ puli christiani opprobrium suâ se jactant „ detinere fortitudine occupatam.

744 „ Videntes igitùr Dei potentiam „ venientem,vocem extollimus & clamamus, „ ut eidem obviam occurratis. Quoniàm etsi „ filii alieni ad tempus occupaverunt ejus „ Regnum, exigentibus culpis nostris, ipse „ tamèn est in Israelitico populo regnaturus, „ qui nostra crimina sanguine suo lavit; fuit „ enim hactenùs dispositione providà ordi„ natum, ut dùm iter peregrinationis arri„ pere Crucesignatorum exercitus retarda„ rent, naves, arma, & alia necessaria pa„ rarentur; sed ecce his omnibus pro ma„ jori parte paratis transfretandi terminus „ appropinquat in sacro Generali Concilio „ constitutus: qui non debet ampliùs pro„ rogari.

745 „ Ejà igitùr,sumite arma Viri, acui„ te gladios, festinate milites Jesu Christi, „ ut adveniente tempore passagii generalis, „ in præfato Concilio denotato, divino co„ mitante auxilio transfretetis, & congre„ gato exercitu sequamini Regem Cœli, eu-

jus

„ jus vos obsequio devovistis, firmitèr confi-„ dentes, quia ipse, qui suum traduxit po-„ pulum per desertum, salvos reddet homi-„ nes & jumenta; & vos, si eum secuti fueri-„ tis puro corde, non solùm faciet trium-„ phare, verùm etiam Regio coronabit Dia-„ demate post triumphum. Ad hoc cum ve-„ nerabili fratri nostro Tyrensi Archiepisco-„ po dederimus in mandatis, ut vos ad id „ moneat & inducat, Universitati vestræ per „ Apostolica scripta mandamus, quatenùs „ eidem prædicanti verbum Domini pro suc-„ cursu Terræ Sanctæ, tanquàm fideli Nun-„ cio devotè ac humiliter intendatis. Datum „ Romæ apud S. Petrum Nonis Decembris, „ Pontificatus nostri Anno I. *Hactenus Honorii litera*.

746 Cùmque Insubres armis se mutuo peterent, ad illorum sedandas discordias, excitandosque, ut arma adversùs Sarracenos verterent, misit Cardinalem Hostiensem cum potestate Legati à Latere, quatenùs etiam per Ecclesiasticas censuras compelleret ad pacem ineundam, datis ad eosdem literis, quæ recensentur lib. 1. Epist. 189. quibus expositâ priùs miserabili Hierosolymitani Regni conditione, hortatur ad arma capienda pro illius subventione: „ Accingantur ita-„ què, *ait*, fideles, & sint filii potentes, tem-„ pus est enim, ut faciant vindictam in na-„ tionibus, in gentibus scilicèt detinentibus „ & contaminantibus Terram Sanctam, in „ iis, qui stultam faciunt Crucis Christi, & „ exprobrant ignominiam Dominicæ Passio-„ nis. Properare igitur necesse est ad tantæ „ fœlicitatis bravium, & tollat fidelis quili-„ bet Crucem suam, & sequatur vexillum „ gloriæ Summi Regis, nè excuset se aliquis „ à servitio Jesu Christi, qui vult regnare „ cum ipso, quin potiùs abneget semetipsum, „ & exeat de terra, & cognatione sua, in ma-„ nu illius dimittens omnia, qui contulit „ universa. *Hæc Innocentius*, qui similia ad Pisanos scripsit & Januenses, ut ex lib. 2. Epist. 752. admonens, ut sedatis mutuis discordiis, sacro bello se accingerent.

747 Tanta erat Honorii fiducia de capienda Hierosolyma, & recuperanda per Crucesignatos Terra Sancta, ut creditum fuerit ei revelatum hoc à Sancto Petro, ut auctor ejus vitæ apud Binium & Labæum scribit, inquiens: *Revelatione Sancti Petri, ut vulgò credebatur, instructus, publicè futurum prædicebat, Civitatem Sanctam Hierusalem brevi recuperatum iri. Quo rumore, ait Vespergensis, plurimi Romanorum & Germanorum excitati, Crucem contrà Sarracenos sumpserunt*. Adfuerunt & divina prodigia, quibus Colonienses permoti & Frisones, ad hanc expeditionem se accinxerant: „ Sub his diebus, „ *scribit in Annalibus Godefridus*, mense Ma-„ jo, feriâ scilicèt sextâ antè Pentecosten, „ excitata fuit Provincia Coloniensis in ob-„ sequium Salvatoris; nàm in Villa de Be-„ bon Frisiæ apparuit in aere triplex forma „ Crucis, una coloris candidi versùs Aqui-„ lonem; altera versùs Meridiem ejusdem „ schematis & coloris; tertia medio colore „ colorata, habens Crucis patibulum, & „ formam hominis in eo suspensi, brachiis „ elevatis & extensis, cum infixione clavo-„ rum in manibus & pedibus, & capite incli-„ nato: Et hæc media fuit inter alias, in qui-„ bus corporis humani effigies non appare-„ bat; Alia quoquè vice & alio loco, in Vil-„ la scilicèt Frisiæ, quæ Fuserbuse appella-„ tur, Crux apparuit, juxtà Solem croceru-„ lei coloris; & hanc plures, quàm priores „ viderunt; Tertia apparuit in Villa de Do-„ ctham, in qua Beatus Bonifacius martyrio „ coronatus est: ubi in festo ejusdem Mar-„ tyris, cùm multa hominum millia conve-„ nissent, visa est Crux magna & alba, ac „ lignum trabis ex transverso alterius trabis „ artificialitèr construeretur; movebatur „ autem paulatìm ab Aquilone ad Orientem, „ & hanc plurimi homines conspexerunt. *Hæc ille*.

748 Itaquè statuto tempore, & expirante tregua Christianorum & Sarracenorum, facta est sacra expeditio, ad præscriptum in decreto Lateranensis Concilii. Sed intereà satis tristia Constantinopoli evenère, fato ibidèm functo Henrico Imperatore, qui cùm sinè prole decessisset, Imperium sub contentione reliquit, aliis ad res ejusdem Imperii firmandas & roborandas advocantibus Andream Hungariæ Regem, ad quem extant literæ gratulatoriæ Honorii, sub Datis Laterani III. Kalend. Februarii, sui Pontificatus Anno Primo, ut ex lib. I. Epistol. 211. Aliis porrò suffragantibus in Petrum Comitem Antisiodorensem Socerum Andreæ Regis. Et cùmque major pars in eum consenserit, è Gallis vocatus, Romam convolavit, ut à Romano Pontificè Imperatoriâ inunctione delibutus, majorem sibi apud Constantinopolitanos auctoritatem conciliaret. Coronatus est ergò Romæ Anno Domini MCCXVII. Pontificatus Honorii Anno I. Imperii Othonis Anno IX. Indictione v. mense Aprilis, v. Idus ejusdem mensis, ut habetur in Chronico Fossæ Novæ, ubi legitur: „ MCCXVII. „ mense Aprilis quidam Comes Francigena, „ nomine Petrus de Alsunla, à Græcis voca-„ tus & electus in Imperatorem Constanti-„ nopolitanum, applicuit Romam cum uxo-„ re & filiis, & alio Comitatu. Honorificè „ à Domino Papa Honorio, & à Clero, & à „ cuncto Populo Romano est receptus, v. Idus „ prædicti mensis in Ecclesia Sancti Lau-„ rentii Foris Murum cum magna gloria & „ decore coronatus est à Summo Pontifi-„ ce cum Uxore sua. *Hactenus ibi*. Sunt de hac coronatione Honorii literæ, datæ ad Patriarcham Constantinopolitanum ex

lib.

lib. 1. Epistol. 525. ad hunc modum se habentes.

Honorius Episcopus &c. Patriarchæ Constantinopolitano.

749 „ Qui statuit terminos gentium, „ secundum numerum Angelornm, & utro- „ rumque ministeria ordine miro dispensat, „ sicùt Choros Angelorum variis dignitati- „ bus, quæ propriis vocabulis, teste Aposto- „ lo, appellantur, mirabiliter insignivit, sic „ & Ecclesiam adhùc militantem in terra, di- „ versis, tàm spiritualium, quàm tempora- „ lium distinxit titulis, potestatem penès „ unum, videlicèt Romanum Pontificem „ Christi Vicarium, & Apostolorum Princi- „ pis successorem, omnium magisterio pro „ firmamento Fidei remanente, ut pulchra fi- „ delibus, & infidelibus terribilis apparens, „ ut castrorum acies ordinata procedat pro- „ sperè, donec Regina tandèm à dextris sum- „ mi Regis in vestitu sedeat deaurato fœlicitèr „ in perpetuum regnatura. Undè cùm con- „ stet, quòd omnis à Domino est potestas, „ qui solus potestatem habet in Regno homi- „ num, & quæcumque vult, suscitat super „ illud, nemo illi temerè debet resistere; nè „ secundùm Apostolum potestati Divinæ re- „ sistere videatur, quin potiùs tenetur quili- „ bet in operibus manuum Domini exultare, „ quæ semper, juxtà Prophetam, misericor- „ diam, & judicium esse constat.

750 „ Sanè factum est nupèr à Domino, „ quòd Imperio Constantinopolitano vacan- „ te, vocatus ad illud charissimus in Christo „ filius Petrus Antisiodorensis Comes, ad Se- „ dem Apostolicam cùm nobili muliere Jo- „ lanta uxore sua, ex insperatò veniens nobis „ opportunè, inportunè, in omnimodæ hu- „ militatis spiritu supplicavit, multiplicatis „ intercessionibus plurimorum, non solùm „ exorantium, sed etiam obtestantium in „ nomine Jesu Christi, ut dignaremur ipsum „ in Imperatorem, & uxorem suam in Impe- „ ratricem de nostræ potestatis plenitudine „ coronare. Nos autèm licèt plures dene- „ gassemus eisdem, nè qui posset, quamvis „ de superfluo, suspicari, quòd id in Eccle- „ siæ Constantinopolitanæ præjudicium fa- „ ceremus; quià tamèn timebatur à multis, „ nè si sic à nobis confusus abscederet, non „ solùm sibi, sed universo Imperio grave di- „ spendium immineret, condescendentes tā- „ dèm, ipsos, sinè tuo, vel alterius præju- „ dicio, vel contemptu, in Ecclesia B. Lau- „ rentii foris muros Urbis duximus solemni- „ ter coronandos. Quod ad hoc Divino nu- „ tu credimus esse factum, ut cùm Impera- „ tores Constantinopolitani, qui fuerunt „ pro tempore, cornu superbiæ contrà Ro- „ manam Ecclesiam crigentes, dedignati fue- „ rint recognoscere ipsam Matrem omnium „ Christifidelium generalem, propter quòd „ ab eis Imperium est translatum, nùnc in „ in Ecclesia generali, nec vestigium appareat „ perfidiæ præcedentis: isto tanquàm devo- „ to, & humili filio, à Summo Pontifice coro- „ nato, quarè generatio, & generatio lau- „ dent opera Domini, qui suscipiens man- „ suetos, & usquè ad terram humiliat pec- „ catores.

751 „ Cùm igitur beneplacitis nostris, „ te tamquàm honorabile membrum capiti „ obsequi deceat humilitèr & devotè, frater- „ nitatem tuam rogamus, & monemus at- „ tentiùs, per Apostolica scripta mandantes, „ quatenùs quòd per nos actum est, immò per „ ministerium nostrum Dominus voluit ope- „ rari, gratantèr acceptans, Imperatorem „ prædictum, ad Solium suum, cum nostræ „ gratiæ plenitudine accedentē suscipias hi- „ lariter, & benignè, paternum affectum er- „ gà ipsum omnimodè exhibendo. Speramus „ itàque, quòd & ipse, qui vir Catholicus „ existit, nùnc à Domino exaltatus; tantò „ Deum, & Ecclesiam studebit humiliùs re- „ vereri, quantò se recognoscet priorem „ gratiam accepisse, & qui hactenus per ma- „ gnanimitatis virtutem, & operum magnifi- „ centiam se dignum exhibuit Imperii di- „ gnitate, provectus de virtute proficiet in „ virtutem, ad honorem, & gloriā Jesu Chri- „ sti, & totìus populi Christiani. Noveritis, „ quòd nos eidem injunximus, quòd tibi, & „ Ecclesiæ tuæ de omnibus juribus, & con- „ suetudinibus debeat plenariè respondère. „ Datum Laterani 2. Idus Aprilis, Pontifi- „ catus nostri. Anno Primo. *Hactenus Epistola*.

752 Sic coronato Petro, ut fati sumus, iter in Orientem arripit, Comite Joanne Columna Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali tituli Sanctæ Praxedis, quam Honorius cum potestate Legati à Latere ei adjunxerat, ut literæ ejusdem Honorii datæ ad Latinos Orientis Præsules, ad Imperii Principes, & Venetos, ex lib. 1. Epist. 418. tradunt, sub Datis Laterani XI. Kalend. Maji, sui Pontificatus Anno I. & liquet ex aliis literis subsequentèr datis VIII. Kalendas Maji ad eundem Joannem Cardinalem & Legatum, ex eodem lib. 1. Epist. 119. Cùmque Petrus cum Cardinali, & universo comitatu suo, ingressus esset Græcorum terras, perfidiā Theodori Angeli Comneni & proditione captus est Petrus, captus Cardinalis, complures de suo comitatu capti, cæteri verò à proditoribus cæsi. Quomodò res habuerit, Chronicon Fossæ novæ sic enarrat.

753 „ Incipientes iter, *ait*, transierunt „ Mare euntem per Imperium Romaniæ gau- „ dentèr: major potestas Imperii Romaniæ „ & ditior invitavit prædictum Imperato- „ rem, ut dignaretur ire per terram suam, „ promittens ei omnes expensas usq; ad Civita-

„ vitatem Constantinopolitanam, callidus „ insidians & decipiens Imperatoem. Tunc „ Imperator cum Domino Cardinali ingressi „ sunt terram prædictæ potestatis, quæ pote- „ stas & dignitas apud nos dicitur Comnenio, „ nomine Theodorus, qui postquàm recepit „ Imperatorem & Dominum Cardinalem, vo- „ luit eos occidere: sed responsum est ab ami- „ cis & fidelibus dicentibus: si istos occideris, „ semper habebis guerram ab Imperio, & à „ Summo Pontifice, & Tu, & hæredes tui: „ si servaveris eos vivos, non erit qui te debel- „ let: posuit eos audacter in Custodiam, & „ constrictè constodivit eos in ergastulo. *Hæc ibi*.

754 Jordanus verò qui similia scribit, in Convivio ad quod receperat eos Theodorus, captos refert: „ Cum recessisset de Roma, „ *inquit*, & cum eo Legatus Apostolicæ Se- „ dis Joannes de Columna Cardinalis de „ Brundisioin Dyrrachium transiit: Imperatri- „ ce autem cum filiabus divertente per Mare, „ ipse Imperator cum Cardinali, & toto co- „ mitatu, recepto Baronum homagio, sed „ proditioso accepto Consilio per terram trā- „ siit, & iu vita cum Theodoro fœdus iniit, „ à quo proditoriè invitatur, & in convivio „ capitur, & paucis fugientibus multitudo „ prostrata est. Hic Theodorus pro Impera- „ tore se gerebat, quia plus cæteris Emma- „ nueli propinquus fuerat, & tenebat totum „ Zagora à Duratio usque Marchiam Blachię. *Hæc Jordanus*. Cavendus est Georgius Logotheta hac in historia, qui ut suorum Græcorum perfidiam leniat, plura falsa inferit, afferens Imperatorem in prælio eum Theodoro inito cæsum esse: ita proditionem impii Theodori cooperire conatur: qui hactenùs visus fuerat Romanæ Ecclesiæ conjunctus, sed more, Græeorum externè dumtaxat, ut sua faciliùs negotia peragant, intus superbiam & perfidiam retinentes. Ad hunc ergò post tale ac tantum facinus, scripsit Honorius, ut ex lib. 2. Epist. 543. sequentes literas.

Theodoro Comneno, Spiritum Consiliis saniors.

755 „ Rem duram, rem amaram, rem „ perniciosam exemplo, rem multi dispendii „ es aggressus, Dominum non metuens, Ec- „ clesiam vilipendens; contemptor famæ ter- „ ræ tuæ periculi non provisor. Ecce dete- „ stabile facinus, quod in dilectum fratrem „ nostrum Joannem tituli S. Praxedis Presby- „ terum Cardinalem Apostolicæ Sedis Lega- „ tum manus temerarias extendisti, non ex- „ pavescens eum detinere captivum. Porrò „ credebatur hactenùs quod sapientia regna- „ ret in Græcis, sed Tu qua maturitate con- „ silii, qua providentia rationis id nedùm „ in executionem facti, sed etiam in delibe- „ rationem propositi deducere præsumpsisti? „ Prudenter quidem egisses, si conservasses „ tibi favorem Sedis Apostolicæ, cujus ali- „ quando patrocinium claræ memoriæ Mi- „ chael frater tuus pro te, sicut pro se ipso „ per solemnes Nuncios specialiter invocavit: „ sed ecce paras adversariam, quam deberes „ recognoscere matrem, & in ea illum tibi op- „ ponis contrarium, qui est Regum, & in „ Regno hominum dominator.

756 „ Sanè non erat nostri propositi, tibi „ ac tuis alicujus turbationis moliri dispen- „ dia, sed dolemus, quoniàm Tu compellis. „ Certè quid facti detestatio exigat, si præ- „ sumptionis immensitas in te non abstulit „ rationis judicium, videre poteris per te „ ipsum. Considera, considera, si Sedes Apost. „ in tantæ præsumptionis excessu manum ul- „ tionis remittere debeat, præsertim cum in „ isto negotio atrocem injuriam persequatur „ Dei, universalis Ecclesiæ, ac totius Or- „ dinis Clericalis.

757 „ Verùm si Catholicus esses, opera „ Catholici exhiberes & ad Terræ Sanctæ „ negocium auxilii, non impedimehti manus „ extenderes, & placares servitio Dominum, „ non injuria provocares. Sed vidimus evi- „ dentem te dare materiam, & manifestam „ causam, ut ad ulciscendum hoc facinus in „ te, ac tuos cruce signatorum exercitus „ convertatur, & sic ultrò te periculis, & „ terram tuam damnis exponis: sed videat „ Deus, & judicet, quia supersedere non „ possumus, nec dissimulare debemus, quin „ super hoc excitemus adversum te tales & „ tantos, quod erit tibi sera pœnitentia post „ ruinam.

758 „ Verùm, quia in talibus bonum „ commonitionis Sedes Apostolica præmit- „ tere non consuevit, cùm illius vicem, li- „ cèt immeriti geramus in terris, qui pec- „ catoris quærit reditum, & neminem vult „ perire, quamvis non exhibueris opera fi- „ dei; nos tamen nolentes omittere quod est „ patris, dilectum Filium Andream Subdia- „ conum & Cappellanum nostrum, virum uti- „ que providum, & fidelem propter hoc de- „ stinantes, nobilitatem tuam monemus, & „ exhortamus in Domino, quatenus reco- „ gnoscens Deum Creatorem tuum, & Ro- „ manam Ecclesiam, quę tibi esse poterit, si „ per te non steterit, plurimùm fructuosa, „ prædictum Cardinalem liberum & illæsum „ cum suis vel redire permittas, in hoc tibi „ ac tuis salubriter providendo, cum jacère „ non debeas, ubi nè caderes, metuere de- „ buisti: Alioquin tibi habes, quod impu- „ tes. quem moritio non sine paterna com- „ minatione præmunit. Datum Ferentini. *Hactenus Honorius ad Theodorum*.

759 Scripsit insuper dolens & mærens in in tanti sceleris detestationem ad Regem Ungariæ, ut ex lib. 2. Epist. 544. quatenus per solemnes Nuncios agat cum Theodoro, ut & Pe-

Petrum Imperatorem sibi sanguinis affinitate conjunctum, & Joannem Cardinalem pristinæ libertati cum suis restitueret: ubi & Græcorum insolescentem exagerat perfidiam. sunt verò literæ.

Illustri Regi Ungariæ.

760 „ Cibavit nos Dominus Deus absynthio, & inebravit amaritudine mentem „ nostram, quia vox lamentationis, & doloris auribus nostris insonuit, Nuntiumque durum recepimus, & amarum, videlicèt charissimum in Christo filium nostrum „ Petrum Constantinopolitanum Imperatorem Illustrem, & dilectum fratrem nostrum „ Jonnem Tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, à nefando & perfido Theodoro proditionaliter captos esse, multis eorum qui „ cum ipsis erant, crudeliter interremptis. In „ quo & si occisorum multitudinem lugeamus, & prædictorum Imperatoris & Legati personis, continuis curarum angustiis „ nostrum angentibus animum, anxiemus, „ cogitamus tamen & alia, quæ nisi ille provideat, qui fecit aspera in vias planas, & prava in directa, ex hoc inopinabili, & lamentabili casu evenient detrimenta.

761 „ Ex hoc enim Græcorum perfidia „ insolescet, consternabuntur animi Latinorum existentium in partibus Romaniç, propter hoc in gravi discrimine positorum. „ Christiani quoque existentes in partibus, „ transmarinis, qui à Constantinopolitano „ Imperio, personarum, & rerum auxilium „ expectabant, his auditis rumoribus obstupescent, & assumet audaciam feritas Paganorum, & sic dicti casus tristitia totum „ tangit populum Christianum, quæ cum „ communis sit aliis, nobis ac tibi esse dignoscitur specialis, cum nec Apostolicæ „ Sedis Legatus, nec dictus Imperator, qui „ tibi tam propinquo vinculo est conjunctus, „ sine nostra, & tua injuria, & opprobrio „ valeant detineri.

762 „Hortamur igitur serenitatem tuam, „ rogamus & obsecramus in Domino, quatenus omni mora postposita solemnes Nuncios ad præfatum Theodorum cum omni „ festinatione transmittas, & ab eo Imperatoris, & Cardinalis personas, blandis aspera regaliter admiscendo requiras, quia confidimus, quod eos consideratione tua restituet libertati, præsertim metuens tui excercitus apparatum, quem ipsi Nuncii tui sibi poterunt insinuari, prudenter innuendo „ te usurum viribus, si proficere nequiveris „ precibus apud Deum. Datum Ferentini v. „ Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo. *Hæc Honorius ad Regem Ungariæ.*

763 Eodem tempore fecit ejusdem argumenti literas ad Bajulum Imperii Constantinopolitani, ad Ducem & Populum Venetum, ad Achajæ Principem quæ recitantur in eodem lib.2. Epist.545. & 546., & 548. scripsit quoque & ad alios plures, ut in regesto suarum Epistolarum videri potest. Cùm verò adversùs Theodorum pararetur à Venetis, Gallis, Ungaris, & Constantinopolitanis magna Cruce signatorum expeditio, Honorio ipso, propositis indulgentiis, procurante, ille terrore adductus, pacis conditiones proposuit, & cooperantibus Episcopo Croconensi, atque Effrem Eremita, libertati restitutus est Cardinalis, ipseque Theodorus abjurato Schismate in ejusdem Episcopi Crotonensis manibus, se Sanctę Romanæ Ecclesiæ Obedientiæ submisit, pollicitus se ejusdem Sanctæ & Apostolicæ Sedis Imperiis fore obsequentem. Extant de hac re literæ Honorii ad eundem Theodorum datæ ex lib.2. Epist.882. ad hunc modum se habentes.

Theodoro Duci Comneno.

764 „ Gratum gerimus & acceptum, „ quod sicut ex relatione Venerabilis Fratris „ nostri Joannis Episcopi Crotonensis accepimus, ipsum & Fratrem Effrem Eremitam „ Nuncios nostros hilariter recepisti, & honorificè pertractasti, ac dilectum Filium „ nostrum Joannem Tituli S.Praxedis Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis „ Legatum honoras, & erga illum te mansuctum exhibes, & benevolum, tuamque „ personam ad Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię „ devotionem exponens, ac ipsam primam „ recognoscens & Matrem, nohis obedire proponis, sicut devotus filius pio Patri. Pro „ quibus devotionem tuam in Domino commendantes, ei, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, gratiarum referimus actiones, suppliciter postulando, ut ipse, qui hæc tibi misericorditer inspiravit, det perficere, ac perseverare in iis usque in diem Domini Jesu Christi. Super quo & tu ipse debes humiliter „ exorare, cùm ad id & fides Catholica, „ quam tenes, ut credimus, te inducat, ut „ fructus non modicus, qui ex hoc provenire tibi poterit in præsenti, præter æternæ „ gloriæ Diadema, quod tibi, si perseveraveris, reddet Dominus justus Judex.

765 „ Inde est, quod nos recepto pro te „ ab eodem Episcopo, sicut ei per tuas literas, quas coràm nobis legi fecimus, præcepisti corporali juramento, quod prædictum Cardinalem omnimodæ restitues libertati, & filius obediens nobis eris, ex „ consueta clementia, qua Ecclesia consueta ad se redeuntibus gremium aperire, te „ innumerandum duximus inter Ecclesiæ filios speciales, & petitiones, quas idem

Episco-

„ Episcopus ex parte tua nobis porrexit, in „ quantum cum Deo potuimus, fratrum no„ strorum consilio exaudire curavimus, sicut „ per effectum evidenter apparet, firmiter „ æstimantes, quod & tu debeas adimplere „ promissa, prout Deum timentem, & Ca„ tholicum virum decet.

766 „ Cum igitur sola perseverantia „ bravium accipiat virtutibus in stadio cur„ rentibus universis, nobilitatem tuam mo„ nemus & exhortamur in Domino, quate„ nus in devotione, ac obedientia Apostoli„ cæ Sedis, & nostra sic firmiter perseveres, „ id potiùs per exhibitionem operis, quàm „ per scripta monstrando, quod & Divinam „ gratiam merearis, & favorem Apostolicum „ pleniùs obtinere.

767 „ Prætereà, cum ex injuncto nobis „ Apostolatus officio, te, ac alios Ecclesiæ „ filios debeamus ad pietatis opera invitare, „ nobilitatem tuam rogamus attentè, & mo„ nemus in remissionem tibi peccaminum in„ jungentes, quatenus Divinæ pietatis in„ tuitu, & nostrarum precum obtentu, ca„ ptivis aperias viscera pietatis, & pauperes „ præsertim, & alios, de quibus nullum po„ test tibi commodum provenire, restituas „ libertati, ut misericors Dominus te à tuo„ rum absolvat vinculis peccatorum, qui se „ illis non dimissurum testatur, qui fratri„ bus non dimittunt, solicitè recolendo, „ quod judicium sine misericordia fiet ei, qui „ non facit misericordiam, Beato Jacobo at„ testante. Datum Laterani VIII. Kal. Fe„ bruarias, Pontificatus nostri anno secundo. *Hactenus Honorii literæ*.

768 Et quoniam in præfatis literis nulla fit mentio de Petri Imperatoris liberatione, credendum est in captivitate ipsa ultimum clausisse diem, incertum, quo mortis genere: constat namque, post ejus captivitatem, nullam ampliùs de eo fieri mentionem, vel de ejus Imperio. Sub Bajulo credimus gubernatum Imperium Constantinopolitanum à præfatæ captivitatis tempore ad annum usque Domini MCCXXI. quo Robertus Henrici Imperatoris ex fratre Nepos, ut ait Gregoras lib.2. hist. Rom. vel ex sorore, ut aliis placet, coronatus est Imperator. Cardinalis porrò in libertatem restitutus Constantinopolim adiit, ubi magno cum Zelo suæ Legationis functus est officio, & Patriarcham Constantinopolitanum, jura Apostolicæ Sedis sibi usurpantem, ut innuit Honorius in Epistola 1002. lib.2. intra limites sibi concessos restrinxit: necnon & alia plura ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia, composuit atque sanctè ordinavit.

769 Sed & inter hæc nequaquam retardata fuit in Terram Sanctam decreta in Lateranensi Synodo expeditio, de qua Jacobus Vitriacus lib.3. Historiæ Orientalis, ait: „ Anno gratiæ MCCXVII. expirante tregua „ Christianorum & Agarenorum, in primo „ passagio generali post Concilium Latera„ nense congregatus est exercitus Domini „ Acchon copiosus, cum tribus Regibus, Hie„ rusalem, Ungariæ, Cypri, qui mystica „ munera secum non deferentes, parùm ege„ runt memoriâ dignum. Adfuit Dux Austriæ, „ vulgariter Ostriche, & Dux Bavariæ cum „ multis Comitibus & viris generosis, ac mi„ litia magna regni Theutonici. Aderant „ etiam Episcopi peregrini, Archiepiscopus „ Nicosiensis, Joriensis, Ungariæ, Bajocen„ sis, Sicensis, Monasteriensis, & Trajecten„ sis; & cum eis vir potens & nobilis Domi„ nus Gualterus de Avesnes, qui reversus in „ passagio vernali, quadraginta milites reli„ quit in servitio Terræ Sanctæ, quibus pro„ vidit sumptus per annum.

770 Deindè post plura, subjungit: „ Anno igitur gratiæ MCCXVIII. mense Majo, „ applicare cœperunt ad Portum Acchon Co„ gones de Provincia Coloniensi cum aliis „ paucis de Bremensi, & Trevirensi Provin„ ciis. Confirmatum fuit consilium in Con„ cilio Lateranensi cum Domino Papa Inno„ centio bonæ recordationis habitu Romæ de „ introducenda militia Christiana in terra „ Ægypti. Mense ergò Maji post Ascensio„ nem Domini, præparatis Cogonibus ar„ matis, galeiis, & aliis Navibus oneratis, „ de Acchon profecti sunt Joannes Rex de „ Hierusalem, Patriarcha cum Episcopis Ni„ cosiensi, Acchonensi, Gyrmideno, Duce „ Austriæ, tribus Domibus, & copiosa mul„ titudine Christianorum. Indicta fuit col„ lectio Navigantium apud Castrum Filii „ Dei, quod Peregrinorum dicitur: sed flan„ te Borea, Rege, Duce, & Magistris Do„ morum ad indictum locum venientibus, „ exercitus Domini prosperis velis processit, „ ubi pervenit ad Portum Damiatæ tertio „ die. *Hæc ille*. Prosequitur inde agere de obsidione Damiatæ, & quomodo, Deo auxiliante, à Christianis capta fuit. De qua obsidione extant literæ datæ ad Honorium Papam recitatæ lib.3. Epist.136. Datæ ad Archiepiscopum Senonensem. Capta est Damiata, ut ait Godefridus Nonis Novembris absque deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione, cum tumultu, ut solo Filio Dei adscribatur evidenter Victoria, ut in terminis loquitur: & totidem verbis scribit Jacobus Victriacus. Anno scilicèt Domini MCCXIX. Honorii III. Pontificatus Anno III. Utroque Imperio vacante. Indictione VII.

771 Antè ejus captionem, dùm expugnaretur, à Coradino filio Saphadini, muri & munitiones Civitatis Sanctæ Hierusalem demolitæ sunt, penè ipsa quoque Civitate destructa, ut idem Vitriacus scribit, inquiens: „ Anno gratiæ MCCXIX. Regina Civita„ tum Hierusalem quæ videbatur inexpugna-

„ biliter munita, destructa est à Coradino „ filio Saphadini, & foris & intus. Muri „ enim cum Turribus redacti sunt in acervos „ lapidum, præter Templum Domini, & Tur- „ rim David. De Glorioso Sepulchro Do- „ mini destruendo habuerunt Sarraceni Con- „ silium; & per literas moniti sunt, quas „ Civibus Damiatæ transmiserunt ad eorum „ solatium. Sed huic temeritati nemo manus „ apponere præsumpsit, propter loci reveren- „ tiam. *Hæc ille*. Similia in terminis suis in Annalibus recensuit Godefridus.

772 Eodem Anno Domini MCCXIX. ut ad hunc eundem annum scribit Wadingus tom. 1. Annalium Minorum, habita sunt à Seraphico meo Sanctissimo Patriarcha in Civitate Assisii generalia comitia, quibus ex universo Ordine interfuerunt quinque millia Fratres & ultrà, præsente quoque Sanctissimo Patriarcha Dominico, eidem Sancto Patri Francisco charissimo. Quibus absolutis propter Clericorum resistentiam, qui fratribus plebanis Verbum Dei exponere prohibebant, habito consilio cum Domino Cardinali Hugolino, Ordinis apud Sanctam Sedem Protectore, impetratæ ab ipso Honorio fuère sequentes literæ.

Honorius Episcopus servus servorum Dei Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus, Decanis Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis.

773 „ Cum dilecti Filii Frater Franci- „ scus, & Socii ejus de vita, & Religione Mi- „ norum Fratrum, abjectis vanitatibus hujus „ Mundi elegerunt vitæ viam, à Romana Ec- „ clesia meritò approbatam, ac ferendo semi- „ na Verbi Dei Apostolorum exemplo, diver- „ sas circumeunt mansiones: universitatem „ vestram rogamus & exhortamur in Domi- „ no, per Apostolica vobis scripta mandan- „ tes, quatenus latores præsentium de præ- „ dictorum Fratrum Collegio existentes, cùm „ ad vos duxerint declinandum, ipsos recipia- „ tis sicut Catholicos & fideles; aliàs eia ad „ reverentiam Divinam, & nostram exhiben- „ tes vos favorabiles, & benignos. Datum III. „ Idus Junii, Pontificatus nostri Anno „ Tertio.

774 His Apostolicis literis munitus Ordo, idem Sanctissimus Patriarcha, per diversas Orbis partes sodales suos, & filios, ad annunciandum Dei Verbum destinavit, alios amandans in Hispaniam, alios in Ungariam, in Gallias alios, item alios in Germaniam, in Angliam, ac in alias Europæ Regiones, in Africam quoque, servatis sibi, & alii Sociis à se delectis Ægypti, & Syriæ Provinciis. Nec omisit etiam destinare ad deficientes nationes Græciæ, ut suorum prædicatione in sinum Catholicæ Ecclesiæ traducerentur, & misisse Fratrem Benedictum de Aretio cum aliis quàm pluribus, ex Mariano cap. 15. §. 20. scribit idem Wadignus ad præcitatum annum: ubi sub num. 33. hæc ait: „ In Græciam au- „ tem statim navigavit Benedictus, deposito „ ministeriatu Provinciæ Marchiæ, quem „ eòusque laudabiliter gessit. Per quam be- „ nignè & humaniter receptus est à Petro Al- „ tisiodoro Orientis Imperatore, quo faven- „ te, & auxiliante, plura accepit, & ædi- „ ficavit suis sodalibus habitacula, & Reli- „ gionem ità dilatavit, ut brevi ampla eva- „ luerit Provincia Fratrum, dicta Romaniæ. *Hæc ille*. Corrigendus tamen in eo quod scripsit receptos à Petro Imperatore, cum ex superiùs allegatis non constet, Petrum post suam captivitatem Constantinopolim revertisse, magisque credatur in captivitate ipsa decessisse: unde verosimile est, à Bajulo, qui loco Petri Imperium moderabat, fuisse receptos. Causam errandi dedisse incertam apud Europeos, sive Occidentales, hujus rei notitiam, quoniam Scriptores omnes, post Petrum regnasse Robertum tradunt, qui nonnisi sub Anno Domini MCCXVI. Imperii fastigia suscepit: Cùmque non adverterent aliqui à captivitate Petri ad annum Coronati Roberti vacasse Imperium, annos illos vacantis Imperii attribuunt Petro: sed non sine errore.

775 Deinde profectum Sanctissimum meû Patriarcham Franciscum in Syriam, atque Ægyptum, Provincias sibi reservatas hoc eodem Anno MCCXIX. tradunt universi Scriptores, qui hujus Sancti Viri gesta narrant: quos citat & refert Wadingus sub num. 57. Interfuisse obsidioni Damiatæ, testantur exteri quoque Scriptores, inter quos Marinus Sanutus lib. 3. secret. Fidel. Crucis par. 11. Cap. 7. ubi ait: ante captam Urbem monuisse Crucesignatos Spiritu Prophetico, nè ad certamen cum Sarracenis descenderent, quoniàm non erat benè casurum pro Christianis: Illos verò parvipendentes Sancti Viri monita, cum suorum clade expertos fuisse veridicum vaticinium: „ Obsidentibus, *inquit*, Christia- „ nis Civitatem, liber quidam Christianis „ apparuit, Arabicè scriptus: Cujus auctor „ Christianum, Judæum, vel Sarracenum „ se esse negat: in quo, & quæ Saladinus con- „ tra Christianos gessit, & quod capienda „ esset Damiata continebatur: dicebat etiam „ quendam Christianorum Regem Nubiarum „ Mecham Civitatem debere destruere, & „ ossa Mahumeti dispersa proiicere. Fuit, & in „ ipsa obsidione Angelicus Vir Franciscus, „ qui gratiâ prædicandæ fidei, & desiderio „ Martyrii, ad partes Infidelium jam tertio „ festinabat. Dum igitur se Christiani para- „ rent ad pugnam, Christi servus vehemen- „ ter ingemuit, dixitque Socio: *Si belli* „ *fueris attentatur congressus, non cedet pro-* „ *sperè Christianis*. Ille cognoscens in San- „ cto verè Spiritum Prophetiæ, suadet ut

cx-

„ exponat periculum Christianis. Tunc exi„ liens Christi præco, salutaribus monitis „ Christianos aggreditur: prohibet bellum: „ denunciat casum: fit veritas in fabulam, „ contemnitur prophetia: induraverunt cor „ suum, & voluerunt reverti. Igitur pugna „ committitur, & bellatur: tota in fugam „ convertitur acies Christiana: finem belli „ obrobrium regerens non triumphum. *Hactenus ille*.

776 Porrò Jacobus de Vitriaco testis ocularis, in Epistola data ad fideles Fratres & Magistro Joanni de Nivella ad calcem lib. 3. suæ Orientalis historiæ, nedùm refert Sanctissimum Virum Franciscum, eidem interfuisse obsidioni, verùm & pertransisse hostium acies Evangelizaturum Dei verbum Sarracenis, & ipsi Soldano Saladino: nonnullos etiam assumpto ejus Religionis habitum, ipsum fuisse secutos addit: Ait namque ad calcem ejusdem Epistolæ: „ Dominus Reinerus prior Sancti „ Michaelis tradidisse Religioni Minorum „ Fratrum, quæ Religio valdè multiplicatur „ per universum Mundum, eò quod expres„ sè imitatur formam primitivæ Ecclesiæ, & „ per omnia vitam Apostolorum. Magister „ verò illorum Fratrum, Frater Franciscus „ nominatur: qui adeò amabilis est, ut ab „ omnibus hominibus veneretur: Cum ve„ nisset ad exercitum nostrum, Zelo fidei ac„ census, ad exercitum hostium nostrorum „ ire non timuit; & cum multis diebus Sar„ racenis Verbum Domini prædicasset, & cùm „ parùm profecisset, tunc Soldanus Rex Ægy„ pti ab eo in secreto petiit, ut pro se Domi„ num supplicasset, quatenùs Religioni, „ quæ magis Deo placeret, divinitùs inspi„ ratus adhæreret. Eidem Religioni tradidit „ se Colinus Anglicus Clericus noster, & alii „ duo de Sociis, scilicèt Michael, & Do„ minus Matthæus, cui Curam Ecclesiæ „ Sanctæ comiseram: Cantorem, & Hen„ ricum & alios, vix teneo. *Hactenus Vitriacus*. Cæterùm Damiata non diù à Christianis retenta fuit, à Soldano Ægypti, exigentibus peccatis Christianorum, per deditionem recuperata Anno Domini MCCXXI. & Scriptores belli sacri communiter referunt.

CAPUT XXIII.

De Roberti Imperio, ac Græcorum Dissidiis cum Latinis.

777 TRIBUS ferè annis absolutis vacantis Imperii Orientalis post Petri captivitatem, Anno Domini MCDXXI. Honorii III. Pontificatus Anno V. Friderici Occistentis Imperatoris Anno II. Indictione IX. Robertus, de quo supra, Henrici quondam Imperatoris nepos renunciatus est, & coronatus Constantinopolitanus Imperator, qui sui Imperii initia auspicavit à Jurium Ecclesiasticorum defensione, initâ inter Ecclesiasticos & Imperium concordiâ, pro qua Cardinalis Columna Apostolicæ Sedis Legatus laboraverat. Editis ab ipso Imperatore concordiæ literis, quas Honorius Papa sua auctoritate roboravit, atque probavit, ut habetur in ejus literis quæ recitantur lib. 6. Epistol. 285. nihil immutando ab iis, quæ inter præfatum Cardinalem Columnam, & Imperii proceres biennio anteà concordata fuerant.

778 Intereà in Regno Cypri variæ exortæ sunt inter Græcos Episcopos & Latinos controversiæ, Græcis fastus superbiæ quasdam Latinorum Metropolitanorum, & Præsulum Diœceses sibi usurpantibus, qua de re indignatus Honorius Patriarchæ commisit Hierosolymitano, & Tyrensi, ac Cæsariensi Archiepiscopis, quatenùs Græcorum illorum Episcoporum reprimerent audaciam, ut ex literis ejusdem Pontificis lib. 6. Epist. 127. constat: Et quoniàm Rex Cypri Græcis favere videbatur innuens, ut pro firmanda concordia Græci omnes ubicumque in præfato Regno domicilium haberent Græcis Episcopis subjicerentur, Honorius Regis postulatis annuere distulit, rescribens, ut in præcitata Epistola 127. lib. 6. in hæc verba.

779 „ Cum in Prælatorum Latinorum „ Diœcesibus Regni tui: quidam Græci Ro„ manæ inobedientes Ecclesiæ, etiam in Ec„ clesiis Latinorum tanquam Pontifices co„ morentur, pro quibus nobis humiliter sup„ plicasti, ut in dictis Diœcesibus, prout sunt „ remeare permitteremus eosdem; Nos, li„ cèt tibi, & Regno tuo deferre, quantum „ cum honestate nostra valemus, & Græcos „ ad obedientiam Sedis Apostolicæ reverten„ tes fovere, ac honorare velimus, mores & „ ritus Græcorum ipsorum, quantum cum „ Deo possumus sustinendo, in iis autem, „ quæ periculum generant animarum, & Ec„ clesiasticæ derogant honestati, apud nos „ esse non debet acceptio personarum. Qua„ re talia de cætero sustinere nolentes, cùm „ monstruosum esset, sicut in Constitutioni„ bus dicitur Concilii Generalis, unam & „ eandem Diœcesim diversos habere Pontifi„ ces, tanquam diversa capita unum Cor„ pus haberet, Venerabilibus Fratribus no„ stris Patriarchæ Hierosolymitano, & Trien„ si & Cæsariensi Archiepiscopis nostris da„ mus literis in mandatis, ut eos morari de „ cætero Præsules in dictis Diœcesibus nul„ latenus patiantur, Sacerdotibus, & Diaco„ nibus Græcis prædicti Regni nihilominus „ firmiter injungentes, ut præfato Archie„ piscopo, & Episcopis Latinorum, prout „ sunt, & fuerint in eorum Diœcesibus con„ stituti, Canonicam Obedientiam juxtà „ compositionem faciant supradictam, se „ tanquam obedientiæ filii conformantes Sacro-

„ crosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri suæ, ut „ sit de cætero unum ovile, ac etiam unus „ Pastor. *Hæc Honorius*. Datæ sunt literæ III. Kal. Januarias sui Pontificatus Anno sexto.

780 Videre est ergò Græcorum levitatem, qui tam facilè à promissa Apostolicæ Sedi obedientia se subtrahere student. In Regno namque Cypri, ut in Superioribus observavimus, sub Innocentio III., cuncti Græci Præsules Romano se submiserant Pontifici, cùm posteà sub Honorio colla ab obedientiæ jugo excutere conati fuerint, cuncta pro libito agendo, & Apostolicæ Sedis auctoritatem parvipendendo. Theodorus quoquè Comnenus, quasi ad tempus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus, & in deceptione magis, quàm in veritate, excusso Latinorum timore, tergà vertit & ad vomitum rediit conatus invadere Imperium Constantinopolitanum, contemnens excommunicationem latam ab Honorio adversùs eos, qui in hoc negotio Græcis adhærescerent: De qua lata excommunicatione ipse Honorius in literis ad Robertum Imperatorem datis, hæc scribit: „ Ut autem sinceræ dilectionis affectum, „ quem ad Progenitores tuos habuisse dignoscimur in te abundantiùs derivatum agnoscas, Imperialem volumus celsitudinem non „ latere, quod nos de tuo & commisisti tibi „ Imperii statu prospero soliciti existentes, „ omnes illos, qui contra te, & Constantinopolitanum Imperium Græcis adhæserint, „ ipsisque prestiterint auxilium, & favorem, „ excommunicationis mucrone perculimus. *Hæc Honorius*. Idemque repetit in Epistola data ad Proceres, Magistratus, & Viros Nobiles Constantinopolitanos, quæ habetur liber 6. Epist. 447. Ad contumacem porrò Theodorum Comnenum, ut ex lib. 7. Epist. 14. ad hunc modum scripsit.

Theodoro Cominiano spiritum Consilii Sanioris.

781 „ Licèt enormiter nos, & Ecclesiam „ Romanam offenderis dilectum Filium no„ strum Joannem Tituli S. Praxedis Presby„ terum Cardinalem ansu sacrilego capiendo: „ quià tamen sicut idem rediens nobis retulit „ viva voce, ipsum devotè tractasti, & in „ liberatione honorasti decenter, personam „ tuam, nisi per te steterit, quantum cum „ Deo possumus, diligere disponentes liben„ ter tuis secundum utrumque hominem pro„ futura provectibus cogitamus, & utinam „ nostris Consiliis aquiescat, quià sicut spe„ ramus in Domino nunquam exinde tibi nisi „ grata poterunt provenire. Sanè nobis ta„ centibus non ignoras, quod res unitæ con„ crescunt, & dispereunt disgregatæ; inde„ que fit ut discordia homines inter se invi„ cem adversantes, nisi aliter sopiantur, tam„ diù in utriusque partis dispendium militet, „ donec perdat alteram, vel utramque, sicu„ ti è converso concordia nititur ad conser„ vantiam sibi obsequentium, & augmen„ tum.

782 „ Quare saluti, & quieti tuæ plu„ rimùm, sicut, nec ipse dubitas, expedire „ credentes inter charissimum in Christo fi„ lium nostrum Robertum Imperatorem Cō„ stantinopolitanum Illustrem stabiliri pacis „ perpetuæ firmitatem, quià tibi plurimùm „ erit decens, ut id monitus à nobis efficias, „ nobilitatem tuam, hortamur attentè, qua„ tenus providè circumspectans inevitabilia „ rerum damna, incomparabilia personarum „ pericula, & animarum irreparabilia detri„ menta, quæ tibi ex discordia poterunt pro„ venire Christianissimo Imperatori prædicto, „ sicut Christianus es, te studeas pacis ter„ mino copulare; ità quod bonam de te de cætero fiduciam obtinentes, magis, ac magis „ tibi reddamur favorabiles, & benigni, nec „ si contrarium egeris cogamur aliud cogita„ re. Datum Laterani VI. Kal. Octobris, „ Pontificatus nostri Anno VII. *Hæc Honorius*, Leniter ad meliorem frugem exhortando.

783 Sed perversi difficilè corriguntur, quoniàm Theodorus Comnenus, absente Demetrio Thessalonicam occupavit, elatus inde in superbiam, Imperialia insignia corripere meditatus, cùm Thessalonicensem Episcopum ut iis ipsum redimeret, adducere non potuisset, ea à Bulgariæ Archiepiscopo obtinuit, & pro Imperatore se gessit. Hæc Nicephorus Græcoras lib. 2. histor. Romanorum: inquiens: „ Interim è Thessalicis barathris novum exi„ stit malum, Michaelis Angeli Frater Theo„ dorus, suscepto enim illius defuncti prin„ cipatu, vir acer & ad res novas moliendas „ ingeniosus, & plura subinde appetens, lon„ gè latèque fines propagavit. Quotquot „ enim Occidentales Urbes paulò ante Lati„ norum Regno fervierant, eas omnes, in„ de sumpto initio, facillimè vicit, sibique „ adjunxit: donec amplissimam, & totius „ Macedoniæ Principem Civitatem Thessalo„ nicam subegit, Marchione tum in Patriam „ Longobardiam profecto: statimque sibi „ Regium nomen ascisit, ac regio more à „ Bulgariæ Archiepiscopo ungitur. *Hactenus ille*.

784 Per idem verò tempus vita functo Theodoro Lascari, qui Niceæ imperitabat, successit ei Joannes Ducas Batazes, sive Vatacius cognominatus, qui Irene Theodori filiæ nupserat, hæres ab eodem Theodoro ante obitum, & successor designatus. Verùm ægrè ferentes Alxeius, & Isaacius, qui Lascari sanguine erant ipso Joanne Conjunctiores, quod ipsis postpositis Regnum ad Joannem delatum fuisset, ad Robertum Imperatorem

se

se contulerunt, auxilium postulantes pro sibi debito recuperando Regno: qui pollicitationibus illorum allectus, comparato exercitu adversùs Joannem, pro illis arma movit, infœlici tamèn exitu; nàm inito prælio, & victi Latini, Asiaticas Urbes, quæ eis hactenus paruerant, amiserunt, non sinè magna Constantinopolitani Imperii jactura: „ Lascaris, *ait*, *Gregoras*, octodecim annis in „ Imperio exactis, vitam cum morte commutavit: Joanne Duce, qui filiam ejus „ Irenem in matrimonio habebat, successore „ designato; masculam enim prolem nullam „ susceperat. *Et infrà*. Cæterùm iis temporibus Bizantii regnabat Robertus. Ad „ hunc Alexius, & Isaacius invidiâ & æmulatione æstuantes, quòd successores Imperii designati non essent Imperatorio Sanguine conjunctiores, quàm per affinitatem „ ascitus Joannes, sese contulerunt; & largitionibus, ac pollicitationibus coacto „ exercitu, quantus Roberto tùm erat (quòd „ quidèm erat maximus & non aspernendus, „ sivè armorum genus, sivè bellica fortitudo „ spectaretur) Joannem Imperio dejectum „ forsitàn, idque sibi vindicaturi, bello petunt: Profectique in Asiam, Classe ad „ Lampsacum relictâ, unius diei iter in mediterranea progressi, quæ pauló antè Henricus Rex Latinis subjecerat, Imperatori „ cum Romanis Copiis adventanti occurrunt; acritèr prælio facto, ac victi, eas „ etiam Urbes amittunt, quæ tùm eis in Asia „ parebant; ac mox Latinæ servitutis jugo „ excusso, ad Imperatorem ultrò sese contulerunt. *Hactenus Gregoras lib.* 2.

785 Ex hoc autem tempore plurimùm Orientale Latinorum Imperium declinare cœpit, quo declinante, Græci ad suorum Gentilium obedientiam revocati, Romanam Ecclesiam iterùm contemnere inciperent, quòniàm non amore fidei ei se submiserant, sed amore rerum temporalium coacti Latinorum subesse. Tanta fuit (utinàm & nùnc non esset) Græcorum superbia, & in Ecclesiam Latinam aversio, post primum eorum schisma, ut nonnisi potentiâ Principum coacti, semper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ parere detrectaverint. Accidit quoquè eàdem tempestate in Regia ipsa Constantinopolis Urbe plurimùm Græcorum schisma prævaluisse socordia, & depravatis Matthæi Patriarchę moribus occasionem præbentibus, ad quem justâ indignatione permotus Honorius, gravissimas fecit literas, quæ habentur lib. 6. Epist. 374. arguens eum, & minis percellens, inquiens: „ Timemus, nè de te dicere nos oporteat, „ pœnitet nos hominem hunc fecisse. Cùm „ enim hujus rei gratiâ te ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ regimen vocassemus, ut „ quasi lucerna supèr Candelabrum luceres „ in domo Domini, proficiendo verbo tuis „ subditis & exemplo, tuusque esset supèr „ tuos humeros Principatus, ac prodesses „ potiùs, quàm præesses, tu, sicut ad audientiam nostri Apostolatus pervenit, non „ factus forma gregis ex animo, sed in Cleris potiùs dominans, factus es multis offendiculum per exemplum.

786 Deindè post plura illius crimina recensens, subnectit: „ Mercenarium te exhibes potiùs, quàm Pastorem, cùm lac & „ lanam quærens ex ovibus, vagas non reducas ad caulam, nec lentas stimules, & „ languidas non sustentes, prædicationi minimè insistendo, qua ipsas arguere, ac increpare deberes in omni patientia & doctrina. Missarum verò solemnia rarissimè „ celebras, & excommunicatis communicare non metuis, & cum Venetis, ut haberi „ ex fama publica dicitur, iniisti contrà nationes alias illicitas pactiones, & ut quasi „ velis ab Aquilone tuum solium collocare, „ excommunicatos à Legato Apostolicæ Sedis passim absolvis, & appellationibus legitimè interpositis ad eandem deferre contemnis. *Hæc Honorius*, adjiciens indè minas, monita, & præcepta, ut se corrigat, & emendet, nè cogatur securim arbori apponere infructuosæ.

787 Porrò idem Pontifex ad debilitandas Græcorum schismaticorum vires in dies excrescentes, egit cum Willelmo Marchione Montis Ferrati de eripiendo è Græcorum manibus Thessalonicensi Regno, jurè ad ipsum Marchionem pertinente,, propositis Indulgentiis, arma in auxilium præfati Marchionis sumentibus, sicut literæ ejus datæ ad virum nobilem V. Continacensem, recitatæ lib. 8. Epist. 149. tradunt, ità se habentes: „ Dilectus filius nobilis vir Willelmus Marchio Montis Ferrati ad defensionem Regni „ Thessalonicensis, quod ad ipsum hæreditario jure noscitur pertinere, magnanimitèr se accingens, proposuit coràm nobis, te „ ad eundem cum ipso promptam gerere voluntatem. Nos igitùr attendentes, quòd „ ejus accessus ad partes illas toti Constantinopolitano Imperio grandem potest utilitatem afferre, considerantes etiam, quòd „ corroboratio status Imperii multum est „ utilis negotio Terræ Sanctæ, Tibi, & iis, „ qui tecum transibunt in Græciam in ejusdem auxilium Marchionis, peccatorum, de „ quibus verè contriti fueritis & confessi, „ plenam veniam indulgemus. Datum Laterani tertio Idus Maji, Pontificatus nostri „ Anno VII.

788 Scripsit indè ad diversos varias Epistolas, quæ habentur lib. 8. Epist. 188. & seq. pro persolvenda pecunia eidem Marchioni, & ut apparet lib. 9. Epist. 83. scripsit Clericis universis, ac religiosis Viris Constantinopolitani Imperii, quatenùs dimidiam partem redditus bonorum Ecclesiasticorum unius anni conferrent eidem Marchioni pro Thessaloni-

nicensi bello. In eis nàmque literis inter alia scribit: „ Attendentes satiùs esse, ut bona „ vestra, & Ecclesiarum vestrarum, pro manu- „ tenendo Imperii statu communicetis ad „ tempus, quàm ea omnia perpetuò amitta- „ tis; de fratrum nostrorum consilio pro- „ pter urgentem necessitatem duximus sta- „ tuendum, ut omnium vestrorum proven- „ tuum hujus anni, omniumque aliorum „ mobilium, quæ nunc habetis in ipso Impe- „ rio, exceptis dumtaxàt Ecclesiarum the- „ sauris, divino cultui dedicatis, de quibus „ alitèr procuravimus providere, ac exce- „ ptis vestibus & equis quotidiano usui ne- „ cessariis, ac utensilibus, in quibus non est „ aurum, vel argentum, vel lapides pretiosi, „ medietatem Marchioni prædicto, sub jus- „ jurandi Religione integrè conferatis. *Hæc Honorius*, statuens, simile auxilium conferendum Imperatori Constantinopolitano à consistentibus ultrà Macram, & in Regia Urbe.

789 Inter hæc autem & Monachi quidam Græci in Nicomediensi Archiepiscopatu, qui Apostolicæ Sedi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se submiserant, ab illius obedientia subtrahentes, Patriarchæ schismatico Nicæno se subjecerunt. Et recurrente ad Romanum Pontificem Archiepiscopo Nicomediensi, ut habetur lib. 7. Epist. 110. rescripsit Honorius, eos censuris Ecclesiasticis, atque implorato Magistratuum auxilio, si res posceret, ad obsequium Ecclesiæ redigendos. Armeni quoquè Tarsensem, & Mamistanum Archiepiscopos, cæterosque earum Regionum Latinos Clericos expulerunt. De qua re conquestus Honorius, scripsit ad Armeniorum Catholicon, sivè Patriarcham, ut suam auctoritatem in iis ad suas Ecclesias revocandi, adhiberet; indèque & literas fecit ad Hierosolymitanum Patriarcham, & Suffraganeos, quatenùs, & ipsi adjunctis precibus, agerent cum præfato Armeniorum Patriarcha, ut prædicti Archiepiscopi, & Latini Clerici expulsi, ad easdem suas restituerentur Ecclesias: „ Cùm adhùc, *inquit*, Catholico præfato „ scribamus, ut cùm non sit sustinendum, „ nec ullo modo ulteriùs dissimulare possu- „ mus, quòd prædictorum justitia pereat, & „ ea, quæ debetur nobis obedientia subtra- „ hatur, hac saltèm vice sic faciat, sicut suum „ & Armenorum vult periculum evitare, ut „ eisdem Archiepiscopis & Capitulis resti- „ tuantur in integrum Ecclesiæ supradictæ, „ fraternitati vestræ per Apostolica scripta „ mandamus, quatenùs tàm eundem Catho- „ licon, quàm cæteros, qui dominium te- „ nent Armeniæ, ad hoc moneatis sollicitè, „ ac pro posse vestro efficacitèr inducatis, „ quòd si monitis vestris acquiescere fortè „ contempserint, vos eisdem Archiepisco- „ pis & Capitulis studeatis, quatenùs suas „ possint recuperare Ecclesias, utile consi- „ lium, & opportunum auxilium exhibere; „ ut ubi non prodest monitio, auxilia suffra- „ gentur. *Hæc Honorius* in literis datis Laterani xv. Kalen. Januarias, sui Pontificatus Anno IX.

790 Ut porrò aliqua ab Honorio gesta pro expeditione ad recuperandam Terram Sanctam sub imperio ejusdem Roberti, tangamus, laboravit plurimùm pius Pontifex cum Friderico Imperatore, quem coronaverat, & qui emisso Voto, Terram Sanctam in brachio forti succurrere promiserat, quatenùs & votum adimpleret; & promissis satisfaceret. Verùm Imperator parùm sibi constans, propriis innians commodis, postposito Dei amore, ac christiani nominis zelo sæpè lusit, & Pontificem illusit; undè non semèl ab eodem Pontifice reprehensum Fridericũ, tradunt literæ ad illum datæ, præcipuè quæ in Regesto leguntur lib. 5. Epist. 709. & lib. 6. Epist. 61. & aliæ diversæ. Ostentabat sanè Fridericus ingens instaurandæ rei christianæ in Oriente desiderium, sed magis, ut ex inanium promissionum pompa gloriam apud homines colligeret, quàm ex veritate. Non recusavit venire cum Honorio ad colloquium pro eadem causa tractanda, ut literæ Innocentii datæ ad Episcopum Albanensem Apostolicæ Sedis Legatum ex Verulis Kalendis Maji Anno VI. sui indicant Pontificatus. Quod quidèm colloquium celebratum fuit in Campania, præsentibus Rege Hierosolymitano, cum Friderico & Honorio, ac Militum Magistris, ut scribit Honorius in Epistola data ad Regem Francorum ex lib. 7. Epist. 141. & Epist. 176. sed frustrà cuncta egerat, usus consuetâ simulatione, ut gesta, & literæ Honorii tradunt. Cæterùm quæ in eo colloquio concordata fuerant, ex Marino Sanuto lib. 3. Fidel. Cruc. par. 11. cap. 10. compendiosè referam, ubi ait.

791 „ Resignatâ Sarracenis Civitate, „ (*idest Damiata*) universi Ptolemaidam pro- „ fecti sunt, exceptis paucis peregrinis ad „ Italiam proficiscentibus, & Magistro Ala- „ manorum, qui in Apulia Imperatori, de- „ indè Summo Pontifici Christianorum ca- „ sum exposuit. Quo audito Papa Hono- „ rius III. amaro corde suspirans, Imperato- „ rem ad se vocat: illeque festinus accessit, „ & simùl cum Cardinalium cœtu deliberant „ quid facto opus sit. Tandèm in hoc con- „ veniunt, ut Rex Hierusalem, Magistri- „ què Hospitalis, & Templi accedant, ut cum „ eis deliberent quid commodiùs agere va- „ leant in auxilium Terræ Sanctæ. Tunc „ Imperator in Apuliam rediens, pro eis „ quatuor transmisit Galeas; & Magistro „ Templi pro se alium transmittente, Lega- „ tus prædictis sociatus est. Imperator verò „ cum magno honore, sumptibusq; ad Sum- „ mum eos deduxit Pontificem MCCXXII. „ Et cum pro auxilio Terræ Sanctæ verba

„ hinc indè moverentur, tandèm conveniunt, „ ut Imperator Isfabellam, Regis Hierosolymitani filiam, ac Regni hæredem, uxorem „ accipiat, ut cùm tempus affuerit pubertatis, usquè videlicèt ad annos quatuor; & „ indè ad duos annos pergat in auxilium „ Terræ Sanctæ, & utrinque sunt præstita „ Sacramenta, & apposita in contrafacientes „ excommunicationis sententia. *Hæc Sanutus*. Hoc tamèn facramento non obstante, nequaquàm sub Honorio promissa adimplevit.

792 Ad res nostras modò transeuntes: Honorius Papa sui Pontificatus Anno VIII. Regulam Minorum in duodecim redactam Capitulis, olim jàm ab Innocentio III. approbatam, confirmavit, expeditâ Bullâ sub Datum Laterani III. Kalendas Decembris labente Anno Domini MCCXXIII. Indè Anno X. sui Pontificatus misit quosdam ex Ordine Minorum, & Prædicatorum ad Miramolini Regnum, causâ prædicandi Evangelium, Fidemque Jesu Christi annunciandam, datis literis, quæ incipiunt: *Vineæ Domini Custodes*, & per eas concessis privilegiis, ut in eadem Regione liceret eis *prædicare, baptizare Sarracenos ad fidem novitèr venientes, & reconciliare Apostatas, excommunicatos illos absolvere, qui ad Sedem Apostolicam commodè non possunt accedere absolvendi*; & alia, quæ in præfatis literis leguntur apud Wadingum ad hunc Annum sub num. 27. Et ut in Regesto Pontificio ad calcem tom. 1. Annalium refert præfatus Annalista, idem Honorius indulsit Fratribus Minoribus, ut in suis Oratoriis & locis possint celebrare in Altari viatico, datis literis, quæ incipiunt: *Quià populares tumultus*. In eorundem favorem scripsit Episcopo Parisiensi Epistolam incipientem: *Deberent Ecclesiarum Prælati*, ut liberet Fratres Minores à variis gravaminibus Prælatorum. Episcopo quoquè Rhemensi scripsit & alias literas, quæ incipiunt: *In his, quæ ad cultum divinum*, præcipiens, ut sinistram interpretationem suæ Decretalis editæ in favorem Fratrum Minorum, à quibusdam inventam, auctoritate Apostolica compescat, & Fratres in exercitio privilegii concessi conservet. Hæc, & alia, quæ habentur apud Wadingum concessit Honorius Ordini Fratrum Minorum, sub cujus Pontificatu Anno ejus IX. Domini MCCXXIV. Imperii Friderici XIV. Roberti Imperatoris Constantinopolitani Anno IV. à prima Ordinis fundatione Anno XV. Indictione XII. xv. Kalendas Octobris in vertice Alverniæ Montis Seraphicus meus Sanctissimus Patriarcha Franciscus, sacra divinitùs impressa Stigmata recepit; quem Annum fuisse VIII. Pontificatus Honorii notat Raynaldus, ad Annum Domini MCCXXIV. Porrò biennio post, Anno scilicèt MCCXXVI. idem Sanctus Pater migravit in Cœlum IV.Non.Octobris, eodem Honorio adhùc clavum Petri tenente.

CAPUT XXIV.

De Gregorii IX. Pontificatu, Balduini II. Imperio, ac procurata per eundem Pontificem Græcorum unione.

793 Anno Domini MCCXXVII. Friderici II. Imperatoris VIII. Roberti Constantinopolitani Imperatoris Anno VII. Pontificatus Honorii XI. Indictione xv. xv.Kalendas Aprilis, idem Dominus Honorius ultimum clausit diem, ubi sedisset Annos X. & menses VIII. Pervenisse usquè ad Annum XI. sui Pontificatus tradunt literæ sub eodem anno ab eo consignatæ, una ad Fridericum Imperatorem, quæ incipit: *Non dubitat*, data VI. Kalendas Februarias, sui Pontificatus Anno XI. Altera data universis Regibus Russiæ eodem Anno XVI. Kalendis Febr. quæ incipit: *Gaudemus in Domino*. Et aliæ nonnullæ, quæ habentur in hujus Pontificis Regesto. Porrò accidisse obitum ejus xv.Kalendas Aprilis, præter alios, Gregorius, qui ei successit, scribit in Epistola data ad christiani Orbis Præsules, quæ incipit: *Sanè bonæ memoriæ Honorio Papa prædecessore nostro xv. Kal.Aprilis soluto debito carnis, de præsenti sæculo nequàm erepto*.

794 Deindè persolutis, de more, exequiis, ac tumulato Honorio, Domini Cardinales in unum convienientes, unanimi consensu, ac nemine reluctante, à Spiritu Sancto inspirati, Romanum Pontificem renunciarunt D.Ugolinum ex Cardinali S.R.E. Hostiensi, omninò reluctantem, & nolentem, dictum Gregorium IX. virum omnium virtutum genere exornatum, de quo ex libro censuum asservato in Vaticana Bibliotheca, Raynaldus hæc transcripsit: „ Hic Natione Campanus „ de Anagnia, nobiliori ejusdem Provinciæ „ Civitate, patre de Comitibus Segniæ, fœlicis memoriæ Dominum Innocentium Papam III. consanguinitatis tertio gradu attingens, matre de potentioribus Anagninis exortus, formâ decorus, & perventus aspectu, perspicacis ingenii, & fidelis „ memoriæ prærogativâ dotatus, liberalium „ artium, atquè utriusque juris peritiâ eminenter instructus, fluvins eloquentiæ, „ Tullianæ, sacræ paginæ diligens observator, & doctor zelator Fidei, disciplina „ virtutis, rectitudo justitiæ, solatium miserorum, Religionis plantator, & cultor, „ castitatis amator, & totius sanctitatis „ exemplar. *Hæc ibi*.

795 De cujus creatione in Romanū Pontificem post clara illius gesta, in Cardinalatus dignitate peracta, ab eodem auctore recensita, hæc

hæc subjiciuntur: „ Qui tandem defuncto „ piæ memoriæ Honorio III. sextâ feria, „ Hebdomada verò majoris Quadragesimæ „ quinta de communi, & impræmeditata fra„ trum concordia, non minus electione cano„ nica, quàm Divina inspiratione, lacryma„ bili, & clamosa contradictione recusans, „ inter votivas eligentium manus, pia vestium „ laceratione grassatus, in domo Beati Gre„ gorii, Gregorius ejus imitator assumitur „ apud septem solia. *Hactenus ille*. Creatus est XIV. Kal. Aprilis, eodem die, quo tumulatus est Honorius, ut ipsemet Gregorius in prælaudata Epistola data ad Christiani Orbis Præsules, innuere videtur, inquiens: „ Et „ in crastinum, juxtà morem, celebratis exe„ quiis, & ipsius corpore ad tumulum depor„ tato, unà cum fratribus nostris ad eligendũ „ convenimus successorem: & Missâ, ut mo„ ris est, in honorem Sancti Spiritus devotè, „ ac solemnitèr celebrata, post aliquantulùm „ tractatum de substitutione Pontificis, om„ nes pariter ab imbellicitatem nostrã, quasi „ Divinitùs inspirati, oculos direxerunt, ut „ nobis renitentibus, & invitis, cum multa „ instantia, & etiam violentia conati sunt „ humeris nostris imponere onus istud; cujus „ gravitatẽ pertimescendo non modicum non „ posse portare, licèt suscipere fuerimus plu„ rimùm reluctati; metuentes tamèn, nè vide„ remur inspirationi Divinæ resistere, tandèm „ submisimus humeros ad portandũ, sperantes „ in eo, qui jugum suum suave misericordia „ sua fecit, & onus leve prædulci charitate, „ quòd ipse, qui vota fratrum aspirando „ prævenit, adjuvando etiam prosequeretur, *Hactenus de sua electione Gregorius*.

796 Cùm itàque Honorius fato functus sit XV. Kal. Aprilis, & Gregorius scribat, in crastinum, tumulato Honorio, convenisse ad electionem successoris Dominos Cardinales, & post solum aliquantulùm tractatus, secutam in suam personam, sequitur hujusmodi electionem incidisse in diem XIV. Kal. ejusdem, quæ erat dies Sabbati antè Dominicam Palmarum, & concordant Acta ejus vitæ in præcitato codice transcripta, in quibus legitur: „ Sequenti autèm Dominica die San„ ctissimi Benedicti, Pater Benedictus Præla„ torum comitatus obsequiis, assistente in„ numerabili multitudine Romanorum in „ Principis Apostolorum Basilica, venerandus „ Princeps magnifico susceptus tripudio, & „ Apostolicæ Sedis more, suscepit pallium „ plenæ potestatis insigne. Itàque Missarum „ peractis solẽnibus, Summus Pontifex gem„ mis circumtectus & auro, ad Palatium „ Lateranense processit. Die verò Resurre„ ctionis Dominicæ subsequentis, Missarum „ misteriis in Virginis gloriosę Basilica solem„ niter celebratis, revertitur cum tripudio „ coronatus. Feria quidèm secunda in Albis „ in prædicta Basilica, Divinis Missarum Of„ ficiis reverenter expletis, duplici diademate „ coronatus, sub fulgoris specie in Cheru„ bini transfiguratus aspectum, inter purpu„ ratam Venerabilium Cardinalium, Cleri„ corum, & Prælatorum comitivam innu„ meram, Insignibus Papalibus præcedenti„ bus, equo in Phaleris pretiosis evectus, „ per Almæ Urbis miranda mœnia, Pater Ur„ bis, & Orbis, deducitur admirandus. *Hæc ibi*.

797 Itàque evincitur, Honorium obiisse XV. Kal. Aprilis feria V. feria indè VI. die XIV. Kal. ejusdem mensis creatum Gregorium: & die Dominico, quæ Palmarum fuit, XII. Kal. Aprilis. D. Benedicto sacrata, ad Principis Apostolorum Basilicam deductum, indè ad Lateranense Palatium; & subsequenter cætera per designatos ibidem dies peracta esse: ac proindè corrigendi sunt qui hujus Pontificis electionem consignant in diem XV. Kal. Aprilis, vel in aliam diem præter XIV. Kal. Aprilis. Hic porrò amantissimus sanctissimus mei Patriarchæ, dùm adhùc Cardinalis fuit, & Seraphicũ Ordinem ardentissimè adamavit, fovit, & protexit: de qua re plura habet Wading. ad Annum Domini MCCXVII. sub num. VI. Et narrat Sanctus Antoninus 3. par. titul. 19. cap. 3. & cum eo Thomas Celanus in Legenda Gregorii IX. præfatum sanctissimum Patriarcham eidem Pontifici prædixisse Pontificatum, ut idem Wadingus refert loco mox cit. sub num. X. Qui Anno sui Pontificatus Secundo, eundem Sanctum Franciscum Sanctorum albo adscripsit, expeditâ bulla, quæ incipit: *Mira circà nos*, qua etiam ejus Festum celebrandum mandat IV. Nonas Octobris: *Habito fratrum nostrorum consilio, & assensu*, ait, *ipsum adscribi decrevimus Sanctorum cathalogo venerandum. Statuentes, ut IV. Nonas Octobris, die videlicèt, quo à carnis ergastulo absolutus, ad æthærea Regna pervènit, ab universali Ecclesia natalitia ejus devotè, ac solemnitèr celebrentur*. Et ad excitanda fideliũ corda ad devotionem ergà eundem Sanctum Patrem alias literas fecit sub datis IX. Kal. Martii, incipientes: *Sicut Phialæ aureæ*, directas ad totius Orbis Prælatos.

798 Complura quoquè indulta, & privilegia eidem Ordini concessit Gregorius, quæ in Annalibus tom. I. & in Regesto Pontificio ad calcem ejusdem tomi refert Lucas Wadingus: Et quoniàm prædicti Ordinis Fratres à tempore, quo adhùc in vivis degebat sanctissimus Fundator zelo propagandæ Fidei, ac Christo lucrandi animas, plurimùm inter Sarracenos, aliosque infideles, & schimaticos laborabant, præcipuè in Syria, Græcia, & in aliis Orientalibus Regionibus, Gregorius commendatos voluit Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis Apostolicæ Sedis Legatis, aliisque Orientalibus Prælatis, datis eos literis, complura in favorem eorundem Religiosorum continentibus, quos nos ex

Ar-

Archivio Sacri Montis Sion, ex proprio Originali transcribere curavimus, ad hunc modum se habentes.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Antiochensi, & Hiesolymitano Patriarchis Apost. Sedis Legatis, ac universis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

799 „ Si Ordinis Fratrum Minorum Religionem attenditis, poteritis plenè cognoscere, quòd temporalia bona non cupiunt, cùm ex eorum institutione sufficientiam suam in paupertatem posuerint, & eam præcipuè sint professi; sicque sibi favorem vestrum, cùm expedierit, eò faciliùs impenderitis, quò minùs præsumitur, quòd ipsi quærant, vel ambiant commodum temporale.

800 „ Quapropter universitatem vestram monemus, & hortamur attentè, districtè vobis per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenùs si aliquis fidelium, vel iisdem ad opus ipsorum construere voluerint Oratoria in vestris Parochiis, cùm ipsi quærunt salutē animarum, & earum lucris intendant, favorem eis super hoc benevolum præbeatis, liberè permittentes, quibus permissum est à Provinciali Ministro, viros idoneos in vestris Parochiis proponere verbum Dei. Volumus tamèn, quòd non percipiant decimas, primitias, & oblationes, nec habeant Ecclesiasticam sepulturam, nisi pro Fratribus Ordinis prædicti.

801 „ Prætereà, cùm fueritis requisiti, Cœmeteria ad opus ipsorum ab Apostolica Sede sibi concessa, benedicere procuretis, nullatenùs compellentes eosdem in aliquem interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare sinè mandato Sedis Apostolicæ speciali, mandatum, & præceptum nostrum taliter impleturi, quòd Religionis comprobemini zelatores, & nos vobis magìs reddatis indè favorabiles, & benignos, nec cogamur in eis, in hac parte per alios providere. Datis Perusii Kal. Februarii Pontificatus nostri Anno III. *Hactenus literæ Gregorii.*

802 Cùmq; his munitis literis complures ejusdem Ord. Fratres Syriam peragrassent, & Græciam, quinque ex eis Nicæam, Bythiniæ venientes, Græcorum Patriarcham, Germanum nomine, diverterunt, qui Thronum suum ea in Civitate tenebat, à quo satis benignè, & humanitèr suscepti sunt: indè inter familiaria colloquia, de abjurando Græcorum schismate sermonem aperuerunt, ac de concilianda Latinæ, & Catholicæ Ecclesiæ, à tot annis Græca divulsa. Non contempsit Patriarcha sermonem, sivè ingenuè sibi placeret, sivè Græcorum more, consueta usus simulatione, sicùt exitus posteà demonstravit, & literæ ipsius superbiæ fastu refertæ probarunt. Itàque post diversa inita colloquia, Germanus, ut ostenderet se plurimùm optare præfatam unionem, scripsit hac de re ad Gregorium Romanum Pontificem sequentes literas.

Sanctissimo & Excellentissimo Papæ veteris Romæ, & Apostolicæ Sedis decori, Germanus, miseratione divinà, Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ.

803 „ O' Domine Jesu Christe, salvum me fac, ò Domine benè prosperare: Te enim lapidem angularem, honorificatum pretiosum, electum, in fundamentum pono hujus negotiationis toti Orbi salutiferæ. Didici enim per Prophetam tuum Isaiam, quòd omnis, qui credit in te, talem lapidem existentem nullatenùs confundetur, nequè à suæ spei base poterit commoveri. Et ità se habet veritas, ut nullus contradicere audet, nisi patris mendacii discipulus fuerit. Opus autèm tuum est, qui lapis angularis existis conjungere, quæ procùl sunt, vel quæ inter se distant, & ea quæ divisa sunt, in unitate Fidei congregare. Tu enim es, qui & procùl, & propè existentibus pacem evangelizasti, & fines Orbis terrarum, per tuarum super Crucem exaltationem manuum, ad Eusebiam convocasti, & paterno more super humeros elevasti. Tuæ igitur inæstimabili clementiæ supplico, qui Patris es Verbum omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu sis ejus fundamentum & tectum, qui juxtà theologicam vocem Joannis, *Alpha & Omega* diceris, tanquàm omnium principium & finis incircumscriptus.

804 „ Ac primis oculos elevantes ad Montes Cœlestes, undè venire nobis auxilium oravimus, deindè ad te Sanctissimum Papam, qui Apostolicæ Sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium. Et velis descendere aliquantulùm ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miser sum, & vitâ & sermone. Si tu, inquam, assimilatus es qui in altis habitat, & humilia respicit Deus, incipiam autem hinc: Investigabilis sapientia Dei, quæ ex non esse omnia simùl produxir ad esse, semper autem continet, & providè regit, consuevit multotiès ex minima occasione, velut quodam fundamento diù an-

„ antè posito, magna opera postmodùm super ædificare ad commune proficuum & salutem. Joseph in Ægyptum argenteis venundatus, servus deducitur in lacum, & in carcerem eruditur. Quæ autem secuta sunt postmodùm, quàm gloriosa, quàm honorabilia fuerint, & qualitèr Deus in medio ejus glorificatus extiterit, sapientissimam mentem sacræ animæ tuæ, Sanctissime Pater, non latet.

805 „ Ad quid autem sermo respiciat, & quid significare vult, fratres præsentes, quos quidèm periculosus occursus & injustus carcer fecit nostro vultui præsentare, Vestræ Sanctitati exponent; quorum numerus prudentum Virginum numero æquipollet; Nàm & lampas operum suorum, & quod ex ea lumen exit, coràm hominibus lucet in gloriam Cœlestis Patris; ac prudètèr oleum boni operis apponunt semper, nè lumen lampadis extinguatur, & ipsi ad somnum trahantur Accediæ, & introitu Regni careant. Sinè baculis sunt omnes, & vestes singulas singuli habent, & sinè calceamentis. Nunc autem pedes eorum pulchros secundùm Apostolum existimo, tanquàm Evangelizantium pacem inter Græcos & Latinos, ut brevitèr dicantur, velut ex toto vacui, & levissimi & expediti cursores, ad Christum properantes attingere, qui omnium bonorum est meta: ad quem cùm pervenerint, sistent cursum, & percipient quod properant.

806 „ Hi quidèm, qui secundùm Deum, minores fratres dicuntur, sic uniti in una voluntate & unanimitate æquipollentes in quinquenario numero, in bonum signum apparuerunt, & spem bonam proposuerunt de unitate & concordia, annuente Domino, inter quinque Patriarchatus. Accesserunt autem in domum nostram fratres ipsi ex divina providentia, sicut credidi, quæ cuncta disponit in eo, quod expedit; & cùm hinc indè inter nos multa verba fuissent exorta, vertebatur magis locutio præ cæteris super schismate longi temporis tunicæ inconsutilis Eusebiæ desuper contextæ, qua veste videlicèt Apostolorum manus catholicam Christianorum Ecclesiam induerunt. Præsumptuosè non quidèm manus militum, sed Ecclesiasticarum personarum sensus sciderunt & diviserunt, & schisma equidèm magnum & multorum annorum, & nullus est qui misereatur Sponsæ Christi, quæ scissa sic veste induta est, aut qui ejus velit turpitudinis misereri. Hoc, ut credo, & David in libro Psalmorum plangit, dicens: *Divisi sunt, & non sunt compuncti*. Si enim compunctionem habuissemus, doleremus & contristaremur; & si tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utiquè invocaremus, & adhùc nobis petentibus adesset, sicut in medio Discipulorum jàm pridèm pacificans discordes, & cogitationum amphibologiam corrigens. Numquid enim non mordentur ejus viscera? Numquid non contristantur propter discordiam? Etiam valdè.

807 „ Pater enim est, & omnium Patrum piissimus, & non sustinet videre pignora hostili more se ad invicem evellentia, & disperdentia, & more piscium alterum ab altero devorari; eò quòd major contrà minorem extollitur, & qui potentior est, opprimit infirmiorem. Siccinè docuit nos Piscator Petrus hominum, qui contrà naturam prioris artis, de morte ad vitam quos piscatus est, traduxit? Heù quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte supèr contritione novæ Hierusalem de gentibus Ecclesiæ congregatæ? Qualitèr electus Populus Dei in Judam & Israel divisi fuimus, & Civitates nostræ in Hierusalem & Samariam? Ea enim, quæ de Cain & Abel, vel Esau & Jacob contigerunt, qui fratres quidèm naturà erant, hostes quidèm mente, & sic contrarii. Piget me hæc sermoni inferere, nè fortè primatui fraternitatis injurari videar, aut subripere velle credar primogenita. Verumtamèn nec pater meus senuit, nec oculi ejus caligaverunt, sed in Cœlis existens liquidè omnia videt; & his, qui injustè oppressi sunt, benedictionem largitur.

808 „ Sunt quippè hæc amara valdè, & intelligenti tinea ossium, si frequentèr ad memoriam deducantur. Sed quod sequitur, vel quod dicendum est, amariùs, & malorum omnium est pessimum, & omni gladio secante utrimque magis acutum, & magis secans, contrà quoscumque hominum fuerit adductum, sivè contrà Græcos, sivè contrà Latinos. Quid est hoc? Paulum dicentem audiamus: *Sivè nos, sivè Angelus de Cœlis evangelizaverit vobis, præter id, quod evangelizavimus, anathema sit*. Et non semèl hujusmodi gladio percutit, sed & secundò, ut majorem dolorem ex secunda percussione adducat, & ad Medicum quærendum exurgant, qui mortem animarum pertimescunt. Quid ergò dicam? Omnem curam & omnem sollicitudinem aliam à mentibus excutiamus velut pulverem à pedibus, & cum omni desiderio quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui sunt quos separat à compagine Ecclesiasticorum membrorum, quorum caput est Christus. Si nos Græcos ostendite plagam, & sanguinem à vulnere tergite, ac emplastria spiritualia apponite, & ligamentis constringite, & salvos facite fratres in periculo positos, nè pereant; & Salomoni acquiescite proverbialiter sic dicenti: *Frater in angustiis com-*

pro-

„ *probatur*. Maximè autem ipsum Dominum audiatis, qui sapientiam ipsi tribuit Salomoni, & qui loquitur per Prophetam: *Qui separaverit pretiosum à vili, quasi os meum erit*.

809 „ Si autem nos quidèm Græci sinè plaga sumus, & absque vulnere à gladio anathematis, contrà autem Italicos & Latinos acutissimè adducitur, & ad mactandum, & perdendum quosdam extenditur; existimamus, quòd non sustinebitis per ignorantiam & pravam pertinaciam vos à parte Domini separari; pro quo decem mille mortes, si foret possibile, quilibet vestrum libenti animo sustineret. Quod autē discordia magna, & dogmatum contrarietas, & Canonum destructio & rituum, quos tradiderunt Patres immutatio, materia sint sæpis, quæ separat ea, quæ priùs unita fuerant & conjuncta concordiæ, & pacis conjunctione, totus Mundus una lingua factus acclamabit, Dominum protestans, invocans Cœlum & terram in testimonium, quia nos junctis manibus vobis uniri, vel vos nobis, factâ diligenti inquisitione profundæ veritatis cum invocatione S. Pneumatis, instantissimè postulamus, nec ampliùs schismatico scandalo immeritò deturpari, & à Latinis diffamari, vel vos à Græcis depravari.

810 „ *Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi injustas oppressiones*, & *opum protervas exactiones & servitutes indebitas, quas à vobis subjectis extorquetis, formidarent*. Hinc & crudelia bella in alterutrum, Civitatum desolatio, sigilla januis Ecclesiarum impressa, fratrum schismata & sacerdotalis ministrationis prorsùs vacat operatio, nè Græcorum climatibus, ut deceret, Deus collaudetur. Unum, ut credimus, quòd Græcis jàm pridèm desupèr fuit præfinitum, hucusquè desuit, tempus scilicèt martyrii. Sed & ipsum jàm imminet, ut tribunal tyrannicum aperiatur, & sedes tormentorum proponatur, fluat cruor inundans, & nos ad martyrii studium descendamus, & bonum certemus agonem, & coronam ab Omnipotentis dextera recepturi.

811 „ Novit ea, quæ dico, & propter quid Cyprus famosa Insula: quæ novit, & quæ novos Martyres fecit, & vidit milites Christi, qui priùs per aquam transeuntes, lacrymarum computionibus, & sudoribus loti, ex confessionis laboribus per longa tempora, ad ultimum etiam per ignem transierunt: & eduxit eos agonothetes Deus in Cœleste refrigeriū. Bona numquid sunt, ò Papa Sanctissime, Apostoli Petri successor? Hæc injungit Petrus mitis, & humilis Christi discipulus? Siccinè instruit Seniores per Epistolam suam, cum scribit: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi Passionum, qui & ejus, quæ in futuro est, gloriæ communicator: pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè, non turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes Cleris, sed forma facti gregis. Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam*. Hæc est Petri doctrina, & videbunt qui non obediunt. Nobis autèm sufficit ad consolationem Epistolæ pars illa, in qua gaudere præcipit constristatos diversis tentationibus, ut examen Fidei nostræ multò magìs pretiosus auro corruptibili igne examinato inveniatur, in laudem, & honorem, & gloriam, in revelationem Jesu Christi.

812 „ Sed concede veniam, Sanctissime Domine, & omnium prædecessorum tuorum veteris Romæ clementissimæ, & sustine verba multùm amaritudinis habentia: sunt enim languentis cordis suspiria, & datur indulgentia discretis his, qui propter cordis nimiam tristitiam in verba prorumpunt per singultus. Accinge igitùr sic fortitudine lumbos tuos, & accende tuæ discretionis lucernam, & quære dragmam, quæ periit super Fidei unitate, & compatiemur Sanctitati Tuæ: etiam nos non parcemus infirmo corpori, nec fatiscentem causabor ætatem, prętendendo senectutis excusationem, non longam viam causabimur. Quantò enim laboriosiùs opus est quod incipitur, tantò magìs erit causa plurium coronarum: *Unusquisque enim secundùm proprium laborem mercedem accipiet*, sicùt generalis stadii luctator, & maximè victoriosus coronæ Paulus ait.

813 „ Non ignoramus, Sanctissime Domine, quòd quemadmodùm nos Græci nitimur in omnibus observare orthodoxam, & Eusebiam sententiam, ut in nullo erremus à Sanctorum Apostolorum, & Patrum Statutis: eodem modo veteris Romæ Ecclesiā, benè scimus, pro se utitur, ut non existimet se falli in aliquo, neque remedio indigère se asserit, vel correctione: hoc, & apud Græcorum Ecclesiam, & Latinorum dici novimus. Nàm nemo unquam in propria facie existentem turpidinem videre potest, nisi super speculum se inclinaverit, aut ab alio certificatus fuerit qualiter se circà faciem habeat, sivè turpiter, sivè non.

814 „ Habemus autèm specula multa, & magna, lucidaque, clarum videlicèt Christi Evangelium, Apostolorum Epistolas, libros Theologorum Patrum. Inspiciamus in eis, ipsa ostendent nobis qualiter unusquisque sentit, sivè nothè, sivè legitimè. Qui autèm ad speculum fuerit invitatus causâ experientiæ, cùm recesserit, confitebitur etiam invitus suum vultum esse de-

„ deformem. Deus autèm pacis conterat „ Satanam sub pedibus nostris citò auctorem „ discordiæ; pacificus, odientem bonum; „ qui causa est bonorum omnium, scandala „ facientem. Et qui pacis est Deus mittat „ ad nos, qui Pastores sumus ovium suarum „ rationabilium, Angelū pacis gaudium ma„ gnū annuntiantem,sicùt priùs,inNativitate. „ Secundùm carnem Emmanuelis Pastoribus „ brutarum oviū,& dignos faciat canere illam „ laudem mirabilem: *Gloria in excelsis Deo*, „ *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; „ & in sancto osculo ad invicem salutare. „ Gloria Domini nostri Jesu Christi, & pax „ Dei Patris, & communicatio Sancti Spiri„ tus vobiscum. Amen. *Hactenus Germani literæ*.

815 Quæ licèt aliquod pietatis specimen præseferre videantur, à Græcorum tamèn virulentia prorsùs non sunt immunes; simulat nàmque Germanus, & quidèm quasi commiserando se plurimùm optare, ut in eandem Fidem, & concordiam ambæ coalescerent Ecclesiæ; carpit tamèn Latinam Ecclesiam, quasi hæc à Græca desciviſſet, non Græca à Latina. Sed quoniàm contrarium sentiunt Latini, ad hanc controversiam dirimendam ad scripturarum provocat auctoritatem. Carpit & Romanos Pontifices, dùm fatetur, non sinè calumnia vetuiſſe, nè Deus ritu coloretur Græco; atquè etiam persecutionem in Cypro adversùs Græcos concitaſſe, adeoùt Græcorum aliqui post longum carceris squallorem, flammis absumpti essent, quos illustrem martyrii palmam collegiſſe gloriatur; quæ quidèm falsa sunt & calumniosa, longèque aliena à mansuetudine, pietateque Ecclesiæ Romanæ.

816 Id porrò, quod in præfatis literis legitur: *Et ut*, videlicèt, *veritatis medullam attingamus, multi potentes, ac nobiles vobis obtemperarent, nisi injustas oppressiones, & opum protervas exactiones & servitutes indebitas, quas à vobis subjectis extorquetis, formidarent*, non esse Germani, sed adjectum à Matthæo Parisio, qui de Græco in Latinum transtulit, suæque Historiæ inseruit, probat Wading. ad Ann. Dñi MCCXXXII. sub num. 35. quoniàm in Codice Vaticano sunt omissa. Parisium verò in universa sua Historia consueviſſe passim carpere, Romanos Pontifices, velùt cupidos, colligendarum, vel emungendarum pecuniarum. Undè Baronius ad Annum Domini MCXCVII. sub num. 16. ait, Matthæum Parisium carpendi tantùm causâ Romanos Pontifices, scribendi Historiam suscepiſſe Provinciam. Et sub num.17. recitatis Parisii verbis, admirabundus subnectit: „ Vidisti Lector, cùm legi„ sti Parisii ingenium, animique mali com„ positi malam sententiam, res fingere, ver„ baque formare indigna Romano Ponti„ fice, ut ab hoc uno tàm patenti menda„ cio cætera discas & caveas, videasque, quâ „ tunc sit homo fide dignus, cùm totus est „ in carpendis Romanæ Ecclesiæ Pontifici„ bus. *Hæc Baronius*. Et quidèm illa à Parisio fuiſſe adjecta, concordat cum Wadingo Raynaldus ad eundem Annum sub n.49. Cæterum Germanus scripsit & aliam Epistolam, directam ad Dominos Cardinales, quam ex eodem Parisio prælaudatus Wadingus exscripsit, nullo alio sibi occurrente Codice, suisque minorum Annalibus inseruit, post suprà recitatam ad Gregorium Epistolam, quæ ità se habet.

Germanus, miseratione divinâ, Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ, Sanctissimis & discretissimis, & egregiis Cardinalibus, Apostolicæ Sedis decori.

817 „ Magnum utiquè bonum est huic „ Mundo, & omnibus hominibus valdè uti„ le, discretum consilium, in omnibus agen„ dis communem habere tractatum, & in„ simùl convenire. Quod enim quandòque „ Deus uni celavit, alii inspiravit; & si „ quid dispensativè alicui bonum revelat, „ cùm in commune producitur, propagati„ vè ad utilitatem subjectæ multitudinis „ transfertur. Si autem plures sint Consi„ liarii, & sint docti & circumspecti, quan„ tum lucrum, quantaque utilitas universæ „ plebi & populo subjecto provenit? Si „ enim vir, qui sinè consilio operatur, sibi „ ipsi est contrarius, sicut Salomon, & ve„ ritas dicit: Ergò per contrarium, qui „ plura & bona habet consilia, amicos sibi „ multa charitate constringit, imò ipsos sibi „ attrahit inimicos. Quòd autem hoc divi„ num sit paritèr & cœleste, Propheta Esaias „ testatur, ubi consubstantiale Patris Ver„ bum, & magnum consilii Angelum, ad„ mirabilem Consiliatorem dicit & nomi„ nat, ut intelligatur videlicèt, quantùm „ quò ad Dominum decet Patris consilium „ ad distinguendam differentiam persona„ rum; Nàm secundùm Naturam Divinam „ una voluntas, & velle & Patris, & Filii, „ & Spiritus Sancti. Magnus ergò indè pro„ venit honor bonorum Consiliatoribus, eò „ quòd ex hoc commune cum Domino vo„ cabulum sortiuntur, si juxtà quòd ipse ac„ ceperat, consiliati fuerint pro salute hu„ mana.

818 „ Cum igitur nutu supernæ provi„ dentiæ, quæ cuncta disponit in eo quod „ expedit, magna Roma & egregia dignos „ suæ magnitudinis & gloriç vos præfecerint, „ tanquam discretione & Religione, omnes „ prædecessores vestros Cardinales alios Præ„ cellentes, sicuti Religiosi fratres nostram „ humilitatem certificarunt, supplico Sancti-

„ Ætati Vestræ, ut in agonem spiritualem „ surgatis. Induamini loricam spiritus, de„ struite maceriam sepis inimicitiæ veteris, „ inter Latinorum, & Græcorum Ecclesiam „ existentis. Arma enim vestra fortia sunt ad „ diruendas hujusmodi munitiones; & hac „ sæpè destructa, pacificare quæ divisa sunt, „ & conjunctiones pacis, & charitatis, & „ communis fidei, ea quæ à multis annis so„ luta sunt alligata & estote Consiliatores ad„ mirabiles, & Deo acceptabiles, apud San„ ctissimum & Excellentissimum Papam, vi„ rum desideriorum, spiritu cognoscentes „ eundem pacificum, mitissimum, & secun„ dum nominis sui vocabulum, vigilantem „ semper, & orantem, & Dominum suum „ expectantem quando veniet, ut eum dul„ cissimæ beatitudinis dignum faciat, qui in „ simplicitate cordis sui pascit populumChri„ sti, & in intellectu manuum suarum ad „ Pascua Paradisi deducet: manus autem, „ ut nostis, in Sacra Scriptura, operatio„ nem designat.

819 „ Nos quidem spem gerentes ex ve„ ra promissione Omnipotentis Christi, qui „ perficit veritatem suam in infirmitate no„ stra, negocium unitatis incepimus, & ad „ Sanctissimum Papam literas dirigimus. „ Exoro autem Regem Cœlorum, qui servi „ formam induit, propter servos suos inuti„ les, qui exaltatus extitit super Crucem; „ & eos qui in profundum malitiæ corrue„ rant, exaltavit ad se, ut ipse disponat in „ cordibus vestris omnem excellentem co„ gitationem, extollentem se contra frater„ nam unitatem nostram, & illuminet con„ scientias vestras lumine scientiæ, ut unum „ & idem dicamus,& non sint inter nos Schis„ mata. Maneamus autem instructi in una „ eademque mente, & non dicatur inter nos, „ sicut inter Corinthios quondam, quod *Ego* „ *quidem sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego* „ *autem Cephæ, Ego autem Christi*. Sed ut „ omnes Christi esse nominemur, quemad„ modùm & Christiani vocamur. Maneamus „ quoque instructi in una eademque mente, „ & charitate, quæ secundum Christum est, „ sectemur: & illam Evangelicam vocem ha„ bentes in bucca, quæ dicit: *Unus Domi*„ *nus, una fides, unum baptisma*, liceat no„ bis vera confiteri, & induamini formam „ amicorum, ut liceat impunè de veris con„ fiteri.

820 *Quia autem scriptum est: verba sapientis veridici, & corripientis, sunt quasi Clavi in altum defixi: & veritas plerumque parit inimicos, licèt verear, tamen confitebor. Divisio nostræ unitatis principium à tyrannide vestra oppressionis, & exactionum Romanæ Ecclesiæ, quæ de matre facta noverca, suos, quos diù educaverat, more rapacis volucris suos pullos expellentis, filios elongavit. Quæ etiam quanto humiliores, & sibi proniores, tantò magis conculcat, & habet viliores, non attendens illud Evangelicum: Qui se humiliat exaltabitur. Temperet igitur vos modestia, & licèt innata, paulisper sedetur Romana avaritia, & descendamus ad veritatis scrutinium: & veritatis inquisitione approbata, utrimque ad unitatis soliditatem revertamur.*

821 „ Etenim eramus omnes tam Itali„ ci, quàm Græci, aliquando in eadem fi„ de, & in eisdem Canonibus, pacem ha„ bentes inter nos, & pugnantes alter pro al„ tero, & inimicos Ecclesiæ confundentes. „ Et qui ab Oriente populus irruebat, hære„ ticorum tyrannide perdurante, quia fidele „ refugium habuit ad nos, & pars ejus ad „ vos, scilicèt magnam Romam, festino „ gressu, quasi ad turrim immobilem suæ con„ fugit fortitudinis, & consolationem rece„ pit utrobique, & mutua charitate frater in „ fratris suu adprotectionem recipiebatur. „ Et cum Roma multoties fuisset à gentibus „ occupata, Imperium Græcorum ab eorum „ tyrannide liberavit. *Agapitus verò & Vi*„ *gilius ad Constantinopolim propter dissensio*„ *nes, quæ Romæ erant, aliquando confuge*„ *runt, & honorificè recepti, protectione de*„ *fendebantur: licèt nobis grata vicissitudine* „ *nunquam in arcto positis, asylum, vel auxi*„ *lium præbuistis. Sed oportet nos etiam in*„ *gratis bonos esse*: Nam & piratis pacan„ tur maria & solem facit Deus oriri super ju„ stos & injustos.

822 „ Heu, heu, quàm amara divisio„ ne sequestramur, unus detrahi alii, & alter „ alteriùs, velut animæ periculum, vitat „ consortium. Quid ergò dicemus? Si nos „ jacemus, erigite nos. Nolite in casum no„ strum esse tantummodò corporalem, sed „ estote etiam nobis in resurrectionem spiri„ tualem, & gratiarum vobis debitores nos „ fortè fatebimur. Si autem culpa & initium „ scandali à veteri Roma prodiit, & à suc„ cessoribus Petri Apostoli, illa verba Apo„ stolica legite, quæ ad Galatas Paulus scri„ bit, sic dicens: *Cum autem venisset Petrus* „ *Antiochiam, in facie ei restiti, quia re*„ *præhensibilis erat*,& cætera quæ consequen„ ter Paulus tangentia Petrum ait: sed re„ pugnatio hujusmodi, ut piè credendum est, „ non alicujus causa fuit discordiæ, ut corre„ ptionis amare, sed potiùs indagationis, & „ profundioris disquisitionis, temporalem „ condescendentiam irritantis.

823 „ *Vincula enim charitatis in Christo* „ *jungebantur adstricti, fide & doctrina con*„ *formes, nulla ambitione, vel avaritia di*„ *stracti: Utinam in his illis assimiliaremini.* „ *Mentibus autem nostris scrupulum generat* „ *offendiculi, quod terrenis tantum inhiantes* „ *possessionibus, undecumque potestis abrade*„ *re, aurum & argentum congregatis, Di*„ *scipulus autem ejus vos esse dicitis, qui ait:* „ *Aurum & argentum non est mecum; Regna*

vobis

„ *vobis tributo subiicitis? Negociationibus nu-* „ *mismata multiplicatis; Actibus dedocetis,* „ *quod ore prædicatis. Moderetur vos tempe-* „ *rantia, ut sitis nobis, & omni Mundo exem-* „ *plum & exemplar*.

824 „ Videtis quàm bonum est fratrem „ juvari à fratre. solus enim Deus nullo est „ indigens auxilio, vel consilio alicujus: ho- „ mines antē indigent alter ab altero adjuva- „ ri. Ego autem, nisi vererer Magnum Apo- „ stolorum Petrum, qui caput est Aposto- „ lorum Christi, & petra fidei, reducerem „ utique ad memoriam, qualiter hæc petra „ mota fuit à base, & à muliere misera com- „ mota fuerit, permittente Christo, judi- „ ciis, quibus ipse prævidet universa, cu- „ jus judicia, Abyssus multa: qui per vocem „ Galli recordantis reduxit Petrum ad me- „ moriam verbi prophetici, & à somno de- „ sperationis excitavit eundem. Ille autem „ faciem suam lacrymis abluit excitatus, & „ confessus Deo, & toti Mundo, exemplum „ factus pœnitentiæ, claves portans Regni „ Cœlorum, & coràm omnibus hominibus „ currens, & dicens: Numquid qui cadit „ resurget nē? Qui cecidistis, surgite, in- „ tuentes in me, & obedite mihi properanti „ ad Paradisum Cœlestem, cujus aperire por- „ tas accepi potestatem. Hæc autem Sancti- „ tati Vestræ scribo, ac refero pro recorda- „ tione tantum. Novi enim quàm omni estis „ sapientia & scientia præditi, & Salomoni „ aquiescens, ad hujus verbum veni: *Da enim* „ dixit, *sapienti occasionem, & addetur ei* „ *sapientia. Doce justum & festinabit acci-* „ *pere*.

825 „ Hoc solum addam, ut verbo fi- „ nem imponam, quod videlicèt multæ, & „ magnę Gentes sunt, quę nobiscum sapiunt, „ & nobiscum, qui Græci sumus, conve- „ niunt in omnibus. Primi illi, qui in pri- „ ma parte Orientis habitant Aethiopes, dein- „ de Syrii, & alii, qui graviores sunt & ma- „ gis virtuosi, scilicèt Hiberi, Lazi, Ala- „ ni, Gothi, Chazari, innumerabilis plebs „ Russiæ, & regnum magnæ Victoriæ Bul- „ garorum. Et hi omnes tanquàm Matri no- „ stræ obediunt, in antiqua Orthodoxia im- „ mobiles hactenùs persistentes. Deus autem „ Sanctus, qui pro nobis homo factus est, & „ qui in caput positus est Ecclesiæ de Genti- „ bus congregaræ, congreget nos iterum in „ unitate fidei, & dignetur Græcorum Ec- „ clesiam, unà cum sorore sua & veteri Roma „ glorificare principem pacis Christum, per „ unitatem fidei in restitutionem Orthodo- „ xiæ. in qua ab antiquitùs convenerunt. „ Det vobis charitatem fraternam, regat vos, „ omnea Sanctissimi Cardinales, manus Om- „ nipotentis Dei, donec ad portum traquil- „ lum cum gaudio pervenire possitis. Gra- „ tia Dei cum omni vobis. Amen. *Hactenus Epistola*.

826 Sed interpollata & pluribus in locis adjectionibus à Parisio corrupta: universa namque sub num. 789. & sub num. 792. & quæ cursivo charactere sub num. 790. contenta, ab eodem Ecclesiæ Romanæ hoste Parisio, vel ab alio ei simili adjecta, nemo est qui non videat, si styli etiam diversitatem attendat, & si quantum distet à modestia, cætera scribentis advertat. Demptis porrò præfatis adjectionibus, optimè antecedentia cum subsequentibus nectuntur: Etenim post verba auctoris in fine numeri 788. *Liceat nobis vera confiteri, & induamini formam amicorum, ut liceat impunè de veris confiteri*, demptis quæ adjecta sunt sub num. 789. rectè connectuntur cum iis quæ habentur sub num. 890. ubi dicitur: *Etenim eramus*, usque ad illa verba: *Et cum Roma multotiès fuisset à Gentibus occupata, Imperium Græcorum ab eorum tyrannide liberavit*. Quæ posteà nectuntur cum his quæ sub num. 791. sunt apposita, *heu, heu, quàm amara divisione sequestramur*, resecatis quæ de Agapito, & Vigilio, ac Romanorum ingratitudine intermediantur. Sicut pariter per verba illa in fine numeri 791. *Sed potiùs indagationis, & profundioris disputationis, temporalem condescentiam irritantis*, optimè cohęrent quæ subjunguntur sub num. 793. *Videtis quàm bonum est fratrem juvari à fratre*, non sic tamen cohærent interjecta sub num. 792. quæ prorsùs aliena sunt ab instituto antecedentium.

827 Nec Germanus, qui pietatem affectabat, modestiam, & speciem quandam humilitatis & reverentiæ ergà Romanos Pontifices, probabile est voluisse apertis mendaciis eosdem, & Romanam Ecclesiam reprehendere. Nemo sanè ante illum, licèt pertinacissimus Schismaticus, non Photius, non Michael Cerularius, non Balsamon, non quivis alius aut promotor, aut Schismatis fautor ausus est asserere Ecclesiam Græcam descivisse à Romana propter tyrannidem, & iniquas exactiones, ut frontosus interpollator adjecit. Imò Germanus in Epistola data ad Gregorium, potiùs vult Romanam à Græca, quàm hanc ab illa descivisse. Et licèt Agapetus coactus Theodato Gothorum & tunc Romanorum Rege Legationem susceperit ad Justinianum Imperatorem, Vigilus tamen non propter exortas Romæ dissensiones, quasi quærens præsidium, Constantinopolim est profectus, sed ipso Justiniano accersitus propter edictum de tribus Capitulis ab eodem Principe promulgatum, & ex eo indè exortas controversias: & quanta mala coactus fuerit subire, in Superioribus suo in loco nos ipsi demonstravimus.

828 In eo verò censuram meretur Germanus, quod eis literis non tàm Romanæ Ecclesiæ gratiam colligere velle videtur, quàm Græcorum Rex amplificare, ritusque ostentare, dùm in fine Epistolæ, populos, qui Græ-

Græcæ Ecclefiæ morem gerebant, Æthiopes, Syros, Hiberos, Lazos, Alanos, Gothos, Chazaros, Affaros, Ruffos, & Bulgaros commemorat, nulla facta mentione, quod fefe Ecclefiæ Romanæ velut Matri & Magiftræ fubiicere vellet: & folum preces ad Deum effudit, ut utramque conjungeret Ecclefiam: Et itá magis ad oftentationem talia fcripfiffe evincitur, quàm ad effectum procurandæ unionis, ut inde ipfe rerum probavit exitus. Deinde falsò fe Archiepifcupum Conftantinopolitanum infcripfit, cum alter illi Ecclefiæ legitimè prælatus effet: à Græcis tamen fuerat tali dignitate infignitus erecta Sede Niceæ, quò etiam Græcus Princeps Theodorus Lafcaris, folium Græci Imperii vel dominatus tranftulerat. Hic porrò Germanus in Sede Epifcopali fucceffcrat Manueli Philofopho, Manuel verò Michaeli Antyrianó à Theodoro Lafcari in Nicæa ad Thronum evecto: Nam poft Joannem Camaterum ufque ad hunc Emanuelem, Graci carvere Patriarcha.

829 Quid verò Domini Cardinales acceptia Germania literia refponderint, fub filentio latet, injuria temporum confumptis literis. Pontifex verò receptis per manus Nuntii, quem Germanus Legaverat, literis, perlectis, ac diligenter examinatis, refponfivas fecit, quibus paterno affectu refutavit quidquid ille contra Petri primatum objeciffe vifus eft, ac gravi Oratione Græcos exoravit, ut ad unitatem & gremium Catholicæ Ecclefiæ reverterentur. Et commiffa duobus Religiofis Legatione, Nicæam remeare fecit, datis antefatis refponfivis literis, tenoria videlicèt fequentis.

Gregorius Epifcopus fervus fervorum Dei, Venerabili Fratri Germano Græcorum Archiepifcopo, falutem & Apoftol. benedict.

830 „ Fraternitatis tuæ literis, nobis & „ fratribus noftris per tuum Nuncium præ„ fentatis, qua decuit benignitate receptis, „ earumque tenore plenius intellecto, difpo„ fuimus Viros Religiofos vitæ laudabilis & „ probatæ fcientiæ ad tuam præfentiam defti„ nare: qui verba vitæ deferent, & noftram „ fratrumque noftrorum exponent pleniùs „ voluntatem. Verùm quià, *de comedente* „ *exivit cibus, & de forti egreffa eft dulcedo*, „ nè ex ore demortui Leonis, non fine rubo„ re fcribentis, à patre fauus exhibitus con„ temnatur: pauca ducimus refcribenda, nè „ viderentur fcripta defpici, fi contingeret „ non refcribi: *Audiens enim fapiens fapien-* „ *tior erit; & intelligens, gubernacula poffi-* „ *debit*.

831 „ Licèt autem Chriftus, ficut tuę „ feriea Epiftolæ texebat, primus fit & præ„ cipuum fundamentum fidei, quod fatemur, „ præter quod aliud poni non poteft: fecun„ da tamen & fecundaria fundamenta legimua „ Apoftolos & Prophetas: & fundamenta „ Sion in Montibus Sanctis, & Cives fuper„ næ Hierufalem fuper fundamenta Apofto„ lorum & Prophetarum fuper ædificati le„ guntur. Inter quoa primus & præcipuus „ Beatiffimus Petrus, non fine caufa, fed „ ex prærogativa fpeciali, à Domino audire „ meruit: *Tu vocaberis Cephas, quod inter-* „ *pretatur Petrus*: ut ficut in capite plenitu„ do fenfuum confiftit, à quo ad fingula mem„ bra occultis meatibus para aliqua tanquam „ à fonte rivulus derivatur, fic tres fidelium „ ordinea in Ecclefia, Noe, Daniel, & Job, „ prælati videlicèt, continentes, & conju„ gati, quoa Ezechiel vidiffe legitur in vi„ fione falvandos, à Petro petra, fuper quam „ non Domum faltus Libani, nec porticum „ Columnarum, nec Domum filiæ Pharao„ nis, fed Ecclefiam fuam ædificavit Domi„ nus fidelibus, velut de omni genere pifcium „ in ejus rete conclufis, tanquam à Primate „ primatum, qui de fonte Dominici pecto„ ria fluenta potavit, & fuæ falutis debent „ poftulare remedia, & cum omni patientia „ & doctrina, non contentiosè vel fuperbè „ in aliquo refiftentes, à mentis fuæ tenebris „ dubietatis fcrupulos amovere.

832 „ Nec obftat quod afferis, fi tem„ pora locumque diftinguas, Paulum Petro „ in faciem reftitiffe, cùm difpenfatione ab „ Orthodoxis patribus hoc factum effe lega„ tur: dùm Petrus Legem Mofaycam profi„ tendo, Judæos; & Paulus circumcifionem „ evitana, totis viribus lucrifacere ftudue„ rit ex hujufmodi fimulatione Gentiles. „ Alioqnin & Paulum perambulantem Sy„ riam, & Ciliciam, cùm perveniffet De„ ben & Lyftram, ex eo redargues, quod Ti„ motheum, ex Patri Gentili Ortum, fide„ lis Viduæ filium, circumcidit. Secundò „ etiam & tertiò vel fe, vel Paulum argues, „ qui cum navigaffet Syriam, & cum eo ef„ fent Prifcilla & Aquila, & Caput timore „ Judæorum totondiffet in Lenchris, quare „ comam, quam ex voto nutrierat, quod „ Nazarei, qui fecundò voverant, juxtà præ„ ceptum Moyfi facere confueverant, ibidem „ totondit in lege?

833 „ Si, frater chariffime, dignitatis „ myfterium, & auctoritatis officium, ple„ no intellectu diftingues, & Petri & Pauli „ Zelum confideres, qui animaa tantummo„ dò fitiebant, eoa nec in morte, quos ea„ dem fides & paffio verè fecit effe germanos, „ nec dùm viverent, in doctrina invenie„ fuiffe difcordes. Licèt enim Petrus pro du„ ræ cervicis Judaico, & Paulus pro Gentili „ populo, lac parvulis, & efcam provectis „ exhibentes, diverfia lingua & ritibua la„ boraverint: cum jam plenitudo temporis

ad-

„ advenisset, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, & alios articulos fidei, secundum gratiam sibi datam à Domino, in uno eodemque spiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex Verbo Domini Petro & cæteris Apostolis universaliter sic dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta erunt*, cum Perro mysterium dignitatis exercens: & ex verbis ejusdem auctoritatis singulariter Petro propositis. *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, in Petro auctoritatis officium recognoscens. Ideoque ad eum, tanquam Primatem & Evangelii Dominici fontem, venit Jerosolymam; & postmodum cum ipso & aliis secundum revelationem contulit Evangelium, nè in vacuum cucurrisset. Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantùm septies, sed usque septuagies septies præcipitur remittendi: Ipsi soli oves indistinctè committens, qui tàm speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabhatis positi, ad umbram ejus sanabantur infirmi. Cujus auctoritas ex ejusdem Domini verbis expressius confirmatur, cum sibi dictum est. *Duc in altum*; & pluraliter subinfertur: *Laxate retia in Capturam*. Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit: *Tu es Christus, Filius Dii vivi*, Claves Regni Cœlestis in terris solus accepit, cùm *unus sit Dominus, una fides, unum baptisma*, unum principium, unum corpus militantis Ecclesiæ, & corpus cum multis capitibus mostruosum, & sine capite Acephalum censeatur: restat ut ad regimen generalis Ecclesiæ, quam idem cum Paulo & cæteris de Gentibus Græcis, Latinis, & Barbaris congregavit, caput ejusdem & suum Dominus, per ea quæ promissa sunt, ostenderet successorem.

834 „ Prævidens autem Dominus, quod Ecclesia à tyrannis conculcaretur, & ab hæreticis laniaretur, & à Schismaticis scinderetur, dixit: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & aliquando conversus confirma fratres tuos*. Ex quo colligitur evidenter, quòd dolentes dicimus, ut Epistolæ tuæ verbis utamur, præsumptuosè quidem, non per manus militum, sed Ecclesiasticarum personarum sensus, veri Joseph talaris tunica, & inconsutilis, est passa scissuram. Sed quid sciderit videamus.

„ 835 „ Cùm Græcorum Ecclesia à Romanæ Sedis unitate recessit, statim privilegio carvit Ecclesiasticæ libertatis: & quę libera fuit, facta est sæcularis potestatis ancilla, ut justo Dei judicio, quæ noluit Divinum recognoscere in Petro primatum, toleret in vita dominium sæculare. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & à fraterna charitate tepescens, licentiùs per Campum licentiæ non refrenate discurrit, ut sine alicujus reprehensione licitum sub illicito palliaret, & à templo Petri recedens, à Domino quasi attritum foris eiicitur: quod virga sua Joannes, prohibente Domino, non metitur, quoniàm datum est illud Gentibus, quod jam conspicis visibiliter consumatum.

836 „ Quod Samaria, quæ à templo Domini, & à Juda & veræ fidei confessione recedens, facta Idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuis attrita, & pondere peccatorum gravata (licèt Elias & Eliseus tanquam magna luminaria, ibidem, sicut in loco Caliginoso, refulserint) data est Gentibus, projecta est foris in vindictam fornicationis & Idololatriæ, quibus se à Domino separavit. Quod si Paulum Græcorum Ecclesia se habere proponit, exhibeat: vel à successore Petri & Vicario Jesu Christi in Apostolorum Basilica, quæ à Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notavit mysterium, licèt literis tuis sub forma reprehensionis insertum fuerit: quod Petrus ter motus ad Galli cantum excitatus, factus est ostiarius Paradisi: ut videlicèt qui præesse debuerat, pati sciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum est: *Pasce*, non pascite, *oves meas*, non alienas, ad successores misso exemplo veri Pastoris, subditorum excessus ad unitatem Ecclesiæ redeuntium in spiritu lenitatis corrigeret: & cultum Christiani nominis spontè professos, ab Ecclesia aberrantes, exigente contumacia, juxtà verbum Apostoli, *tradendo hujusmodi Satanæ in interitum carnis*, ad ovile reduceret vel invitos.

837 „ Si verò ex compassionis affectu ad Apostolicæ Sedis Primatem, sicut verus Israelita recurris, & super conditione Joseph, de scissura inconsutilis tunicæ mota sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apostolo condolemus: & ei ad grates assurgimus, qui oculos cæci nati aperuit: humiliter postulantes, ut qui per collyrium ex felle piscis Tobiæ oculos illuminavit, corda Ecclesiæ Græcorum cum tuo illuminet, & nostris tuisque temporibus ad unum ovile & unum Pastorem providentia Divina reducat. Librum igitur de quo dictum est Joanni in Apocalypsi: *Accipe frater charissime, & devora illum: & si amaricare faciat ventrem tuum*, propter contritionis aculeos, qui principio pugnant; *tamen in ore tuo erit*

dul-

„ *dulcis ad instar mellis*, juxtà verbum Sponsi dicentis in Canticis: *Sonet vox tua in auribus meis: vox tua dulcis*. Et prudentiæ tuæ conscientiam sine aliqua superstitione regyra, & illuminatus reperies, quod Romana Ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum caput est, & Magistra, in speculo à te proposito (Evangelii videlicèt, & Epistolarum, & doctrina aliorum Doctorum) nil contrarium invenit, quod interpretativè, vel dispensativè, secundum statuta Sanctorum Patrum, in unitate fidei, & spiritus non concordent.

838 „ In cujus libri aperitione invenies, quod Romanus Pontifex, omnibus omnia factus, ut omnes salvi fiant, non turpis lucri gratia, vel voluntariè, sed à fratribus suis Divina inspiratione vocatus, statim servus servorum Dei effectus, murum pro fratribus suis, & Coepiscopis, & eorum Subditis contra hæreticos, schismaticos, & tyrannos, ad tuitionem Ecclesiasticæ libertatis cum suis fratribus se opponit. Et licèt quidam subrepant, publicè tamen ab omnium incursibus modernis temporibus Ecclesia Romana respirat.

839 „ Sed is Græcorum Ecclesia patienter sustineat (ut verbis tuis utamur) verba quæ mordeant, præter animarum pericula, quæ ex scissura eorum proveniunt, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus Ordo Ecclesiasticus per diversas Nationes Orientis in diversa partitus confunditur, Ecclesiastica libertas deprimitur, & Sacerdotalis dignidignitas conculcatur: *& non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius*, quià tanquam Acephali ad caput Ecclesiæ reverti contempserunt. *Revertere* igitur *Sunamites, revertere, revertere, ut intueamur te*: quia tunc rectè poterit frater à fratre adjuvari, si filius qui contempsit omnia dissolutè vivendo, à Domino inspiratus surgat, & dicat: *Pater, peccavi in Cœlum, & coràm te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de Mercenariis tuis*: tunc enim Pater, non ut Mercenario, sed ut Filio revertenti occurrens, *primam stolam proferet, & occidet vitulum saginatum*, & generale convivium faciens omnibus Christi fidelibus, in exultatione annuntiabit, & gaudio, quod, & frater, & filius, qui mortuus fuerat, jàm revixit: & Dragma, quæ perierat, inventa est: Et sic te in gremio Matris Ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifestè videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia Latina servat in fidei unitate, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reate VII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto. *Hactenus ad Germanum Gregorius*.

840 His missis litteris, Gregorius, cui in corde erat præfata Græcorum unio, ut nihil omitteret quod ad optatum finem conducere conspiciebat, anno sequenti: nimirum, Domini MCCXXXIII. sui Pontificat. Anno VII. Friderici in Occidente Imperatoris Anno XIV. Balduini II. Imperatoris Orientis Anno V. (Hic enim Roberti filius Patri adhuc puer, ut ità dicam, successit in Imperio Anno Domini MCCXXVIII. quo ille objerat) Indictione VI. doctrinalem Germano scripsit Epistolam, qua Græcorum errores refutare aggressus est, ac Romanum Pontificem utroque gladio, humana scilicèt, & Divina authoritate pollere, augustissimasque Christi Domini in terris vices gerere, à quo Græci ingenti suo damno desciverant: necnon Romanæ Ecclesiæ ritus in corpore Christi in pane azymo consecrando, Sanctissimos esse demonstravit: hortatus denique ad ejusdem Ecclesiæ castra, damnato Schismate, cum omnibus auctoritati illius obnoxiis se conferret. Ad eam verò ferendam Epistolam, quatuor selegit Viros Religiosos, pios, ac doctrina præditos, quos Apocrisiariorum Apostolicæ Sedis honore cumulavit, duos exordine Fratrum Minorum, Fratrem Aymonem videlicèt, & Fratrem Rodulphum, alios ex inclyto Prædicatorum ordine, Fratrem scilicèt Ugonem, & Fratrem Petrum, quos, ut viros conspicuos, morum honestate præclaros, & Scripturarum Sacrarum scientia preditos in eadem Epistola commendavit Pontifex, quam ex Vaticano M.S., & altero Bibliothecæ sfortianæ excripsit Wadingus, atque suis Minorum in Annalibus inseruit ad hunc Annū MCCXXXIII. sub num. VIII. ad hunc modum se habentem, videlicèt.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Græcorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

841 „ Cum juxtà testimonium veritatis occasio sit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire: quia quæ in eis inspiratio Divina reposuit pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sanè sub Hieroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Israelem, præsumpta divisio Tribuum patenter signat Schisma Græcorum; & multitudo abominationum Samariæ, diversas hæreses multitudinis, à veneratione veri Templi Domini, Romanæ videlicèt Ecclesiæ reverentia separatæ. Quod Chrysostomus, Nazianzenus, Magnus Basilius, & Cyrillus emicuerint in cœtu dissentientium, eadem fuit Cœlestis altitudo Consilii, qua degere voluit Idololatras Heliam, Helisæum, & Filios Prophetarum.

842 „ Nunc igitur quia in aliis literis, quas dudùm tibi remisimus, latiùs hanc, & alias, auctoritatem, & rationem, quæ

„ pro Romanæ primatu Ecclesiæ faciunt, „ materias explicamus, illud tantùm adjicimus, quòd utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Jesu Discipulis de acquisitione gladii spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicèt spiritualis, & corporalis offensæ. Si materialem pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quod in Matthei Evangello Dominus dicat Petro: *Converte gladium tuum in locum suum*, dicendo, *tuum*, materialem significavit gladium, quo percusserat ille servum Principis Sacerdotum. De spirituali nemini venit in dubium, cùm ei, idest Petro, per cujusdam specialitatis apicem, ligandi, & solvendi commiserit potestatem. Uterque igitur gladius Ecclesiæ traditur: sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius pro Ecclesia manu sæcularis Principis eximendus; unus à Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis administrandus à milite.

843 „ Propter hoc ergò & alia, quæ post diligentem veritatis indaginem, ordinatam te sentire faciant charitatem, latores præsentium Hugonem, & Petrum de Prædicatorum; Aymonem, & Rodulphum de Minorum Ordinibus Fratres, viros virtute Religione conspicuos, morum honestate præclaros, Scripturarum sacrarum scientiâ præditos, juxtà quod tibi per memoratas literas intimare curavimus, & ad te duximus destinandos: ut si cum eis de omnibus, quæ in quæstionem veniunt, tractare fidelitèr, & socialitèr conferre decreveris, in rota, quæ infrà rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo speculari, quòd unus Adam collocatus ad opus, & custodiam Paradisi, unam est fortitus uxorem, unum Dominum Jesum Christum in justitia, & veritatis sanctitate creatum, & unicam Sponsam ejus Ecclesiam præfigurans, quòd Lamec, qui humiliatum sonat, dùm uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit: quòd alia præter unam Arca non legitur, quæ cuncta vastante diluvio, sub unius Patriarchæ remigis potentatu, paucas animas sub perfectionis numero reservavit: quòd legem Domini secundò dedit, non alteram, sed eandem; quòd duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrāt, non aliorum versi, sed respicientes erant eorum vultus ad unum: & unam Joseph tunicam fuisse talarem, & nostri Salvatoris inconsutilem vestem unam.

844 „ Verumtamèn si dubietatis sensum, circà Augustissimū Eucharistiæ Sacramentum, vester diversus à nostro ritus inducit: attende, quòd non sit aliud, nec diversum unius Domini nostri Jesu Christi, priùs in assumpta propter nos carne passibilis, post sicùt à morte, sic ab omni passibilitate prorsùs immunis, à Græcis pariter, & Latinis nostræ salutis mysterium frequentatur. Græcus ad Fidem cum Discipulorum Juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus compassus miseriæ humanæ, homo voluit esse passibilis, eligens quotidiè reminisci, hostiam offerre constituit fermentatam: ut Apostolo dicente, quòd ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui antè Resurrectionem Corpus Dominicum subjacère potuit, ostendatur.

745 „ Latinus verò cum Petro Seniore secutus literæ monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introivit, & linteamina posita, quæ Sacrosanctum Corpus, quod Ecclesiam signat, involverant, separatumque Sudarium, quod fuerat super caput, aspexit: Sacramentum glorificati Corporis celebrare mirificentiùs in azimis sinceritatis elegit. Sed utique panis simplex antè Sacrificium panis est; Transubstātiatione verò facta per verba Dominica, panis non est, & ideò nec fermentatus nec azimus dici potest; sed ille potiùs creditur esse panis vivus, qui descendit de Cœlo, & tribuit vitam mundo. Hęc & his similia docuit Petri Sedem unctio spiritus, & sanitas intellectus. Utinà & tu tandèm aliquandò Juniorem Discipulum, qui vidit, & credidit, secutus introeas, ut omnibus intellectis, nobiscum verè psallas illud Davidicum: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*. Datum Laterani xv. Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno VII. *Hactenus Epistola*.

846 Hac muniti Epistola antefati viri Religiosi Apostolicæ Sedis Apocrisiarii, profecti sunt in Orientem, & quibusdam consumptis in itinere mensibus, tandèm ineunte proximo anno, Niceam pervenerunt Dominicâ primâ post octavam Epiphaniæ, ut ex codice Vaticano inscripto *Centii Camerarii*, refert Wading. ad An. antedictū MCCXXXIII. sub nu.x. ubi omnia ad hanc Historiam pertinentia continentur: & ex eo ipse transcripsit. Erantque eâ in Urbe Joannes Dux, Græcorum Imperator, & Germanus Patriarcha, qui in occursum illorum longè à Civitate proprios miserunt, à quibus exciperentur Nunciis: deindè obviam processerunt majores Ecclesiæ Canonici, quibus stipati ducti sunt in Civitatem, ac indè in magnam Ecclesiam, posteà verò per loca transeuntes Civitatis eodem comitatu ad Hospitii locum, honorificè Imperatoris jussu præparatum, lautè ministratis, & abundantèr, quibuscumque ad refectionem corporis necessariis.

847 Sequenti die, inquiunt Acta, suas literas Patriarchæ in publica aula dederunt, con-

consedentibus, & circumstantibus universia Urbis Ecclesiasticis, præmonitis, ut Legationi referendę adessent. Dipploma, ut accepit Patriarcha, osculatus est magna cum reverentia, & ad suos conversus, inquit: Petrus, & Paulus, verba referens ad exculptas effigies, & expressa nomina Sanctorum Apostolorum in plumbo pendenti. Interrogati deindè, an velùt Legati Sedis Romanæ accessérint, vel Concilium indici vellent. Responderunt, pro Apocrisiariis, aut meris Nunciis missos, non ad Concilium convocandum, sed eum ipso Patriarcha tractandum, nequè velle, ut Legatorum honores sibi deferrentur. Contendente verò Patriarchâ vel minimo Nuncio Papæ veteris Romæ summos deberi honores, iisque gratias agentibus, multis hinc indè curialiter dictis, redierunt domum, magnâ & præcipuè Cleri parte comitante.

848 Feriâ tertiâ per Nuncios præmoniti, ut in Imperatoriam ascenderent, accesserunt, Imperatorem salutarunt ea, qua decuit reverentia, gratias reddentes pro acceptis honoribus, & beneficiis, qui amicabilitèr, & benignè eos excepit, præsente Patriarcha cum magna parte Cleri; coràm quo caufam sui adventus exposuerunt, addentes Patriarcham literas excepisse, eandem pleniùs continentes. Actum deindè est de illorum potestate, quam dixerunt ex literis Pontificiis constare, & Pontificem ratum habiturum quidquid illa circà unionis negotium concluderent.

849 Statim ergò tractatum est de modo, quo in hac causa procedendum esset, an publica disputatione, vel amica collatione? An in aperto Concilio, vel cœtu privato. Respondentibus Apocrisiariis, se non ad disputandum circà aliqua, de quibus Ecclesia Romana dubitaret, missos, sed ad agendum de unione utriusque Ecclesiæ, & explicanda amicè ea, de quibus illi dubitabant, vel propter quæ recesserunt. Tandèm multis hinc indè prolatis de causa, vel modo recessus, deventum est ad duo separationis capita: nimirum, differentiam circà processionem Spiritus Sancti à Filio, & confectionem Latinorum in azimis. De his itaquè determinatum est, ut tractaretur, monuerunt tamen Apocrisiarii, rem gravissimam esse, multamque præmittendam orationem, in sacrosanctisque sacrificiis petendum, ut Deus dignaretur illorum mentes illuminare, & Spiritus Sanctus infundere, quid æquè & dignè de sua processione esset proferendum.

850 Toto die Mercurii institerunt precibus & jejuniis: die verò Jovis vocati in Cæsaris Palatium, ubi inchoata est prima collatio de Spiritus Sancti processione, licèt Apocrisiarii quibusdam de causis voluerint, ut ab alia controversia de Sacramento Altaris inciperetur. Propositâ Græcorum Fide per Patriarchæ Chartophylacem, deventum est post varias disceptatiunculas ad rei medullam, an scilicèt catholicè asserendum erat, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere? In eo per aliquot dies multùm & acritèr institerunt Græci, temerè & contrà veram Fidem, Sanctorumque Patrum doctrinam additum à Latinis illud verbum, *Filioque*, Symbolo Fidei, præcipuè contendente Patriarchâ ex Epistola Cyrilli Alexandrini ad Joannem Antiochenum, quæ incipit: *Lætetur Cœlum, & exultet Terra*, non licere mutare, addere, nec detrahere voculam illam Symbolo Nicæno. Hactenus Acta in terminis: quæ verò sequutur, compendiosiùs ex eisdem Actis referam.

851 Recitata est Cyrilli Epistola: respondentibus Legatis, Cyrillum loqui, non esse addendum quidquam, nec detrahendum ad fidem Symboli, ipsumque Cyrillum obitèr docere, Spiritum Sanctum à Filio quoq; procedere: Græci, omisso Cyrillo, interrogarunt, an Latini confiterentur apertè se quidpiam Symbolo addidisse. Tunc Apocrisiarii rogarunt, ut Nicænum Symbolum recitaretur: quo recitato, iterùm recitari rogarunt Symbolum Constantinopolitanum: quo paritèr recitato, dixerunt, damnandos esse Patres Constantinopolitani, proptèr additionem Nicæno Symbolo ab eis factam, cùm plures voces constet adjectas Symbolo Constantinopolitano, quæ in Nicæno desiderantur, semèl quòd Latini propter unam superadditam voculam damnandi sunt. Cùmque Græci respondissent, præfatas voces adjectas Symbolo Constantinopolitano non esse additionem, sed clariorem explicationem. Apocrisiarii eandem responsionem in eos retorserunt ex additione illius vocis, *Filioque*, à Latinis Symbolo adjectæ. Prolata sunt indè diversorum Sanctorum Patrum testimonia, maximè Cyrilli, probantia, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere. Ac deniquè probatus est usus Latinorum conficiendi in azimo, licèt compendiosè, nervosè tamen.

852 At Patriarcha, ut sibi consuleret, aliud remedium excogitare non potuit, nisi allegare, non suum dumtaxàt esse negotium hoc, neque ad eum solum spectare quæstiones istas dirimere, nec unionem perficere, sed ad confratres suos Patriarchas Hierosolymitanum, Antiochenum, & Alexandrinum, hæc etiam attinere: quos se convocaturos fatebátur in Concilium ad Martii medium, cui, ut interessent Apocrisiarii, rogavit coràm Imperatore sequenti die discessuro. Quo audito, dixerunt Apocrisiarii: neque ad Concilium, neque ad alios Patriarchas se à Pontifice missos: attamèn si ei placeret, in potestate esse Synodum congregare; atque in ea de sancta & desiderabili unione petractare, se verò Constantinopoli oppetituros Patriarcharum determinationem, ut eam referant Pontifici; ac indè bona cum Patriarchę venia è Nicæa recesserunt versùs Constantinopolim.

853 Intimatum est Concilium à Patriarcha apud Lescheram celebrandum, indè translatum apud Nympham, vel Nympheam ad Pontum Euxinum, ad quod vocati Apocrisiarii interesse primùm recusarunt, sed intercedente Imperatore Constantinopolitano, ac instantibus Fratre Benedicto Aretino Ministro Romaniæ, & Fratre Jacobo de Russano ex Minorum Ordine, tunc Constantinopoli degentibus, acquieverunt. Quarè solventes Constantinopoli Dominicâ tertiâ Quadragesimæ, pervenerunt ad statutum locum Dominicâ Passionis, gratantèr à Græcorum Imperatore excepti. Aperta est Nymphea Synodus feriâ secundâ post Pascha, Anni Domini MCCXXXIV. Pôtificatus Gregorii VIII. Imperii Friderici XV. Balduini verò Secundi VI. Indictione VII. Et vocati Apocrisiarii proposuerunt quæ acta Nicææ fuerant, & causam eorum adventus; indè orta est dissensio, an incipiendum esset à controversia de processione Spiritus Sancti, nùm ab azymo & fermentato; deniquè conventum est, ut Græci professionem suam fidei circà materiam Eucharistiæ scripto traderent, Latini verò circà Spiritus Sancti processionem. Hinc Græci Apocrisiariis Apostolicæ Sedis sequentem fidei professionem tradiderunt.

Professio Fidei Græcorum, qui convenerant in Synodo Nymphæ, celebrata circà materiam, in qua conficiendum erat Sacramentum Altaris.

854 „ Quæsierunt à nobis honorabilissimi Apocrisiarii Sanctissimi Papæ antiquioris Romæ, si possunt conficere Anematon, hoc est sacrificium Corporis Christi in azymis, & respondimus, impossibile esse hoc hominibus volentibus sequi novam gratiam, propter eam, quam à principio traditionem Salvator tradidit Sanctis suis Discipulis & Apostolis per fermentatum panem, secundùm tenorem Evangelicorum. Tradiderunt autem & ipsi hujusmodi mysterium, quale & ipsum acceperunt secundùm sermonem Magistri Pauli scribentis ad Corinthios sic: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit Arton, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similitèr & Calicem postquàm cœnavit: Hic Calix novum testamentum est in Sanguine meo; hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem; quotiescumque enim comedetis panem hunc, & hunc Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quià ego sic, & vos accepimus ab bonæ famæ Apostolis, sicut & ipsi acceperunt à Christo, & sic tenent quatuor Ecclesiæ Diœceses Orbis usquè nunc: Extimamus autem, quòd & Diœcesis antiquioris Romæ & sic accepit, & sic tenebit. Proptèr hoc dicimus, quòd non potest consumari sacrificium per azyma, ut azimo per se existente, cujus typus cessavit legalis servitutis. Et hæc quidèm scripsimus quasi in compendio, secundùm Apocrisiariorum voluntatem non patientium audire latiùs. Si autem quærantur à nobis auctoritates, & probationes sermonis nostri, tunc dilatabimus, & à veteri, & à novo Testamento. Mense Aprilis, Indict. VII.

Joannes Chartophylax sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ Constantinopolis, ex præcepto Sanctissimorum Patriarcharum universalis Theopolitanæ, magnæ Antiochenæ, & eorum, qui cum eis aderant Præsulum, subscripsi.

855 Lecta est publicè hæc fidei professio in ipsa Synodo, deindè tradita Venerabilibus Apocrisiariis, qui ad eandem respôderunt, prout infrà subjiciemus. Deindè suam tradiderunt, priùs lectam coràm omnibus, professionem circà Spiritus Sancti processionem, tenoris subsequentis.

In nomine Domini, Amen. Definitio Apocrisiariorum Gregorii IX. quòd Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat æqualiter.

856 „ Pater perfectus Deus, & in seipso, Filius perfectus Deus, à Patre genitus, Spiritus Sanctus perfectus Deus, à Patre, & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidèm immediatè, at ex Patre mediante Filio. Quòd enim Spiritus Sanctus à Filio procedit, id Filius habet à Patre. Propterea qvicumque non crediderit Spiritum Sanctum à Filio procedere, in via perditionis est. Undè Sanctus Athanasius, dùm in partibus Occidentalibus exulabat, in expositione Fidei, quàm latinis verbis reddidit, sic ait: *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedent.* Idemque Athanasius in expositione Fidei, quam græcis verbis declaravit, sic ad verbum inquit: *Spiritus autem Sanctus processio est Patris, omniaque portantis Filii, per quem replevit omnia.* Undè Sanctus Gregorius, qui jure dicitur Thaumaturgus, seù mirabilium effector, Neocæsareæ Ponti Episcopus, in expositione Fidei, quàm per revelationem à B. Joanne Evangelista, mediante Dei Genitrice, accepit, sic

„ sic apertissimè exclamavit dicens: *Unus* „ *Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsi-* „ *stentis, & potentiæ, ac characteris sempiterni,* „ *perfectus perfecti Genitor, Pater Filii Uni-* „ *geniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus* „ *ex Deo, Character, & Imago Deitatis, Ver-* „ *bum operativum*, & reliqua. At hic de Fi- „ lio loquens, dicit: *solus ex solo*. Non ergò „ Spiritus Sanctus ex solo est: ergò ex Pa- „ tre, & alio, cùm sit ab aliquo.

857 „ Cæterùm dùm dicimus ex Patre, „ & alio, non dicimus ex alio quò ad sub- „ stantiàm, at secundùm hypostasim, seù „ subsistentiam. Quòd enim Spiritus San- „ ctus immediatè ex Filio sit, ex Patre au- „ tem mediante Filio, testatur Gregorius „ Nyssenus, ità dicens: *Nos, qui divinam* „ *naturam differentiæ, variationisvè esse confi-* „ *temur expertem, eam, quæ circà causam &* „ *causatum consideratur, differentiam non infi-* „ *ciamur; per quod solum comprehendimus al-* „ *terum ab altero discerni, nimirum eò quòd* „ *credimus; aliud quidèm causam esse, aliud* „ *autem ex causa, & ex eò quòd causa est.* „ *Quin & aliam rursùs differentiam considera-* „ *mus; nàm aliud quidèm continentèr ex pri-* „ *ma causa est*. Cùm illi, quo aliena diffe- „ runt, utrumque convenire sit impossibile: „ quarè continentèr & immediatè exprimo „ esse, aut solùm Filio, aut solùm Spiritui „ Sancto conveniat necesse est. Quòd si (ut „ Sancti Patres asserunt) inter Patrem & Fi- „ lium non sit dare medium: erit igitùr so- „ lus Filius ex Patre immediatè; cùm & se- „ cundùm communem sententiam, atque in- „ tellectum, id quod est ab aliquo, ab eo- „ dem sit immediatè. Sed cùm Spiritus San- „ ctus sit ab aliquo, ab aliquo immediatè „ erit: at non est à Patre immediatè, sicut „ nunc ostensum est, erit igitùr immediatè à „ Filio.

858 „ Sanctos itaquè hos Patres, & in- „ ter alios Beatum Ambrosium Episcopum „ Mediolanensem, Beatum Augustinum Ci- „ vitatis Hipponensis Episcopum, Beatum „ quoq; Hieronymum perversissimorum Hæ- „ reticorum oppugnatorem, sicut Beatus „ Cyrillus, & cum eo universa sancta & æcu- „ menica tertia Synodus, perspicuè scriptum „ reliquit, Spiritum Sanctum ex Filio esse: „ Undè quisquis ejus verba oppugnat, non „ orthodoxus est, sed à Fide aberrans. Affir- „ mat enim manifestissimè in sua ad Theodo- „ sium Regem de recta Fide expositione, Spi- „ ritum Sanctum à Filio esse, hisce verbis: „ *Prætereà Virum dicens, qui mox affuturus,* „ *& videndus erat, ipsum dicit baptizare in* „ *igne, & Spiritu Sancto. Non quòd alienum* „ *bis, qui baptizantur, immittat spiritum, ser-* „ *vilem in modum, & quasi ministrum; sed ut* „ *Deum secundùm naturam cum suprema pote-* „ *state, quià ex ipso, & per ipsum*. Quid eo „ testimonio clariùs? Siquidèm hic manife- „ stissimè de Filio dixit, quòd Spiritum San- „ ctum his, qui baptizantur, immittat ex „ seipso, ac proprium ejus. Quin & hoc ip- „ sum iisdem verbis Hermiæ scribit Beatus „ idem Cyrillus in sermone ad eundem Her- „ miam, cujus inscriptio est: *De Incarnatio-* „ *ne Unigeniti*; & quòd Christus unus & Do- „ minus secundùm scripturas. Illudq; ipsum „ ab eodē Cyrillo in declaratione noni Ana- „ thematismi dicitur: In eodem quippè ana- „ thematismo proprium Filii esse Spiritum, „ inquiens, eundemque nonum Anathema- „ tismum declarans, quo sensu proprium „ suum esse Spiritum dixerit, aperuit, di- „ cens: *Cùm homo factum sit Unigenitum Dei* „ *Verbum, etiam si tamen Deus mansit, omnia* „ *existens, quæ Pater, solo hoc dempto, quòd* „ *ille Pater est, & proprium habens quod ab* „ *ipso est, & essentialitèr ipsi inhærens Spiri-* „ *tus Sanctus*, & reliqua. Ubi rursùs Spiri- „ tum Sanctum ex Filio esse, clarissimè San- „ ctus Pater affirmat.

859 „ Quarè nemini debet esse dubium, „ quin eundem hìc sensum Sanctus aperue- „ rit, quem tenuit, quandò Anathematismum „ exposuit. In eodemque sensu Anathema- „ tismum hunc cum omnibus aliis sancta & „ œcumenica tertia Synodus suscepit, in „ quo ilum Sanctus declaravit. Certum nàm- „ que est, Sanctos Patres in præfata Synodo „ congregatos, totam tertiam jàm dicti Pa- „ tris Epistolam, ad impium Nestorium Con- „ stantinopolitanum scriptam, absquè ulla „ hæsitatione irrefragabilitèr suscepisse. No- „ vimus autem, prædictos duodecim Anathe- „ matismos in postrema dictæ Epistolæ parte „ contineri. Porrò si quis tanquàm legitima „ tueri conatus fuerit, impientissima Theo- „ doreti Cyri Episcopi verba, quæ ipse ad- „ versùs dicti Sancti Patris duodecim sacra „ Capita, licentèr nimìs, ac temerè evomuit, „ noverit is à quinta sancta, generaliq; Syno- „ do, præfati Theodoreti blasphemias dam- „ natas esse: quippè qui adversùs Beati Cy- „ rilli verba, quibus ei respondit, nihil præ- „ tèr calumnias dicere novit; ait enim quin- „ ta sancta, & universalis Synodus in Actio- „ ne VIII. ad hunc modum: *Condemnamus* „ *& anathematizamus cum quibuscumque aliis* „ *hæreticis, qui & anathemate percussi sunt à* „ *dictis quatuor sanctis Synodis, & ab Eccle-* „ *sia Catholica & Apostolica, & Theodorum,* „ *qui fuit Episcopus Mopsuestiensis, impiaque* „ *ejus scripta; & quæ impiè à Theodoreto con-* „ *scripta sunt adversùs rectam fidem, & contrà* „ *duodecim Sancti Cyrilli Capita, nec non con-* „ *trà tertiam sanctā generalem Synodum Ephe-* „ *sinam, & quæcumque ad defensionem Theo-* „ *dori, ipsiusque Nestorii scripta sunt*.

860 „ Ex quibus perspicuum evadit, il- „ la, quæ Theodoretus adversùs duodecim „ Sancti Cyrilli Capita scripsit, damnata es- „ se, impietatisque plena. Et quisquis ea

ut

„ ut vera & legitima tenet, inimicus existit,
„ fidei. Scribit enim Beatus Cyrillus ad
„ Acacium Melitensem Episcopum post con-
„ cordiam & pacem sanctarum Ecclesiarum,
„ sic inquiens: *Quæ verò rectè contrà Nesto-*
„ *rii blasphemias scripsimus, omninò nemo no-*
„ *bis, ut non rectè scripta dicamus, persuade-*
„ *bit*. Quid? Quod & ad Donatum Episco-
„ pum eodem modo scribit, ubi ait: *Quæ*
„ *scripsimus, veræ & inculpatæ patrocinantes*
„ *fidei, neque quidpiam, ut illi referunt, sit*
„ *dictum temerè, verùm ubique nos rectitudini*
„ *adhærere fidei, veritatisque virtuti consen-*
„ *tire oportere*. Ex his itaquè longè clarissi-
„ mum existit, Beatum Cyrillum eorum ni-
„ hil inficiari, quæ dixit; sed in eodem sen-
„ su, quo hæc ab eo dicta sunt, citrà ullam
„ correctionis notam perstitisse; cùm neque
„ ipse solus corrigi potuisset, licèt etiam
„ (quod tamèn à Sancto absit) voluisset, in
„ his, quæ universa sancta Synodus absquè
„ ulla ambiguitate irrefragabilitèr, confiden-
„ tèrque accepit: accepit autem in eo sensu,
„ sicut dictum est, quo exposuit, cum pri-
„ ma Synodo hæc suscipienda repetens. Si
„ quidèm illam sanctam Synodum omnes
„ Sancti Patres in Conciliis post consequen-
„ tibus venerantur, eademque cum illa cre-
„ dunt: quin & Sancti Patres, qui hanc ip-
„ sam antecesserunt, eadem cum illa sensère.
„ Hanc fidem tenemus, sic credimus, senti-
„ mus, & profitemur.

Hanc fidem teneo ego Rodulphus, ex Fratrum Minorum Ordine, Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi Apocrisiarius, sic subscribo, & credo.

Hanc fidem ego Ammonius, Ordinis Fratrum Minorum, Apocrisiarius Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi, habeo, sic credo, & ità sentio.

Hanc eandem fidem & nos Hugo, & Petrus, Prædicatorum Ordinis, ac Domini Papæ Gregorii veteris Romæ Episcopi Apocrisiarii, amplectimur, sic credimus, atque sentimus.

861 Tradito scripto Patriarchæ, inquiunt Acta hujus Synodi, cœperunt agere de porrecta sibi fide Græcorum circà Sacramentum Altaris, & interrogare, quo ducti fundamento asserebant consecrantes in azimis, seù azimatos, ut illi consueto nomine vocabant, esse in via perditionis, & cùm omnes essent in partibus, appellabant ad codices sacros, & sanctos Doctores. Sed nullihi suppetebant Græcis tùnc libri, vel porrigere nolebant: itàut ipsâ petentibus Bibliâ non liceret habere. Ultrà itàque instantibus Apocrisiariis, ut Græci traditæ Fidei rationem redderent, illam tradiderunt, se Christum in Consecratione imitari. Cùm verò ampliùs quæreretur, undè constaret, Christum in azimis non celebrasse, responderunt: Ex Evangelio, ubi habetur, quòd Dominus accepit *Arton*, & fregit, *Arton* autèm contendebant significare panem perfectum, panem levatum, panem fermentatum. *Hæc enim erat una ex præcipuis Michaelis Cerularii rationibus, ut in superioribus vidimus, quæ Cardinalis Sylvæ Candidæ Humbertus doctissimè refutavit.*

862 Hic sibi hærendum judicarunt Apocrisiarii, & ostendendum vel ex ipsa Græcorum confessione: *Arton*, non semper significare fermentatum, & aliquando poni per se dictionem, aliquandò cum adjuncto, nequè semper absolutè positum idem cùm eadem proprietate significare, sed & sæpissimè solum panem in communi; proptereàque in Evangeliis Latinis rectè translatum pro *Arton* panem. Confirmaruntque, & doctam hanc solutionem ex Levitici Capite VII. in lege hostiæ pacificorum, ubi habetur, *Arton* azimus, & *Arton* fermentatus; atqui hinc sequi, azimum, & fermentatum se habere tanquàm differentias specificas, vel accidentales, verbi *Arton*: atque ità dictionem illam per se absolutè positam, utrique tàm azimo, quàm fermentato pani æquè convenire: nequè enim genus magìs propriè prædicatur de una specie, quàm de alia.

863 Deindè quod allegarunt Græci de facto, & exemplo Christi, refutarunt ex illo loco Matthæi: *Primà die azimorum accesserunt ad Jesum Discipuli, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Cui objectioni responderunt ex Joanne Chrysostomo, per primam diem azimorum intelligi primam diem antè azimos. Admiserunt illi ità explicasse Chrysostomum; attamèn ampliùs addidisse, & veram Latinorum ibidem confirmasse sententiam, ità adjungendo: *Primà die ante azima. Consueverunt enim semper vespere dies numerare, & eam commemorat, in cujus vespere Pascha erat immolandum &c.* Ergò in illo vespere fuerat Pascha Judæorum, & fuit eis prohibitum, nè fermentum, vel fermentatum haberent in domibus suis, vel in omnibus terminis vicinis. Ità enim legitur Exodi 12. *Septem diebus azima comedetis, in prima die non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad septimum*. Ex quo intulerunt per optimam consequentiam, Christum Pascha suum in azimis celebrasse, quia legem observavit usquè ad ultimum vitæ suæ terminum, ut expressè habent Chrysostomus citatus, & Epiphanius. Hinc argumentum ad hominem deduxerunt, ex illis verbis, quæ in scripto Greci porrexerunt, dum absque salutis detrimento dixerunt, non posse in alio pane confici Sacramentum, quàm in illo, in quo Christus consecravit; nàm ex dictis apparebat, Christum

in

in azymia celebraſſe: ergò inferenda erat illa conſequentia: Græci nullatenus poſſunt conficere in fermentato, quod tamen publica proteſtatione caverunt, ſe non velle inferre, nec dicere, cum illorum hunc cultum, vel ritum non condemnabant Pontifices, neque Eccleſia Latina, imò tolerabat, ſed & probabat: atque ita ſimiliter debuiſſe eos facere circa Latinorum ritum, non condemnando eos, uti faciebant, pro hæreticis azymitis. *Hæc in terminis Acta*.

864 Porrò ex deficientia Codicum Sanctorum Patrum, memoriter ab Apocriſiariis recitata ſunt teſtimonia Chryſoſtomi, homilia 81. âliàs 82. in Matthæum, ſuper illa verba: *Primà die azimorum*, ubi etiam Sanctus Doctor aſſerit, Chriſtum Dominum noſtrum etiam in ultima Cœna legem & ritum obſervaſſe Judæorum: & ex homilia 82. alias 83. ubi & idem probat. Item ex Epiphanio in Panario contrà Ebionitas, ubi ait: *Quomodo carnium commeſtione non ſtatim eorum dementia redarguetur? Primò, Domino comedente Paſcha Iudæorum. Paſcha autem Iudæorum erat ovis, & azyma: carnes ovis aſſæ igne, ſicut Diſcipuli ſui ei dicunt: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et contrà Marcioniſtas: dicente: „ Contra te ò Marcion, induxiſti „ multis modis redargutionem, magis au- „ tem ab ipſa veritate coactus. Paſcha enim „ antiquum, nihil aliud erat, quàm ovis „ immolatio, & carnium commeſtio, ani- „ matorumque perceptio cum azymis. *Et poſt* „ *pauca*. Quod enim tu deteſteris carnium „ comeſtionem, Dominus Jeſus cum ſuis Di- „ ſcipulis comedit faciens Paſcha ſecundum „ legem. *Et alia quæ ſequuntur*.

865 Renuentibus autem Græcis, *aiunt Acta*, plures audire auctoritates Sanctorum & jam dictis opponentibus locum illud Joannis: *Non introjerunt Judæi in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: reſponſum fuit ab Apocriſiaris, nequam vel leviter, ut Joannes cæteris contradixerit Evangeliſtis: quare verba illa, *ut comederent Paſcha*, ità explicanda eſſe dixerunt, ut ſcilicèt comederent cibos Paſchales, ſic enim alias in veteri Teſtamento verbum hoc Paſcha ſumebatur: atque ſuperiora dicta ſunt Luna decimaquinta. In his ſeſſionem protaxerunt uſque ad profundam noctem, donec diſſolvente cœtum Imperatore, receſſerunt.

866 His peractis antequàm iterum convenirent, Imperator, cui magis ob politicas cauſas, quàm alia ratione hæc unio in corde erat, clàm egerat cum Apocriſiariis de modo ineundi fœderis & unitatis inter utramque Eccleſiam, proponens pro medio termino, ut ex duobus controverſis Capitibus Latini unū cederent Græcia, alterum Græci Latinis: Ut nimirum Latini ſuam de Spiritua Sancti proceſſione opinionem miſſam facerent, & ex Symbolo ſuiſque libris expungerent verbum *Filioque*, permittentea ut Græci hac in controverſia eodem modo quo priùs ſentirent: Græci verò ex altera parte approbarent conſecrationem Latinorum in azymis, neque ampliùs eos hæreticos propter hoc proclamarent. At renuentibus, & conſtanter proclamantibus Apocriſiariis, Eccleſiam Romanam Catholicam nec jota unum, aut apicem fundatiſſimæ ſuæ fidei immutaturam, neque ullo modo uniri poſſe cum Græca, niſi hæc priùs abjectis, & condemnatis erroribua: Imperator animo concidit, omnem unionis ſpem exuens, quoniàm perſpectam habebat ſuorum tenacitatem: Quare re Epiſcopis & Patriarchæ patefacta commoti ſunt, & adversùs Apocriſiarios acerbiſſime in dignati, quos ad Concilium vocarunt pro die Jovis hebdomadæ tertiæ poſt Paſcha.

867 Accedentibus Illis, *inquiunt Acta*, invenerunt univerſam plebis multitudinem congregatam, & apertis januis ſediſſe in Atrio Patriarcham coacto in ampliori illo patulo Concilio. Sedentibus verò alta voce coràm omnibus dixit Pattriarcha: Dùm ſpes erat unionis, omnem vobis locuti ſumus pacem, omnem exhibuimus amorem: modò verò ſpe fruſtrati, quod agamus, neſcimus, veſtram nobis de Spiritu Sancto dediſtis fidem in ſcriptis, vultis, ut eam per gentes, nationes, & Provincias noſtras promulgemus, quæ hic coràm aſtantibus & vobis, dùm placeat, volumus ut recitetur. Illis reſpondentibus ſibi hæc valdè placere, neque quidquam ampliùs optare, quàm ut ubique diffundatur, & legatur Romanæ Eccleſiæ vera doctrina: ſtatim unus ex grandevis Conſiliariis univerſam definitionem Apocriſiariorum perlegit. *Hæc Acta*. Quæ inde ſubjungunt nonnullas Patrum auctoritates allegatas à Græcis contrà proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, Damaſi nimirum, Cyrilli, & Baſilii, aliorumque minoris efficaciæ, ab Apocriſiariis optimè ſolutas: atque tumultum murmuremque ex hoc exortum in populo: Addunt porrò, ceſſato murmure & facto ſilentio, alta voce dixiſſe Apocriſiarios: *Creditis Spiritum Sanctum procedere à Filio vel non?* Et reſpondente pro omnibus Patriarcha: *Credimus quod non procedat à Filio*, illos ſubjunxiſſe: *Sed Beatus Cyrillus, qui præfuit tertio Concilio, anathematizat omnes, qui hoc non credunt: Ergò vos eſtis anathematizati. Item vos creditis & dicitis, quod Corpus Chriſti non poteſt Confici in azymo: ſed hoc eſt hæreticum*.

868 Illi commoti, *proſequuntur Acta*, de jure condemnatis illorum ſententiis, Apocriſiarios, Fautoreſque, vel Sectatores illarum opinionum, conclamabant hæreticos, & excommunicatos. Facta itaque magna ſeditione & tumultu receſſerunt Apocriſiarii caventes ſibi: & antequam pranderent, inſtanter egerunt cum Imperatore de obtinenda regrediendi facultate; videntes ſe nihil potuiſ-

ſe

se proficere, nec spem ullam supereſſe de flectenda gente duræ cervicis, & in suis erroribus pertinaci. Venia itaque obtenta (dolebat enim Imperator rem infectam mansiſſe, atque ad contentionem seditionemque proceſſiſſe) summo mane sequentis diei Sabbati receſſerunt à Nympha, datis sibi itineris Ducibus, & Comitibus: & postridie venerunt ad Villam Calam, ubi supervenerunt Curſores-Nuncii miſſi ab Imperatore, & à Patriarcha. Imperatorius omnia eis bona precabatur, & fœlicis itineris terminum: significabat verò sibi diſplicuiſſe, itá latenter & ex abrupto insalutatis Patriarchis, & cæteris in Synodo congregatis. Cui illi, festini sui receſſus justas expoſuerunt causas, quas poterant, maximas gratias agentes Imperatori, ob singularia in eis beneficia.

869 Patriarchales verò Nuncii se à Concilio miſſos dixerunt, ut profeſſionem, seù definitionem fidei circà proceſſionem Spiritus Sancti, porrectam ab Apocrisiariis, eisdem redderent, repeterentque quam Græci tradiderant circa Eucharistiæ Sacramentum. Responderunt Apocrisiarii, propterea se illis definitionem dediſſe, ut remaneret in memoriale fidei, & doctrinæ Eccleſiæ Romanæ, scirentque universæ Græcorum Eccleſiæ, quid credere & docère deberent circa illum articulum. Spiritum verò vestrum, inquiunt, circa Sacramentum Altaris volumus nobiscum deferre, ut Latinorum Eccleſiæ, ac Sanctiſſimo Domino Papæ certiùs constet, in quo errore versamini, neque ab eo vos velle discedere. Institerunt tamen Nuncii de scripto reddendo per biduum, quod dum habere non poterant, tulerunt excommunicationis sententiam in omnes Comites, & Duces Apocrisiariorum, prohibentes sub anathemate, nè quisquam eis eſſet auxilio aut consilium. Illi frustrà tentarunt soli pedites abire. Nam post emensa septem vel octo milliaria, ob iter periculosum terræ desertæ, & inaquosæ, insidiasque in Montibus præparatas: ab Imperatoris Nuncio præcibus, & obsecrationibus revocati, & protestationibus Imperatoris nomine factis fermè coacti, regreſſi sunt ad locum unde exierunt Patriarchales videntes nihil se prece potuiſſe efficere circà obtinendam, quam petebant chartam, manum admoverunt, vi sarcinas omnes, libros, & quidquid erat ſuppellectilis Apocrisiariorum minutim investigantes: donec tandem vocatos in partes Socios explorarunt, & sub vestibus alligatam Originariam Scripturam detexerunt, & abstulerunt. Sed translationem vel exemplar Latinum non invenerunt, quod ad Pontificem detulerunt Apocrisiarii, cujus nos transsumptus dedimus supra. Obtento quod desiderarunt, ad bona verba conversi, dimiserunt eos in pace, dantes eis has literas Patriarchæ Nicæni, seù Constantinopolitani, necnon Antiocheni, sive potiùs universæ Synodi, in quibus ad nauſeam usque suum errorem de proceſſione Spiritus Sancti, conglomeratis Sanctorum auctoritatibus, inculcant. *Hactenus Acta*. Quibus subjecta est Epistola antefata, sive fidei profeſſio Patriarchæ Nicæni, & universæ Synodi Nymphæ Græcorum, miſſa ad Sanctiſſimum Dominum Gregorium IX. ut habet inscriptio: quæ incipit: *Credimus in unam Deitatem*: relata integra à Wadingo ad Annum Domini MCCXXXIII. sub num.24. Deinde à Labæo tom. xi. Concil. par.1. pag.466. quæ cum sit satis prolixa legi poteſt apud præfatos Scriptores, eam nos omittimus. Quid tamen de ea scribat idem Wadingus referam: ait namque sub numero xxv.

870 „ Nullibi adeò diffusè Græcorum „ fundamenta pro pertinaci illa sua hæresi vidi congesta, neque in aliis eorum scriptis, „ quæ scurrerunt, neque in Concilio Florentino, neque apud controversistas, quarè consultum judicavi, omnem & si longam, tædiosamque, transcribere Epistolam, ut in ea cognoscatur, quid poſſint, „ aut soleant à tot annorum centuriis, pro „ sua probanda pervicacia proferre, & faciliùs ad singula præmanibus habeantur re- „ sponsa. Sanè quædam citant opuscula, quę „ non facilè licèt invenire, alia corrupta „ sunt, modo ad castigatiſſimas hujus tempo- „ ris editiones Greco-latinas ea confe- „ ramus, cætera facilem habent solutionem. „ Nàm vel eorum vis consistit in eo, ut Pa- „ trem dicant fontem, principium, radicem „ & his similia superſubstantialis Deitatis, „ quod verum est, cùm Pater sit principium „ sine principio, Filius etiam principium eſ- „ se poteſt, sed principium de principio, „ Deus de Deo, rivulus de fonte. Vel ne- „ gant Filio causalitatem (phrasis est anti- „ qua Græcorum) quam habet Pater, quod „ verum est de causalitate, qua Pater respi- „ cit Filium, similiterque de Notione Patris „ dicendum est, quam Filio quidam ex Græ- „ cis negant: vel aſſerunt Spiritum Sanctum „ procedere à Patre per Filium, quem lo- „ quendi modum Baſſarion Cardinalis Nice- „ nus Archiepiscopus, Ordinis Minorum „ olim protector, in sensu cohærere cum lo- „ cutione Latinorum largè probat in oratio- „ ne habita pro unione utriusque Eccleſiæ in „ Concilio Florentino, quæ habetur post „ seſſionem ultimam, necnon ipsum Conci- „ lium, atque multi qui data opera de hac „ controversia scripſerunt. *Hactenus Wadingus*.

871 Qui & in ea est sententia, Germanum & Imperatorem impensiùs desideraſſe unionem, ac ideò pacatiùs & mitiùs per eos actum Niceæ, Nimphæ verò asperiorem modum agendi, non tam Imperatori & Germano tribuendnm, quàm Patriarchæ Antiocheno, & aliis: quod ostendit ex literis Joannis

Car-

Cardinalis Columnæ, datia ad Othonem Cardinalem Legatum in Anglia, apud Parisium ad Annum MCCXXXVII. ubi legitur. *Redierunt fratres à Regione dissidente cum Principe* (ideſt, Pontifice) *ſed pacis impreſſa veſtigia non apparuerunt: quia non paruerunt bajulis diſcordiæ ſectatores. Antiochenſis à Societate diſtrahitur, nec à redeuntibus commendatur*, Fruſtrà ergò laboravit Gregorius, fruſtrà tot labores, tot intinera, tot pericula paſſi ſunt Religioſi Apocriſiarii, prævalente perfidia, & indurata Græcorum cervice.

872 Cæterùm idem Gregorius eodem tempore, egit de Mahumetanis, Georgianis, & aliis Nationibus à veritate fidei aberrantibus, ad agnitionem veritatis traducendis, nam ad Soldanum Damaſci, duos ex Fratribus Minoribus legavit, datis litteris, quas ex Codice Vaticano excripſit Wadingus, ſuiſque Minorum Annalibus inſeruit ad Annum ſupracitatum ſub num. IV. quarum initium eſt: *Cæleſtis altitudo, & immenſa benignitas Dei excelſi*, quibus veritatem Chriſtianæ fidei aperit, & in fine prædictos fratres, quos pro ſua ſalute directos ſcribit, commendat: inquiens : „ Quapropter tuam exhortamur „ induſtriam, & tibi per eum qui cuncta crea- „ vit, injungimus, quatenus diligenter fi- „ lios ..... & ...... Fratres Ordinis Fra- „ trum Minorum, ad te pro tua, & tuorum „ ſalute directos, libenter ſuſcipere debeas, „ & diligenter audire, non reputans ocio- „ ſum, quod à nobis in hac parte diebus no- „ viſſimis inſpiratione Divina, de Fratrum „ noſtrorum Conſilio ſitientium illuminatio- „ nem omnium populorum, non ſine Sacra- „ rum Scripturarum eſt auctoritate proviſum, „ Datum Anagni xv. Kal. Martii an. v6. *Hæc ibi*. Inde ad Regem Georgiæ miſit Fratrem Jacobum de Ruſſano ejuſdem Ordinis, datis ad eum litteris, quæ cum ſint breviores, eas apud eundem Wadingum loco cit. ex Vaticano Regeſto excriptas, ſubiiciemus: ita namque ſe habent.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Illuſtri Regi Georgiæ.

873 „ Cum ſit omnis ab omnipotente „ poteſtas, & quæ ab eo ſunt, ordinata cre- „ dantur, illi profectò Reges non portant „ gladium ſine cauſa, qui & erecti adversùs „ impios libenter vindicant injuriam Creato- „ ris, & fidelibus inclinati, pia ipſorum fa- „ cta fovendo, pariter & muniendo collau- „ dant. Sanè dilecto Filio Jacobo de Ruſſa- „ no de Ordine Fratrum Minorum, latore „ præſentium, accepimus, referente quod „ Tu thronum Gloriæ, cui præſides ab au- „ ctore omnium recognoſcens, perſonas ip- „ ſius Ordinis, quin potiùs operantem in eis „ Spiritum venerarie, intelligens, ſicut cre- „ dimus, & attendens, quòd qui cuſtodit „ parvulos hodie in confuſionem hæreticæ „ pravitatis, Catholicam dignatur Eccleſiam „ evidentibus ſignis, atque miraculis deco- „ rare per eos, ut quo ſe fortiùs paupertate „ ſimul, & ſimplicitate deiiciunt, eò majori- „ bus ab eo, qui humilia reſpicit, virtutum „ honoribus attollantur.

874 „ Ut igitur juſti & Prophetæ mer- „ cedem accipias, ſi Rex pro illo Rege, qui „ per ignem vivos & mortuos judicare ven- „ turus, quidquid minimis ſuis actum clementer invenerit, ſibi præſtitum reputabit, „ gratiam, & favorem talium facti accomo- „ das, & eorum miſericorditer infirma ſup- „ portas: Serenitatem Veſtram rogamus, „ monemus, & hortamur attentiùs, ac per „ Apoſtolica tibi ſcripta in remiſſionem pec- „ caminum injungentes, quatenus dictum „ Fratrem, dilectum familiarem noſtrum, & „ cæteros ipſius Ordinis profeſſores, qui in „ Ordine voluntariæ paupertatis pro Chriſto „ Legatione funguntur ad gentes, quæ non „ noverunt Deum, & aſſumunt in vanum „ nomen ejus, benignè recipias, & chari- „ tativè pertractes, in ipſis magnificans opus „ ejus, qui ſe ipſum nobis præbuit, & pro „ nobis, & nos de corruptionis redimens „ ſervitute, in filiorum libertatem vocavit, „ hæreditaturos, cum ipſo gloriam ſempiter- „ nam. Datum Laterani III. Idus Aprilis, „ Pontificatus noſtri Anno VII. *Hactenus Epiſtola*. In favorem porrò fratrum proficiſcentium in Terras Georgianorum, Sarracenorum, & aliorum infidelium, paucis poſt diebus, ſequentes literas ex eodem Wadingo dedit.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum in Terras Georgianorum, Sarracenorum, & aliorum Infidelium proficiſcentibus.

875 „ Cum meſſis multa ſit, operarii „ verò pauci: Evangelicus ille Pater fami- „ lias adhuc mittit operarios in vineam ſuam: „ & eos hac quaſi hora undecima, vineæ ſuæ „ novos deputat vinitores, quorum laborem „ pari cum primis denario recompenſet. Cùm „ igitur in terris Georgianorum, Sarraceno- „ rum, aliorumque infidelium vobis anima- „ rum ſolicitudine commiſſa illius operante „ clementia, qui de lapidibus poteſt filios „ Abrahæ ſuſcitare, verbo & exemplo profi- „ ciatis: ibidem exiſtentes in invio reduca- „ tis ad vitam, nos conſiderantes, quod mi- „ niſterium veſtrum diligenter implentes, vos „ operarios inconfuſibiles exhibetis, vitio- „ rum ſentes extirpare de agro Dominico ſa- „ tagendo: propter quod indubitanter de

„ vobis fiduciam obtinemus, ut qui spiritu „ vivatis, spiritu & ambuletis; & de doctri- „ na vestra, & conversatione flores & fru- „ ctus proveniant gratiores. Devotioni ve- „ stræ præsentium auctoritate concedimus, „ ut in terris illis vobis sit licitum excom- „ municatis communicare, in iis quæ ad sa- „ lutem pertinent animarum. Quibus, & „ dummodò Latini sint, & Apostolicæ Sedi „ obediant, Fratres vestri Presbyteri valeant, „ congrua satisfactione præmissa, secundùm „ formam Ecclesiæ absolutionis beneficium „ impartiri. eorumque confessione audita, „ pœnitentiam salutarem injungere, & cum „ Ordinis vestri Fratribus super levi irregu- „ laritatis notâ providè dispensare. Nulli er- „ gò &c. Datum VI. Idus Aprilis Anno VII. *Hactenus litteræ Gregorii*. Exibet inde idem Wadingus in Regesto Pontificio ad calcem tom. I. Annal. alias Gregorii litteras, quibus nonnulla privilegia eisdem fratribus ad partes infidelium proficiscentibus, ex Archivio Aracælitano transcriptas, quæ sic se habent.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Presbyteris, in Terra Sarracenorum, & Paganorum proficiscentibus, salutem, & Apostol. benedictionem.

876 „ Animarum salutem desiderio fer- „ venti quærentes, auctoritate vobi præsen- „ tium indulgemus, ut cùm in Sarraceno- „ rum, & Paganorum terra fueritis, liceat „ vobis Christianis ibidem morantibus, con- „ fessione peccatorum suorum audita, pœni- „ tentiam salutarem injungere, ac ipsis si „ aliquibus excommunicationis sententiis „ sint adstricti, juxtà formam Ecclesiæ absolu- „ tionis beneficium exhibere. Nulli ergo ho- „ minum &c. Datum Laterani 2. Nonas Maji, „ Pontificatus nostri Anno VII. *Hactenus litteræ*. In Annalibus verò ad Annum supra citatum sub numero VII. exhibet & alias litteras ex monumento Ordinis & speculo. Sub datis XVI. Kalendas Junii, Gregorii, Pontificatus Anno VII. quibus præfatis Fratribus auget privilegia. Verùm prædictæ litteræ, ex Originali asservato in hoc Sacri Montis Sion Archivio, leguntur datæ III. Kalendas Februarii sui Pontificatus Anno XI. Et ità se habent, ut ex præfato Originali.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis Filiis Ordinis Fratrum Minorum in terra Sarracenorum, & Paganorum proficiscentibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

877 „ Pro Zelo Christianæ fidei, & pro „ Illuminatione Gentium, in ignorantiæ, „ ac erroris ambulantium cæcitate, peregri- „ nationem vobis assumentibus ad exteras „ nationes, præsentium auctoritate conce- „ dimus, ut proponere verbum Dei, & illa- „ rum partium homines, per ministerium „ exhortationis vestræ converti ad unitatem „ Christianæ fidei cupientes, recipere, ac „ baptizare possitis, & Ecclesiæ Sacrosanctæ „ aggregare, aggregatos insignire characte- „ re Clericali, ac eos, qui per Apostasiam, „ Schisma, vel hæresim à Christiani confes- „ sione nominis recedentes, inter Sarrace- „ nos habitant, absolvere, & reconciliare „ per gratiam pœnitentiæ salutaris, si ad obe- „ dientiam Ecclesiæ Romanæ in humilitatis „ spiritu duxerint redeundum. Datum La- „ terani III. Kal. Februarii, Pontificatus „ nostri Anno XI. *Hactenus litteræ*.

878 Eâdem tempestate, & Sanctissimi Patriarchæ Dominici filii Sacri Ordinis Prædicatorum fratres, non inferiori Zelo, ac Minores erant in vinea Domini laborantes, animarum quæstum pro Christo facientes, quorum opera XI. Anno Pontificatus Gregorii, Jacobitarum Patriarcham, excussis erroribus, ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ traduxerunt, ut Frater Philippus ejusdem Ordinis atque in Terra Sancta Prior, qui non mediocrem operam in tanto perducendo opere desixit, in Epistola refert ad eundem Pontificem missa, relata à Parisio Anglo in sua historia Anglica, in qua inter alia scribit: „ Patriarcha Jacobitarum Orientalium, vir „ quidem venerabili scientia, moribus & „ ætate, cum maximo comitatu, Archiepi- „ scoporum, Episcoporum, necnon & Mo- „ nachorum suæ gentis hoc anno venit ado- „ rare Hierusalem. Cui Verbum Catholicæ „ fidei exponentes, ad tantum Divina coo- „ perante gratia pervenimus, ut in ramis „ Palmarum, in processione solemni, quæ „ die illa in descensu Montis Oliveti in Hie- „ rusalem fieri consuevit, obedientiam San- „ ctæ Romanæ Ecclesiæ promitteret, & jura- „ ret, omnem pariter hæresim abjurando, & „ confessionem suam nobis tradidit in litteris „ Chaldæis, & Arabicis in testimonium sem- „ piternum. Ipse præest Chaldæis, Medis, „ & Persis, & Armenis; quas Terras Tarta- „ ri pro magna parte jam vastaverunt, & in „ aliis Regnis in tantum dilatatur ejus præ- „ latio, quod septuaginta Provinciæ ei obe- „ diunt, in quibus inabitant innumerabiles Chri-

„ Christiani; servi tamèn, & tributarii Sarracenis, exceptis Monachis, quos liberos dimittunt à tributo. *Hæc ille*.

879 Jacobitæ à quodam Jacobo Syro dicti, Dioscori, & Eutichetis sectatores, ait Damascenus in lib. de hæresibus, de Ægyptiis loquens, ait: *Ægyptii, qui idem schismatici, & Menophysitæ vocantur, specioso titulo libri legis, qui Chalcedone probatus erat, à vera Ecclesia defecerunt, Marciano, & Valentiniano Imperatoribus. Hi autem ob studium suum ergà Dioscorum Alexandrinum, qui in Chalcedonensi Concilio, ut Eutychetis Decretorum defensor, de gradu honoris motus fuerat, Concilio interfuerunt; tùmque sexcenta crimina, quæ in eis inerant, contrà ipsum Concilium confixerunt*. Horum Principes fuerunt *Theodosius Alexandrinus, à quo Theodosiani, & Jacobus Syrus, à quo Jacobitæ sunt nominati, conscii defensores, & propugnatores*. Dictus quoquè est *Bardacus*, idest *Clitellarius*, & à Latinis *Zanzalus*, ut Abraham Ecchellensis in Notis ad Canones Arabicos Concilii Nicæni §.6. *de variis Sectis*, notat; ut ità secernatur ab altero Jacobo Syro Monacho, magnæ sanctitatis viro, de quo plura scripsit in Collectaneis Theodorus Lector. Sectantur isti Eutychetis, & Dioscori hæresim de una natura, voluntate, & operatione in Christo Domino; in quo dogmate concordant cum Armenis, Cophtis, & Ætyopis, licèt in pluribus discriminentur. Alios nàmque errores addiderunt posteri Jacobitæ, alios Cophti, alios Armeni, quos non acceperunt à primis suis auctoribus. Jacobitæ nàmque in materia Eucharistiæ discrepant ab aliis, nàm oleum, & salem pani triticeo admiscent consecrando, & id esse de necessitate materiæ fatentur ritu accepto, non à Jacobo Syro, sed à quondàm Joanne Barsusa Patriarcha Antiocheno, teste Davide Barphaulo in Catechesi Jacobitarum apud eundem Ecchellensem.

880 Jacobus de Vittriaco in Histor. Hierosolymitana cap. 75. agens de Jacobitis: „ Hi à multis jàm temporibus à Constantinopolitano Patriarcha Dioscoro excommunicati, & ab Ecclesia Græcorum sequestrati, majorem partem Asiæ, & totius tractus Orientalis inhabitabant: quidam inter Sarracenos, alii autem proprias absque consortio Infidelium occuparunt regiones, scilicèt Nubiam, quæ contermina est Ægypto, & magnam Ætyophiæ partem, & omnes regiones usque in Indiam plusquàm quadraginta Regna, ut asserunt, continentes: Omnes autem sunt Christiani, à Beato Matthæo Apostolo, & aliis Apostolicis Viris ad Christi fidem conversi. *Hæc de eorum origine, & incolatu Vittriacus*. Verùm sub uno Jacobitarum nomine comprehendere videtur Monophysitas omnes, qui tamen sunt specie distincti, ut sunt Cophti, Armeni, & Æthyopes, qui sub eodem genere Monophysitarum continentur, sub quo, & Jacobitæ, habentque, & errores diversos, licèt conveniant in aliquibus, & in præcipuo de unica natura in Christo. Nec Jacobus ille auctor hujus Sectæ, quem discipulum cujusdam Patriarchæ Alexandrini facit Vittriacus, excommunicatus à Dioscoro fuit, quem, teste Damasceno suprà relato, constat ex parte Dioscori fuisse, quemadmodùm Theodosius, à quo Theodosiani. Et ità etiam Nicephorus lib. 18. cap. 52. de Jacobitis agens, ait: „ Jacobus porrò, à quo nunc quoquè, ut jàm diximus, Jacobitarum hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsùs, & nullà gloriâ vir, qui etiam *Zanzalus* propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis, & Dioscori, Gnaphæique, ac propterea Petri atque Severi dogmate recepto, magnoperè id apud Syros propagare studuit. *Hactenus ille*.

881 Idem porrò Vittriacus recensens Jacobitarum errorem, primum dicit: *Parvulos suos in utroque sexu, more Sarracenorum, magna ex parte circumcidunt*. Deindè ait, confessionem auricularem non recipere. *Alius autem error ipsorum est*, inquit, *non minor prædicto, quòd confessiones peccatorum suorum, non Sacerdotibus, sed soli Deo latentèr faciunt, ponentes thus juxtà se in igne tanquàm cum fumo peccata sua ascendant coràm Domino*. Subjungit indè, addens & tertium errorem, quòd nimìrum plures eorum ante baptismum parvulos suos cum ferro calido adurentes, & signantes, in frontibus imprimunt cauterium. *Alii autem*, subnectit, *in modum Crucis in ambabus genis, seù temporibus, infantes suos consignant; perversè putantes, eos per ignem materialem expiari, eò quòd in Evangelio Beati Matthæi scriptum sit, quòd Beatus Joannes Baptista, de Christo dixerit: Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Thomas à Jesu Biatensis in suo Opere de Procuranda salute omnium Gentium lib. 7. cap. 14. & 15. complures Jacobitarum recenset errores ex Leonardo Episcopo Sidoniensi in ejus Legatione ad partes Orientales, & ex illorum Catechismo asservato olim in Bibliotheca Cardinalis Sancti Severini, sed non omnes ibidem recensitos errores admittunt Jacobitæ. Sicut nec verum est, eos auricularem confessionem prorsùs rejicere, licèt rarò illam frequentent, & multi communicent sinè auriculari confessione, ut præfatus Thomas ex relato Leonardo refert; & testatur noster Quaresmus lib. 1. Elucid. Terræ Sanctæ cap. 47. ex eorundem Jacobitarum testimonio.

882 Cæterùm hæc diversitas in Scriptoribus exoritur, ex eò quòd non omnes Jacobitæ per Orbem dispersi, eandem habeant fidem, alii aliis ejusdem nominis deteriores sunt; nàm qui in Ægypto commorantur,

plùs errant, quàm cæteri Orientales. Testatur idem Philippus prior Terræ Sanctæ in prælaudata Epistola ad Gregorium IX. ubi hæc etiam habet: „ Misimus etiam fratres in „ Ægyptum ad Patriarcham Jacobitarum „ Ægyptiorum, qui multò ampliùs errare so- „ lent, quàm Orientales, aliis erroribus „ circumcisionem ad modum Sarracenorum „ addentes, à quo similitèr recepimus, quòd „ velit redire ad Ecclesiæ unitatem, & jàm „ multis elisis erroribus, suos subditos pro- „ hibuit circumcidi. Huic subdita est minor „ India, & Lybia cum Ægypto; sed Æthyo- „ pes, & Lybii non sunt subjecti Sarracenis. *Hæc ille*. Et ità apparet nec omnes Jacobitas retinere circumcisionem, verùm eos dumtaxàt, qui per Ægyptum dispersi sunt; ubi & Cophti omnes, quorum infinitus est numerus, licèt pauperes, & miserabiles, me ipso teste, circumcisionem in utroque sexu retinent; & licèt à præsenti Patriarcha mandatum sit, nè pueri circumcidantur, parere tamèn renuunt: Et si aliqui se abstineant à masculorum circumcisione, non sic tamen à fœminis, impuras enim fœminas incircumcisas censent, ad quas mariti nullatenùs accedere volunt, ut ex nostris Missionariis in Ægypto accepi. Ex longa cum Turcis consuetudine, ad eorum mores, & ritus prolapsi sunt; undè & impedimenta matrimonii in quocumque consanguinitatis, vel affinitatis gradu in linea transversali non agnoscunt; & repudia ut Sarraceni admittunt, nec se abstinent à nubendo alteri, vivente adhùc primà, & repudiatà uxore; immò sorori repudiatæ nubere non verentur; & quod deteriùs est, hæc de licentia agunt Patriarchæ, qui semèl & iterùm à nostris convictus legem repudii Evangelio contraire, se optimè scire fassus est, sed propter suorum duritiem hoc permittere; nàm ipso contradicente & denegante, solutâ Tribunali Turcarum pecuniâ, de illorum licentia repudiant, & alteri nubunt; minùs malum esse, ut de sui Patriarchæ licentia talia peragant, & pecunia solvenda Turcis, in suum lucrum cedat, quàm recursum habeant ad Turcham, & solutâ pecuniâ, ab eo facultatem repudiandi, & alteri obtineant nubendi. Hæc quidèm ego ipse in Ægypto propriis auribus audivi.

883 Sed ad ordinem Historiæ revertentes, idem P. Philippus in antefata Epistola refert, tunc temporis duos alios Episcopos, Nestorianum unū, alterum Jacobinum, jurisdictiones habentes in Syria & Phœnicia, abjuratis erroribus, S. Catholicæ Ecclesiæ se submisisse. Ad idem faciendum paratum tunc refert magnum Nestorianæ hæresis Episcopum, jurisdictionem habentem per Indiam majorem, per Regnum Sacerdotis Joannis, & per Regna magis proxima Orienti. Deindè quasi mirabundus de Græcorum perfidia subdit: „ Et cùm omnes prædictæ Nationes „ doctrinæ Trinitatis, & prædicationibus no- „ stris acquiescant, soli Græci in malitia sua „ perseverant, qui ubique aut latentèr, aut „ apertè Ecclesiæ contradicunt, omnia Sa- „ cramenta nostra blasphemant, & omnem „ sectam à sua alienam, pravam appellant, & „ hæreticam.

884 Et quidèm eo tempore, quo cæteræ Nationes, rejectis erroribus, ad Sanctam Romanam Ecclesiam confluebant, Græci magis magisque eidem adversabantur: se gerebat tunc Joannes Dux Vatacius, ut Græcorum Imperator, qui Latinis infensus, armis & potentia Constantinopolitanum Imperium de eorum potestate eripere conabatur, & elatus victoriis in Asia positis, subactisque compluribus Ægæi Maris Insulis, in Europam arma transferre constituit, ut universas Urbes à Bulgarica & Italica manu liberaret. Quarè Asanes Bulgarorum Princeps Calo Joannis filius, rupto Latinorum fœdere, ad Schismaticorum Græcorum se contulit partem, Sacramentum olìm initum, quin & Religionem ipsam parvipendens; factus iterùm de Catholico schismaticus, qui priùs de schismatico evaserat Catholicus. Hic ergò, juncto cum Joanne Duce Vatacio fœdere, filium suum Theodorum nupsit Helenę Vatacii filię, & junctis Copiis adversùs Latinos castra movent.

885 At Gregorius hæc ægrè audiens, ad Belam scripsit Hungariæ Regem, hortans & præcipiens, ut Regnum perjuri Principis invadat, proposito Indulgentiarum pręmio; Atque in præfatis literis, quę incipiunt: *Supremus opifex*, post plura, agens de iis, quæ Ecclesiam Christi scindere moliuntur: „ De „ quorum numero perfidus est Assanus, qui „ ab Ecclesiæ unitate recedens, & de Petri „ ovibus esse recusans, ejus pasci doctrinæ „ verbo, operationis exemplo, & sacræ Com- „ munionis pabulo contradicens, receptat in „ terra sua hæreticos & defensat, quibus to- „ ta terra ipsa infecta dicitur & repleta. Cùm „ igitùr dignum sit, ut sanguis eorum veniat „ super eos, iniquitate sua, velut Amorrhęi „ Populi consumanda, venerabilibus fratri- „ bus nostris Strigoniensi, & Colocensi Ar- „ chiepiscopis, Episcopo Perusino Apostoli- „ cæ Sedis Legato, & universis Episcopis per „ Hungariam constitutis, nostris damus li- „ teris in mandatis, ut contrà dictum Assa- „ num & terram suam prædicent verbum „ Crucis; illam Crucesignatis illùc in perso- „ nis, vel rebus laborantibus, Indulgentiam „ concedentes, quæ conceditur transeunti- „ bus in subsidium Terrę Sanctę. *Hæc & alia Gregorius ibi*. Data est Anno XI. sui Pontificatus.

886 Armeni è conversò in fide roborati, ergà Apostolicam Ecclesiam propensiores in dies se exhibebant, quorum Patriarcha Catholicon nuncupatus, missis ad eundem Gre-

gorium Nunciis, Pallium postulavit: Cui annuens Pontifex, & Pallium transmisit, & Mitram, & Stolam, & Annulum, ut in litteris ad eum datis innuit Gregorius, inquiens: „ Ut „ sacrosanctam Romanam Ecclesiam, utpotè „ Caput omnium Christifidelium, & Magi- „ stram, tanquàm Matrem filius reverentèr „ amplectens, Beato Petro, & nobis, qui ei- „ dem Ecclesiæ, dispositione divinâ, licèt in- „ sufficientibus meritis præsidemus, nostris- „ que successoribus canonicè substituendis „ obediens semper, fidelis, & devotus exi- „ stas, quibusdam petitionibus per Nuncios „ tuos ex parte tua nobis exhibitis, ad gra- „ tiarum exauditionem admissis, petitum à te „ Pallium, tuo quod olim antecessoribus tuis „ fuit ab Apostolica Sede concessum, jàm „ quasi præ nimia vetustate consumpto, sicut „ iidem Nuncii exponere curaverunt, nec „ non Mitram, Stolam, & Annulum in si- „ gnum Apostolicæ dilectionis, & gratiæ, ac „ tuæ devotionis indicium, fraternitati tuæ „ per Nuncios mittimus antedictos; aliàs „ tibi velut honorabili membro Ecclesię prę- „ notatæ, in quibus cum Domino poteri- „ mus, propitii, & favorabiles assuturi. Da- „ tum Laterani VI. Idus Martii Anno XII. *Hactenus Gregorius*, qui eodem ferè tempore nonnullas prærogativas Regi concessit, & Reginæ Armeniorum, ut ex ejusdem Pontificis literis lib. 12. Epist. 391. 392. & 394. apparent.

887 Insuper, & Georgianorum Regina Rufuda cum Davide ejus filio Rege, ac insuper universo Regno ad obedientiam accesserunt Romani Pontificis, operâ Religiosorum inclyti Prædicatorum Ordinis, quos Gregorius misit, ut in ejus litteris, sub datis Laterani Anno XIII. ex lib. 13. Epist. 198. incipientibus: *Gaudemus pro vobis*, in quarum fine ait: „ Ad hoc dilectos filios fratres „ Huguicionem, Jacobum, Benevenutum, „ Rubinum, Petrum, Bernardum, Lamber- „ tum, & Gnizardum Ordinis Fratrum Præ- „ dicatorum, potentes in opere, & sermone, „ in quibus vivificat vita doctrinam, & do- „ ctrina vitam informat, dùm hoc in eorum „ moribus legitur, quod sermonibus expli- „ catur, ad vestram præsentiam venientes; „ immò Christum in ipsis benignè recipere, „ & eorum salubria monita exaudire curetis. *Hæc Gregorius*.

888 Georgiani populi sunt, quos Iberos appellant Cosmographi, barbari sunt, & bellicosi, habitantque in interiori Armeniæ parte versùs Septemptrionem & Euxinum. Dicti sunt Georgiani à Divo Georgio, quem velut præcipuum Patronum, & in suis præliis contrà Paganos velut figniferum & propugnatorem, ingenti honore venerantur. Nonnulli asserunt, in tanto habere honore Divum Georgium, eò quòd credant, Divum Georgium omnium primum eam gentem ad fidem traduxisse. Sed Ruffinus lib. I. Histor. Eccles. cap. 2. tradit, Iberos operâ cujusdam captivæ fœminæ, Religione, & pietate celebris, ad Christum venisse; quem posteà secuti sunt Sozomenus lib. 2. cap. 6. Nicephor. lib. 8. cap. 34. Sigibertus in Chronic. & alii plures: Verùm Irenæus lib. I. cap. 3. inter remotiores Christi Ecclesias, eas recenset, quæ in Iberis suo tempore erant, ex quo apparet antè Constantini ætatem, sub cujus Imperio scribunt, operâ christianæ fœminæ captivæ Iberos fidem suscepisse, jàm receptum Evangelium; undè creditur, quòd prædicatione Sancti Clementis Papæ primum lumen fidei effulserit apud Iberos, quoniàm Beatus hic Pontifex apud Iberos ad Chersonam defertam Civitatem trans Mare Euxinum, apud Cimmerium Bosphorum, in Taurica Chersoneso relegatus sub Trajano, biennio mansit, totoque illo tempore Christum prædicans, innumeros ad fidem traduxit, adeò ut ejus Acta ferunt, diversis in locis ea regione septuaginta Ecclesiæ fuerint ædificatæ, destructis Simulacrorum Templis. Et quidèm secundùm illorum Populorum traditionem, ab exordio nascentis Ecclesiæ plantatam Fidem in ea regione fuisse, ipsa Regina Rufuda, & Rex David ejus filius testati sunt in litteris datis ad Gregorium IX. qui in suis responsivis ait: *Gaudemus pro vobis filiis, pro vobis lætitiâ summâ gaudemus, quòd charitati vestræ Dei verbum innotuit, quòd in partibus vestris fides, ut scribitis, à tempore nascentis Ecclesiæ firma, & sine ruga permansit*. Itaquè cùm Iberia posita sit propè Albaniam, & Colchos, non longè à Mare Caspio, & Caucasiis Montibus, illam partem Iberiæ, quæ vergit ad Mare Ponticum, Colchicam dictam, prædicatione Clementis sub Trajano fidem recepisse dicendum est; alteram verò partem juxtà Caucasum vergentem ad Mare Caspium, sub Constantino, & operâ captivæ illius christianæ fœminæ, de qua Ruffinus, ad Christum venisse.

889 Cæterùm ferè in omnibus cum Gręcis conveniunt, & Græci etiàm dicuntur, & sicut illi, & hi quoquè ab Ecclesia modò separati sunt. Prævalebant olìm, ait Quaresmus lib. I. Elucid. Terræ Sanctę cap. 48. Hierosolymis, ubi plura sibi sancta loca injustè usurparunt; sed ad pauperiem redacti, aliis ea Græcis concesserunt. Subjungit indè, inquiens: *Extrà Hierosolymam habitant in Conventu, & Ecclesia Sanctæ Crucis*. Est enim hoc Monasterium per unum milliarium distans à Hierosolymis, situm eo in loco, ubi, ut communis fert traditio, præcisum fuit lignum, ex quo sacratissima Crux Salvatoris nostri fuit efformata; & locus peculiaris, in quo præfatum lignum præcisum dicitur, sub Majori Altari Ecclesiæ monstratur, opertus marmore. Verùm ad præsens nec ampliùs ibi inhabitant Georgiani, recesserunt enim omninò,

nò, relicto Græcis etiam Monasterio illo, adeoùt nec Hierosolymis, nec in ejus finitimis auditur ampliùs Georgianorum nomen. Retinent adhùc in Monte Synai Monasterium Sanctæ Catharinæ, nullam habentes subjectionem Græcorum Patriarchæ Alexandrino. Vincentius Belluacensis in Speculo Historiali lib.30. cap.93. refert, Georgianos à quodam Antiocheno Græcorum Patriarcha tractos in schisma. Sanctus Antoninus 3.par. Histor. tit.19. cap.8. §.9. & 10. plura scribit, aitque etiam, magno odio affici adversùs Armenos; hoc tamen habent commune cum universis Græcis. Græci nàmque, & Armeni invicèm sese odio prosequuntur; verùm contrà Latinos facilè se nectuntur. Raphael Volateranus lib 11. de Sectis Syriæ, nonnulla de eorum moribus scribit.

890 Dùm itaquè isti sub Gregorio IX. ut præfati sumus, operâ Religiosorum Sacri Ordinis Prædicatorum, ad obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redirent, Matremque omnium Ecclesiarum, & Magistram venerarentur,& agnoscerent: Ex altera parte Græci in Regno Cypri, pertinaciores effecti, schisma iterùm renovarunt; quorum perfidiam conspiciens Archiepiscopus Nicosiensis, consuluit Gregorium,quid cum hujusmodi agendum, quorum Clerici, expilatis Ecclesiarum suarum, & Monasteriorum opibus, in Armeniam profugerant, anathemate dicto cunctis, qui Latino paruissent Archiepiscopo; cui Gregorius sancto armatus zelo in hunc modum rescripsit, ut habetur in ejus Regesto lib. 14. Epist.19.

891 „ Ex parte tua fuit nostro Apostolatui referatum, quòd cùm tu quondam „ mandatum Apostolicum recepisses, ut om„ nibus Episcopis tibi subjectis praeciperes, „ quòd ipsi in suis Diœcesibus nullum Sacer„ dotem Græcum, nisi priùs obedientiam „ Ecclesię Romanę in suorum præsentia sub„ ditorum juraret, & abjuraret omnem hæ„ resim, & maximè illam, qua Latinos pro „ eo quòd in azimis celebrant, hæreticos „ mentiuntur, non permitterent aliquatenùs „ celebrare, contradictores, aut contempto„ res, si qui mandati nostri existerent, per „ censuram Ecclesiasticam,appellatione post„ positâ compescendo. Tu mandati ejusdem „ diligens executor, Archiepiscopum & Epi„ scopos Græcos tuæ Provinciæ congregans, „ mandatum hujusmodi ostendisti, ac legi „ fecisti eis diligentiùs, & exponi.

892 „ Sed licèt illi ad suæ iniquitatis „ præsidium multas iniquitates prętenderent, „ & processum tuum super hoc moliti fuerint „ impedire; quià tamen de sua confidere non „ poterant vanitate, petitâ, & obtentâ jàm „ dicti mandati nostri copiâ, concedendi sibi „ ad deliberandum, inducias postularunt, „ quas cùm tu assereres, non esse in hoc ar„ ticulo concedendas, eas ad convincendum „ superbiam, & superstitionem erroris ipso„ rum, ipsis postmodùm concepisti; qui in„ frà diem præfixum eisdem cum Abbatibus, „ Monachis, & Presbyteris majoribus Græ„ cis, nudatis Monasteriis, & Ecclesiis, in „ quibus morabantur, omnibus bonis suis „ latentèr exiverunt Provinciæ tuæ fines, & „ ad partes Armeniæ se transtulisse dicuntur, „ reliquis Abbatibus, Monachis, & Presby„ teris Græcis in eadem Provincia remanen„ tibus; si obtemperarent mandato Aposto„ lico, dicto Græco Archiepiscopo excom„ municationis sententiam comminante, su„ per quibus Apostolicum duxisti consilium „ requirendum à nobis humilitèr postulans „ & devotè, ut salubre super hoc adhibere „ remedium curaremus.

893 „ Nolentes igitùr, quòd Archiepi„ scopus, Episcopus, & Græci alii supradi„ cti in contumacia, & malitia sua præva„ leant; sed in ipsis potiùs confundantur, „ mandamus, quatenùs finibus expellere non „ omittas ipsos,& prædictorum fugitivorum, „ Ecclesias & Monasteria de Latinis Sacer„ dotibus, & aliis Ministris idoneis, prout „ secundùm utilitatem eorum expedire vi„ deris, ordinare procures. *Hactenus Gregorius*. Data est Laterani Idibus Aprilis, Anno XIV. Hęc itaque sub tanto,& tali Pontifice acta sunt pro reducendis Græcis ad veram Christi Ecclesiam, frustrà tamèn, nè vel levi, ut ità dicam, fructu.

894 Porrò quæ sub hoc Pontifice in sacro bello gesta sunt, apud alios Scriptores prodita habentur; nos verò ea dumtaxàt, quæ à perfido Friderico II. Imperatore Occidentali catholicæ Ecclesiæ hoste, & schismatico, in perniciem Christianorum eo in bello peracta sunt, brevitèr, ut hoc Caput absolvamus, attingemus. Nàm qui sub Honorio semèl, & iterùm sub sacramento transfretare in subsidium Terræ Sanctæ promiserat, sub Gregorio, transacto jàm præfixo tempore, adimplere curavit, non animo ferendi subsidium Terræ Sanctæ, sed potiùs consuetâ suâ nequitiâ prodendi, ut acta indè demonstrarunt; neque se, ut christianum Principem decebat, pietatis operibus ad tantum opus præstandum disponere curavit, sed magis oneratus sacrilegiis, & diro anathemate irretitus, iter, contradicente Pontifice, aggressus est.

895 Itaquè Anno Domini MCCXXVIII. Pontificat. Gregorii Anno II. Roberti Orientis Imperatoris Anno VIII. sui Imperii Anno IX. Indictione 1. Romanos priùs adversùs Pontificem excitavit, pretio, & mentitâ promissione corruptos: quos diversis dolis ad sibi, Imperioque suo parendum adstrinxit; indèque & Perusinos, chariores Ecclesiæ filios, crudeli seditione commovit. Quibus de causis, aliisque etiam præcedentibus justè permotus Gregorius, iterùm anathema in eum pro-

nun-

nunciavit: qua de causa à Romanis qui Imperatori Sacramentum dederant, ab Urbe ejectus est, ut Acta Gregorii produnt, qui sic turpiter expulsus apud Reatem se contulit, ibique moram faciente, Fridericum persecutorem suum paternis litteris moneri, hortarique curavit, ut à susceptis improbis consiliis discederet, missis ad eum duobus ex Minorum Ordine religiosis viris, qui ipsum sanioribus præceptis imbuerent, atque ad mentem Christiano dignum Principe inducendam incitarent: Extant hujusmodi litteræ in Regesto hujus Pontificis lib. 2. Epist. 10. in quarum fine ait: *Ad hoc autem dilectos Filios B. & R. Fratres Minores ad te mittimus, si forsan saltem serò salubriter monitionibus nostris aures aperias, quas hactenùs nimium inconsultè clausisti. Datum Reatæ Nonis Maii, Pontificatus nostri anno secundo*. At frustrà omnia hæc, in sua perfidia permanente Friderico.

896 His porrò, & aliis compluribus oneratus sacrilegiis, paulò post transfretavit Fridericus: *Non multò post*, inquiunt Acta, *paucorum comitatus vestigio, voti nihilominùs, & juramenti transgressor, non Imperator, sed verus Pirata transivit*. De cujus tenui transitu Marinus Sanutus lib. 3. secretor. fidel. Crucis par. XI. cap. XI. hæc scribit: „ Sequenti „ æstate, Imperator viginti parat galeas ad „ transfretandum, in sua comitiva habens „ milites non plures centum. Papa verò Gre- „ gorius hæc audiens, per solemnes Nuntios „ illi mandat, ut mare non transeat tanquam „ crucesignatus, donec à sententia esset, quam „ inciderat, absolutus; essetque per eum de „ periurio quod incurrerat integrè satisfa- „ ctum: quia tempus transferat transfretandi: „ transibat prætereà pauperrimè, & non ve- „ lut Imperator, & non sicut promiserat, & „ firmaverat juramento. Imperator verò de- „ nuntiata parùm attendens, iter assumit. *Hæc ille*.

897 Cùmque pervenisset in Syriam, nihil piè, aut rectè gessit, nec Christi hæreditatem, nec res curans Christianas, in sui dedecus* magis Christiani nominis, infami inita cum Soldano tregua, iniquis Barbaro relaxatis conditionibus, recessit. Quæ omnia breviter recenset Sanutus loco cit. cap. 12., inquiens: „ Dum hæc aguntur, in corde hye- „ mis, apto navigio, secretus Nuncius ac- „ cedit: Nuncians quòd Summus Pontifex „ magnum paraverat exercitum, jamque „ Sanctum Germanum exsperat, & versus „ Capuam veniebat: & quod Civitates, & „ Castra multa, illi se dabant: & quod Joan- „ nes Rex quondam Hierusalem, & Thomas „ Comes deGalan Capitanei erant exercitus. „ Tunc perplexus Imperator considerat peri- „ culum amittendi Regnum Siciliæ: & pro- „ pter suum recessum imminere grande peri- „ culum, & opprobrium Christianis in di- „ spendium Terræ Sanctæ: recessum quoque „ qualitas temporis prohibebat. Studuit „ proindè eum Soldano treguas ad statum „ pristinum reducere: superadditis Christia- „ nis, Hierusalem, Bethlem, Nazareth, „ & Casalibus, quæ sunt in via, sive recto iti- „ nere usque Hierusalem, & Terram Thoro- „ ni, & ad Sydonem pertinentia, quæ Sa- „ raceni tenebant: retinuit tamen Soldanus „ in Hierusalem Templum Domini, & id „ quod in circuitu comprehendit. Ascendit- „ que Imperator Hierosolymam, & positam „ Coronam super majus Altare Ecclesiæ Se- „ pulchri accipiens, capiti suo imposuit, „ nullius Prælati aut Clericalis dignitatis „ benedictione accepta, nec solemnitate Di- „ vini Officii celebrata: Deinde Ptolemaidam „ rediit, & disposita Civitate clàm recedens, „ per Cyprum Brundusium properavit, „ MCCXXIX. *Hæc Sanutus*.

898 Copiosè Geroldus Patriarcha Hierosolymitanus, & Apostolicæ Sedis Legatus gesta Friderici narrat in Epistola data ad Gregorium Papam, quæ habetur in ejus Regesto lib. 3. Epist. 34. & formam treguarum ad calcem præfatæ Epistolæ cum suis animadversionibus describit, quæ omnia ex Idiomate Gallico Latinitati concessit Raynaldus, & suis in analibus inseruit ad An. Dom. MCCXXIX. sub numero 15. ad hunc modum se habentia.

Transcriptum Capitulorum Treguæ ad Dominum Papam directum.

899 *Capitulum* I. *Sultanus Hierosolymam Imperatori ejusque præfectis tradit, ut de ea quocumque modo pro arbitrio disponat communicativè.*

„ Notandum quod Imperatori sive Ba- „ liliis suis fit concessio, non facta de Eccle- „ sia, vel Christianitate, vel Peregrinis ali- „ qua mentione: & ità apparet, quod „ secundum formam treguæ nullus potest „ eam munire, vel retinere nisi Imperator, „ vel Balilii sui. Item notandum quod Sol- „ danus de jure non habuerit potestatem con- „ cedendi, cùm super hoc violentia infera- „ tur Soldano Damasci, qui eam possidebat, „ nec treguam jurare voluit, nec ratam di- „ ctam concessionem habere.

900 *Capitulum* II. *Imperator non occupabit, attingetue Geemelata, quod Salomonis Templum est, nec Templum Domini, vel quidquam eorum ambitu complexuque contentum: Nec pati debet Francum ullum cujuscumque gentis fuerit, & invadere, sed nullo prorsùs immutato erunt in potestate Sarracenorum, qui ea ad Orationes suas fundendas, suamque legem proclamandam obtinebunt, nulla iis prohibitione, aut contradictione facta, clavesque portarum, quæ in ambitu locorum sunt, apud*

eos,

eos, qui ad ea loca instruenda curandaque resident remanebunt, nec imposterum ipsis eripientur.

„ Hæc est abusio manifesta, quæ expo-
„ sitione non indiget: Hæc est conventio
„ Christi ad Belial. Per hoc apparet, si fre-
„ quentatio psalmi illius: *Deus venerunt gen-*
„ *tes*, cessare debeat. Cum adhuc Templum
„ Sanctum polluant infideles. Item notan-
„ dum, quod cum in locis adjacentibus Ci-
„ vitati nulla sint Casalia restituta, & rema-
„ neant in manibus Paganorum, & longè
„ major erit multitudo Sarracenorum venien-
„ tium causâ orandi ad Templum Domini,
„ quam multitudo Christianorum venien-
„ tium ad Sepulchrum, quomodo poterunt
„ habere Dominium Christiani usque ad de-
„ cem annos sine discordia, & periculo perso-
„ narum, cùm, sicut prædictum est, sibi vi-
„ res retineant Sarraceni.

901 *Capitulum* III. *Nulli Sarraceno vetitum erit in Bethlem liberè peregrinationem obire.*

902 *Capitulum* IV. *Si quis Francus firmam fidem in Majestatem dignitatemque Templi Domini habuerit, eòque ad preces fundendas ingredi voluerit, id illi licebit, at si in ejus Templi majestatem dignitatemque non credit, in toto loci ambitu consistere permittendum non est.*

903 „ Mirum est, quod etiam clausuram
„ illam utriusque Templi nullus Chri-
„ stianus ingredi permittatur, nisi credat
„ sicut Sarraceni credunt. Item mirum est,
„ quod ipsi possunt liberè intrare Bethlem,
„ locum scilicèt orationis nostræ, in infide-
„ litate sua sine omni examinatione, & nos
„ Templum Domini; imò nec clausuram,
„ in fide, & nomine Jesu Christi non poteri-
„ mus, nec permittemur intrare, nisi priùs
„ eis constet, quod de Templo, quod ipsi
„ credunt, credamus. Item notandum, quod
„ Templum Domini fuit primò Sedis Epi-
„ scopalis, quæ nunc Patriarchalis facta est,
„ & ibi nunc Sedes est Mahometi.

904 *Capitulum* V. *Si Hierosolymis Sarracenus alteri Sarraceno damnum aliquod intulerit, apud Sarracenos in judicium vocabitur.*

„ Ecce quod in Civitate jurisdictionem
„ habent sicut Christiani.

905 *Capitulum* VI. *Imperator nulli Franco, quisquis ille fuerit, quocumque modo operam præstabit, nec Sarraceno ad confligendum, bellumque movendum contra Sarracenos quicumque ij fuerint, per has inducias belloque moto, nec quemquam impellet, vel mittet, nec cuiquam eorum sese conjunget, qui ad prælium ineundum fuerit progressus, sive nullo modo adhærescet, nec eos commeatu vel viris juvabit.*

„ Istud Sacramentum quod in hac parte
„ fecit Soldano, quomodo servari poterit
„ cum eo, quod fecit Ecclesiæ, de tenendis
„ mille militibus per biennium, & de quin-
„ quaginta galeis, pro quibus excommuni-
„ catus est, quia adimplere eadem non cu-
„ ravit?

906 *Capitulum* VII. *Imperator avocabit eos omnes, qui meditabuntur cladem aliquam inferre terris Sultani Melec Elkemer, ac terris, idque suis, exercituique, ac subditis vetabit pro quanta in eo erit potestate.*

„ Si benè notetur istud Capitulum, &
„ si nunquam in aliis deliquisset, non solum
„ Deus, contra quem se specialiter obliga-
„ vit, verùm etiam totus Mundus deberet
„ insurgere contra eum, quia in hoc contra
„ universam Christianitatem commisit, in
„ opprobrium, & contemptum Excellentiæ
„ Imperialis, & totius Christianitatis de-
„ decus, non modicum & manifestum gra-
„ vamen.

907 *Capitulum* VIII. Penè idem sed magis expressum. *Si qui Franci pactiones conventas, aut quarum mentio facta sit in his induciis transgredi cogitent, Imperator Sultanum defendere tenetur, ac ab ea mente suos, subditosque, exercitumque suum revocare.*

908 *Capitulum* IX. *Tripolis ejusque territorium Cracbum, Castelblaucum, Tortosa, Margatum, & Antiochia, & quidquid in iis reperitur, tam in bello, quàm Induciis in suo statu relinquatur, ac Imperator suis exercituique suo, iisque terris suis commorantibus, qui eò accedent, sive ii Franci fuerint indigenæ vel exteris opem Dominis dictorum locorum ferre prohibebit.*

„ Hoc nunquam accidit, sicut dicitur,
„ in Terra, nisi modo, quia quando in Re-
„ gno Hierosolymitano tregua habebatur,
„ loca præcedentia milites Regni & alii Chri-
„ stiani indifferenter juvabant, & ea modis
„ quibus poterant defendebant. *Hactenus Treguæ capitula, & animadversiones.*

909 Pro quibus infidus, & proditor Fridericus, quasi de hostibus celeberrimum retulisset triumphum, ad inanem gloriam colligendam elatus, & superbus, triumphales ad Principes fecit litteras sub datis apud Sanctam Civitatem die XVII. Martii Anno MCCXXIX. quarum unam Henrico III. misit Anglorum Regi, à Parisio recitatam in sua Anglorum historia ad hunc annum. Cæterùm pii, & cordati viri, non sine stomacho hujusmodi pactiones, & conventiones Christiano principi prorsùs indignas audierunt: eas detestatur, & execratur Gregorius Papa, qui ad Ducem Austriæ tristes fecit litteras, ut ex lib. 3. Epist. 38. quæ ita se habent.

Nobili Viro Duci Austriæ.

910 „ Inter alia flagitia, quibus Fride-
„ ricus dictus Imperator, fidem nominis
„ Christiani confudit, & prodidit, quatuor
„ præcipuè notare debes, Alphabeto qua-
dru-

„ druplici deploranda, quæ per litteras Venerabilis Fratris nostri Patriarchæ Hierosolymitani Apostolicæ Sedis Legati, nobis sunt fideliter intimata, & in forma treguæ initæ cum Paganis perpenditur manifestè.

911 „ Primùm, quod arma Christianæ militiæ gladii potestatem de Altari Beati Petri sumpti ad vindictam malefactorum, laudemque bonorum, sibi à Christo per suum Vicarium assignati, quo pacem Christi, fidem Ecclesiæ defenderet, & muniret, Soldano Babyloniæ, inimico fidei, adversario Jesu Christi, cultori perditi Mahometi, impudentissimè resignavit, denuntians ei, ut de ipso faceret quidquid vellet, & affirmans se nolle arma de cætero assumere contra ipsum, quem ut impugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat imperialis culminis dignitas. Per quod patenter arguitur, quod dignitati Imperii, ejusque spontaneus renunciavit honori: cùm executionem gladii contra hostes fidei pacto execrabili, & inaudita præsumptione remittens, potestatis, & dignitatis suæ se spoliavit officio, causâ se privatum insinuans, cujus effectu promisit, & juravit se de cætero cariturum: privilegium enim meruit amittere dignitatis, qui concessa sibi abusus est potestate.

912 „ Secundùm magis execrabile, & inauditi admiratione stuporis horrendum, quòd de Templo Dei, in quo Christus oblatus est, & Sedem sibi primam Cathedralem constituit, quando in medio Doctorum sedit, audiens & respondens, ipsum impudenter, & irreverenter ejecit, & in Sede sua Mahometum perditum collocavit, cùm doctrinam nefandam, & legem ipsius in Templo Dei prædicari, & clamari concedens, silentium præconio Evangelicæ veritatis imposuit, ejusdemque Templi custodiam, & septi ejus claves Sarracenis committens, nullum intrare statuit Christianum, nisi de altitudine Templi primò examinatus, suam Pagano credulitatem exponat. Per quod datur intelligi manifestè, quod judicio Sarraceni relinquitur, utrum debeat Dei Templum ingredi Christianus.

913 „ Tertium est, quod Antiochiam, & Antiochenam Provinciam, Tripolitanam etiam cum adjacentibus suis, Castrum, quod dicitur Crach, Castellum album, & Margatum occupanda Paganis exposuit, quando ipsa à confœderatione treguarum excepit. Imò si ea invadi contigerit à Paganis, non solum omne subsidium se denegaturum assensit, sed universos ferentes auxilium impedire, & cohibère, nefandissimo juramenti vinculo se astrinxit, quasi non sufficiat inauditæ tyrannidi & infidelitati damnatæ Templum Dei hostium fidei subdere potestati, & prophanari immunditiis Paganorum, ac Christum de sede sua turpiter ejecisse, nisi etiam primam Sedem Apostolorum Principis, ejus Vicarii juramentum ei prestitum malè servans, exposuerit inimicis fidei Christianæ; manifestè protestans, quod infidelis capiti, non solum uni membro, sed toti Corpori sit infidus.

914 „ Quartò autem, contrà totum Populum Christianum apparet ipsius & Paganorum confœderatio manifesta, ubi ita se damnabiliter obligavit, quod si omnes prædicti inter se initis factionibus vellent quomodolibet obviare, juramento, tenetur suis expensis, & exercitu suo pro suis viribus debellare. Ex quo constat, quod si Christianus exercitus ulcisci sui vellet injuriam Redemptoris, & à Templo Dei, & à Terra Sancta eliminare spurcitias Paganorum, patenter tenetur se opponere Christianis. Numquid super id non indignabitur Zelus tuus, aut impunè Christus de regno suo, & Sede repellitur, & transactionem principis solo nomine Christiani, qua Templum Dei conceditur Mahometo, religio Christiana conniventibus oculis approbavit?

915 „ Absit ut illius qui læsæ majestatis reus est, particeps vel consors existas. Si reus est criminis hujus, cujus ope vel dolo Civitas hostibus, vel Provincia traditur; quantò magis ejusdem criminis reus est, qui cum inimicis Christianæ fidei contra regem Cœli, & Imperatorem æternum, & thronus ejus ad adversarium transferatur, nefarias iniit pactiones? Si secundum leges Principum sæcularium hoc piaculare flagitium tam dura, diraque pœna mulctatur, ut feratur ultio tam in actores sceleris, quàm in progeniem damnatorum; & ejusdem criminis noxius non solum honore, sed vitâ privetur, filiosque perpetua comitetur infamia, ut ad nullum honorem, nullaque prorsùs perveniane Sacramenta, ut mors sit eis solatium, & vita in supplicium convertatur; quanta qualive pœna est dignus, qui in tot, & tantis impiè Dominum Jesum Christum offendit, cum longè sit graviùs æternam, quàm temporalem offendere Majestatem? Quocircà nobilitatem tuam rogamus, & monemus in Domino per effusionem Christi sanguinis obsecrantes, quatenùs ad vindicandam injuriam Salvatoris nostri Dei taliter assurgas, ut cùm à nobis fueris requisitus, paratum te inveniat Ecclesia Mater tua ad exprobandum opprobrium inimicorum crucis Christi, & abolendam maculam tantæ infamiæ à gloria nominis Christiani,

916 „ Cùm nuper die Dominica post festum Apostolorum super præmissis recepissemus litteras Patriarchæ, sequenti die Sab-

„ bati, alias ejusdem accepimus literas, in
„ quibus inter alia perspeximus contineri,
„ quod postquàm reversus est dictus Frideri-
„ cus à Civitate Jerusalem, dictum Patriar-
„ cham, & fratres militiæ Templi, obsidens
„ in Accon quinque diebus cum jis, qui se-
„ cum erant, graviter impugnavit, inten-
„ dens domos eorum bonis omnibus spoliare:
„ sed cum Dominus conatum suæ nequitiæ
„ repremisset, nec posset quod in animo ge-
„ rebat, efficere, Balistas, & cætera arma,
„ tam à charissimo in Christo Filio nostro
„ Joanne Illustri Rege Hierosolymitano,
„ quàm ab aliis peregrinis pro defensione Ter-
„ ræ Sanctæ ibi relicta, & longo tempore
„ conservata, ad navim suam fecit clanculò
„ asportare: quorum partem secum deferens,
„ & reliquam Soldano, & fidei inimico
„ transmittens, destructis Galeis, quæ erant
„ ad Terræ Custodiam relinquendæ, in Fe-
„ sto Apostolorum Philippi, & Jacobi clàm
„ fugit: & diluculo Civitatem egressus, &
„ sic Terram viris, & viribus, armis, &
„ munimentis cæteris destitutam relinquens,
„ exposuit inimicis fidei occupandam. Da-
„ tum Perusii xv. Kal. Augusti, Pontificatus
„ nostri anno tertio. *Hæc Gregorius*.

917 Fuit autem Fridericus magis Sarracenis addictus, quam Christianis, & illorum moribus delectabatur: unde Geroldus Patriarcha Jerosolymitanus in antefata Epistola ad Gregorium data, inter alia nequam à Friderico gesta in Syria, hæc de pessimis ejus moribus scribit: „ Nec illud silendum est,
„ quod ad majus dedecus Christianitatis ce-
„ dere visum est. Imperator rogavit Solda-
„ num, ut per Sarracenos suos in ipsius Im-
„ peratoris expensis Christianum exercitum
„ faceret custodiri, quod cum ordinatum à
„ Soldano fuisset, quia de lupis erant Pa-
„ stores effecti, multi de nostris sub illa con-
„ fidentia ceciderunt, & quod cum maxima
„ verecundia referimus, & rubore, Impe-
„ ratori Soldanus audiens quod secundum
„ morem Sarracenorum se haberet, misit can-
„ tatrices, quæ, & saltatrices dicuntur, &
„ jaculatores, personas quidem non solum
„ infames, verùm etiam de quibus inter Chri-
„ stianos haberi mentio non deberet. Cum
„ quibus idem Princeps hujus Mundi vigiliis,
„ potationibus, & indumentis, & omni mo-
„ re Sarracenico se gerebat. *Hæc ille*. Sed & in Italiam reversus eisdem Sarracenis favit in Apulia, quibus permisit Nuceriam Urbem munire, de qua re conquestus Pontifex scripsit illi acres litteras, quæ habentur in Regesto, lib. 6. Epist. 180. Cum Soldano Babyloniæ nimiam servavit amicitiam, à quo per Oratores sæpè salutabatur, receptis quoque ab eodem missis ingentibus muneribus, quod etiam faciebat Soldanus Damasci, de quo Riccardus in sua Chronica ait: *Soldanus Damasci prætiosissima mittit xenia Imperatori per quosdam Nuntios suos in Apuliam venientes*. Ille ergò Imperator, qui Sacramento Ecclesiam Christi defendere tuerique tenebatur, sævissimè persecutus est, quos ejusdem Ecclesiæ hostes persequi debebat, fovit, & protexit: indignus sanè Imperio nedùm, sed ipso Christiani nomine.

918 Post hæc porrò nil dignum actum est Syria à Christianis, deficientibus viribus. Gregorius verò, cui in corde erat Terræ Sanctæ recuperatio, Crucem prædicare fecit in Regno Franciæ Anno Domini MCCXVXV. quam multi viri nobiles acceperunt, sed aliis de causis, & quidem urgentioribus, annuente Gregorio dilatus est transitus per quatuor Annos: Ità Sanutus loco cit. cap. 13. in fine, inquiens: MCCXXXV. *Papa Gregorius IX. fecit prædicari Crucem pro Terræ Sanctæ subsidio in Francia: sequenti Anno per Minores, & Prædicatores, multi Barones, milites & populares, necnon, & Clerici crucesignantur: Passagium tamen, annuente Papa, per quatuor annos dilatum est*. Inter alias causas præfatæ dilationis: una fuit, & præcipua, bellumGræcorum Schismaticorum adversùs Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, cui, multis ereptis Civitatibus, & locis, Regiam ipsam Urbem potenti exercitu eripere quoque moliebantur: qua de re Gregorius, ut periclitanti succurreret Imperio arma crucesignatorum in illius subventionem vertit, ut litteræ demonstrant ipsius, ex lib. 10. Epistol. 282. ferè Encyclicæ, datæ nimirum ad Cameracensem, Tornacensem, & Atrebatensem Episcopos in Gallia, & ad Colocensem, & Strigoniensem Archiepiscopos in Ungaria, quæ ita se habent.

Gregorius &c.

919 „ Ad subveniendum Imperio Con-
„ stantinopolitano multiplex causa Catholi-
„ cos Viros inducere, multiplex ad condo-
„ lendum ejus doloribus ratio eos poterit ad-
„ monere: in cujus esterminio Corpus Orien-
„ talis Ecclesiæ in gravium frusta Schisma-
„ tum scinditur, ac subsidium Terræ Sanctæ
„ plurimùm impeditur: in cujus exterminio
„ ager Dominicus diversarum hæresum spi-
„ nis occupatur, & tribulis, & omnium La-
„ tinorum timetur periculum in partibus ha-
„ bitantium Orientis: Illud enim ad hoc ip-
„ sos debet efficaciter exhortari, quod in
„ subventione præfati Imperii oppressi pro
„ Ecclesia, & fide Catholica, Cœlestem pro-
„ culdubiò poterunt gloriam promereri. Hinc
„ est quod cùm Vatacius Dei, & Ecclesiæ
„ inimicus graviter Imperium ipsum oppres-
„ serit, & plures ipsius Civitates, & Loca
„ capiens, ea funditus devastarit, nos attenden-
„ tes, quod in ipsius conservatione Imperii,
„ specialiter Terræ Sanctæ subsidium nosci-
„ tur promoveri, & si, quod absit, Domi-

nio

„ no Græcorum, qui magis Latinos odiunt „ quàm Pagani, subjicitur, de facili ejusdem „ terræ dissidium sequeretur, mandamus, „ quatenùs vota quadringentorum Militum „ Regni Franciæ, & præter eos nobilium „ Virorum consanguineorum Illustris Imperatoris Constantinopolitani, & nobilis „ viri Balduini, ad quem Imperium ipsum „ spectat, & familiarium suorum Crucesignatorum, quorum ad id consensus accesserit, in subsidium præfati Imperii, non „ obstante juramento, quòd se ad transfretandum in Terram Sanctam obligasse dicuntur, auctoritate Apostolicâ commutantes, tàm eos, quàm alios, qui de novo vestris inducti monitis in succursum ipsius „ assumpserint signum Crucis, præceptis „ moneatis salutaribus, & inducere procuretis, ut sinè moræ dispendio ad succurrendum ipsi Imperio iter arripiant, & ad id „ festinantèr, & virilitèr se accingant, spe „ ipsis propositâ, quòd dùm in eodem Imperio Terræ præfatæ subveniunt, duplicatum remunerationis divinæ præmium reportabunt. Datum Interamne VI. Idus Decembris, Anno X. *Hactenùs Gregorius*.

920 Et quoniàm Crucesignati, per terras Imperii erant transituri, Summum rogaverunt Pontificem, ut Fridericum impelleret, vel ad ferendum ipsis auxilium & commeatus suppeditandos, aperiendosque portus, vel ut ipse iis sese conjungeret, ac Ducem præbere dignaretur. Qui postulatis benignè annuens, fecit ad eundem Fridericum litteras, quæ habentur lib. 11. Epist. 284.. in quarum fine ait: „ Quocircà Serenitatem tuam rogandam duximus attentiùs, & monendam, „ quatenùs id ad examen Imperialis providentiæ referens, & processurum ex dilatione dispendium, & ex processu commodum „ proventurum, in libra rationis appendens, „ in hac parte Crucesignatis eisdem assentias, & eis, in navigiis, portubus, victualibus, & aliis ad passagium opportunis, „ consilium, auxilium tribuas & favorem &c. „ Datum Laterani IV. Non. Novembris Anno XI. *Hactenus Gregorius*. Sed infidus Princeps diversis excogitatis difficultatibus, præfatum transitum antedictis Crucesignatis denegare non est veritus. Qua de re pius Pontifex alias ad eum fecit tenoris sequentis litteras.

Gregorius &c. Friderico Imperatori.

921 „ Considerantes olim, quòd Græcorum Ecclesia, ab obedientia Matris suæ „ Sedis Apostolicæ separata, ex eo vitam „ videbatur amittere Catholicæ Fidei, quòd „ à Capite suo, Ecclesia scilicèt Romana, in „ qua Dominus, & fidei totius Status Ecclesiastici magisterium posuit, non timuit segregari; quia nec ramus vivit, qui à radice sejungitur, nec membrum vitam retinet, quod à corpore separatur; considerantes, quòd cùm Ecclesia Sponsa Christi „ sit unica, quæ in Beato Petro Apostolorum „ Principe non dubitatur esse fundata, quisquis aliam Ecclesiam extrà istam constituit, „ seù credit posse constitui, certum est eum „ à vita veræ fidei in mortem hæresis separari; providâ deliberatione timuimus, nè dicti Græci, quos ab Ecclesia Dei transportavit in Synagogam Satanæ alluvio schismatis, impetu torrentis obruti in abyssum „ præcipitarentur hæreticæ pravitatis.

922 „ Propter quòd exemplo Summi Pastoris ovem perditam ad ovile Dominicum, „ propriis cupientes humeris reportare, ad „ Germanum dictum Patriarcham Nicænum, „ Prælatos & Clerum sibi subditos Fratres „ Prædicatores, & Minores in Lege Divina „ plenè peritos transmisimus, paternis apud „ ipsos monitis & precibus insistentes, ut à „ somno mortis exurgerent, & fugientes à „ ventura ira, illucescente illius supernæ claritatis lumine, se unioni catholicæ reformarent. At ipsi, sicut ex ipsorum Fratrum „ veridica relatione percepimus, diversos „ contrà fidem orthodoxam proponentes errores, & obturantes more aspidis aures „ suas, nullis potuerunt induci monitis, ut „ in viam redirent Ecclesiasticę unitatis. Super quo vehementèr dolore turbati, nè „ frustrà sit nobis evellendi & plantandi cœlitùs collata potestas, contrà dictum Vatacium schismaticum, & ejus fautores, qui „ excommunicati à nobis semèl in annis singulis nuntiantur, quià ipsorum vulnera sanare hujusmodi non potuit medicina; non „ tàm pro subsidio Constantinopolitani Imperii, quàm pro corroboranda & defendenda Fide Catholica in partibus Orientis, „ multos Principes, Barones & Milites signo „ Crucis fecimus insigniri; cultoris Evangelici sequentes exemplum, qui primùm „ circà ficum sterilem fodiens & mittens stercora, illam tempore sequenti succidit, nisi „ poma produxerit expectata: Quarè Serenitatem tuam Apostolicis Nuncio & scripto rogavimus, ut Crucesignatis prædictis per terram tuam transitum liberum „ indulgeres.

923 „ Verùm, cùm, sicut intelleximus, „ precibus nostris obicem difficultatis opponas, Imperialem Celsitudinem, sicut iterùm, sic attentiùs rogandam duximus & „ monendam, quatenùs prudentèr attendens, „ quòd hujusmodi denegando transitum apud „ Deum animæ, ac apud homines famæ tuæ, „ eò quòd dictos schismaticos in suo videreris errore fovère, incurreres detrimentum; Crucesignatis Constantinopolitanæ „ Civitati succurrentibus, per terram præfatam & Imperium transitum concedas liberum & securum: alioquin scire te con-

„ venit, quòd Ecclesia non possèt conniventibus oculis pertransire, quod in subversionem fidei catholicę contigerit attentari &c. „ Datum Laterani xvi. Kalendas Aprilis, „ Anno IX. *Hactenus Gregorius ad Fridericum*.

924 Porrò scripsit Ludovico Gallorum Regi, ut ex lib. 12. Epist. 311. pro ferendo subsidio eidem Constantinopolitano Imperio, hortans, ut agat cum Gallicano Clero, & Præsulibus, quatenùs ad annos tres, trigesimam reddituum Balduino penderent: „ Licèt enim, *inquit*, ad liberationem dicti Imperii, ut Terræ Sanctæ non minùs, quàm „ ei valeat provideri, Apostolica Sedes multos labores & expensas subierit, quià tamèn nisi nobis devotorum & fidelium ad „ id suffragetur auxilium, tantum negotium „ nostrarum virium metas excedit, te ad perfectionem ipsius, quòd & honorem personæ tuæ,& salutem animæ nihilominùs contìnet, duximus invocandum. Verùm quià „ dignum videtur & congruum, ut Ecclesia, „ cujus id respicit honorem & commodum, „ ad hoc auxilium conferat opportunum, „ Celsitudinem Regiam rogandam duximus „ attentè & hortandam, in remissionem tibi „ peccaminum injungentes, quatenùs secretò & singillatim apud Prælatos Regni tui, „ & primò apud eos, qui familiaritate speciali Sublimitati Regiæ sunt adstricti, ut „ liberalitèr & benignissimè assentiant, quòd „ Ecclesiæ & Clerici suarum Diœcesum in „ trigesima reddituum suorum usq; ad triennium, prædictis Terræ Sanctæ, & Imperio „ provideant. *Hæc ille*. Datæ sunt litteræ Laterani VIII.Kalen. Decembris, Anno XII. quo tempore ejusdem argumenti litteras scripsit pariter Gregorius ad Reginam Franciæ, Itèm & pro ferendo auxilio alias dedit litteras Angliæ Regi; & alias Richardo Comiti Cornubiæ,quę habentur in eodem Regesto lib.12. Epist. 312. & Epist. 313. Et deniquè scripsit ad Colomannum Ducem Sclavoniæ, fratrem Belæ Pannoniæ Regis, quatenùs benevolum ergà Balduinum se exhiberet, auxiliumque, res necessarias suppeditando tribueret, ut ex Epistola 314. ejusdem libri constat.

925 Deniquè Anno Dñi MCCXXXIX. Gregorii Papę Anno XIII.Balduini Anno XI. Imperii Friderici XX. Indictione XII. *Transfretant*, ait Sanutus cap. 15. *Tybaldus Rex Navarræ, & Comes Camponiæ; Hugo Dux Burgundiæ; Henricus Comes de Barleduc; Petrus Comes Brittaniæ, Comes de Forois, & de Nevers, ratione uxoris; Almericus Comes Montis Fortis, & Joannes Comes de Mascon, & alii plurimi Divites de Francia. Itaquè per Marsiliam, & Aquas mortuas applicuere Ptolemaydę, & deliberatione habita, Ascalonam reædificare disponunt*. Et Richardus in sua Chronica: *Mense Augusto*, ait, *Rex Navarræ cum copioso Crucesignatorum Exercitu de Marsilia in Terram Sanctam transfretat*. Eodem quoquè Anno Balduinus, qui anteà ad colligendas Copias & subsidia, ad diversos Principes se contulerat, valido cum Exercitu in Græciam se transtulit, ut Georgius Logotheta, Leone Allatio Interprete, tradit. Verùm in Syria exortis inter Crucesignatos civilibus dissidiis, nihil laude dignum egerunt. Anno dumtaxàt sequenti MCCXL. ut Sanutus scribit cap. 15. instante Soldano Damasci, inita cum eo à Crucesignatis est tregua, eo pacto, ut Christianis restituerentur Castra Belfort, & Saphet, totumque territorium Hierosolymitanum; ipsi verò tenerentur eum juvare contrà Soldanum Babyloniæ, nec possent cum eo treguas facere: Sed hujus treguæ occasione, ortâ dissensione inter Templarios, & Hospitalarios, divisi sunt Milites christiani; nàm qui Hospitalariis adhærebant, treguam facere cum Soldano Babyloniæ, renuebant. Porrò aliis exortis inter Christianos nobiles dissidiis, quæ ab auctoribus descripta habentur, abcessit Rex Navarræ cum Comite Brittaniæ, & cæteris Crucesignatis, relictâ Syriâ Barbarorum incursionibus exposita. Hospitalarii etiam,qui Imperio Constantinopolitano contrà schismaticos succurrere debebant, moribus corruptissimi, non sunt veriti adversùs Latinos fœdus inire cum schismatico Vatacio, eique auxilium præbere, ad quos mœstas litteras, sed acres simùl, scripsit Gregorius, quæ habentur in ejus Regesto lib. 12. Epist. 449. Et ità ubiquè res Latinorum, ipsismet causantibus Latinis, in deteriùs prolabebantur.

CAPUT XXV.

De Innocentii IV. Pontificatu, ejusque studio in revocandis Græcis, aliisque schismaticis, ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ, & de his, quæ sub eo gesta sunt pro recuperanda Terra Sancta.

926 Antequàm de Gregorii obitu sermonem faciamus, præmittenda sunt nonnulla ejus adversùs Fridericum gesta, hujusque etiam impii Principis adversùs Gregorium, & ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam. Cùm itaque Fridericus innumera admisisset impunè scelera, monitaque paterna Pontificis contempsisset, Gregorius diù illius nequitiam sustinere non valens, Ecclesiastico utens gladio, anathemati subjecit, Anno Domini MCCXXIX. hac utens forma: „ Excommunicamus, & anathematizamus, auctoritate Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum

„ rum Petri, & Pauli, & nostrâ, Fridericum „ dictum Imperatorem, pro eo quod contrà „ Romanam Ecclesiam seditionem movit in „ Urbe, per quod intendit, Pontificem, & „ fratres à sua Sede repellere, contrà privi- „ legia dignitatis, & honoris Apostolicæ „ Sedis; contrà libertatem Ecclesiasticam; „ contrà juramentum, quo super hoc tene- „ tur Ecclesiæ temerè veniendo. Itèm pro eo „ quod venerabilem fratrem nostrum Præne- „ stinum Episcopum Apostolicæ Sedis Lega- „ tum, nè in sua Legatione procederet, „ quam in Albigensium partibus pro corro- „ boratione catholicæ Fidei sibi commisi- „ mus, per quosdam fideles impedire man- davit. *Hactenus forma excommunicationis* latæ in Fridericum, quæ recensetur à Stadensi in Chronica, à Parisio in Historia Anglorum, & aliis, habeturque in Regesto Pontificio.

927 Hac verò de causa fremens Fridericus, & ira scandens, diram excitavit in Gregorium, & Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam persecutionem: Scribit nàmque Vitæ Gregorii auctor: „ Tunc Cæsar ipse „ cæsus levioribus citrà meritum delinquen- „ tis, non sub Christi humiliatus Vicario, „ sed super omne id, quod Deus dicitur, ac „ colitur, elevatus, correptionis divinæ me- „ delam in suæ nequitiæ recordatione non „ sentiens, elatus ex verbo Fridericus fren- „ dens, & fremens, absorbet iram, nec latæ „ sententiæ reputat sonare clangorem: factus „ cerastes in semita, ungula equi dentibus „ detractionis aggreditur, ut famam deii- „ ciat ascensoris; palliat culpam, proponit „ calumniam, innocentiam sub verborum „ colore mentitur. *Hæc ille*. Jactabat nàmque se injustè à Gregorio damnatum, varias ad hoc in Gregorium confingens calumnias, quas ipse Pontifex in suo Apologetico, ut in Regesto Epistolarum lib. 13. refellit. Hinc & apud Labæum tom. xi. Concil. extat Epistola xi. quæ incipit: *Ascendit de mari bestia*, data Laterani Anno XIII. & qua vitam, mores, ingratitudinem, impietatemque Friderici insinuat, & causas exprimit, propter quas Sedes Apostolica post multam cunctationem, ad vindictam tandèm faciendam, vel serò serius tamen surrexerit, missa ad Archiepiscopum Moguntinum, & ejus Suffraganeos. Extat insuper & Epistola xvii. incipiens: *Miranda tuis sensibus*, data ad ipsum Fridericum, qua ad sibi objecta per Epistolam ab eodem Friderico respondet, & monet, ut redeat ad cor, nec suggestionibus, nec prosperis, se permittat seduci.

928 Sed Fridericus, ut surdus auditor, in pejus ruens, vindictam in Gregorium meditatur, quin & in ipsam Urbem Romam, cui exterminium minitatur, curans ad Pontificis terrorem, quinimmò contumeliam, & contemptum, ut in illius cubiculo, hoc impium Epigramma injiciatur.

Fata docent, Stellæque monent, aviumque volatus.
Totius Mundi malleus unus erit:
Roma diù titubans variis erroribus acta,
Totius Mundi finet esse Caput.

Quibus Gregorius perlectis, ad retundendam vani Principis audaciam, hoc Distichon retorsit.

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur.
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Indè verò ad eludendam sententiæ in eum latæ severitatem, magno Pontificis contemptu ad futurum Concilium provocavit, de qua re ad plures Principes litteras fecit, inquiens, ut ait Parisius ad hunc Annum: „ Nos, qui „ processum hujusmodi temeritate plenum, „ & justitia vacuum habebamus, ad fratres „ suos litteras, & Legatos transmisimus, ge- „ nerale petentes Concilium convocari, in „ quo Judicis corrupti nequitiam, ac Impe- „ rii nostri justitiam, & innocentiam nostram „ argumentis arguere luce clarioribus spon- „ debamus; super quo, nedùm justitiæ no- „ stræ delata ratio fuit. *Hæc Fridericus ad diversos Principes.*

929 Licèt autèm Gregorius jure in hoc ei satisfacere minimè teneretur, attamèn, nè majorem calumniandi de injustitia ansam arriperet ex denegato generali Concilio Fridericus, annuens generale Concilium indixit, datis Encyclicis ad omnes Episcopos litteris, quæ incipiunt: *Petri Navicula, Matris Ecclesiæ fluus*, cùmque Fridericus justam causam non haberet, timens, nè in plena Synodo Acta Gregorii rata haberentur, & iterùm Synodali Decreto anathemati subjiceretur, aut cogeretur de anteactis debitam exhibere satisfactionem, mutato consilio, ad desturbandum Concilium aggreditur, fraudolente priùs utens arte, ut Præsules ad Concilium properantes interciperet, indè vi; nàm transfretantes Prælati in Januensium navibus, occurrente Friderici classe ex utriusque Siciliæ Regno parata, adjunctis Pisanis, commisso navali prælio, victis, & superatis Januensibus, complures Prælati cæsi sunt, nonnulli submersi, & alii unà cum Apostolicæ Sedis Legatis comprehensi, captivi facti sunt, ac in carcerem detrusi; de quo facinore, hæc Richardus à Sancto Germano in suo Chronico scribit: „ Mense Majo, in festo Inventio- „ nis Sanctæ Crucis, Galeæ Imperiales cum „ Galeis Januensium conflictum habentes, „ nonnullos Prælatos Occidentales, qui „ erant in eis, habità victoriâ de Januensibus „ cœperunt, & duxerunt apud Pisas capti- „ vos, cum duobus Legatis, Prænestino sci- „ licèt Episcopo, & Oddone Sancti Nicolai „ in Carcere Tulliano Diacono Cardinali- „ bus, de quorum mandato veniebant ad Pa- „ pam: inter quos fuerunt Cistercienfis, &

Cla-

„ Claravallensis Abbates, nec non Rothomagensis Archiepiscopus, & alii. De Galeis „ quoquè Januensium captæ sunt ultrà viginti, & nonnulli Januensium in eis, & quamplures sunt spontè, ob metus causam in „ mari submersi, qui omnes posteà, Imperatore mandante, tàm Prælati, quàm alii „ cum Legatis ipsis, in Regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti sunt, „ & in custodiam per Regni Castella transmissi. *Hæc Richardus*. Sed quot ærumnas, incommoda, aliaque hujus generis passi sint antedicti Præsules, & ipsi Apostolicæ Sedis Legati, sceleſtiſſimo, & plusquàm tyranno Principe jubente, à Parisio rescire possumus ad Annum MCCXXXXI. ità scribente.

930 „ Jussu igitùr Imperiali ducti sunt „ per mare cursu diuturno per spatium circitèr trium hebdomadarum, donec venirent „ Neapolim in Apulia, & in Castro, quod „ est vicinum Civitati, & mari circumdatum tutelæ certissimæ mancipantur. Sed „ non omnes æqua damnabat calamitas carceralis: Prænestini enim miserrima erat „ conditio, & omnes jàm, vel moribus, vel „ læthalis invaserat imbecillitas. Cùm enim „ diù navigaverant, sedentes glomeratim vincti, & oppressi, cecideratque super eos „ æstus intolerabilis, muscis circumvolantibus, & more scorpionum pungentibus, fame, & siti cruciati, & ad arbitrium nequissimorum Nautarum, immò hostilium Piratarum, lacessiti, & objurgati, longum „ martyrium protraxerunt, quod pro obedientia subierunt. Videbatur igitùr carcer „ requies, licèt requie caruisset. Tabuerunt „ ergò præcipuè delicatiores, & variis infirmitatibus languerunt; undè quidam Religiosi, & multi alii animas afflictas exhalantes, ex miseria hujus Mundi, ad Dominum, non sinè palma martyrii, migraverunt. *Hæc Parisius*.

931 Accepit Gregorius hujus funestæ cladis notitiam per litteras, & aliquorum, qui evaserant Præsulum Nuncios; quæ litteræ in ejus Regesto habentur lib. 15. Epist. 55. incipientes: *Dolentes referimus*, sub datis Januæ x. die Maji; & per alias, quas ad eum miserat Commune Januensium, quę incipiunt: *Tacti sumus dolore cordis*; & habentur in eodem lib. Epist. 56. Et quali dolore, quavè animi, & cordis amaritudine affectus fuerit pius Pontifex, indicant ejus litteræ, datæ ad eosdem captivos, & exules Præsules, registratę in antefato lib. 15. Epist. 109. quæ ad hunc modum se habent.

Gregorius Episcopus &c. Prænestino Episcopo, Rothomagensi, Burdigalensi, & Auxitano Archiepiscopis; Neumasensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi, & Terdonensi Episcopis; & Oddoni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali; Cluniacensi, Cisterciensi, Claravallensi Abbatibus, & Gregorio de Romania Subdiacono, & Cappellano nostro; Decanis, Præpositis, Archidiaconis, & aliis exulantibus pro Ecclesiastica libertate.

932 „ Dolenda novi casus adversitas, „ infœlicibus emergens eventibus, nupèr „ filios uteri dolentis involvit, quæ suorum „ consideratione gestorum, & novitatis prę„sumptæ nequitia, generalis Ecclesiæ pectus „ urens, nostris adaucta doloribus tristes „ ingeminat gemitus, & causas mœroris; ac „ præter Apostolicæ Sedis offensam, & illam „ exempli perniciem, quam vulgus oppidò „ venatur in Clerum, patris animum filiorum injuria vulnerat, non levem imprimit „ pressuram malitia, & angit angustia vigilem diligentis affectum; nàm verisimilitudo non tolerat, ut patientibus membris caput non langueat, aut expers doloris existat de palmite percusso colonus. Quis igitùr orbati patris capiti dabit aquam, & „ oculis fontem tribuat lacrymarum: Nàm „ Joseph non superest, Simeon tenetur in vinculis, Beniamin junior est sublatus, filii „ Syon incly ti Ecclesiarum Principes reverendi, auro primo amicti, cùm in manus „ devolvuntur hostiles, velut vasa testea reputantur.

933 „ Quis patris lenire dolorem, aut „ remediis poterit congruis fratrum tristitiam temperare, dùm pro Mundi pace properantes ad matris cunabula, filios, Sathan insidiator expetiit? Sic subitò rapuit „ una dies, quos regio mortis apula suscepit; Ægyptus infestus, carcer Pharaonis „ includit Patres conscriptos, & alienæ libertatis auctores, aliorum subjiciuntur arbitrio, legibus necessitatis addicti coguntur sæcularium parere judicio sæculi Judices, & Apostolorum legitimi successores.

934 „ Porrò charissimi, quos iterùm parturimus, donec Christus formetur in vobis, nos, & fratres nostri doloris pane vobiscum, teste conscientia, pascimur; mœroris potamus calicem, ac tristes manipulos „ metimus in vestrarum seminibus lacrymarum. Adest nobis in defectu vestræ libertatis angaria, in penuria fames, in terrore supplicium, in exasperatione tormentum; triste quod loquimur, flebile quod „ sentimus. Dies festi convertuntur in luctum; in salicibus suspendimus organa, „ dùm sedetis super flumina Babylonis obedien-

„ dientes Ægyptiis, expositi judicio Pharao-„ nis. Utinam Moyfis manus accederet, cu-„ jus obfequio fuo Ifraelis arbitrio redderetur „ ad folita Sacrificiorum libamina votivis „ mentibus offerenda. Cæterùm recolere li-„ beat Ecclefiæ furgentis exordium, quid pro „ Patris legibus Patrum conftantia pertulit; „ quid Apoftolicus labor, quid Martyrum „ triumphus exceperit. Nec prudentum fœ-„ minarum, quibus naturæ mollities nega-„ vit audaciam, tranfeatis exempla, quæ „ fatis roborare genua debilia poterunt, & „ potabilem reddere calicem paffionis inge-„ nio prudenti recognita, & Domini digito „ in cordis tabulis exarata.

935 „ Quocircà finceritatem veftram ro-„ gamus, & hortamur in Domino, quate-„ nus Ecclefiæ caufam, Apoftolicæ Sedis in-„ juriam, quæ contra fas, & debitum variis „ vexatur moleftiis, & laceffitur offenfis, fo-„ lita devotione penfantes, piæ matris, quę „ vos recepit ad ubera fuper benigna genua „ blandiendo, eis, quas toleratis, anguftiis „ præponatis affectum: ut probatio veftræ „ fidei, quæ fatis auro prætiofior invenitur, „ habeat cum tentatione proventum; nec „ aliquid tyrannus inveniant, quod finiftra „ interpretatione, notabile, aut dignum exi-„ ftimet fuis diffamationibus inferendum, cer-„ tæ fpei fiduciam habituris, quod pro libe-„ ratione veftra, quinimmò noftra confufio-„ ne tollenda, vias quærimus, remedia co-„ gitamus, impenfam folicitudinem noftris „ defideriis coæquantes, fic, quod nec de „ negligentia mordendi dignè concurrimus, „ nec de filiorum oblivione notandi, nifi for-„ tè vifitandi raritas calumniam habeat, quæ „ nobis invitis de viarum difficultate proce-„ dens, votis noftris, & veftris obvia, jufta „ poteft excufatione defendi: nec enim à la-„ boribus corpora, nec manus ab auxiliis „ deducemus, donec in veftris confolemur „ afpectibus, exulantibus filiis patris defide-„ riis reftitutis. Utinam, & fuæ legis, & „ gentis mifereatur Dominus, cujus eft gref-„ fus dirigere, mifericorditer recordetur. „ Datum Laterani II. Kal. Aug. Anno XV. *Hactenus Gregorii Epiftola ad Præfules captivos*. Ad quos, & alias fcripferat fub datis XVIII. Kal. Julii incipientes. *Vix dietus iftis*.

936 Scripfit pariter Gregorius litteras ad Infubres Bononienfes, & Venetos, quæ habentur lib. 15. Epift. 48. incipientes: *Exiftent in Mari hujus Mundi*, quibus hortatus eft, ut in fide Romanæ Ecclefiæ perftarent, & nè ob ferocientis tempeftatis minas coneuti fe paterentur: Oftendit infuper Friderici inconftantiam, qui cùm initio concilium cogi flagitaffet, mutata mente, priùs litteris, deinde armis. confcientiæ improbæ terrore actus, difturbare aggreffus eft, ac præfules in fervitutem abduxerit.

937 Inter hæc verò, ex animi concepta amaritudine, tot confectus ærumnis, fenectute quoque (erat enim ferè annorum centum) in morbum incidens læthale, Gregorius ad Dominum migravit XII. Kal. Septembris ejufdem Anni Domini MCCXLI. ut fcribunt Richardus, & Stadenfis, illius ævi fcriptores in Chronica: ubi fediffet annos XIV., menfefque v. Et perfolutis funeribus, de fucceffore eligendo inter Cardinales agitatum eft; qui verò extra Urbem degebant, licentia à Friderico obtenta, qui apud Cryptam ferratam caftra metatus erat, & loca vaftabat adjacentia, Romam remearunt. Ita Richardus, inquiens: *Et tunc de Gregorio Papa, quod objerit Romæ* XXI *Augufti*, *pro certo accepit* (puta Fridericus) *de cujus licentia Cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.* Deinde per Urbis Senatorem, & Romanum populum includuntur apud feptiofolium, ut vel inviti ad electionem devenirent fucceffioris, ut idem Richardus, fubjungit, dum ait: *Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant, per Senatorem, & Romanos apud feptifolium includuntur, ut ad creandum Papam inviti procedant*. Cardinales porrò, qui extra Urbem degebant, & de licentia Imperatoris Romam veniffe tradit Richardus, non alios fuiffe quàm Jacobum Pręneftinum Epifcopum, & Othonem Diaconum Cardinalem, quos captivos tenebat, ex Parifio conjici poteft: qui tradit eis feciffe ad eundi poteftatem, precibus Richardi Comitis Cornubiæ flexus, ea tamen conditione, ut poft electum Pontificem ad carcerem redirent, datis ad hoc obfidibus.

938 Diffidentes porrò Cardinales, protracta eft electio ad menfem ufque Octobris, ac denique convenerunt in Galfridum Mediolanenfem, qui fibi nomen indidit Cœleftini IV. fed cum effet valdè fenis, intra fexdecim à fua electione dies vitam cum morte commutavit: quare Richardus fic fcribit: *Menfe Octobris Goffridus Mediolanenfis in Cœleftinum Papam eligitur. Menfe Novembris. Cœleftinus Papa Romæ apud Sanctum Petrum obiit*. Apud Labæum tom. XI. Concil. pagina 590. de Cœleftino IV. hæc prodita leguntur: „ Cœleftinus IV. Mediolanenfis, è „ familia nobili Caftilionum, ex Cardina-„ le Sabino, propter vitæ integritatem, & „ raram eruditionem, Matthæo Parifio, & „ Abbate Stadenfi, dnobus hujus tēporis Scri-„ ptoribus atteftantibus, ad Pontific. perve-„ nit, Anno Domini MCCXLI. imperante „ Friderico fecundo, fenectute & ægritudine „ confectus, cum octodecim diebus tantùm „ officio pontificali præfuiffet, ex hac vita „ migravit. *Hæc ille*. Nec concordant Scriptores de Sedis tempore, nam Stadenfis refert vixiffe in Pontificatu quatuordecim dumtaxat diebus, alii fcribunt decem, & feptem. In

Schif-

Schismate electum tradit Parisius, utpotè qui juxtà Decretum Concilii Lateranensis duas tertias suffragiorum, & votorum non habuisset. Ex decem autem, quinque dumtaxat, in eum suffragasse tradit: At antefatus Stadensis ait, duobus Cardinalibus Schismaticis se abdicantibus, Cœlestinum legitimè à duabus partibus electum fuisse. Post ejus verò obitum Cardinales de Urbe fugientes Anagniam se contulerunt, insepulto relicto Pontifice, ut tradit Bernardus in Chronica Romanorum Pontificum: *Et de Cardinalibus quidem*, inquit, *eo insepulto, de Urbe fugerunt & contulerunt se Anagniam*. Duo verò Cardinales Prænestinus, & S.Nicolai in Carcere, nè obsides aliquid mali paterentur, iterum ad Imperatorem redierunt, quos iterùm Carceribus mancipavit.

939 At Domini Cardinales Anagniæ commorantes distulerunt successorem eligere, nam in captivorum Cardinalium absentia, ad novi Pontificis electionem procedere nec tutum eis nec conveniens videbatur: & ita Sedes vacavit viginti ferè mensibus, donec Fridericus multis Principum precibus flexus, in libertatem, antefatos restituit Cardinales, qui Anagnam venientes unà cum aliis ad Romani Pontificis electionem devenerunt, & unanimi omnium consensu electus est Sinibaldus S.Laurentii in Lucina Cardinalis, nomine assumpto Innocentii IV. De cujus electione Richardus, ait: *Mense Iunio Sinibaldus Tituli S.Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus est voluntate, & consensu omnium Cardinalium*. Parisius verò scribit creatum die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Anno Domini MCCXLIII. qui erat annus XXIV. Imperii Friderici Secundi, Balduini verò Secundi xv. Indictione prima. *Ipso quoque anno*, ait Parisius, *die Nativitatis S.Ioannis Baptistæ creatus est in Papam Sinibaldus Cardinalis postquàm vacaverat Sedes Papalis per annum & novem menses, & die Apostolorum Petri & Pauli confirmatus & consecratus est: & vocatum est nomen ejus Innocentius IV.* Cæterùm si Cœlestinus obiit mense Novembris, ut supra innuimus, & creatus est Innocentius die xxiv. Junii, certum fit Sedem vacasse viginti circiter tantùm mensibus, in quo magis concordant alii Scriptores Fuit Innocentius patria Januensis ex Nobili Fliscorum Lavaniæ familia, Doctrina, pietate, Zelo, & moribus eminens, unde non immeritò nemine discrepante, in eum cuncti Domini Cardinales consenserunt.

940 Sui Pontificatus initio, ut Friderici vitaret insidias clàm Romà egressus, nemine comitante, apud Centum Cellas appulit, ubi occurrentibus cum viginti tribus benè armatis Triremibus, Januensibus, unam ex illis, septem cum Cardinalibus ac paucis aliis, qui eum posteà secuti fuerant, conscendit, ac Januam, non sine grandi periculo, Mare, ultra quam Solet, fluctuante pervenit: Cum porrò ibi diutiùs tutò manère non posset, periculumque foret, nè Fridericum ferocem, animis atque armis præpotentem ad eam Urbem opprimendam alliceret, Astam fortissimo Januensium exercitus stipatus, perrexit, ac inde Lugdunum contendit. Hinc in tuto constitutus, non tantùm ad refrenandam contumacem Friderici audaciam animum adjecit, verum etiam ad fidem Catholicam propagandam, hæreses extirpandas, & dissitas Apostolicæ Sedi Ecclesias uniendas. Itaque secundo sui Pontificatus Anno selectis compluribus ex ordine Fratrum Minorum Religiosis Viris, ad Sarracenos, Paganos, aliosque infideles Evangelizandi gratiâ misit, nonnullos verò ad Græcos pro unione cum eis tractanda, ad Jacobitas insuper, Georgianos, Nestorianos, aliosve à Catholica fide diffidentes destinavit, quos diversis cumulavit privilegiis, & gratiis, ut ex litteris hoc Anno Lugduni xii. Kalen. Aprilis expeditis, quas ex originali asservato in Archivio Sacri Montis Sion transcribere curavimus, ad hunc modum se habentes.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis Filiis de Ordine Fratrum Minorum in Terras Sarracenorum, Paganorum, Bulgarorum, Græcorum, Cumanorum, Æthiopum, Syriorum, Iberorum, Alanorum, Gazanorum, Gothorum, Zicorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosilitorum, aliarumque Infidelium Nationum Orientis, seù quarumque aliarum partium proficiscentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

941 „ Cum hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus usque ad Mundi Vesperam deputatis, & illud Apocalypsis elogium citò credatur cum Matris Ecclesiæ consolatione complendum, videlicèt, oportere viros spiritualis vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Joanne fortitos populis, & gentibus, linguis, Regibusque multis denuò prophetare, quia non sequetur reliquiarum Israel per Isaiam prophetatam salvatio, nisi juxtà Paulum Apostolum priùs introeat gentium plenitudo.

942 „ Nos, licèt immeriti super Apostolicæ Sedis speculam constituti, fideliter, ac prudenter dispensandis Dei Mysteriis, & operibus coadunandis intendimus, si vergente plenitudine temporis post pia piorum studia in vineam Domini Sabbaoth novos, & penè novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium operarios mittere procuramus. Vos igitur, qui juxtà professæ Religionis officium Zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam variis charismatum donis, & fidei fortitudine

„ dine trahitis, ubique discurrere, ac vexil-
„ lum Regis gloriæ procul levare gestitis ad
„ gentes, quæ Jesum Christum Dominum
„ non agnoscunt, & ad subtractionis filios,
„ qui Sacrosanctæ Romanę Ecclesię non obe-
„ diunt, destinamus. Vobis in remissionem
„ peccatorum omnium injungentes, quate-
„ nus seminaturi super aquas multas, in illo
„ tantum, qui mundum dixit se vicisse con-
„ fisi, ad illuminationem cæcæ multitudinis,
„ & exterminium hæreticæ falsitatis, ad con-
„ firmandos nutantium animos, & fidelium
„ confortandos in luce sermonis, & rectitu-
„ dine operis, propositum vobis iter, sine quo-
„ rumlibet offensione curratis.

943 „ Ut autem ministerium vestrum ho-
„ noretur pleniùs, & honorabiliùs implea-
„ tur, præsentium vobis auctoritate conce-
„ dimus, ut in terris, quæ adhuc Sedis Apo-
„ stolicæ magisterio non intendunt, propone-
„ re Verbum Dei, & constitutis ibidem, non
„ obstante, si aliqua excommunicatione sunt
„ Ligati, in Verbis, officio, & cibo, ac in
„ aliis securè communicare, & ipsos, seù
„ etiam alios converti ad unitatem Christia-
„ næ fidei cupientes, recipere, baptizare,
„ & aggregatos filiis Ecclesię Sanctę possitis,
„ & non aggregatos eosdem insignire chara-
„ ctere Clericali, & ipsos ad Acholitatus or-
„ dinem promovère.

944 „ Liceat etiam vobis ibidem redeun-
„ tibus ad obedientiam Sedis Apostolicæ, qui
„ sunt excommunicatione ligati, absolutio-
„ nis beneficium juxtà formam Ecclesiæ im-
„ pertire, & super eo dispensare cum ipsis,
„ quod Sacros receperunt Ordines, & Divi-
„ na celebraverunt officia, sic ligati, hoc
„ ipsum vobis sit licitum circà illos de terris
„ eisdem, qui temporibus indebitis, vel in-
„ frà ætatem legitimam, aut qui omnes eo-
„ dem die, vel qui superiores, prætermissis
„ inferioribus, conferre, seù recipere Ordi-
„ nes præsumpserunt, si ità tamen in hoc ser-
„ vata forma talis extiterat, per quam Or-
„ dines recepisset.

945 „ Vobis præterea dispensare liceat,
„ ut illi ex nationibus vestræ prædicationi
„ commissis, qui post susceptionem Sacro-
„ rum Ordinum, vel in gradibus, & casibus
„ à Divina minimè lege prohibitis, matrimo-
„ nia contraxerunt, remaneant in eisdem; &
„ hi, qui ad Ecclesiæ Catholicæ redierint
„ unitatem, ut inter suos habitent, eisdem
„ communicent; necnon quod Clerici natio-
„ num ipsarum publicè ad obedientiam Sedis
„ Ap. redeuntes, gaudeant privilegio Clericali.

946 „ Sit etiam vobis licitum omnium
„ fidelium in terris prædictis confessiones au-
„ dire, ac ipsis injungere pœnitentias salu-
„ tares, & excommunicatos à Canone, vel
„ alio modo, juxtà Ecclesiæ formam absol-
„ vere, dummodò injuriam, & damna pas-
„ sis satisfaciant conpetenter.

947 „ Cùm irregularibus autem partium
„ earundem in illis casibus, in quibus solent
„ Legati Sedis Apostolicæ dispensare, ac
„ etiam cum Clericis ipsarum partium pa-
„ tientibus defectum natalium, dummodò
„ non sint de adulterio, vel incæstu, aut de
„ Regularibus procreati, sit vobis dispensan-
„ di facultas, quam similiter circà illos ha-
„ beatis, qui ab unitate Ecclesiæ Catho-
„ licæ, seù Religione, vel Clericali Ordine
„ discesserunt, si humiliter redire voluerint,
„ & dignè satisfacere de commissis, ita quod
„ ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina
„ Ordinis, resumantur, & illos ex jam di-
„ ctis, qui excommunicationis vinculo sunt
„ adstricti, juxtà præmissam formam, & præ-
„ dictæ satisfactionis modum absolvere va-
„ leatis, & cum irregularibus ex eisdem si-
„ cut est expressum superiùs, dispen-
„ sare,

948 „ Ad hæc, sit vobis facultas absol-
„ vendi occisores Clericorum, & Religiosa-
„ rum personarum in prædictis partibus con-
„ stitutas, fundandi ibidem de novo Eccle-
„ sias, & reconciliandi illas, quæ sunt casu
„ aliquo prophanatæ, ac de novo fundatis
„ Rectores idoneos providendi, & illis, qui
„ de gentibus, vel schismaticis noviter sunt
„ conversi, dandi licentiam, ut uxores suas,
„ cum quibus in gradibus à Lege Divina non
„ prohibitis contraxerunt, valeant reti-
„ nere.

949 „ De causis matrimonialibus, quas
„ in partibus illis ad audientiam vestram de-
„ ferri contigerit, legitimè cognoscendi, ac
„ discordantes inter se ad invicem, quod ad
„ pacem, & concordiam redeant; necnon
„ quod inordinatè viventes, de suis excessi-
„ bus, sicuti justum fuerit, satisfactionem
„ exhibeant, compellendi per Censuram
„ Ecclesiasticam vobis libera sit potestas.

950 „ Insuper in locis, in quibus vos
„ hospitari contigerit, vel in locis partium
„ earundem, in quibus residentiam facietis,
„ Missam, & cætera Divina celebrare Officia,
„ & in eisdem partibus Cœmeteria benedice-
„ re, ac dare Indulgentias, commutare vo-
„ ta, facultatem, & licentiam habeatis.

951 „ Ceterùm vobis concedimus, quod
„ à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis,
„ & Episcopis possitis ordines, & alia Eccle-
„ siastica Sacramenta suscipere, ac vestes
„ Sacerdotales Altaris, pallas, & corporalia,
„ per eos, qui ex vobis fuerint Presbyteri,
„ cùm necesse vobis fuerit, benedicere, ubi
„ Catholicorum Episcoporum copia non ha-
„ betur; necnon, & alia facere, quæ ad aug-
„ mentum Divini nominis, & ampliationem
„ Catholicæ fidei, ac reprobationem, & ir-
„ ritationem illorum, quæ sacris traditioni-
„ bus contradicunt, sicut pro loco, & tem-
„ pore videritis expedire.

952 „ Nulli ergò omninò hominum li-
„ ceat hanc paginam nostræ concessionis in-
„ fringere, vel ausu temerario contraire. Si
„ quis autem hoc attentare præsumpserit,
„ indignationem Omnipotentis Dei, & Bea-
„ torum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se
„ noverit incursurum. Datum Lugduni XII.
„ Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno se-
„ cundo. *Hactenus Apostolicæ litteræ*.

953 Meminit hujus Missionis Raynaldus in Annalibus ad Annum Domini MCCXLIV. sub num. 52. ubi ait: „ Cùm verò infideles, „ non tam armis ad Christi cultum fran- „ gendi, quàm Divino Verbo pellicendo „ sint, inter alios Viros Religiosos, ad in- „ ferendam barbaris Evangelii lucem, misit „ Dominicum Aragonium Minoritam pietate „ insignem. Sparsi etiam erant ex eadem fa- „ milia plures in Oriente per Armenorum „ Græcorum, Georgianorum, Jacobitarum, „ & Nestorianorum terras, qui Ecclesiæ li- „ mites latiùs proferre summis laboribus con- „ tendebant; quibus Pontifex, ut partes „ susceptas præstantiùs exequi possent con- „ cessit, cum hæreticis, ac schismaticis fa- „ miliari sermone, & mensa uti possent; eo- „ rum tamen Ecclesias adire vetuit; si quos „ verò ad Ecclesiæ castra traducerent, imper- „ tiendæ jis absolutionis potestatem fecit. *Hactenus Raynaldus*. Qui sub anno MCCXLV. num. 19. hæc alia subnectit: „ Inter cæte- „ ros, *inquit*, qui ad excolendam in remo- „ tissimis terrarum oris obsitam sentibus vi- „ neam Domini missi, Minoritarum familiæ „ Religiosis viris circumferendi Evangelicam „ lucem demandata Provincia est: conces- „ sumque, ut anathematis vinculis implici- „ tos, in gratiam cum Ecclesia recipere, „ verbis officioque familiariter cum jis con- „ ferre, Gentiles baptismo abluere, & Cle- „ ricali charactere insignire, atque etiam „ Acholytatua munere decorare posse. *Hæc ille*. Recitatque clausulam litterarum Apostolicarum talem facultatem concedentium, supra à nobis recensitarum. Wadingus tom 1. Annalium Minorum, ad Annum MCCXLIV. sub num. 21. recitat alias litteras Innocentii, Januæ datas eodem anno secundo, directas ad Fratres Minores proficiscentes in terras Sarracenorum, Paganorum, aliorumque Infidelium, quibus potestatem tantum concedit audiendi confessiones, & absolvendi ab excommunicatione: „ Animarum salutem „ desiderio ferventi quærentes: auctoritate „ vobis præsentium indulgemus: ut cum in „ Sarracenorum, & Paganorum, aliorum- „ que Infidelium terra fueritis, liceat vobis „ Christianis ibidem morantibus, confessio- „ ne peccatorum suorum audita, pœniten- „ tiam salutarem injungere: ac ipsis si ali- „ quibus excommunicationis sententiis sint „ adstricti, juxtà formam Ecclesiæ abso- „ lutionis beneficium exhibere. Nul- „ li ergò &c. *Datum Januæ IV. Nonas* „ *Octobris*.

954 Deinde eodem secundi sui Pontificatus anno indixit Innocentius Concilium generale Lugduni celebrandum, mense Junio, termino assignato pro festo S. Joannis Baptistæ: extant ejus litteræ datæ III. Nonas Januarii anno secundo ad Archiepiscopum Senonensem incipientes, *Dei virtus, & Dei sapientia*, ad Capitulum item Senonense, & ad Regem Franciæ, paucis dumtaxàt vel adjectis, vel mutatis. Similiter, & aliæ breviores datæ pariter Lugduni secundo Kalend. Februarii, ejusdem anni ad Episcopum Ostiensem ad Cardinales Sanctæ Mariæ Transtyberim Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Sancti Angeli, quæ incipiunt. *Pro magnis & arduis negociis*. Plures verò hujus indicendi Concilii fuerunt causæ, quas breviter tangit idem Innocentius in memoratis ad Archiepiscopum Senonensem litteris, *ut ipsa Ecclesia*, ait, *per fidelium salubre consilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, & deplorando Terræ Sanctæ discrimine, & afflicto Imperio Romano, properè valeat subveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac persecutores populi Christiani, necnon pro negocio, quod inter Ecclesiam, & principem vertitur, reges Terræ Prælatos Ecclesiarum, ac alios Mundi Principes duximus advocandos*.

955 Exposuit clariùs inde Innocentius easdem causas in oratione habita coràm Patribus, ut tradit Parisius, assumpto themate *O' vos omnes qui transitis per viam, attendite. & videte si est dolor sicut dolor meus*, in quo satis eleganter, comparavit quinque dolores suos maximos, quinque vulneribus, & plagis Crucifixi: unum, ait idem Parisius, de inhumanis, & feraliter Christianitatem vastantibus Tartaris. Alium pro Schismate Romaniæ, idest Græcæ Ecclesiæ, quæ nostris temporibus, & paucis evolutis annis, à gremio matris suæ velut novercæ, insolenter, decisa est, & avulsa. Alium pro serpigine novarum hæresum, scilicèt Patarenorum, Bulgarorum, Jovianorum, & aliorum Schismatum, sectarum, & errorum, quæ jam multas Civitates Christianitatis, præcipuè tamen Lombardiæ, subrependo maculavit. Alium de Terra Sancta, in quo Chorosmini detestabiles, Domos Templi, & Hospitalis, Civitatem quoque Hierusalem, & alias multas Christianorum Civitates, cum magno Christiani sanguinis profluvio, usque ad internecionem, solo tenus diruendo destruxerunt. Alium verò de Principe, idest, de Imperatore: qui cum esse teneretur summus sæcularium œconomus, & Protector Ecclesiæ, hostis factus familiaris, Ecclesiæ Christi efficax, & validus factus est inimicus, & Ministrorum ejus adversarius jam manifestus. Ità in terminis Parisius de hujus Concilii cau-

sis

causis ab Innocentio allegatis in antefata oratione.

956 Interfuerunt huic Concilio, cui personalitèr Summus præfuit Pontifex, Patriarcha Constantinopolitanus, itèm & Antiochenus, Aquilejæ paritèr, qui & Venetiæ, Episcopi, & Archiepiscopi centum & quadraginta, Imperator Constantinopolitanus, Comes Tolosanus, Procuratores Angliæ, Comes Bigod, cum aliis Nobilibus: Adfuerunt quoquè Domini Cardinales, Abbates plures, Procuratores quoquè absentium, & Capitulorum, & diversorum Regum, & Principum Nuncii, præcipuèque Imperatoris Friderici, Thadæus de Suessa. Tribus Sessionibus universa est absoluta Synodus, quarum prima habita est die Lunæ proxima post festum Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, in quam inciderat vigilia Festi Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, currente Anno Domini MCCXLV. Imperii Friderici XXVI. Balduini Secundi XVII. ineunte Anno III. Pontificatus Innocentii IV. Indictione 11. Elapsis indè septem diebus, octavâ die videlicèt à prima, celebrata est altera sessio, & octava die à secunda habita est sessio tertia, in qua lata est sententia excommunicationis, & depositionis in Fridericum Imperatorem, ab eodem Innocentio Papa pronunciata, quæ incipit: *Ad Apostolicæ dignitatis apicem*; in cujus fine, enumeratis priùs universis criminibus, excessibus, & sacrilegiis ipsius Friderici, adjecit Pontifex.

957 „ Nos itaquè super præmissis, & „ compluribus aliis ejus nefandis excessibus, „ cum fratribus nostris, & sacro Concilio, „ deliberatione præhabitâ diligenti, cùm Je„ su Christi vices, licèt immeriti, teneamus „ in terris, nobisque in Beati Petri Apostoli „ persona dictum sit: *Quodcumque ligaveris* „ *super terram erit ligatum & in Cœlis; &* „ *quodcumque solveris super terram erit solu*„ *tum & in Cœlis*, memoratum Principem, „ qui se Imperio, & Regnis, omnique hono„ re, ac dignitate reddidit tàm indignum, „ quique proptèr suas iniquitates à Deo, nè „ regnet, vel imperet, est abjectus, suis li„ gatum peccatis, & abjectum, omnique ho„ nore, & dignitate privatum à Domino „ ostendimus, denunciamus, ac nihilominùs „ sententiando privamus; omnes, qui ei ju„ ramento fidelitatis tenentur adstricti, à „ juramento hujusmodi perpetuò absolven„ tes; auctoritate Apostolicâ firmitèr inhi„ bendo, nè quisquam de cætero sibi tanquàm „ Imperatori, vel Regi pareat, vel inten„ dat, & decernendo quoslibet, qui deìn„ cèps ei, velut Imperatori, aut Regi consi„ lium, vel auxilium præstiterint, seù favo„ rem, ipso facto excommunicationis vincu„ lo subjacere. Illi autem, ad quos in eo„ dem Imperio Imperatoris spectat electio, „ eligant liberè successorem. De præfato ve„ rò Siciliæ Regno providere curabimus, „ cum eorundem fratrum nostrorum consilio, „ sicut viderimus expedire. Dat. Lugduni „ XVI. Kal. Augusti, Anno III. *Hactenus sententia*.

958 Addit Parisius: „ Hæc igitùr in me„ dio Concilio prolata, cunctis audientibus, „ ad instàr coruscantis fulguris, non medio„ crem timorem omnibus incusserunt. Ma„ gistri igitur Thaddæus de Suessa, & Wal„ terus de Ocra, & alii Procuratores Impe„ ratoris, & qui cum ipsis erant, emisso eju„ latu flebili, hic femur, hic pectus in indi„ cium doloris percutientes, vix à profluvio „ lacrymarum sese continuerunt. Et ait Ma„ gister Thadæus memoratus: *Dies ista, dies* „ *iræ, calamitatis, & miseriæ*. Dominus igi„ tùr Papa, & Prælati assistentes Concilio, „ candelis accensis, indictum Imperatorem „ Fridericum, qui jàm jàm Imperator non „ est nominandus, terribilitèr, recedentibus, „ & confusis ejus Procuratoribus, fulgura„ runt. *Hæc Parisius*.

959 Salubria quoquè edita sunt ea in Synodo decreta pro subsidio ferendo in subventionem labentis Imperii Constantinopolitani contrà conatus Græcorum schismaticorum; pro Terræ Sanctæ recuperatione; pro reprimendis Tartarorum incursionibus; & pro reformanda Ecclesiastica disciplina. Capita verò eorundem Decretorum sunt: De rescriptis: De electione, & electi potestate: De officio, & de potestate Judicis delegati: De Judiciis, de litis contestatione: De dolo, & contumacia: De rescriptis: De eo, qui mittitur in possessionem causę rei servandæ: De confessis: De Appellationibus, & Recusationibus: De sententia Excommunicationis: De Usuris: De subsidio Imperii Constantinopolitani: Admonitio Prælatorum ad Populum sibi commissum: De Tartaris: Et super Cruciata.

960 Absoluto Concilio: *Papa*, ait Stadensis, *per totam terram Teutoniæ lugubres litteras Principibus Ecclesiasticis destinavit*. Cùmque Religiosi Minorum Ordinis Pontifici obtemperantes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partes tenentes, præfatas litteras promulgassent, iram excommunicati Principis in se concitarunt, adversùs quos diram excitavit persecutionem, necatis in Regno Neapolis, & Siciliæ sexaginta, aliis ejectis, Enselmo tyranno jubente. In Germania quoquè idem adversùs eosdem actum refert Wadingus ex m. s. Chronico addito ad Chronicon Saxoniæ Schafnabug, ubi legitur: „ Fridericus Se„ cundus per Lugdunense Concilium Impe„ rio privatus, furentèr est Fratres in Ger„ mania persecutus; undè asperrimè sanè „ miseris injecta sunt probra; multi ex lo„ cis suis in exilium ejecti, multi vinculis „ alligati, quidam etiam è medio sublati, „ quià Ecclesiæ auctoritati obedientes, tan-

„ quàm filii justas piæ matris partes, contrà „ rebellantium improbitatem viriliter defen„ dendas susceperant. *Hæc ibi*. Ejusdem persecutionis mentio pariter fit in compilatione Chronol. inter Germaniæ historias ad Annum MCCXVI.

961 Ante celebratum Concilium idem Pontifex conatus est Tartarorum emollire ferociam, mittens ad eos Legatos, per quos invitarentur ad veram Christi fidem amplexandam. Destinavit itaquè ad hoc opus perficiendum Fratrem Laurentium de Portugallio, & Fratrem Joannem de Plano Carpinei, olim S.P. mei Francisci Socium, cum aliis ex eodem Ordine Sociis, ut litteræ ejusdem Pontificis ad Regem Tartarorum, per eosdem missæ indicant: in eis nàmque, quas ferendas Fratri Laurentio commisit, quæ incipiunt: *Dei Patris immensa benignitas*, post plura ait: „ Verùm quià humanæ conditionis re„ nitente natura, uno, eodemque tempore „ diversis locis præsentialitèr adesse nequi„ mus, nè ullatenùs negligere videamur ab„ sentes, ad eos Viros providos, & discretos „ transmittimus vice nostrâ, ipsorum mini„ sterio circà illos Apostolicæ servitutis de„ bitum exolventes; proptèr quòd ad vos di„ lectum filium Fratrem Laurentium de Por„ tugllio, & Socios ejus Latores præsen„ tium, Ordinis Fratrum Minorum, viros „ Religione conspicuos, honestate decoros, „ & Sacræ Scripturæ scientiæ præditos, ut „ ipsum Dei filium Jesum Christum saluta„ ribus eorum eruditionibus agnoscentes, „ suum gloriosum nomen christianæ Fidei „ observatione colatis, duximus destinandos. *Datæ sunt Lugduni III. Non. Martii, sui Pontificatus Anno II.*

962 Fratri porrò Joanni commisit, ut eum eodem Tartarorum Rege ageret de pace cum Christianis ineunda, prout apertè demonstrant Pontificiæ litteræ, incipientes: *Cùm non solùm homines*, datæ eodem tempore, quo superiores. Ubi post plura ait Innocentius: „ Eccè dilectum filium fratrem Joannem, & „ Socios ejus latores præsentium, viros Re„ ligione conspicuos, honestate decoros, & „ Sacræ Scripturæ scientiâ præditos, ad vos „ propter hoc duximus destinandos, quos „ divinâ reverentiâ, immò potiùs nos in ip„ sos benignè recipiatis, & honorificè per„ tractetis, fidem iis super iis, quæ vobis ex „ parte nostra dixerint adhibendo, & cum „ ipsis super prædictis, & specialitèr de iis, „ quæ ad pacem pertinent, tractatum fru„ ctuosum habentes, nobis quid vos ad gen„ tium exterminium moverit aliarum, & „ quid ulteriùs intendatis, per eosdem Fra„ tres plenariè intimetis, providendo ipsis „ in eundo, & redeundo de securo condu„ ctore, & aliis necessariis, ut ad præsen„ tiam nostram tutè valeant remeare. *Hæc inter alia ibi*. De qua missione agit etiam Raynaldus ad Annum Domini MCCXLV. sub num. 15. ubi ait: „ Insignes erant inter „ eos Tartari gentium multitudine, Pro„ vinciarum, quas subegerant numero, opum „ potentiâ, morum ferocitate, victoriarum „ partarum gloriâ, vesanæque superstitionis „ tenebris involuti: Ad quos Evangelii lu„ ce collustrandos, nonnullos Minoritas in „ subeundis hujusmodi pro Christo labori„ bus, ac periculis, fortissimos misit. *Hæc ille*. Recitat & Epistolas suprà memoratas, & nonnulla ex Vincentio Belluacensi in Specul. Histor. lib. 31. cap. 2. circà ritus à Tartaris servatos in Inauguratione novi Principis; Sed copiosiùs tùm gesta Fratrum in hac Legatione, tùm nonnulli Tartarorum mores, & ritus descripta habentur apud Wadingum ad hunc eundem Annum.

963 Tentavit insupèr Innocentius ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ traducere Bulgaros, Ecclesiamque illam, quæ ab antiquo tempore ab eadem Sancta Romana Ecclesia fidem susceperat, avulsam indè per schisma, illi reunire, selectis paritèr ad tantum opus perficiendum nonnullis ex Fratrum Minorum Ordine probatis Viris religiosis, quos ad Colmannum Regem misit, datis eisdem ferendia litteris tenoris sequentis.

Innocentius Episcopus &c.
Illustri Colmanno in Bulgaria imperanti Deum diligere, & timère.

964 „ Cùm simus super Apostolicæ Se„ dis specula constituti, vehementèr dolère „ cogimur, & turbari, cùm à capite mem„ bra quædam videamus esse divisa, suæque „ divisionis damnum, tanquàm mortificata „ non plangere, nec sentire; nempè Ortho„ doxorum neminem credimus jàm latère, „ unum in terris caput esse tantummodò, ex „ quo totum corpus contexitur militantis „ Ecclesiæ, verùm id exigente natura, quæ „ corpus si habuerit duo capita, indicat mon„ struosum. *Deindè plura in medium affert ad probandum unum dumtaxàt esse Ecclesiæ Caput, hoc verè ex divina institutione Romanum esse Pontificem*. Posteàque subnectit.

965 „ Prævidens autem Dominus, quòd „ Ecclesia sua conculcaretur à Tyrannis, „ laniaretur ab hæreticis, & schismaticis „ scinderetur, ait: *Ego pro te oravi Petre,* „ *ut non deficiat fides tua; & tu aliquandò con*„ *versus, confirma fratres tuos*; ex quo colli„ gitur evidentèr, quòd ad Sedem Petri om„ nis sit quæstio referenda. Cui, cum, Dei „ gratiâ disponente, non nostris meritis præ„ sideamus, nequaquàm sinè dolore possu„ mus intueri à tanti capitis corpore mem„ bra quædam esse divisa, videlicèt Græco„ rum, & Bulgarorum Ecclesiam, sejunctâ „ nempè per inobedientiam à suo Capite, „ specialē corporis sensificationē nequaquàm

par-

„ participant, cùm ab ejus se subtraxerint „ unitate,

966 „ Igitùr, quià debitores sumus omnium salutem quærere, servus servorum „ illius, qui neminem vult perire, non immeritò circà te, & subditos tuos misericordiæ visceribus affluentes, Pauli Gentium „ Doctoris affectum induimus, qui sciens, „ Creatorem omnium acceptionem non facere personarum, conformatus Infirmis, & „ omnibus omnia factus, ut omnes Domino lucraretur. Rogamus, & obsecramus „ in Domino Jesu Christo, quòd ad unitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redire non „ differas; nec reputes otiosum, quòd à nobis in hac parte diebus istis inspiratione divinâ, de fratrum nostrorum consilio sitientium illuminationem tuam, populique tibi „ subjecti, non sinè sacrarum Scripturarum „ est auctoritate provisum. Non enim vestra „ requlrimus, sed animarum vestrarum cum „ Jesu Christo lucra sitimus. Nihil de facultate vestra subtrahere quærimus, vel minuere de bonore, sed quantùm cum Deo „ justè possumus provehere vos, & ampliare „ potiùs affectamus. Erit proindè, dante „ Jesu Christo, nostris affectibus incrementum, si tu, qui esse populi tui Caput, & „ Princeps diceris, per gratiam Intellectus, „ quo à multitudine subjecta discerneris, propositâ tibi per pacis Nuncios audieris patienter, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ „ revertaris, ut efficiaris Christi primitiæ populi reversurl.

967 „ Et si fortè te excusare volueris, „ dicens, hęc nequaquàm fieri posse sinè Concilio generali. Respondemus, quòd ad „ congregandum Concilium ad requisitionem tuam, & Græciæ, & Bulgariæ Prælatorum, offerimus nos benevolos, & paratos recipientes vos, vestrosque Procuratores, & Nuncios, cum honore, & cordis „ lætitia, & restituemus corpori Ecclesiæ „ sua membra, proferentes stolam primam, „ occidemus vitulum saginatum, generale „ convivium faciemus universis Christi fidelibus, & annunclamus cum exultatione, & „ gaudio, quòd Ecclesia Catholica suo decore, ut à principio, est induta, tanquàm „ vitis abundans, cujus filii sunt, ut novellæ olivarum in circuitu suæ mensæ, sedentes expectando, ut occurrat salutari suo „ Domino Jesu Christo.

968 „ Quaproptèr tuam exhortamur industriam, ut tibi per Deum omnipotentem, & per Jesum Christum ejus Filium, qui suo sanguine nos redemit, injungimus, quatenùs dilectos filios Fratres „ Ordinis Fratrum Minorum latores præsentium, Viros virtutis, quos diù sub Observantia Regulari probatos, & in Scripturis „ Sacris instructos, inter alios prælegimus, „ quia utiliores tibi eos fore credimus, tanquàm nostri Salvatoris humilitatem sequentes, ad te duximus transmittendos, „ pro divina reverentia, & nostra liberalitate, „ & benignè suscipere, & honestè tractare „ debeas, imò potiùs nos in ipsis, & diligentèr audire, & credere firmitèr quæcumque ex parte nostra tibi duxerint proponenda; Nàm si putassemus, quòd fructuosiores, & gratiores tibi existerent, vel aliquos „ Ecclesiarū Prelatos ad te, vel potentes alios „ misissemus. Cùm itaquè super prædictis, „ & specialitèr de iis, quæ ad pacem pertinent, tractatum habeas fructuosum, providebis eisdem in eundo, & redeundo, de „ securo conductu, & aliis necessariis, ut ad „ Tartaros, & alias gentes ulteriores tutè „ valeant proficisci. Datum Lugduni XII. „ Kalendas Aprilis, Anno II. *Hactenus litteræ*. Quæ etiam recensentur à Raynaldo ad Annum Domini MCCXLV. sub num. XI. Ex quarum tenore apparet, latas fuisse per eosdem illos Religiosos, quos ad Tartarorum Regem destinaverat.

969 Plurimùm Innocentius utebatur operâ Fratrum Minorum, quos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequiosissimos fore expertus erat, pro cujus servitio pericula, calamitates, & mortem ipsam subire minimè formidabant: Undè & anno sequenti MCCXLVI. ad universos ejusdem Ordinis Fratres, per Theutoniam constitutos, litteras dedit, hortans, ut excitarent populos ad parendum illi Imperatori, qui in locum depositi Friderici electus fuisset. Exhibet litteras ex Codice Vaticano Wadingus ad hunc Annum sub num. 4. sic se habentes.

Innocentius Episcopus &c.
Universis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum per Theutoniam constitutis.

970 „ Cùm Ordinem vestrum inter „ alios Apostolica Sedes speciali prosequatur affectu, ipsumque pluribus honoraverit privilegiis, & multiplici semper „ intendat communire favore, tantò pleniorem de vobis gerit fiduciam, quantò vos „ inter Religiosos cæteros, majori ergà se „ sperat devotione fervère. Hinc est, quòd „ universitatem vestram monemus, & hortamur attentè, quatenùs, postquàm electio „ de Romanorum Rege, in Imperatorem postmodùm promovendo, extiterit celebrata, „ Christifideles per Theutoniam constitutos, „ quotiès opportunitatem habueritis, attentis exhortationibus, juxtà datam vobis à „ Deo prudentiam, tàm in occultò, quàm „ in publico inducatis, in remissionem ipsis „ peccaminum, injungentes, ut ei, qui electus fuerit, fidelitèr, & efficacitèr intendant, ac assistant virilitèr, & constantèr. Lugduni X. Kal. Maji, Ann. III. *Hactenus litteræ*.

971

971 Cæterùm & ex Inclyto Prædicatorum Ordine consuevit Apostolica Sedes Religiosos assumere, & ad Gentium conversionem destinare, aliquandò eos solos mittebat, sicut & de Minoribus faciebat, aliquandò simùl cum Minoribus, qui cùm fraterna, exemplo Sanctorum duorum Patriarcharum, essent charitate conjuncti, pari zelo pro fidei incremento, pro conversione Infidelium, & pro schismaticorum reconciliatione certabant. Hinc & hoc eodem Anno III. Pontificatus Gregorii in Russiam, quæ, promovente Principe, reconcilari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ postularat, abjecto Græcorum, quo irretiti erant, schismate, & illorum detestatis erroribus, utriusque Ordinis Religiosos Viros destinavit, ut ex iis Apostolicæ Sedis Legatus, jàm ad illam Provinciam destinatus, assumeret ad Ecclesiarum regimen: Undè Raynaldus ad hunc Annum sub num. 30. ait: „ Legato verò suo in Russia, quo fæliciùs Religionis causam promoveret, injunxit, ut lectissimos quosque Viros scientię, ac virtutum laude conspicuos, sivè sæculares Sacerdotes, sivè ex Prædicatorum, ac Minorum religiosis Familiis, & aliis Regularibus, Episcopos Russis præficeret, iisque consecrationis munus impertiret. *Hæc ille*. Verùm Russiorum Principi, sivè Regi chariores fuisse Religiosos Sacri Prædicatorum Ordinis, qui fortè potissimam manū habuerunt pro illius reconciliatione, indicant litteræ Innocentii, quibus eidem Principi indulsit, ut Alexius prædicti Ordinis Religiosus unà cum Socio in ejus aula versaretur, ut videre est in Innocentii Regesto lib. 3. Epist. 481.

972 Similitèr ad sinum Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ, non solùm Daniel Russiæ Rex, verùm rediit & Wasilieus Laudemeriæ Rex illius frater, cum quo dispensavit, ut retineret uxorem, cùm qua in schismate contraxerat, non obstante impedimento consanguineitatis in tertio, & quarto gradu, ut Innocentii litteræ lib. 5. Epist. 187. & Epist. 419. indicant. Danieli porrò, instantibus Regni sui Ecclesiasticis concessit, ut ritus, qui Romanæ Ecclesiæ non repugnarent, in ipsius Regno servarentur, ac pro conficiendo Dominico Corpore liberè, & tutè uti possent fermentato pane, prout in litteris ad eundem Regem datis, lib. 5. Epist. 174. expressum legitur, ubi ait: „ Ea proptèr, charissime in Christo fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis, & aliis Presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, & alios eorum ritus, qui Fidei Catholicæ, quam Ecclesia Romana tenet, non obviant observare, auctoritate præsentium indulgemus. Datum Lugduni VI. Kalend. Septembris, Anno V.

973 Non sinè fructu Minoritarum missio ad Nestorianos, & Jacobitas, aliasque deviantes à recto fidei tramite nationes, superioribus annis destinata remansit; apparuit enim copiosa messis Anno Dñi MCCXLVII. Innocentii Pontificatus Anno V. Balduini XIX. à coronato Friderico Secundo, Anno XXVIII. Indictione V. Quo nimìrum Nestoriani, & Jacobitæ, illorum Religiosorum operâ, præcipuè Fratris Andreæ, & sociorum Sanctæ Ecclesię reconciliati, litteras suorum Patriarcharum nomine, fideique suæ professionem ad Innocentium Papam per eundem fratrem Andream transmisère. Scripsit ergò Catholicon, sivè Patriarcha Orientis sequentes ad Innocentium litteras.

974 *Ad præsentiam Papæ magnifici ex parte illius, qui petit orationes ejus in subsidium debilitatis suæ, Raban ara Vicarii Orientis adorantis inter manus ejus Patri Patrum, decori Pastorum misericordiæ, vitæ fontis pietatis, & indulgentiæ intercedenti pro populo Domini, perfecto in Divinis, excellenti in spiritualibus, soli justitiæ, cujus lux oritur super quatuor Mundi climata, qui lucet, & splendet in Ecclesiis catholicis sanctis, Cherubim corporeo, & Seraphim carneo, tenenti Sedem Beati Petri, Domino meo Sancto Papæ Urbis Romæ, & omnium climatum Mundi coràm Deo: Sit vita ejus temporibus longis, quousquè cesset Mundus iste admiratione sua, orationibus Prophetarum, & Apostolorum sociorum ejus, & nos confidimus ejus orationibus adjuvari. Amen.*

975 „ Pervenit ad nos Epistola vestra elegans, quæ ex ore vestro sancto prodiit, & mandato vestro excelso conscripta est, & suscepimus eam manibus nostris debilibus, & eam super oculos nostros posuimus, & sicut Simeon Senex, qui portavit Dominum nostrum Jesum Christum in ulnis suis, sic diximus, quia viderunt oculi nostri pietatem vestram in mensam. Nunc igitur, Domine mi, dimitte servo vestro peccata sua, sicut posita est in manibus vestris potestas ligandi atque solvendi, & omnium Mysteriorum. Legimus eam siquidem cum lætitia, & intelleximus, quod in ea scriptum est cum gaudio, & mandatum vestrum attendimus, & non habemus os, quod sufficiat ad commendationem vestram; neque linguam, quæ possit exprimere gloriam vestram; & nos contremiscimus excellentiam vestram, quia Dominus magnificavit vos.

976 „ Insuper audivimus de anathemate quo anathematizastis Imperatorem, & intelleximus hoc factum esse propter transgressionem ejus, & peccatum. Nostis tamen, quod Dominus noster Jesus Christus præcepit, & dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, dimitte ei*. Et etiam dixit: *Beati*

„ *ti pacifici, quoniàm Filii Dei vocabuntur*. „ Et in alio loco dixit Simon Petrus; *Domine usque septies, si peccaverit in me frater meus dimittam ei?* Et dixit Dominus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Sic præcepit fundamento Ecclesiæ, „ ut dimitteret fratri suo ignorantiam suam, „ & non recordaretur peccatorum suorum. „ Et nunc peto Domine mi, à Sanctitate Vestra, & à Patribus Patriarchis, Episcopis „ & Regibus subditis baculo Paternitatis Vestræ, ut dimittatis dicto Imperatori peccatum suum, & delicta sua. Et hoc tribus „ de causis, propter stragem, & captivationem fratrum nostrorum Christianorum, & „ propter destructionem Civitatis Sanctæ; & „ propter tentionem, quæ accidit in conculcationem Sepulchri Domini nostri Jesu „ Christi, qualis ab initio non est audita.

977 „ Propter hæc igitur porreximus „ hanc petitionem, & ex Zelo quem habemus propter Deum, & ex dolore cordis „ scripsimus hæc; quia necessitas urget nos, „ ut simus soliciti pro Ecclesiis Jesu Christi. „ Oporteret autem, ut omnes Ecclesiæ Jesu „ Christi, & Monasteria, & omnes fideles, „ qui sunt in Oriente, & Occidente induerent se Ciliciis, & sederent in dolore, & „ plangerent super Jerusalem, super iis, quę „ acciderunt in ea in diebus nostris. Intimavimus hæc siquidem Dominationi Vestræ.

978 „ Nunc autem isti fratres Filii Vestri speciales, Religiosi, virtuosi in omnibus operibus suis, quos oportet honorari „ ab omnibus hominibus, qui sunt digni audiri, quod dixit os vivificantis: *Euge serve bone, & fidelis &c.* Ipsi inquam missi „ à vobis Andreas, & Socius ejus, conservati à Domino, notificabunt vobis ore ad „ os, quæ viderunt, & audierunt apud nos: „ Et cum hoc præsentabunt salutationem debilitatis nostræ, & universis Patribus, & „ Sacerdotibus, & Monachis, Regibus subditis Sedi Dominationis Vestræ, pariter, „ & omnibus Christianis obedientibus Paternitati vestræ.

979 „ Misimus autem vobis per manus „ dictorum Fratrum Nuntiorum vestrorum „ libellum, quem attulimus de pectore Orientis, scilicèt de Terra Sion: & libellum „ alium de fide ex parte Archiepiscopi. Nesibini, cui subscripserunt alii duo Archiepiscopi, & tres Episcopi. Et nos unà cum „ eis in spiritu petimus iterum à Paternitate „ vestra petionem secundam pro I. Archiepiscopo Hierosolymitano, qui est de gente „ nostra, & pro fratribus nostris Orientalibus Christianis, qui sunt Antiochiæ, Tripoli, & Accon, & in aliis Terris Vestris „ ut recommandetis eos, nè aliquis eos offendat, & sint apud vos, sicut Dixit Dominus noster Jesus Christus: *Quodcumque uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: & quod vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis*. Hæc sufficiant. Gratia autem „ Divina residens in habitaculo cordis vestri, „ quæ operatur virtutes, & curationes in „ omni hora per manus Vestras Sanctas, custodiat vos per virtutem Apostolorum Sociorum vestrorum, die, & nocte usque in „ sempiternum. Amen. *Hactenus Orientis Catholicon litteræ*. Sed, & Jacobitarum „ Catholicon scripsit pariter ad Innocentium, adjecitque, & fidei suæ professionem, quas per eundem fratrem Andream, & Socium misit, ità se habentes.

Litteræ missæ ad Dominum Papam ex parte Catholicon Jacobitarum.

980 *Illi generi supremo constitutivo omnium specierum quod ita vocatur genus, quod non contingit ipsum vocari speciem: Patri patrum, Sanctissimo Innocentio, tenenti Sedem Beati Petri Principis Apostolorum, glorificato à Christo Deo, qui credidit Beato Petro Claves Regni Cælorum, & posuit eum fundamentum Ecclesiæ; servus servorum Christi Ignatius debilis, cui creditum est à Spiritu Sancto, ut sit Pastor Syriæ, & totius Orientis populo Iacobitarum; adorationem sinceram in Spiritu & Corpore.*

981 „ Innotescat Sanctitati Patris communis post Patrem Cœlestem; & Domini „ Communis post Deum Cœlestem, quod „ pervenit ad nos Epistola Vestra Sancta per „ manus Fratris Sancti Sapientis, omnibus „ virtutibus ornati Andreæ: & levavi eam „ super capita nostra, & benedictionem recepimus ab ipsa, sicut ad similitudinem Imaginis Jesu Christi. Quod autem mandastis „ de pace, & charitate communi: & quia „ est, qui non gaudeat de concordia? Cùm „ autem simus paci perfectæ obedientes, primò ostendamus veritatem fidei nostræ, quā „ confitemur: & Deus testis est nobis, quod „ illud quod credimus corde, confitemur ore, „ & exaramus scriptura.

982 „ Dicimus igitur, quod nos Christiani Orientales vocati Jacobitæ, credimus „ in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: unam naturam, tres hypostases, tres „ personas. Et cum Pater sit principium Filii, & Spiritus Sancti: principium Filii „ generativi: & Spiritus Sancti principium „ spirativi. At ut quia est una natura Divinitatis, non oportet nos confiteri unam hypostasim, & unam personam; nec iterum „ quia sunt tres hypostases, & tres personæ „ perfectæ, oportet nos confiteri tres naturas esse, sed unam naturam, unam potentiam, unam voluntatem, unum actum naturalem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

983

983 „ Et iterum confitemur, quod Deus „ Verbum Unigenitus Patris, de voluntate Patris, & Spiritus Sancti descendit, „ habitavit in Utero Virginis Mariæ, & natus est ex ea Nativitate secunda, cum natura sit à Patre Nativitate æterna. Et factus „ est ex ea homo perfectus, animatus anima „ rationali intellectiva; similis nobis in omnibus præter peccatum: & ipse est perfectus Deus, perfectus homo, sine mixtione, „ sine confusione, sicut dicit Athanasius, & „ Cyrillus: quod Deo Verbo est una natura incarnata. Et propter hoc confitemur, „ quod Maria est Mater Dei in veritate: quia „ ipsa peperit Deum incarnatum, qui natus „ est pro salute nostra, & crevit in dimensionibus humanis, & complevit gubernationem; & passus est, & mortuus secundum carnem, & surrexit tertia die: & cum „ impleret Divina, erat in veritate perfectus „ Deus, & perfectus homo; & iterum cum „ operaretur humana, erat perfectus Deus, „ & perfectus homo unus post unionem.

984 „ Non recipimus igitur eos, qui „ confitentur dualitatem divisivam unitatis; „ nec iterum eos, qui confitentur mixtionem, & confusionem, sicut Eutyches excommunicatus: sed recepimus omnes, qui „ sequuntur fidem Beati Petri Principis Apostolorum, & incedunt per viam Nicæni „ Concilii, quicumque sint illi de Doctoribus Ecclesiæ Sanctæ, quorum veritas nota est apud excelsum Deum. Item damnamus & excommunicamus omnem deviantem à fide Beati Petri, & Concilii Nicæni, „ & corrumpentem rectitudinem fidei Christianæ à tempore Simonis magi usque ad „ diem hanc, quicumque sint illi, & qui noti sunt apud Deum.

985 „ Hæc est igitur fides nostra, & confessio nostra, & nobiscum Ægiptii, & Armeni, & Lybii, & Ethiopes: Confitemur „ iterum quod Sacrosancta Ecclesia Romana „ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, „ & ipsa est, in qua sunt reposita Corpora „ Beatorum Petri & Pauli. Hæc autem ostendimus magnificentiæ vestræ breviter & succintè, nè afficiamus vos tædio in prolixitate, & hoc quia scimus, quod ex paucis intelligitis plura.

986 „ Cùm autem post letis unitatem & „ concordiam, & quia est qui hæc renuat? „ Quæ appropinquare faciunt Deo excelso? „ Sed in firmamentum pacis, & concordiæ „ petimus à Sanctitate Vestra: primò, quod „ Patriarcha nostro mortuo, congregentur „ Archiepiscopi; & statuant sibi secundum „ Canonem, & secundum sortem Apostolorum, quem elegit Spiritus Sanctus, & „ hoc secundum Canones, & consuetudines „ nostras. Secundò, quod Patriarcha, & „ Archiepiscopi & Episcopi Latini, qui sunt „ in partibus nostris, non judicent super Patriarchas, & Archiepiscopos nostros, sed „ sicut est præceptum vestrum, super Patriarchas, & Archiepiscopos Latinos; ità „ & sit super nos; & iterum sicut recipiunt „ sententias, & judicia vestra, ita & nos. „ Tertiò, quod Patriarcha, & Archiepiscopi, & Episcopi Latini non accipiant censum de Ecclesiis & Monasteriis, quæ habemus in terris ipsorum; sed communicent „ nobis libertates Ecclesiæ, sicut filiis in honore, & nos semper exhibeamus eis reverentiam, & honorem: Alioquin non erit „ decens, quod illa, quæ cum magno labore habemus, contra libertatem Ecclesiæ „ concupiscant. Quartò, quod illi de gente „ nostra, qui contrahunt cum Latinis, non „ compellantur ad confirmationem secundam; cum sint insigniti charactere baptismali, & confirmati fuerint una vice.

987 „ Cum pace igitur, & concordia „ tollatur hæc confirmatio. Iterum notificamus Sactitati Vestræ, quod ex quo fratres „ vestri Latini Benedicti egressi sunt, & venerunt ad partes nostras, populus noster „ dilexit eos, & pro posse suo astitit eis in „ omnibus necessitatibus suis, sicut in liberatione sclavorum, vel captivorum, & „ consimilium. Nunc igitur petimus à Sanctitate Vestra, ut remuneretis nos in charitate, quæ super omnia assimiliat nos, „ Deo, & oretis pro debilitate nostra, sicut „ incumbit nobis ex miseria nostra. *Hactenus littera Catholicon Iacobitarum*. Missa quoque fuit ad eundem Pontificem alteriùs Ignatii Jacobitarum Primatis fidei confessio ad hunc modum se habens.

Confessio Primatis Jacobitarum Orientalium.

988 „ Dico ego Joannes debilis Primas „ Jacobitarum Orientalium, quòd confessio „ mea, & fides mea est, de Domino Jesu „ Christo Verbo Dei Æterno, scilicèt persona Filii Æterni, nati ex Patre ante sæcula, quod ipse descendit de excelso Cœlorum habitaculo ex voluntate sua, & Patris „ sui, & Spiritus Sancti, & non recessit à „ Dominatione Majestatis suæ; & habitavit „ essentialiter in Maria Virgine Ancilla sua; „ & recepit ex ea corpus animatum animâ „ rationali intellectiva; & unitus est ei mediante anima prædicta, unione verò inseparabili. Et non dicimus, quòd priùs fuerit „ formatus homo, & post habitavit in eo Divinitas, sed dicimus, quòd non prodiit ad „ esse aliqua pars humanitatis ejus, quin Divinitas esset unita sinè mixtione, sinè confusione; unione, inquam, perpetua, inseparabili, indivisibili: & propter hoc confitemur, quòd ipse est unus Deus incarnatus. Filius unus natus ex Patre, primò „ nativitate æternâ, & ex Maria Virgine po-

stre-

„ ftremò nativitate temporali. Una Persona, una substantia ex duabus substantiis, non quòd Divinitas conversa sit in humanitatem, aut humanitas in Divinitatem; nec quod composita sit ex jis duabus substantiis, substantia tertia: sed est unita secundum normam unionis vitæ non accidentalis. Et licèt unio excludat dualitatem, & tamen indicia duarum naturarum, & proprietates earum permanent in ipso; & discernuntur solo intellectu.

989. „ Et non attribuimus miracula, & opera magnifica Divinitati abstractæ ab humanitate, nec attribuimus naturalia opera infirma humanitati abstractę à Divinitate; sed dicimus, quod fecit miracula ex virtute Divinitatis, & gustavit passionem, & mortem voluntariam, quia natura humanitatis, & ipse tamen unus Filius Dei, & hominis. Et dicimus, quod quando suscepit passionem, & mortem voluntariam propter salutē creaturæ suæ, Divinitas ejus non est separata à corpore suo in hora mortis, sed semper fuit unita, & corpori, quod susceperat passionem, & animæ separatæ: nec attigit eam passio, cum substantia Divina propter excellentiam sui, immunis sit ab omni accidente, & passione.

990 „ Cùm autem quælibet trium personarum nominetur Deus; & constet, quod Filius est una trium personarum, & nominetur Deus, oportet ut nominemus Virginem Mariam Mater ejus Genetricem Dei. Et si dicat nobis aliquis, quod hoc nomen Deus, nomen est commune tribus personis, & ità fortè transibit dictum ad personam aliam à Filio, vel ad tres simul; dicimus, quod hoc nomen est commune, nisi sit aliquod distinctivum, & proprium. Si sit aliquid distinctivum, quia quælibet trium personarum habet propriam notionem, qua distinguitur ab aliis, & hoc quia Pater paternitate distinguitur à Filio, & Spiritu Sancto, & Filius filiatione à Patre, & à Spiritus Sancto, & Spiritus Sanctus processione à Patre, & Filio. Si igitur nominemus Patrem Deum, & notificemus paternitatem, non sequitur quod transeat ad Filium, & Spiritum Sanctum, similiter de Filio, & Spiritu Sancto.

991 „ Igitur cum dicimus: Maria Virgo peperit Deum, intelligitur tantùm de Filio, quia restringitur hoc nomen per notionem Nativitatis, & Filiationis; nec oportet quod transeat dictum ad alium. Et si dixerit nobis aliquis: Quare non sufficiat eam vocari Genetricem Christi? Respondemus, quod hoc nomen non sufficit ad notificationem veritatis essentiæ Genetricis, cum sit nomen derivatum ab unctione, & indigeat longa expositione, & exeat à sua prima expositione: & æstimabit fortè insipiens, quod vocatus hoc nomine sit sicut David, & sicut Saul, aut hujusmodi: sed si esset nomen derivatum à Divinitate & humanitate, sufficeret breviter dicere, Mariam Matrem Christi. Cum igitur natus dę ea in veritate sit Deus, vocamus eam Genetricem Dei, & in hoc imitamur vestigia Sanctorum Patrum. *Hactenus Confessio Primatis Iacobitarum*. Sed & in Regesto Pontificio Innocentii, undæ prædictæ confessiones excerptæ sunt libero 4. Epist. 119. & 120. & lib. 5. Epist. 123. sub eodem lib. 5. Epist. 122. Adest, & altera confessio eidem Pontifici missa, ab altero Ignatio Jacobitarum Patriarcha, quæ ità sę habet.

Confessio Venerabilis Patris Ignatii Patriarchæ Christianorum Orientalium, qui vocantur, Iacobitę, pro se, & populo suo sibi commisso.

992 „ Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unam naturam, & tres personas. Pater est gignens, Filius genitus ab eo, & Spiritus Sanctus procedens à Patre, accipiens à Filio. In ultimis autem temporibus ex voluntate Patris & Spiritus Sancti Verbum ęternum descendit de Cœlo, & habitavit in Utero Virginis, & natum est ex ea Nativitate secunda, & conservavit ei Virginitatem suam post partum; ideò credimus, & confitemur eam Dei Genitricem. Circumcisus est, & evacuavit Circumcisionem: Jejunavit siquidem, & tentatus est à Diabolo, & passus est, & mortuus est secundum carnem, & resurrexit; & post Resurrectionem suam quadraginta diebus Mundo apparuit, ut verificaret Resurrectionem suam: Ascendit ad Cœlum, sedet à dexteram Patris; indę venturus est judicare vivos, & mortuos. Et ipse in veritate est perfectus Deus, & perfectus homo: unus Christus ex duabus naturis, Divina, & humana. Et est divina natura conservata in sua essentia, & in suis proprietatibus: & facta unio inter ipsas sine confusione, sine mixtione, sine corruptione.

993 „ Concordamus siquidem cum Beato Petro, & confitemur eum fundamentum esse Ecclesiæ, sicut nominavit eum Christus, *petram*, dicens: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam*; Et ideo Ecclesia, in qua ste Corpus ejus repositum, est Mater omnium Ecclesiarum in universo Mundo: & dicimus, & prædicamus, quod ipsa est lampas lucens, ex qua omnes aliæ lampades succenduntur. Dicimus etiam, quod animæ justorum, qui voluntatem Dei impleverint, quando separantur à corpore, requiescunt in Regno Cœlorum. Peccatores, qui moriuntur sine Confessione, flagellantur in inferno. Illi verò, qui pec-

„ caverint, tamen confessi sunt peccata sua, „ sed non compleverunt pœnitentiam, affligentur usque ad pœnitentiæ complementum. Dicimus siquidem, quod oportet „ Christianum Discipulum Jesu Christi diligere Christianum fratrem suum, sicut Christus dilexit nos, & posuit animam suam „ pro nobis. Christianus verò, qui odit fratrem suum non est Christianus, quia est „ prævaricator mandatorum Jesu Christi; sed „ ut Discipulus illius, qui invidit Adæ, & „ odivit eum, hæc autem sunt, quæ breviter diximus ad ostensionem fidei nostræ. *Hactenus alterius Ignatii Iacobitæ fidei confessio.*

994 Ex quibus omnibus apparet, complures errores Jacobitarum nationi à Scriptoribus attributos, sub Pontificatu Innocentii IV. aut non tenuisse, aut si priùs retentos, dimisisse tamen. Constat namque ex ejusmodi confessionibus, fidem tenuisse quatuor primorum Generalium Conciliorum: profitentes Nicæni primi fidem de Filii Dei Divinitate, ac Patri consubstantialitate: dum efferunt Filium æternaliter à Patre genitum in unitate Divinæ naturæ, unamque esse trium personarum naturam, & hanc Divinam: & ita Arianam hæresim omninò damnanti fidem pariter secundæ generalis Synodi, & primæ Constantinopolitanæ, proscribentis impiam Macedonii inventionem contra Spiritus Sancti Divinitatem, recepisse Jacobitas, apparet: cum fateantur, Spiritum Sanctum eandem naturam habere cum Patre, & Filio, solumvè in hypostasi discretum, ac Patrem principium esse generativi Filii, & spirativi Spiritus Sancti. Professos quoque constat fidem tertiæ œcumenicæ Ephesinæ primæ Synodi, contra blasphemum Nestorium, cum confiteantur Christum unam esse personam in duabus naturis, non priùs hominem inde Deum, nec priùs Deum inde hominem, sed simul Deum hominem, natum ex Maria Virgine, & proinde hanc veram esse Dei Matrem, Deique Genetricem. Item & fidem quartæ Synodi œcumenicæ, Chalcedonensis scilicèt, à Patribus contrà Imperium Eutychetem, ejusque sectatores roboratam, retinuisse certum fit: quoniam, nec dualitatem personarum cum Nestorio fateri volunt in Christo, nec unitatem naturæ cum Eutychete, & ideo Catholicon Orientis fatetur, se non recipere eos, qui confitentur dualitatem divisivam unitatis, nec qui confitentur mixtionem, & confusionem, sicut Eutyches, & Jacobitarum Primas, in sua confessione apertissimè contra Eutychetis dogma confitetur in Christo: *Unam personam, unam substantiam ex duabus substantiis, non quod Divinitas conversa sit in humanitatem, aut humanitas in Divinitatem.* Et alter Ignatius asserit, utramque naturam, Divinam scilicèt, & humanam cum proprietatibus Divinis respectivè, & humanis in Christo conservatas. *Et est*, inquit, *Divina natura conservata in sua essentia, & in suis proprietatibus: & natura humana conservata est in sua essentia, & in suis proprietatibus, & facta unio inter ipsas. Sine confusione, sine mixtione, sine corruptione.* Neque infectos fuisse Monothelitarum errore, & credidisse juxtà fidem Quintæ Generalis Synodi, & Secundæ Constantinopolitanæ, liquet, ex eo quod asserant in Christo diversas operationes, eas, quæ à Divinitate prodebant discretas ab iis, quæ ab humanitate: Ait namque Joannes Primas Jacobitarum. *Et non attribuimus miracula, & opera magnifica Divinitati abstractæ ab humanitate, nec attribuimus noturalia, & opera infirma humanitati abstractæ à Divinitate; sed dicimus, quod fecit miracula ex virtute Divinitatis, & gustavit passionem, & mortem voluntariam, quia natura humanitatis.* Alter porrò Ignatius profiteri videtur processionē Spiritus Sancti à Patre, & Filio, cum dicat: *Et Spiritus Sanctus procedens à Patre, accipiens Filio.*

995 Errores porrò, quos Scriptores attribuunt Jacobitis, vel dicendum ante Innocentium quartum professos, sub hoc verò Pontifice dimissos: vel in eos post, Innocentii tempore ex commixtione cum aliis nationibus lapsos. Thomas enim à Jesu Biatensis in opere de procuranda salute omnium Gentium, lib.7. cap. 15. ex quodam Jacobitarum Cathechismo, ut in superioribus etiam tetigimus, refert eos profiteri in Christo unam naturam, unamque voluntatem, & unam operationem. Magnum Leonem damnare cum Ario, & Nestorio, eo quod in Christo duas posuerit naturas. Christum ante, & post adunationem, esse unam naturam uaitam, & compositam ex Divinitate, & humanitate, & unam personam, & unam voluntatem compositam ex humanitate pariter & Divinitate; & unam operationem productam ex Divinitate, & apparentem ex corpore. Quæ quidem omnia in præfatis confessionibus videntur ab eis rejecta. Refert porrò, teneri justorum animas manere in terra usquè in diem judicii. Contrarium tamen profiteri videntur ex alteriùs Ignatii confessione, in qua & ipsum temporaneum Purgatorium agnoscunt: *Dicimus etiam ibi, quod animæ Iustorum, qui voluntatem Dei impleverint, quando separantur à corpore, requiescunt in Regno Cælorum. Peccatores, qui moriuntur sine confessione, flagellantur in Inferno. Illi verò, qui peccaverint, tamen confessi sunt peccata sua, sed non compleverunt pœnitentiam, affligentur usquè ad pœnitentiæ complementum.*

996 Ad hæc verò additur, & alia fidei confessio Nestorianorum, eodem pariter tempore missa ad eundem Innocentium, nomine Archiepiscopi Nasabin, cujus Catholicon Orientis meminit in suis supra recensitis ad præfatum Pont. directis literis, quæ in eodem Innocentii Pont. Reg. lib.5. Epist.121. habetur inserta, & ad hunc modum se habet.

Con-

Confessio Nestorianorum.

997 „ Dico ego Enstaib Archiepiscopus „ de Nasabin, quòd Fides mea de Domino „ Jesu Christo, quòd ipse est perfectus Deus, „ & perfectus homo, unus Filius scilicèt „ Dei, & hominis, una persona; & ipse „ non fuit priùs homo purus, & post unitus „ Deitati, sed quælibet pars humanitatis „ ejus non extitit, nisi unita Deitati; & „ quòd Maria Virgo peperit perfectũ Deum, „ & perfectum hominem filium unum, qui „ est Dominus Jesus; & hæc unio non fuit „ accidentalis possibilis separari, sed perma„ nens, & perpetua; & quòd proprietates „ Divinæ Naturæ, & humanæ insunt Chri„ sto: Mortuus est autem secundùm huma„ nitatem unitam, & non desiit in eo unio, „ sed permansit, eo existente in Cruce, & in „ sepulchro, & est separata anima à carne in „ morte; nec tamen Deitas ab humanitate, „ sed permansit unio Deitatis ad animam se„ paratam à corpore, & ad corpus, quod su„ scepit passionem.

998 „ Initium autem unionis fuit, ex „ quo nunciavit Angelus Beatæ Mariæ, & „ ipsa consensit ei, & credidit verbis ejus, & „ dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; „ & facta est unio inter *F.* del *Fiat*, & inter „ *M.* del *tuum*; & in hoc, quod dicimus: „ *Maria peperit Christum*, intelligitur, quòd „ ipsa peperit Deum Filium, unam trium „ Personarum unitam homini uni, de quo „ dicitur in Evangelio, quòd ipse est Filius „ David, & Filius Abraham, & est Filius „ Mariæ Virginis, & Dei Patris, & in hoc, „ quod dicimus, Maria peperit Christum, „ intelligitur, quòd ipsa peperit Deum, tali „ tamèn conditione, quòd ipse est Deus Fi„ lius unitus humanitati.

999 „ Sunt autem voces intellectuum, & „ hæc vox, *Christus*, significat perfectum „ Deum, & perfectum hominem: Hæc au„ tem vox, *Deus*, significat de pari Sanctam „ Trinitatem, & supponit pro Patre, & sup„ ponit pro Filio, & supponit pro Spiritu „ Sancto. Et cùm dicitur: *Maria peperit* „ *Deum*, existimabit fortè insipiens, quòd „ ipsa peperit, aut Sanctam Trinitatem, aut „ Patrem, aut Spiritum Sanctum, nisi ex„ ponatur Deum Filium unitum. Cùm igi„ tùr indigeat expositione, & Deus Filius „ unitus ipse sit Christus, sub vocabulo uno „ erit, cùm dicimus: *Maria peperit Christum*, „ Verbum unum brevitèr comprehendens „ Divinitatem, & Humanitatem. Est igitùr „ unus Christus, unus Filius, res duarum „ naturarum, Divinitatis, & Humanitatis; „ unum individuum, una persona. *Hactenus Confessio.*

1000 Sollicitus Innocentius de omnium salute, destinaverat Fratrem Laurentium Ordinis Minorum, ac suum Pœnitentiarium, Apostolicæ Sedis Legatum in Orientem per Græciam, Armeniam, Iconiam, Turchiam, ad Græcos omnes tàm in Regno Cypri, quàm in Patriarchatibus Antiocheno, & Hierosolymitano, ad Maronitas, Jacobitas, & Nestorianos cum pleno Legationis officio. Cùmque Græci conquesti essent apud Apostolicam Sedem de diversis sibi à Latinis illatis gravaminibus; & cognoscens hujusmodi Latinorum gesta adversùs Græcos plurimùm officere aliorum Græcorum reconciliationi, immò & jàm Reconciliatorum perseverantiæ, per suas literas instruere voluit prædictum Fratrem Laurentium de modo se gerendi, juxtà officium sibi demandatum, præcipuè cum Græcis, quos, ut à Latinorum gravaminibus defenderet, ei commisit, scribens ad hunc modum.

Innocentius Episcopus &c.
Fratri Laurentio Ordinis Minorum
Pœnitentiario nostro.

1001 „ Quia corporali præsentiâ non „ possumus locis singulis imminere, illius „ exemplo, quo pro salute humani generis „ de supremo Cœlorum ad ima Mundi de„ scendens, Discipulos, quos elegit, in uni„ versum Mundum transmisit, omni Crea„ turæ Evangelium prædicare, nonnunquàm „ personas providas, & discretas in partem „ sollicitudinis destinamus pro negotiorum „ urgentium qualitate, quæ prava, indire„ cta, & asperas convertentes in vias planas, „ rectas faciant semitas Dei nostri, popu„ lumque acceptabilem sibi reddant.

1002 „ Sanè de circumspectione tua ple„ nam in Domino fiduciam obtinentes, te „ ad partes transmarinas, tanquàm pacis An„ gelum commisso tibi in Armenia, Iconio, „ Turchia, Græcia, & Regno Babyloniæ, „ ac super omnes Græcos, tàm in Antioche„ no, & Hierosolymitano Patriarchatibus, „ quàm Regno Cypri morantes, nec non su„ per Jacobitas, Maronitas, & Nestorianos „ plenæ Legationis officio, ut juxtà datam „ tibi à Deo prudentiam, evellas, & dissi„ pes, ædifices, & plantes, duximus diri„ gendum.

1003 „ Ideòq; monemus, quatenùs Græ„ cos illarum partium quocumque nomine „ censeantur, auctoritate Apostolica prote„ gens, turbari eos molestiis, vel quibus„ cumque violentiis non permittas, injurias „ quaslibet, & offensas à Latinis illatas, eis„ dem plenariè faciens emendari, & Latinis „ ipsis districtè præcipiens, ut à similibus de „ cætero penitùs conquiescant. Contradi„ ctores, & rebelles per censuras Ecclesia„ sticas, appellatione postposita, compescen„ do. Non obstantibus, si aliquibus Lati„ norum ipsorum à Sede Apostolica est in-

„ dultum, quòd interdici, suspendi, vel ex-
„ communicari non possint sinè speciali man-
„ dato Sedis ejusdem, faciente de Indulgen-
„ tia hujusmodi mentionem, & quibuscum-
„ que aliis Indulgentiis Apostolicis, per quas
„ præmissa impediri possint, vel etiam retar-
„ dari. Datum Lugduni Nonis Junii, An-
„ no IV. *Hactenus literæ*. Scripsit indè pau-
lò post, ineunte V. sui Pontficatus Anno, eodem tamèn Domini Anno MCCXLVII. ad Orientis universos Prælatos, tùm Latinos, cùm Græcos, mandans, ut quascumque sententias, à dicto Fratre Laurentio, ad commissi muneris executionem spectantes promulgatas, habeant ratas, & firmas, atque in suis Civitatibus, & Diœcesibus promulgari facerent. Sunt autem literæ, quæ sequuntur.

Innocentius Episcopus &c.
Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis tàm Latinis, quàm Græcis in partibus Orientis &c.

1004 „ Censuram Ecclesiasticam debi-
„ tum ubiquè robur obtinere volentes, præ-
„ sentium vobis auctoritate mandamus, qua-
„ tenùs si dilectus filius Frater Laurentius
„ de Ordine Fratrum Minorum, Pœniten-
„ tiarius noster, Apostolicæ Sedis Legatus,
„ auctoritate Legationis suæ, aliquas contrà
„ Latinos, exceptis tamen Patriarchis, Ar-
„ chiepiscopis, & Episcopis, pro evidenti-
„ bus injuriis, seù molestiis, quas indignè
„ Græcis inferunt, & debitam super illis sa-
„ tisfactionem præstare renuerint, moniti
„ diligentèr, aut in Græcos eosdem, pro ip-
„ sorum excessibus manifestis, suspensionis,
„ vel interdicti, aut excommunicationis sen-
„ tentias duxerit promulgandas, singuli ve-
„ strum in suis Civitatibus, & Diœcesibus,
„ ad requisitionem ipsius faciatis easdem us-
„ què ad satisfactionem condignam, aucto-
„ ritate nostra inviolabilitèr observari. Dat.
„ Lugduni III. Non. Augusti, Anno V. *Hæc Innocentius*.

1005 Dùm verò per suas literas antedictas agebat Innocentius, ut res in Oriente rectè cederent, præfatus Laurentius moram faciens in ejusdem Orientis partibus, Apostolico sibi commisso officio sedulò fungens laborabat pro Græcorum unione, atque eorum ad sinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ad Romani Pontificis obedientiam reductione. Nec quidèm omninò frustrà suos adhibuerat conatus; quoniàm post varios labores ad præfatam reconciliationem animum disposuerat Patriarchæ Græcorum, aliorumque plurium Episcoporum ejusdem Patriarchæ Suffraganeorum, ac reddito de iis certiore Innocentio, ab eo sequentes literas accepit.

Innocentius Episcopus &c.
Fratri Laurentio de Ordine Fratrum Minorum, Pœnitentiario nostro Apostolicæ Sedis Legato.

1006 „ Juxtà desiderium nostrum, &
„ fiduciam de tua sinceritate conceptam,
„ ad hoc diceris omni suisse virtute solici-
„ tus, quòd Venerabilis Frater noster Pa-
„ triarcha Græcorum, ejusque Suffraganei
„ redirent ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ uni-
„ tatem. Cùm autem hujusmodi prosecu-
„ tione negotii sit procedendum sollicitudi-
„ ne diligenti, ità quòd, ex hoc gloria Deo,
„ & honor Ecclesiæ proveniat, ac injurio-
„ sum, seù præjudiciale alicui non existat.
„ Volumus, & per Apostolica scripta man-
„ damus, quatenùs mentem habens ad cun-
„ cta vigilem, quæ rectitudinem in hac par-
„ te contineant, & sapiant honestatem, de
„ Prælatis Græcis ad devotionem, & reve-
„ rentiam ipsius Ecclesię redire volentibus,
„ sic provideas, & disponas, ut illic ex eis,
„ qui Antiochensi, seù Patriarchæ Hierofo-
„ lymitano, qui fuere pro tempore, aut
„ aliis Prælatis Latinis olim subjecti suisse
„ noscuntur, ipsis adstricti ad debitam obe-
„ dientiam, & reverentiam teneantur. Illos
„ autem, quos eisdem Patriarchis, seù Præ-
„ latis noveris non suisse subjectos, ad obe-
„ dientiam Ecclesiæ Romanæ recipias, alio-
„ rum per omnia jure salvo.

1007 „ Cæterùm prædicto Patriarchæ
„ Græcorum ex nostra parte suadeas diligen-
„ tèr, ut prævio salutis Angelo Apostolicam
„ Sedem adeat, in ejus unitatem, & plenam
„ gratiam admittendus, itaùt si nobis con-
„ staret, eum alicui Patriarcharum, & Præ-
„ latorum ipsorum subjectione aliqua non
„ teneri, ipse cum suis Suffraganeis, qui
„ fruuntur libertate simili Sedis Apostoli-
„ cæ, nullo medio fiut subjecti. Si verò
„ ipse nostram personalitèr nequiverit adi-
„ re præsentiam, personas idoneas pro
„ ipso, & Suffraganeis memoratis, sufficiens
„ in hac parte mandatum habentes, ad Se-
„ dem transmittat eandem, & si furtè ipse,
„ vel alii ad hoc pro expensarum defectu ex-
„ titerint impotentes, tu ipsis expensas ne-
„ cessaris de bonis nostræ Cameræ largiaris.
„ Dat. Lugduni VII. Idus Augusti, Anno V.
Hactenus Innocentius literæ.

1008 Laborabat eodem tempore & Bela Hungariæ Rex, ut Joannem Ducam Vatacinm, qui ut Imperator Græcorum se gerebat, ad unionem, atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam traduceret. Regina quoquè illius uxor, pro eadem causa plurimùm desudabat, quæ & literas ad Innocentium misit, quibus de hac assumpta Provincia certiorem fecit; proindèque summoperè gratulatus Pontifex rescripsit eidem, rogans, &
hor-

hortans, ut quamprimùm Viros prudentiâ, ac doctrinâ spectatissimos, pro re perficienda, ad prædictum mitteret Vatacium: „ Exultantes accepimus, & referimus gloriantes, „ *ait Innocentius in literis ad eam datis lib.4. Epist.* 38. quòd pro tuis insistis viribus, & „ laboras, ut ad sinum Matris Ecclesiæ redeat Vatacius, & gens ejus. Ex quo tantò „ tibi majores actiones referimus gratiarum, „ quantò magis id ad laudem cedit, & gloriam Jesu Christi, exaltationem contingit, „ & commodum Sponsæ suæ, nostram, & „ tuam utilitatem respicit, & honorem. Ut „ igitùr charissima in Christo filia, effectus „ hujusmodi negotii faciliùs subsequatur, „ Excellentiam tuam requirimus, & rogamus, quatenùs aliquos Nuncios, Viros providos & discretos, ad præfatum Vatacium „ non differas destinare, quorum diligentiæ „ studio, & sollicitudinis industriâ, prædictus Vatacius ad unitatem Matris Ecclesiæ „ revertatur. Nos enim tibi ob tui gratiam, „ & amorem, quidquid cum honore Dei, & „ Ecclesiæ, ac salute Ipsius animæ fieri poterit, scire te volumus nos facturos. Datum „ Lugduni III. Kalend. Februarii. *Hæc Innocentius.*

1009 Biennio autem posteà, Anno videlicèt Domini MCCXLIX. Balduini II. Imperii XXI. à coronato Friderico Anno XXX. Pontificatus Innocentii Anno VII. Indictione VII. idem Innocentius ad perficiendum opus unionis Græcorum, inceptum jàm à Fratre Laurentio, sollicitatum quoquè à Bela Hungariæ Rege, & Regina ejus consorte, ut præfati sumus, destinavit cum potestate Apostolicæ Sedis Legati, fratrem Joannem de Parma Minorum Ordinis Ministrum Generalem, ut tradit Marianus lib.2. cap.20. & testatur Angelus Clarenus in sua antiqua Chronica; confirmatque Divus Antoninus in 3.parte Summ. Historial. Titul.24. cap. 9. Qui Pontificiis mandatis obtemperans, profectus est in Græciam, ubi tanta apud Joannem Ducam III. Trapesunii, sivè Græcorum in Asiam Imperatorem, Patriarcham, Populum, & Clerum, habitus est reverentia, tantà æstimatione sanctitatis, & sapientiæ, ut quempiam antiquorum Patrum, verumque Christi Discipulum, se intueri putarent, ut præcitati referunt Scriptores; Undè Sanctus Antoninus loco prædicto ait: *Eo tempore Innocentius Papa misit præfatum Joannem Generalem Ministrum ad Imperatorem, & Patriarcham Græcos, ob unionem fiendam cum Romana Ecclesia, & desertione erroris, & detestatione: Ubi multùm vitâ, & scientiâ, tàm Imperatorem, & suos, quàm Clerum, & Populum universum ædificavit.* Notat Wadingus ad hunc Annum sub num.4. Innocentium in literis datis ad Imperatorem, & Patriarcham, sub nomine, *Angeli pacis*, præfatum Legatum commendasse.

1010 Cùm itaquè, ut Angelus Pacis reverà fuisset receptus, scripsit Joannes ad Pontificem, ut refert Petrus Rodulphus, qui magnâ voluptate, ac lætitiâ perfusus, perlectis literis, adstantibus dixit: *Dilatatum est cor nostrum præ gaudio vehementi, audito, quòd prudens Græcia novo Superioris irradiata Syderis fulgore, gratantèr accepit Fratrem Joannem.* De gestis porrò ejusdem Fratris Joannis pro unione Græcorum, hæc subjungit Sanctus Antoninus: *Et illud quidèm negocium fœlicitèr consumasset, nisi quòd tunc eodem anno Papa, & Imperator viam sunt universæ carnis ingressi:* Noster verò Arturus in Notis ad Martyrologium Franciscanum, sub die XIX.Martii §.3. de hac Joannis Parmensis Legatione verba faciens, ait: „ Interim negocium unionis, eousquè promovit Sanctus Generalis, ut Græci, tàm Imperator, „ quàm Patriarcha, bis, diversisque vicibus „ Legationem instituerint solemnem ad Innocentium IV. Pontificem Maximum. Sed „ invidiâ Dæmonis, in itinere Apocrisiarii „ rebus spoliati, coacti sunt subsistere; ac „ tandèm infecto negotio, redière ad suos, „ cùm perturbata tempora accessum ad Papam non concesserint. Mòxque supervenìens mors, tàm Pontificis, quàm Imperatoris, optatum rei exitum, & expectationem transigendæ unionis præcedit. *Hæc ille.* Et totidèm verbis tradit Wadingus ad Annum Domini MCCL. sub num.2. Verùm mors Pontificis non accidit eodem anno, ut errore lapsus scribit Sanctus Antoninus, sed ferè quinquennio post, nàm Anno XII. sui Pontificat. ut infrà, decessit Innocentius. Hæc porrò Legatio facta est Anno VII. ut notavimus. Joannes porrò Ducas, ut suo loco dicemus, obiit post Innocentium, Anno nimirum primo Pontificatus Alexandri IV. Domini MCCLV. Joannem verò à Parma permansisse in sua Legatione ad obitum usquè Innocentii, ac Anno primo Pontificatus prædicti Alexandri IV. remeasse, ex ipsius Gestis apud Annales Minorum deducitur; nàm reversus ordinem reformare incæpit Anno II. ejusdē Alexandri Pontificatus, cujus rei causâ durissimas passus est molestias: Et probabile est etiam recessisse post Joannis quoquè Ducæ obitum. Et hoc est quod dicere voluit Beatus Antoninus negotium mansisse infectum, morte interveniente, tùm Imperatoris, tùm Pontificis: Tunc enim absoluta fuit Legatio Joannis Parmensis.

1011 Cæterùm, licèt infectum remanserit negotium unionis Imperatoris, & Græcorum Patriarchæ, ob suprà recensitas causas, nonnulli tamèn Græcorum Episcopi, & maximè illi, qui de Regno Cypri à Latinis, ut asserebant, missi fuerant in exilium, restituti posteà à Fratre Laurentio Minorita Apostolicæ Sedis Legato, de quo suprà mentionem fecimus, ad obedientiam Apostolicæ Sedis re-

reversi sunt, quibus nonnulla poscentibus beneficia, concessit Pontifex, præcipuè, ut quatuordecim Episcopi, sicut anteà, Græci in Regno Cypri præficerentur, nec Præsulibus subessent Latinis, sed tantùm immediatè Apostolicæ Sedi, ac alia insuper indulsit, quę ad conciliandam aliorum Græcorum gratiam maximè pertinebant, ut in ejus literis Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato, apparet, quæ ad hunc modum se habent.

Innocentius Episcopus &c. Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

1012 „ Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Græcorum in Cypro transmissa „ nobis insinuatio continebat, quòd ipse olim „ per dilectum filium Fratrem Laurentium „ Pœnitentiarium nostrum, tunc in partibus „ illis Apostolicæ Sedis Legatum, ab exilio, „ in quod eum illata sibi, ut asserit, à Latinis Prælatis injuriarum molestia egerat, „ revocatus, tibi postmodùm, in eisdem partibus existenti, cùm Suffraganeis suis spontè obtulit, & humilitèr præstitit Ecclesiæ „ Romanæ nomine obedientiam manualem; „ proptèr quòd idem Archiepiscopus, & Suffraganei de Apostolicæ Sedis clementia, „ quæ illis abundantiùs solet affluere, quos „ integritatis consortio reconciliationis novitas inserit; petitiones suas, quas missas „ per communes Nuncios coràm nobis, & „ fratribus nostris fecere proponi, ad gratiam exauditionis admitti supplicitèr postularunt.

1013 „ Petierunt siquidèm iidem Nuncii eidem Archiepiscopo, & suis successoribus ordinandi, & substituendi canonicè „ in Insula Cypri quatuordecim suæ nationis Episcopos, cùm totidèm ibi Episcopales Græcorum Sedes esse consueverint ab „ antiquo, permitti de nostra licentia plenam, & liberam potestatem; & concessitam sibi, quàm eisdem Episcopis, eorumque successoribus in Ecclesię Romanę obedientia permanentibus, nè Prælarorum Latinorum jurisdictioni subjaceant, sed in „ subjectione Sedis Apostolicæ pari cum illis gaudeant privilegio libertatis.

1014 „ De cætero quoquè in Clericos, „ & Laicos suos liceat eis jurisdictionem „ ordinariam exercere, prout antequàm ab „ Ecclesia Romana resilirent, obedientiam „ exercebant, ejusque Clerum, & Populus „ Græcorum, quemadmodùm à suis subditis „ Latinis Prælatis intenditur, obediant in „ spiritualibus, & intendant; & inconcussa „ sit apud eos canonica Ordinum Ecclesiasticorum susceptio, & libera monasticæ „ professionis electio, sicut erat antequàm „ terra illa subderetur Dominio Latinorum. „ Decimas verò, quas Archiepiscopus, & „ Episcopi Latini, à Monasteriis Græcorum „ de laboribus ipsorum, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt; necnon à „ Surianis, & Gręcię liberis Regni Cypri „ exigunt, petierunt omninò dimitti, eorundem Archiepiscopi Græcorum, & Suffraganeorum suorum usibus profuturas. „ Et nihilominùs eorundem, ac suorum sustentationi Clericorum, à memoratis Archiepiscopo, & Episcopo Latinis, aliqua „ Decimarum, quæ ipsis de laboribus, & nutrimentis animalium Græcorum præfatæ „ Insulæ proveniunt, portio assignetur.

1015 „ Ad hæc quoquè ipsorum supplicatio postulavit, vt liberum sit eis Græcorum omnium sæpefatæ Insulæ spirituales „ causas audire, ac secundùm Canones, & „ rationabiles, & antiquas ipsorum consuetidines diffinire, super quibus ab eis, non „ ad Archiepiscopum, vel Episcopos Latinos, sed ad nos, vel Legatum Sedis Apostolicæ, quem in partibus illis deputabimus, appelletur; qui ab Archiepiscopo „ Græcorum Cypri, pro tempore subrogato, „ Vice Romani Pontificis recipiat obedientiæ, & reverentiæ sponsionem; ipsumque, „ ac Suffraganeos ejus protegat ab indebitis „ molestationibus, & defendat. Subjecit „ prætereà petitio eorundem, ut quæcumque fuerunt in pœnam inobedientiæ ipsorum, vel ipsius occasione per bonæ memoriæ P. . . . . Episcopum Albanensem, tunc „ in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatum constituta, vel scripta, & quibuslibet „ pactis, vel conditionibus ordinata, seù per „ quoscumque alios, contrà Archiepiscopum, „ & Episcopos, ac cæteros Græcos Insulæ „ sæpesatæ, ab eadem Sede, vel ejus Legatis „ obtenta, in irritum revocentur, cùm culpæ „ causâ sublatâ, effectus vindictę debeat submoveri.

1016 „ Quià verò de circumstantiis, & „ causis, quæ super hujusmodi petitionibus „ erudire possent animi nostri motum, reddi, „ sicut oportuit nequivimus circumspecti; „ cùm in talibus ità petentium affectibus sit „ faciendum, ut circà ea, quæ utilitèr expediunt, non erretur; Nos plenam obtinentes de tua discretione fiduciam, & attendentes, quòd de iis, quæ oporteblt iu considerationem deliberationis adduci, vicinitate suffragante locorum, tua poterit „ prudentia facilius informari; mandamus, „ quatenùs Prælatorum, & aliorum prudentium Virorum, quos sinè scrupulo suspicionis videris consulendos, communicato consilio super præmissis, quæ ab „ eisdem Archiepiscopo Græcorum, ejusque „ Suffraganeis postulantur, & aliis eorum „ justis desideriis statnere, ac disponere providendo, & ordinando, auctoritate nostrâ „ procures, quòd eorum intentioni pro animarum salute, Ecclesiæ pace perpetuâ, ac salu-

„ falutaribus Catholicæ Obedientiæ incre-
„ mentia videris convenire. Datum Lugdu-
„ ni xII. Kal. Augufti, Anno VIII. *Hactenus Innocentius*.

1017 Eodem fere tempore Provincia Albaniæ, Græcorum jam infecta fchifmate, proprio procurante Archiepifcopo, ad eundem Sanctæ Matris Ecclefiæ finum reverfa eft, ut tradunt Innocentii literæ ex lib. 8. Epift. 6a. miffę ad Epifcopum Antivarenfem. Datæ Lugduni vI. Idus Augufti, fui Pontificatus Anno VIII. Eodem modo ad unitatem præfatæ Sanctæ Ecclefiæ rediere, qui Provincias Unaviæ, & Philot, propè Ungariam incolebant, ut ejufdem Innocentii literæ eodem anno menfe, & die datæ ad Summum Prædicatorum Magiftrum, indicant. Poft hæc verò xI. fui Pontificatus anno deftinavit Religiofos Prædicatores ad Sarracenos, Græcos, Bulgaros, Cumanos, Æthiopos, Syros, Iberos, Alanos, Cazaros, Scythas, Tartaros, Ziehos, Ruthenos, Jacobitas, Nubianos, Neftorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Mofcelitas, Ungaros Majoria Ungariæ, Chriftianos captivoa, aliofque Catholicos à fide Catholica aberrantes, ut eorum prædicatione ad Ecclefiæ Sinum revocarentur. Exhibet Pontificias literas ad præfatos Religiofos datas ex lib. xI. Epift. I. Regefti Innocentii Raynaldus, ad Annum MCCLIII. fub num. 48. incipientes. *Cum hora undecima fit diei*, fub datum Affifii x. Kal. Augufti Anno xI. Ad Tartaros inde, & Turchas, alios ex eodem inclyto Prædicatorum ordine Religiofos Viros mifit, datis literis directis ad Soldanum Turchiæ, quæ in præfato Regefto leguntur lib. 10. Epift. 28. adjunctis literis ad Georgianorum Antiftites, per quarum Terram erant tranfituri, quibus eofdem fratres plurimùm commendavit, quatenus charitativè eos pertractarent, benignè reciperent, ac de neceffariis, & fecuro conductu providerent. Sic Zelo ardebat pius Pontifex, ut in turbulentiffima fui Pontificatus tempora, nihil omiferit, quod expedire dignoverit, nedùm in procuranda Grecorum unione, verum & omnium Gentium converfione. Ultimo denique fui Pontificatus anno, quafdam diremit inter Latinos, & Regni Cypri Græcos exortas controverfias, quæ perfectam focietatem, & unionem disjungere poterant, datis literis ad Epifcopum Tufculanum Apoftolicæ Sedis Legatum, quæ habentur in Bullario, inter hujus Pontificis literas fub num. xIv. & ad hunc modum fe habent,

Innocentius Epifcopus &c.
Tufculano Apoftolicæ Sedis
Legato.

1018 „Sub Catholicę profeffione fidei at-
„ que cultu, confiftere, ac proficere univerfos,
„ cęteris noftrę mentis defiderabilibus præfe-
„ rentes, illud tanquam acceptabiliùs pleniori
„ defiderio cupimus, & ad hoc velut operati-
„ vum falutis præcipuum, intimis affectibus
„ anxius afpiramus. Hæc inquam, unio, five
„ connexio cordi inęftimabilis gaudii rorē in-
„ fundere, fi varias gentium nationes, ejufdem
„ obfervantia fidei in unū acceptabilē Chri-
„ fto populum adunaret. Id utique anxiæ no-
„ ftrę mentis ardorem affluentis lætitiæ refri-
„ geraret irriguo, fi omnes, quos olim, in
„ unum Catholicum gregem ovile collegit
„ Domini, cum multi ab eo difcefferint, in
„ idem individuum Collegium unius Paftoris
„ folidaret magifterium, & cuftodia commu-
„ niter. O, fi Orientalibus Oriens ex alto
„ luceret, & fui luminis illuftratione, ipfos
„ ad Catholicam reduceret unitatem, ut cum
„ reliquis Orthodoxis in unius aulæ collecti
„ gremio, de Matris Ecclefiæ ubere fluenta
„ doctrinæ falutaris haurirent. Tunc ipfi Ec-
„ clefiæ proveniret magnum, & defiderabile
„ falutare, tunc ejus uterus fobole geminata
„ concrefcerret, tunc Orientalibus orirerur
„ fupernæ iiluminationis aurora, tunc eis
„ clarefceret Lucifer veritatis; tunc per uni-
„ verfam Ecclefiam inundantis gaudii erum-
„ peret plenitudo, tunc exultatione nimia
„ clarefceret totus Orbis, quià valdè bonum
„ & jucundum exifteret, fratres fimul in Do-
„ mo Domini habitare; tunc eadem Eccle-
„ fia, multiplicata lætitiâ, novæ jucundi-
„ tatis canticum perfonaret.

1019 „ Verùm, quia nonnulli Græco-
„ rum jamdudum ad devotionem Sedis Apo-
„ ftolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt,
„ & intendunt, licèt & expedit, ut mores
„ ac ritus eorum, quantum cum Deo poffu-
„ mus, tolerantes, ipfos in Ecclefiæ Roma-
„ næ obedientia, præfervemus. Quanquam
„ in his, quæ animarum periculum parerent,
„ vel honeftati Ecclefiafticæ derogarent, nec
„ debeamus illis deferre aliquatenus, nec
„ velimus.

1020 „ Sanè inter Venerabilem Fratrem
„ noftrum Archiepifcopum Nicofienfem, &
„ ejus Suffraganeos Latinos ex parte una, &
„ Epifcopos Græcos Regni Cypri ex altera,
„ de quibufdam certis Articulis, difcordiam,
„ & turbationem fore fubortam, & eorun-
„ dem tenorem Articulorum, ac refponfiones
„ ipforum Græcorum ad illos, nobis, ut
„ meliùs poffemus inftrui fuper eis, plenè,
„ ac providè per tuas literas intimafti, fo-
„ licitè requirendo, ut providere fuper hoc
„ Apoftolicâ diligentiâ curaremus.

1021

1021 „ Nos autem literis ipsis affectuosè receptis, earum seriem, & ipsos Articulos ac responsiones easdem, & cætera quæ continebantur in illis, unà cum fratribus nostris perlegimus, & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes, ut deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

1022 „ Circà hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, ut Græci ejusdem Regni in unctionibus, quæ circa baptisma fiunt, morem Ecclesię Romanæ teneant, & observent. Ritus verò seù consuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel removeri non potest, cùm sive fiat, sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur. Nec refert etiam utrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cùm parem vim, & effectum in utraque baptismum habere, asseverare dicantur.

1023 „ Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi. Quoniàm soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis, in die Cœnæ Domini, possunt secundum formam Ecclesiæ, chrisma conficere, ex Balsamo quidem, & oleo olivarum: Nàm Spiritus Sancti donum in chrismatis unctione conferunt. Et Columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad Arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potiùs servare voluerint, videlicèt quod Patriarcha, unà cum Archiepiscopis & Episcopis ejus Suffraganeis, & Archiepiscopi cum Suffraganeis suis, simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

1024 „ Nullus autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ, unctione aliqua solummodò inungatur. Infirmis verò juxtà verbum Jacobi Apostoli unctio exhibeatur extrema. Porrò in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, vel tepidæ, in Altaris Sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur, dummodò credant, & asserant, quod servata Canonis forma, conficiatur pariter de utraque.

1025 „ Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam, usque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicèt ipsos communicent, non reservent. Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conservare; nè per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minùs habile ad sumendum: licèt veritas, & efficacia semper eadem omninò remaneat, nec ulla unquam diuturnitate, seù volubilitate temporis evanescat.

1026 „ In celebratione verò solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodò in confectione, vel consecratione, formam verborum à Domino expressam, & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur, Sacerdotes autem dicant horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquam Officium mattutinale compleverint, non præsumant.

1027 „ Promovendi verò ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur diligenter, si præcipuè de horis Canonicis, & Missarum Officiis, secundum distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi, ut ad hæc, nonnisi digni, & idonei admittantur.

1028 „ Cæterùm unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo Calice sacrificet, habens corporale de lino candidum, & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omninò.

1029 „ De jejunio verò diei Sabbati Quadragesimali tempore (quamquam honestiùs, & salubriùs Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut nec unico die institutum jejunium violarent) teneant, & servent pro libito morem suum.

1030 „ Sacerdotes quoque conjugati, & alii, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licitè ac liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis. Quia cui licèt, vel conceditur quod est majus, competit nimirum, nec negari convenit quod est minus. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, Viros alios idoneos coadjutores, & cooperatores habere, in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Ipsisque in his per eorum Diœceses, absque Sacerdotum ipsorum præjudicio, & gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem Diœceses officium suum exequi per se ipsos.

1031 „ De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mor-

„ mortale peccatorum, non est aliquatenus „ ambigendum, cùm tàm fornicarios, quàm „ adulteros à Regno Dei Apostolus asserat „ esse alienos.

1032 „ Ad hæc volumus, & expressè „ præcipimus, quod Episcopi Græci septem „ Ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de cætero conferant; cum hucusque „ tres de Minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic „ susceptis Ordinibus tolerentur.

1033 „ Quia verò secundum Apostolum, „ mulier mortuo viro, ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci „ non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potiùs illas approbent inter personas, quæ alias licitè ad invicem matrimonio jungi possunt. Secundò tamen nubentes, Presbyteri nullatenus benedicant.

1034 „ Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas „ contingentes se, juxtà eorum computationem; Octavo gradu, qui secundum computationem, & distinctionem graduum, „ quam nos facimus, apud nos quartus habetur, nè id præsumant, deinceps firmiter „ prohibemus. Districtè præcipientes, ut „ cum ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu, copulari ulteriùs non præsumant. Statutum in „ hoc Generalis Concilii observantes. Illos „ tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensativè permittimus in „ sic contracto matrimonio remanere.

1035 „ Denique cùm veritas in Evangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc „ sæculo, neque in futuro dimittetur ei: per „ quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti, quasdam verò in futuro sæculo relaxari, & Apostolus dicat, *quod uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, & cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* „ & ipsi Græci verè ac indubitanter credere, „ ac affirmare dicantur, animas illorum, qui „ suscepta pœnitentia, ea non peracta, vel „ qui sine mortali peccato, cum venialibus „ tamen, & minutis decedunt, purgari post „ mortem, & posse suffragiis Ecclesiæ adjuvari. Nos, quia locum purgationis hujusmodi, dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo, & proprio nomine indicatum, illum quidem, juxtà traditiones & „ auctoritates Sanctorum Patrum, Purgatorium nominantes, volumus, quod de cætero apud ipsos isto nomine appelletur. Illi enim transitorio igne peccata utique, non „ tamen criminalia, seù capitalia, quæ priùs „ per pœnitentiam non fuere remissa, sed parva, & minuta purgantur, quæ post mortem etiam gravant, si in vita fuerunt relaxata. Si quis autem absque pœnitentia in „ peccato mortali decedit, hic proculdubiò „ æternæ gehennæ ardoribus perpetuò cruciatur.

1036 „ Animæ verò parvulorum, post „ baptismi lavacrum, & adultorum etiam in „ charitate decedentium, qui nec peccato, nec „ ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, „ ad patriam protinus transvolant sempiternam.

1037 „ Ordinationes demum, & instituta regularia Sanctorum Patrum de vita, „ & statu Monachorum, præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inviolabiliter observari.

1038 „ Fraternitatem itaque tuam hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta „ mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati Regni, seriatim, & „ diligenter exponi facias, districtè ipsis injungens, ut ea solicitè attendere, studiosè tenere, ac efficaciter observare procurent, „ & à suis faciant subditis observari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi, & „ ejus Suffraganeis Latinis, firmiter auctoritate nostra præcipias, ut eosdem Græcos „ super præmissis contra hujusmodi provisionem, & deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores, eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus, si prædictis Archiepiscopo, & „ Suffraganeis, vel quibuscumque à Sede „ Apostolica sit indultum, quod interdici, „ suspendi, vel excommunicari non possint „ per literas Apostolicas plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes „ de indulto hujusmodi mentionem. Datum „ Laterani secundo nonas Martii, Anno XI. *Hactenus Innocentii literæ.*

1039 Circa *Græcos* porrò Generaliter emanarunt diversæ Summorum Pontificum Constitutiones. Pius namque IV. constitut. incipiente, *Romanus Pontifex*, data apud Sanctum Petrum die XVI. Febr. 1569. Græcos omnes existentes in Regno Siciliæ, & ultra Pharum, aliisque in locis, & Christiani nominis Civitatibus, qui ab Ordinariorum jurisdictione, sub prætextu diversorum privilegiorum se exemptos fore prætendebant; circa ea, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarumque salutem, & hæresum extirpationem concernunt, non obstante quovis asserto privilegio, jurisdictioni Ordinariorum subjecit Pius V. altera Constitutione incipiente: *Providentia Romani Pontificis*. Data Romæ apud Sanctum Marcum XIII. Kalen. Septembris Anno Domini 1566.

1566. revocavit omnes facultates Græcis ad quorumvis magnorum Principum instantiam concessas, Missas celebrandi, ac Divina Officia peragendi Latino ritu, Latinis quoque eadem præstandi Græco ritu. Gregorius XIII. ut habetur in Bullario Constit. 33. tradidit formam professionis fidei, à Græcis, qui Sanctæ Ecclesiæ reconciliari exoptant emittendæ. Item Clemens VIII. de Anno 1595. plura ad Græcorum instructionem à Sacra Congregatione super Græcorum reformatione ordinata, comprobata, & servari jussit, ut in Bullario Romano Constit. 34. Quorum capita breviter subjiciemus. Et sunt.

1040 Nè Presbyteri Græci baptizatos confirment.

Ut baptizati à Presbyteris Græcis, & ab eis consignati iterum, saltem sub conditione, confirmentur à Latinis Episcopis.

Ut Sacramentum quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, vel saltem quindecim renovetur.

Nè Sacramentum toto anno servetur, si verò servatum fuerit, sumatur.

Nè Sacræ Eucharistiæ in Cœna Domini misceatur oleum, aut alia res, ut species Sacramenti exiccetur, ut deinde asservetur.

Ut in casu necessitatis possint Græci Presbyteri Latinos absolvere, servata forma præscripta in Concilio Florentino, liberumque posteà sit eis dicere Orationem illam deprecativam, quam dicere solent,

Nè simul uxor, & vir eidem confiteantur Presbytero.

Ut Chrisma, quod solum ab Episcopo confici solet, ab Episcopis accipiant Catholicis: consecratum verò ab Episcopo Schismatico non accipiant, nec eo utantur.

Ut ordinati ab Episcopis Schismaticis, nisi sint dispensati à Sede Apostolica super irregularitate, etiam abjuratis erroribus, non exerceant ordines.

Nè Græci Latinis Episcopis subjecti ordinentur absque sui Episcopi dimissorialibus, ordinati verò sint suspensi, & si exerceant ordinem maneant inregulares, sicut Latini.

Ut Greci à Presbyteris Græcis baptizati, & confirmati non ordinentur ab Episcopo Latino, nisi priùs iterum ab eo, saltem sub conditione confirmentur.

Nè Matrimonia inter Græcos quo ad vinculum dirimantur: & si quæ soluta fuerint, pro irritis, & nullis habeantur, cogantur, que redire cum suis maritis.

Nè maritus Latinus ritum sequatur uxoris Græcæ.

Nè uxor Latina sequatur ritum mariti Greci.

Ut Græca uxor sequatur ritum mariti Latini, quod si fieri non possit, unusquisque in suo ritu Catholico remaneat.

Ut proles sequatur patris ritum, nisi prævaluerit Latina mater,

Ut Presbyter conjugatus, per hebdomadam, vel per triduum saltem ante Missæ celebrationem, se ab uxore abstineat.

Ut Græci teneantur credere Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, non teneantur autem, secluso scandalo, id pronunciare: nisi necessitas postularet confitendi fidem Catholicam.

Nè Græcis Monachis, seclusa necessitate, animarum cura committatur.

Ut Presbyteris Græcis, Catholicis tamen committi possit animarum cura in Græcorum Ecclesiis.

Ut toleretur in eis usus carnium die Sabbati præciso scandalo, & præcisè dum inter eos versantur. Et quod non obligentur tempore Quadragesimæ ad jejunium Sabbati, excepto uno Sabbato Sancto.

Ut jejunia indicta à Sommis Pontificibus pro Jubilæis, vel alia de causa, in quibus dies Sabbati esset inclusus, pro Græcis in alium diem transferatur.

Nè cogantur ad observantiam jejuniorum Latinæ Ecclesiæ Vigiliarum.

Ut Græci existentes inter Latinos cogantur ad servanda festa Latinæ Ecclesiæ.

Ut possint, si ita velint, sine altare portatili in suis Thronis celebrare, etiam sine corporalibus, si noluerint uti.

Ut aqua ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur. *Hæc sunt à Gregorio sancita*.

1041 Modò quæ sub Innocentio IV. gesta sunt in bello sacro, & pro recuperanda Terra Sancta, videnda restant: quæ quidem satis tristia fuère: nam anno secundo Innocentii Pontificatus, Domini MCCXLIV. Imperii Friderici XXV. Balduini Secundi Anno XVI. Indictione secunda, Chorasmini, qui rubri maris litora, qua Arabia ea parte erythræo sinu perfunditur, accolebant, excitati à Babyloniæ Soldano propter factam à Christianis cum Soldano Damasci treguam, ut aliqui ferunt, facta irruptione magno cum exercitu venerunt in Sanctam Civitatem, quam nemine resistente, occuparunt, exercentes in Christianos, qui illic remanserant omne crudelitatis Genus, nec in Christianos tantum, verùm, & ipsa Sacratissima Loca, quæ spurcissimè prophanarunt, nulli parcentes Sanctuario, ut Robertus Patriarcha, Apostolicæ Sedis Legatus, aliique Syriæ Præsules in literis datis ad Episcopos Angliæ apud Parisium ad hunc annum ennarrant: inquiunt namque post plura: „ Prænominati „ perfidissimi Israelitanam Civitatem intran„ tes, quasi populo destitutam, Christia„ nos, qui ibi remanserant, seque infra Ec„ clesiam Sepulchri Dominici receptarant, „ ante ipsum Sepulchrum eviscceraverunt uni„ versos, & decapitantes Sacerdotes, qui in „ Altaribus celebrabant, dicebant ad invicem.

Hic

„ *Hic effundamus sanguinem populi christiani,* „ *ubi vinum libaverunt ad honorem Dei sui,* „ *quem hic dicunt fuisse suspensum.* Meritò Nangius in lib. de Gestis Sancti Ludovici, hanc eandem narrans lugubrem Historiam, ait sacrum illud vaticinium tùnc fuisse impletum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum; posuerunt morticinia servorum tuorum bestiis terræ; effuderunt sanguinem tanquàm aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepelliret.*

1042 Subjungitur indè in præfatis literis: „ Insuper cum dolore dicimus, & cum „ suspiriis intimamus, quòd in Sepulchrum „ Resurrectionis Dominicæ, manus sacrilegas extendentes, illud multiplicitèr deturparunt. Tabulatum marmoreum, quod „ circùmcircà erat positum, funditùs evertentes; & Montem Calvariæ, ubi Christus extitit crucifixus, & totam Ecclesiam, ultra„ quàm dici valeat, in omni turpitudine, „ quantùm in se fuerat, fœdaverunt. Colum„ nas verò sculptas, quæ antè Sepulchrum „ Domini erant ad decorem positæ, sustule„ runt, illas in Christianorum contumeliam „ ad sepulchrum sceleratissimi Mahometi, in „ signum victoriæ, transmittentes; Et vio„ latis Sepulchris fœlicium Regum in eadem „ Ecclesia collocatis, eorum ossa in Christia„ norum injuriam dispersérunt; Montemque „ Sion reverendissimum sinè reverentia pro„ phanantes; Templum Domini; Ecclesiam „ Vallis Josaphat, ubi Beatæ Virginis est „ Sepulchrum; Ecclesiam Bethleem; & lo„ cum Nativitatis Domini, indignis relatu „ enormitatibus polluerunt, omnium Sarra„ cenorum nequitiam excedentes, qui licèt „ terram Christianorum sæpiùs occupassent, „ Loca Sancta utcumque veneranter confer„ vabant. *Hactenus ibi.*

1044 Hæc tamen non ità intelligenda sunt, quasi sepulchrum Domini in petra excissum à pavimento, sivè solo prominens, demolitum à Chorismanis fuerit, sed quod ea dumtaxàt, quæ ad ornatum exædificata circà illud fuerant, majori ex parte diruerint, & prophanaverint. Constat nàmque sacratissimum illud Tumulum intactum remansisse ex Dei speciali providentia; quoniàm longâ post ætatem Pater Bonifacius de Ragusio Sacri Montis Sion Guardianus, occasione resarciendi collabentem circùm circà structuram propriis oculis conspexit, prout ipse, cùm esset jàm Episcopus Stagni, in sua Epistola scripta, & data Anno Domini 1570. sub die 13. Maji apud Jacobum Gretserum, in Apologia pro Sancta Cruce testatur, ubi inter alia ait: „ Cùm igitùr ea structura so„ lò æquanda necessariò videretur, ut, quæ „ instauranda denuò moles erat, firmior sur„ geret, diuturniorque permaneret, ea di„ ruta, Sanctissimi Domini Sepulchrum in „ petra excissum nostris sese oculis apertè „ videndum obtulit, in quo Angeli duo de„ picti superpositi cernebantur, quorum al„ ter scripto dicebat: *Surrexit, non est hic*; „ alter verò Sepulchum digito notans: *Ecce* „ *locus, ubi posuerunt eum*; quorum Imagi„ nes, ubi primùm vim aeris senserunt, ma„ gnâ ex parte dissolutæ sunt. Cùm verò „ lamina una alabastri ex iis, quibus sepul„ chrum operiebatur, & quas Helena San„ cta ibi locaverat, ut super iis sacrosanctum „ Missæ mysterium celebraretur, necessitate „ urgente commovenda esset, apparuit no„ bis apertus locus ille ineffabilis, in quo „ triduo Filius hominis requievit, ut planè „ Cœlos apertos videre tunc nobis, & illis, „ qui nobiscum aderant, omnibus videremur. „ Erat locus sacrosancto Domini Jesu cruo„ re, unguento illo, quo ad sepultram un„ ctus fuerat, permixto, tanquàm fulgenti„ bus Solis radiis undequaque lucens, quem „ piis gemitibus, & spirituali quadam animi „ lætitia, & lacrymis excipientes, & con„ speximus, & deosculati sumus, sociis, qui „ præsentes aderant (aderant autem & Orien„ talium, & Occidentalium nationum Chri„ stiani non pauci) incredibili refertis Cœ„ lestis Thesauri devotione, aliis lacrymis „ profundentibus, aliis propèmodum exa„ nimatis, omnibus animi quadam esthasi „ obstupescentibus.

1044 „ In medio sacrosancti loci Lignum „ reperimus collocatum, ac Sudario pretio„ so involutum; quod cùm in manu reve„ rentèr suscepissemus, deosculatique fuisse„ mus, ubi primùm illud aeri expositum est, „ inter manus nostras Sudarium in nihilum „ abiit, nonnullis aureis filis ex illo solùm „ manentibus. Erant pretioso illi Ligno in„ scriptiones quædam adjunctæ, sed ità ve„ tustate corrosæ, & antiquatæ, ut nulla „ omninò integra ex illis verbis sententia „ colligi posset, quamvis ad caput cujusdam „ membranæ verba hæc Latinis literis ma„ jusculis legebantur, HELENA MAGNI. „ Undè, quamvis certò affirmare non possi„ mus, cujusmodi illud Lignum sit, non „ difficilè tamèn conjectari licèt, hoc illud „ ipsum sanctissimum Crucis Lignum esse, „ quod à religiosissima Regina Helena inven„ tum, & Hierosolymis ab eadem positum „ esse, sacris Historiis proditum est. *Hæc Pater Bonifacius*, qui & de perenni cultu Terræ Sanctæ lib. 2. testatur, se non universum Templum à fundamentis restaurasse, benè verò Sacellum Sepulchri, dùm ait: „ Ego po„ tui peroptimè scire, quià Corporis Do„ minici locum vidi, quandò sub Paulo IV. „ & Carolo V. sanctæ memoriæ Viris, sum„ ptibus Catholici Regis Philippi, à primis „ fundamentis ipsum sanctum locum instau„ ravi, & lucidissimis marmoribus decoravi. *Hæc ille.*

1045 Providentia itaquè Dei factum est, ut fati simus, quòd sacratissimum illud Sepulchrum, etiam sanctâ Civitate sub Barbarorum dominio constitutâ, illæsum servaretur. Sæpè namque legitur in sacris Annalibus captam à Barbaris Hierosolymam, Civitatem ipsam devastatam, nunquam tamèn legitur hoc sacrosanctum demolitum tumulum. Certè à Cosrhoe Persarum Rege capta primùm fuit, post suam sub Hadriano reædificationem, Anno Domini DCXLV. imperante Heraclio, sui Imperii Anno V. Bonifacii hujus nominis IV. Pontificatus, Anno VIII. indictione secunda; Crucem sanctam abstulisse, unàque cum Zacharia Episcopo in Persidem transtulisse, Christanos plurimos necasse, innumeros captivos fecisse, Civitatem ipsam igne conflagrasse produnt Scriptores, demolisse autem gloriosum Christi Sepulchrum, nemo asserit; nàm Theophanes Græcus Scriptor ait: „ Anno V. Imperii Heraclii cœperunt Persæ Jordanem bello, & Palestinam, „ & sanctam Civitatem, & multos in ea „ per Judæorum manus interfecerunt, idest, „ ut quidam ajunt, millia nonaginta. Isti „ enim ementes Christianos, prout unusquisque habere poterat, occidebant eos. „ Zachariam verò Hierosolymitanum Præsulem comprehensum, & pretiosa, & vivifica Ligna sanctæ Crucis cum multa prœda „ abduxerunt in Persidem. *Hæc ille*. Antiochus porrò Monachus Palæstinus deplorans hanc desolationem, Homil. 107. ait: *Debemus lacrymas profundere amaritudinis plenas: Primùm quidèm, quòd Civitas sancta incendio conflagrarit, Crux quoquè sancta Christi Dei nostri in Persidem transmigrarit*. Et in sua Exomologesi ad finem Homiliarum: *Ecce*, inquit, *Sanctuaria nostra hæc deserta; Civitas igni succensa est; populus in captivitatem abductus*. Dùm porrò scribit ad Eustathium Monachum, narràt à Modesto Monachorum Præfecto, qui loco captivi Patriarchæ Hierosolymitanam regebat Ecclesiam, biennio post excidium Civitatis restauratum fuisse sacratissimæ Resurrectionis Templum, igne & ipsum conflagratum: *Gratiâ enim plenus Spiritus Sancti*, ait, *Templa Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ quidèm barbarico igne conflagrarunt, in sublime erigit omni prorsùs dignâ veneratione, putà ædes Sanctæ Calvariæ, ac sanctæ Resurrectionis*. Cùm ergò solùm igne conflagratas ædes sacras, & ipsam Civitatem referant, sequitur apertè sepulchrum Domini in petra excissum, nequaquàm demolitum, eò magis, quòd nulla expressa facta sit de ejusmodi demolitione mentio.

1046 Anno posteà Domini DCXXXVI. Imperii ejusdem Heraclii XXVII. Honorii Papæ Anno XI. Indictione IX. eadem sancta Civitas biennio obsessa à Sarracenis, Duce Haumar eorum Principe, qui tertius à Mahomete pseudopropheta Sarracenis, & Arabis imperavit, per deditionem capta est, honestis concordatis conditionibus, & præcipuè, ut liceret Christianis liberè suam servare Religionem: Scribit nàmque Theophanes: *Haumar direxit aciem contrà Palæstinam, & obsidens sanctam Civitatem, biennii tempore, cœpit eam verbo. Sophronius nàmque Hierosolymitanus Summus Sacerdos verbum accipit ad totius Palæstinæ securitatem*. Villermus Tyrius lib. I. Histor. cap. 2. agens de hac eadem Arabum irruptione, ait: „ Ingressi ergò Arabes, terram habitationibus reperientes vacuam, majorem subjiciendi eam sibi repererunt opportunitatem. Sic ergò Urbem „ Deo amabilem, Hierosolymam videlicèt, „ paribus calamitatibus involutam comprehendentes, populo, qui in ea erat, modico „ ut eis factus tributarius extremis conditionibus deserviret, pepercerunt, permittentes eis suum habere Episcopum, & Ecclesiam, quæ, ut prædictum est, dejecta „ fuerat reparare, & Religionem liberè conservare christianam. *Hæc ille*. Undè constat hunc Barbarum, nec demolisse Sepulchum Domini, nec quidèm Templum ejusdem Sepulchri prophanasse. In Mesquitam tam verò reduxisse Salomonis Templum, ab eodem restauratum, innuit Theophanes, qui subjungit: „ Cùm Haumar sanctam Civitatem fuisset ingressus cilicinis ex Camelis, & sordibus vestimentis amictus, „ simulationemque satanicam ostentans, Templum exquisivit, quod Salomon construxerat, ad blasphemiæ suæ Oratorium construendum videlicèt. Hoc audiens Sophronius, ait: In veritate istud est abominatio desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stans in loco sancto. Multisque lacrymis hic pietatis propugnator „ christianam deflevit plebem. Dùm verò ille Haumar esset, rogavit eum Episcopus „ accipere Sindonem cum indumentis, & „ indui. At ille non patiebatur ea portare. „ Vix ergò persuasit his vestiri, donec sua „ lavarentur, & iterùm reddidit ea Sophronio, & vestitus est propriis. *Hæc Theophanes*.

1047 Clariùs Tyrius loco mox citato, inquiens: „ Dùm autem in eadem Civitate „ Princeps suprà nominatus moram faceret, „ cœpit diligentèr à Civibus percunctari, & „ maximè à Viro venerabili Sophronio ejusdem loci Episcopo (qui modesto piæ memoriæ jàm defuncto successerat) ubinàm „ esset locus, in quo Templum Domini fuerat, quod à Tito Romano Principe, cum „ ipsa Urbe dirutum fuisse legitur, qui ostendentes ei locum designaverunt, aliqua vetusti operis extantia vestigia demonstrantes; ubi sumptibus qui sufficere possent ad „ impensam designatis, & convocatis artificibus, subjecta pro votis materia, tàm ex „ marmorum diversitate, quàm ex lignorum

„ rum differentia multiplici, Templum ædificari præcepit. Quo posteà infrà modicum „ tempus, juxtà conceptum mentis fœlicitèr „ consumato, quale hodiè Hierosolymis esse „ dignoscitur, multis, & infinitis ditavit possessionibus, undè suppeterent facultates ad habenda perpetuò ejusdem sarta „ tecta, & vetera renovanda, & continenda „ luminaria per manum eorum, qui in eodem „ Templo deservirent.

1048 Illæsum ergò servatum fuisse Dominicum Sepulchrum sub hoc barbaro Principe constat paritèr ex eo, quod Anno Domini DCCXCIX. sub Leonis III. Pontificatu, Patriarcha Hierosolymitanus sacrosancti Sepulchri claves misit ad Carolum Magnum, ut liquet apud Baronium ad hunc Annum, sub num, 12. ubi legitur: „ Eodem paritèr Anno „ Patriarcha Hierosolymorum per suum Monachum misit ad Carolum Magnum sacrosancti Sepulchri Redemptoris nostri claves, „ quem dimittens ipse Carolus, Zachariam „ Presbyterum illi adjunxit, qui dona ad loca illa sancta deferret. *Hæc ibi*; ac relatum in Annalibus Francorum idem testatur Baronius, ubi & refert ex Capitularibus Caroli Magni lib. 4. in Appendice cap. 3. indictam à Carolo fuisse collectam in universo suo Regno pro restauratione Ecclesiarum Hierosolymorum. Extat nàmque in præfatis Capitularibus titulus: *De eleemosyna mittenda ad Hierusalem propter Ecclesias Dei restaurandas*, ut etiam videre est apud Labeum tom. 7. Concil. pag. 1177.

1049 Dirutum sacratissimum Templum, in quo sacrum hoc Tumulum asservatur, Judæorum dolo, præcipiente Soldano Babyloniæ, sivè Ægypti, Anno Domini MIX. imperantibus in Oriente Basilio, & Constantino, sui Imperii Anno XXXIV. clavum Petri Romæ tenente Sergio IV. sui Pontificatus Anno I. Indictione VII. scribit Glaber lib. 3. cap. 7. verùm ipsum sacrum Tumulum nequaquàm dirui potuisse, addit: „ Eo quoquè tempore, *ait*, ideft Anno nono post „ præfatum millesimum, Ecclesia, quæ apud „ Hierosolymam Sepulchrum cōtinebat Domini, ac Salvatoris nostri, eversa est funditùs jussu Principis Babylonis; cujus videlicèt eversionis occasio tale quod dicturi „ sumus cognoscitur exordium habuisse. „ Cùm enim de toto terrarum Orbe, ob insigne Dominicum memoriale, plurima fidelium multitudo Hierosolymam visitaturi „ pergerent, rursùs cœpit invidus Diabolus „ per assuetam sibi Judæorum gentem veræ „ fidei cultoribus venenum suę nequitię propinare. Erat igitùr hujus generis apud „ Aurelianensem Galliarum Regiam Urbem „ non modica multitudo, qui cæteris suæ „ gentis tumidiores, & immundi, atque audaciores sunt reperti. Hi deniquè nequam „ consilio inito, corruperunt quemdam datâ „ pecuniâ, videlicèt gyrovagum sub peregrino habitu, nomine Robertum, fugitivum utiquè servum Beatę Mariæ Melerensis Cœnobii: quem accipientes cautè miserunt ad Principem Babyloniæ cum hebraicis caracteribus scriptis Epistolis, pictaciolis ferri baculo insertis, nè quo casu „ potuissent ab eo divelli. Qui egressus detulit literas prædicto Principi refertas dolo, & nequitiâ; & quoniàm nisi celeriùs „ domum Christianorum venerabilem subverteret, sciret se in proximùm, Christianis Regnum illius occupantibus, omni penitùs dignitate carère. His verò Princeps „ auditis, protinùs furore arreptus, misit „ Hierosolymam de suis, qui prædictum funditùs subverterent Templum, qui venientes, fecerunt ut eis fuerat imperatum. Ipsum quoquè concavum Sepulchri tumulum ferri tuditibus quassare tentantes, minimè valuerunt. *Hæc ille*. Idem narrat Cedrenus, sed accidisse scribit Indictione VIII. meminit & Tyrius loco cit. licèt in Anno discrepet.

1050 Mansit ergò, eodem Scriptore teste, Divinâ protegente dexterâ, inter Templi ruinas, intactum sacrum illud tumulum; ut prosequitur post plura idem Graber, eodem anno: „ Divinâ propitiante clementiâ, „ cœpit mater ipsius Principis, videlicèt, Ammirati Babylonis, mulier christianissima, „ nomine Maria, reædificare Christi Templum, jussu ejus filii eversum, politis, & „ quadratis lapidibus; Nàm & Vir ipsius, „ quasi alter Nicodemus, pater hujus scilicèt, de quo præsens est sermo, habitus occultè Christianus dicitur fuisse. Tunc quoquè de universo Terrarum Orbe incredibilis hominum multitudo exultantèr Hierosolymam pergentes, domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera. *Hactenus antedictus Glaber*. Curopalata Scriptor Grecus scribit, idem Templum destructum iterùm ab Azizio Ægypti Soldano, cœptum posteà reædificari à Romano Imperatore, permittente filio Azizii jàm defuncti, consumatum posteà à Michaele: „ Cùm autem, *inquit*, Azizius Ægyptius furore correptus „ multa detrimenta Christianis intulisset, „ evertissetq; Templum Domini Jesu Christi „ Hierosolymis; deindè ipse quoquè turpissimè vitam finisset, ipsius filius è Romana „ quadam Captiva natus, concessit iis, qui „ vellent, Templum reædificare. Quod Imperator studiosè construere festinabat; sed „ mors, quæ illum occupavit, nè id perficeret, prohibuit. At successor ejus Michael „ ad exitum perduxit. *Hæc ille*.

1051 Anno verò MXCIX. quo sancta Civitas sub Duce Gotfrido à Crucesignatis capta est, repertum est intactum Dominicum Sepulchrum, intrà quod adhùc Deus quotannis die Sabbati Sancti, ante Dominicam Re-

Resurrectionis, grande illud operabatur miraculum, ut igne de Cælo emisso lampades emortuæ ibidem accenderentur. Cujus miraculi meminit Jacobus Gretserus tom.3. lib.2. cap.11. de Sancta Cruce; & apud eum Vespergensis ex relatione Hermanni Presbyteri; & Willelmus Malmesburiensis: Agunt etiam de eodem miraculo Joannes Catacuzenus in Apologia tertia contrà Mahometanos, Rodulphus lib.4. Histor. Et Urbanus Papa, hujus nominis Secundus, in Sermone quodam, habito in Concilio Claramontano, cujus verba inter alia sunt: *Nequè equidèm ibi Deus hoc annuatim prætermittit facere miraculum, cùm in diebus Passionis suæ, extinctis omnibus, & in Sepulchro, & in Ecclesia circumcircà luminibus, jubare divino extinctæ reaccenduntur.* Accedit & Jacobus Vittriacus in Historia Hierosolymitana, cap. 61. ubi agens de Dominico Sepulchro, ait: „ In quo loco Cor„ pus Domini prętiosum cum aromatibus „ honorificè sepultum, usquè in diem tertium „ requievit; die autem tertia resurrexit; in „ quo loco Sancti Angeli Mulieribus appa„ ruerunt; Milites autem Sepulchrum cu„ stodientes velut mortui effecti sunt; in quo „ etiam loco in nocte Dominicæ Resurre„ ctionis ignis sacer descendit de Supernis.

1052 Cæterùm ad comprobandam existentiam, & veritatem Dominici Sepulchri post captam à Crucesignatis sanctam Civitatem antefato anno, biennio adhùc post patratum à Deo idem miraculum, licèt secundo anno, nonnisi post multas preces, orationes, afflictiones, & processiones, & quidèm consueto tempore tardiùs, auctor est, & oculatus testis Fulcherius Carnotensis in libro de gestis Peregrinorum Francorum, sub Anno Domini MI. regnante Hierosolymis Balduino Primo, ubi de hoc Cælesti igne hæc scripto demandavit: „ Consuetudo est au„ tem, propter ignem cælestem, qui ad Se„ pulchrum Dominicum unoquoq; anno de„ scensibilis cœlitùs, nutu divino in lampa„ dibus, in vigilia Paschæ solet accendi; ut „ quicumque intrà Monasterium illud san„ ctissimum inesse possint, die illo toto ipsius „ vigiliæ supplicationi, & orationi vacantes, „ lumen illud à Deo mittendum, devoti cun„ cti expectent. Et cùm die illo Basilica illa „ sanctissima de tanta gente plenissima existe„ ret, circà Tertiam missum est à Patriarcha, „ Officium diurnum à Canonicis incipi. „ Tunc Lectiones lectæ sunt alternatim, „ priùs Latinus latinè, posteriùs Græcus „ græcè identidèm, quod Latinus legerat „ Pulpito relegit. Officium quippè sic eis „ explentibus, antè horam paulisper nonam, „ cœpit unus de Græcis, à parte una Mona„ sterii pro more prisco, voce altisona *Kyrie„ leison* exclamare; cui statim cuncti, qui „ aderant, modo simili eundem cantum re„ sponderunt. Ego autem *Fulcherius*, qui „ nunquàm hujusmodi symphoniam audie„ ram, multique alii tumultui huic laudifluo „ moderni, oculis sursùm erectis, cordibus „ compuncti de terra surreximus, & lumen „ aliquod alicui in Ecclesia lampadi accendi „ speravimus; Sed cùm sursùm, ac deorsùm „ hàc & illàc humillimo corde intueremur; „ quià nondùm venerat non id vidimus. Cùm „ autem voce trina Græco prædicto, *Kyrie„ leison* inchoante, cæteri omnes idem excla„ mando respondissent, siluerunt; & continuò „ Canonici Officium suum jàm incœptum „ decantaverunt.

1053 „ Interim devoti expectabamus „ ignem sanctum, qui horam circitèr nonam „ advenire ritu solebat. Nec multò post, „ sicut primitùs, *Kyrieleison* decantatum fue„ rat, sic vice secunda repetitum fuit; nos„ que sono tanto concitati illam precem lau„ difluam præconi eam inchoanti voce celsa „ omnes respondimus. Et cùm ignem opta„ tum pleriquè tunc venisse speraremus, cùm „ non venisset, silentio requievimus; Clerici „ autem lectiones, & tractus diurnos ceci„ nerunt. Cùm verò hora nona jàm transis„ set, vice trina voce sublimi, *Kyrieleison* re„ petitum est: Tunc Patriarcha noster sum„ ptis claviculis, reseravit ostium Domini„ ci Sepulchri, & introgressus, cùm lumen, „ quod desiderabamus, non inveniret, mòx „ antè ipsum sacrosanctum Sepulchrum sup„ plex adorandum, flendo se prostravit, po„ scens omnipotentis Dei misericordiam, ut „ ignem olim consuetum, à populo suo sup„ plicante tàm desideratum, emittere digna„ retur. Nos quoquè cuncti, *Kyrieleison* al„ tè concrepante, Domino supplicabamus, „ expectantes, quòd Patriarcha, dicto Se„ pulchro regrediens, lumen, ut speraba„ mus inventum, à Domino missum, nobis „ omnibus manifestaretur: Sed cùm illic diù „ preces suas plorando fudisset, & quod po„ scebat non impetrasset, tristissimus ad nos „ indè exiens, ignem non invenisse monstra„ vit: quo comperto, perterriti, & contrista„ ti valdè sumus.

1054 Deindè post plura enarrata, subjungit, quomodò jàm imminente nocte, igne nondùm veniente, præceperit Patriarcha, cunctos de Ecclesia exire, & Monasterio, vacuo Templo per totam noctem remanente; & quomodò manè facto ipso die Resurrectionis Dominicæ, indictâ generali processione, Clerus, & major populi pars, Rex, & Proceres, nudis incedentes pedibus, ad Templum Salomonis oraturi profecti fuerint. Posteà addit, inquiens: „ Dùm autem in Templo illo „ Dominico gens nostra sic oraret, in Mo„ nasterio Sanctiss. Sepulchri similitèr Græ„ ci, & Syri, qui ibi remanserant, non mi„ nùs idem Sepulchrum cum processione sua „ circùmgirantes, orationi vacabant, qui „ præ nimio dolore genas suas, & capillos

suos

„ suos ululando decerpebant. Cùm ergò po-
„ pulus noster oratione sua in Templo ex-
„ pleta, ad Ecclesiam Sanctissimi Sepulchri
„ rediisset, antequàm januas introisset, nun-
„ ciatum est Patriarchæ, & cæteris, ignem
„ desideratissimum, jàm in lampade unà antè
„ ipsum Sepulchrum, cœlitùs gratiâ Dei ac-
„ censum fuisse; quem propiùs astantes per
„ fenestras quasdam rutilare jàm viderant.
„ Quod cùm Patriarcha audisset, quantò
„ citiùs potuit, illùc lętus properavit; & cum
„ de claviculis, quas in manu sua gestabat,
„ ostium Sepulchri reserasset, confestim vi-
„ dit ignem in lampade, quem tàm præopta-
„ verat, splendere. Qua de re valdè lętatus,
„ primitùs antè sanctum Sepulchrum gratias
„ Deo reddens, se humilitèr prostravit; po-
„ steà verò accenso illic cereo uno, foràs re-
„ vertens, divinum lumen omnibus mani-
„ festavit, quod cùm videremus, qui adera-
„ mus omnes, *Kyrieleison* cum lacrymis ex-
„ clamantes, gaudio magno gavisi sumus; &
„ quantò dolueramus, tantò magis tunc de
„ miraculo exultavimus. *Hactenus Fulcherius*, addens paulò posteà, cœlesti igne duas alias Ecclesiæ lampadas accensas, indè universas alias, quæ illic aderant: „ Deniquè
„ Rex, & alii, *subjungit post aliqua*, cum
„ eo nos subsecuti sunt; & cùm in Ecclesia
„ retroissemus, vidimus illicò ignem, de
„ quo fatum erat, divinitùs in lampadibus
„ accendi, & catervatim unicuique lampadi
„ accensæ, plebem astare cum cereis suis, vel
„ accendendis, vel jàm accensis, jubilantem
„ Deo in voce exultationis. *Hæc Fulcherius.* Idem narrat Erimandus Presbyter apud Vespergensem suprà citatum. Ab antiquo temporum in sacratissimo illo loco patratum tantum miraculum, testatur Malmesbariensis, qui ait: „ Legi ego in scripto Bernardi Mo-
„ nachi, quòd ab hinc annis ducentis quin-
„ quaginta, ideſt, Anno Incarnationis octin-
„ gentesimo septuagesimo, idem Hierosoly-
„ mam profectus, illum ignem viderit, ho-
„ spitatusque fuerit in Xenodochio, quod
„ idem gloriosissimus Carolus Magnus con-
„ strui jusserat, ubi & Bibliothecam ingentis
„ expensæ compegerat. *Hactenus ille.*

1055 Cæterùm, occulto Dei judicio, cessavit hoc portentum, causis fortasse cessantibus, quibus permotus Deus, illud operabatur vel ità peccatis exigentibus. Sed quid egit humana malitia? Simulavit miraculum, quod Deus non fecit; simulatque adhùc ad simplicium deceptionem. Græci nàmque præcipuè, Armeni quoquè cum eis juncti, hunc ignem adhùc de Cœlo descendere eàdem die fingunt, tempore, quo ipsi Pascha celebrant; nàm sæpè post nostrum Pascha suum celebrant schismaticæ nationes, licèt aliquandò incidat cum nostro. Sed quomodò se disponant pro tanto, ac sublimi favore cœlitùs recipiendo, & quid agant, videamus. Ego ipse ocularis testis, non quæ audivi, sed quæ propriis conspexi oculis referam. semel tantum vidi, Anno Domini MDCCX quo, cùm nostrum Pascha incidisset cum illo Græcorum, causà peragendi sacra detinebar in præfato Sacratissimi Sepulchri Templo, dolens vidi, nec sine lacrymis tantum facinus spectare potui: & ità abhorrui, ut de cætero præfato tempore, quo ipsi suum Pascha celebrabant, nec accedere volui.

1056 Itaquè die Parasceve absolutis à nobis sacris functionibus post horam tertiam, aperiuntur Templi Januæ, & universa Schismaticorum Turba cujusvis nationis, tam peregrinorum, quàm incolarum ingreditur, non sine tumultu, & strepitu, parùm aut nihil majori ex parte adorantes, incipiunt circumcirca sacratum tumulum cursitare, ac choreas ducere, continuato cursu usque ad horam Officii tenebrarum, quod à nobis ante præfatum Sacratum tumulum celebratur. Tunc cursitare quiescunt, nec aliud illo die agunt, cum usque ad noctis tempus potrahatur à nobis officium: indeque quædam pia sequatur processio, qua omnia ejusdem Templi Sanctuaria visitantur, habeanturque & sermones aptati ad mysteria, quæ in præfatis Locis peracta sunt, unde nonnisi circa sextam horam noctis absolvitur: quando omnes qui in Templo manent, super nudam terram se sternentes, quietem aliquam sumere procurant.

1057 Die porrò magni Sabbati, absolutis pariter à nobis Divinis Officiis, iterùm cursitare incipiunt, & Choreas ducere, ut die antecedenti, sed majori cum strepitu, ac tumultu. Inter hæc verò vidère est quosdam alios super humeros portantes, qui verò portantur stantes & dextera manu benedictionem dantes populo, alios verò brachiis sedile efformantes, & super sedile sedentem, adstantibus hinc inde aliis cum flabellis, ac si sedens Patriarcha esset, qui & more Patriarchali benedictionem pariter largiri ostentat. Hinc cachinni, hinc risus, hinc voces scommmaticæ, hinc strepitus. Eo anno pigmeum quemdam gibbosum de Lidda, sic portatum circumcirca Sepulchrum vidi, qui ad risum magis provocabat: & quotiès ante Januam Sacratissimi Sepulchri transire ci contingebat, manibus plaudebat, nonnulla arabico idiomate verba proferens. Talis est eorum dispositio, & ità se præparant ad ignem, ut vocant sanctum, recipiendum: Nec cessant sic se gerere donec adveniat præfixum tempus, quo extrahatur è sacri tumuli sacello ignis, prætensus, qui à duobus Episcopis populo ostenditur. Quomodo porrò in ignis accensione se agant, sicut vidi ex parte, & ex parte audivi referam.

1058 Circa horam sextam illius diei luminaria omnia in universo Templo extinguntur, & nos quoque cogimur, & nostra extin-

tinguere, vi tamen, non voluntate, quibus extinctis, unus ex Græcis Monachis Sanctuarium ingreditur ad lampades intus ardentes extinguendas, inde egreditur, & clauditur ostium, & nemini ampliùs permissus est ingressus, januam custodientibus Turcis. Paulò ante horam nonam ante prædicti facelli januum duo se præsentant Episcopi, Græcus unus, alter Armenus (antiquitùs erant duo Abyssini) stantes ibi ante eam usque ad horam nonam, qua adveniente aperitur ostium, & ingrediuntur, ingressis verò statim à custodibus clauditur. Tunc verò universus populus turmatim accedit propè antefatum ostium expectans, ut ab Episcopis prædictis afferatur ignis; illi verò paulisper quasi oraturi inclusi remanent, inde aperto ostio egrediuntur habentes in manibus fasciculum accensarum candelarum. Armenus Episcopus cursitat ad suos Armenos, nec permittit aliquem via candelam accendere. Græcus verò extra ostium consistens, ex eo fasciculo sinit alios suas accendere candelas, non sine strepitu, & confusione: nam quilibet agit, ut priùs alio lumen accipiat. His peractis, & universis accensis luminibus, fit primum circumcirca sacrum tumulum à Græcis hymnos cantantibus processio; inde pari modò post Græcos fit ab Armenis. Quibus absolutis in eodem Templo ova rumpunt, & comedunt; ac jejunium solvunt.

1059 At modò, unde extinctis in facello luminibus lumen hauriant, restat scire: & hoc est illud quod ex parte audivi, nam conspicere non potui. Pater noster Quaresmus lib. 5. elucid. Terræ Sanctæ cap. 33. §. 1. ubi de hoc igne diffusè agit: scribit duplici modo ignem, qui in Sacello clausi sunt, Episcopos, suaque ætate Abyssinos, extrahere, vel ex pruna in vasculo æneo, nonnullis spiraculis perforata inclusa, vel ferro ex silice; quoniam qui sunt extra, ferri percussiones, & cum silice collisionem audire non possunt propter magnum strepitum, Cymbalorum, tyblarum, tympanorum, & vocum, quem faciunt nationes illæ. Et hoc ostendit nonnullis exemplis. Nam ait, quod Anno 1615. instrumentis ad excutiendum ignem non rectè aptatis, cùm plus solito illi in Sancto Sepulchro manerent, nec ignem deferrent, Turcæ moræ impatientes, aperto hostio fustibus eos ceciderunt, & ingresso puero Græco, excusserit: Illis excusantibus eo anno ignem Deum non misisse propter mulieres mestruatas tunc in Templo existentes. Addit porrò, quod cum secunda vice functionem hanc vidisset, quidã Catholicus, soluta Turcis pecunia, post Episcoporum egressum, statim ingressus sulphureos reperit ligniculos, ac eos detulit. Hæc sua ætate. At modò ut ego accepi, aliter res se habet: quoniàm ad ea omnia vitanda, quæ accidere possunt si extraherent è silice ignem: & nè statim ingredientibus fator sultõ sulpureus dolum ostendat, non silice ignem extrahunt, nec ex pruna, ut supra asservata, sed ex una vel altera ex lampadibus, quas in interiori facello accensas relinquunt. Cùm enim eo in loco ardeant semper fere lampades quadraginta, quæ propter loci angustiam taliter sunt dispositæ, ut una alteram tangat, in ea lampadarum spissitudine, duas saltem vel tres in medio aliarum, ut minus lumen ex altero proximo facello videri possit, accensas relinquunt, ex quibus inde ignem hauriunt, sive candelas accendunt: Cum enim statim ac egreditur ille, qui ad lampades extinguendas ingressus fuerat, ostium claudatur, neminique pateat ampliùs accessus, ut præfati sumus, nemo ex iis qui foris sunt, lumen illud videre potest. Sed non ita latet Turchas custodes, qui ex ostii aperitione optimè advertunt: & eo anno quo ego vidi, unus ex Custodibus mihi, & aliis mecum stantibus Religiosis retulit, tres lampades remansisse accensas.

1060 Denique à diversis Armenis familiaribus, præcipuè ab Episcopo Damasceno, Stephano moram Hierosolymis faciente, accepi, hanc esse deceptionem, Monachos scire fere omnes, verùm propter plebem, & peregrinos esse silendum, nec eis aperiendam deceptionem, nè impediatur peregrinatio: quoniàm non tantum propter veneranda Sacratissima Loca iter assumunt, quantum propter ignem sanctum: quo sublato prorsùs cessaret tantorum hominum peregrinatio ex Perside, Armenia, Thracia, aliisque valdè distantibus regionibus advenientium; sicque, & cessarent eleemosynæ, privarentur sussidio, nec haberent unde tributa solvere, & Avanias. Et cum peregrinorum adventus maximum afferat & Turcis proventum, nec ipsi Turcæ permitterent, ut hujusmodi aboleretur consuetudo, etsi optimè sciant esse deceptionem, & ut talem deprædicent; maximè privati, qui nullum habent ex peregrinis proventum.

1061 Nonnullas porrò superaddiderunt ex eo igne superstitiones, asserunt namque, utpotè cœlestem non comburere; experimentum faciunt leviter admovendo atque brachiis applicando, pectori, barbæ, & aliis corporis partibus, citò submovendo, nè tempore suam naturalem experiantur actionem; licèt sæpè accidat quosdam experiri: & me spectante, Episcopus Græcus, qui lumen extraxerat, dùm, ut fati sumus, aliis ad ostium stans dispensabat, cum haberet candelarum accensarum fasciculum brachio alligatum, ex nimio Templi calore, ac etiam ex eadem candelarum flamma, ex parte iisdem candelis inclinatis, ac etiam ex ejusdem brachii agitatione relaxata aliqualiter ligatura, flamma ad brachium, atque manum delapsa, cunctis videntibus, cum vim ignis experiretur, excusso pluries, & citò fortiter brachio, candelas

las illas projecit super adstantem sibi tumultuantem plebem.

1062 Porrò nonnullas ex vili lino, ac parvi prætio indusia faciunt, quæ fumo præfatarum candelarum consignant diversis in locis, crucis figuram hinc inde effigiantes: quas inde peregrinis dcculpo plus vendunt, simplicem decipientes plebem, cùm fateantur, quotquot eo induenti indusio mori contingat, aut saltem sepeliri, tutos de sua esse salute, damnarique minimè posse: undè nemo ferè est ex peregrinis, qui tale non emat indusium, ex quo maximum proventum, Monasterium Græcorum præcipuè, & Monaci retrahunt. Aliud porrò impium disseminant dogma, ut in Schismatis errore, ac in aversione, & odio contrà Latinam Ecclesiam plebem confirment: asserentes, atque docentes, ignem hunc in Græcorum dumtaxat Pascha à Deo cœlitus mitti, minimè in Latinorum Pascha, ut eo supercælesti signo, & annuo miraculo, ostendat Græcorum Ecclesiam veram esse, ac sibi acceptam, nequaquam Latinam, quam ex hujus miraculi, atque beneficii privatione, falsam, & à se repudiatam patenter demonstrat. En in quot errores, & mala incidunt ex hoc uno simulato igne miseri, & infidi Schismatici? Sed de hac re satis: Reliqua prosequamur, quæ desunt ad ostensionem existentiæ Sacratissimi Sepulchri.

1063 Anno ergò Domini MCLXXXVII. Pontificatus Urbani III. Anno III. & ultimo, Friderici Primi Imperatoris Anno XXXIII. Isaaci Angeli Anno II. Indictione v. Iterùm à Saladino Soldano Ægypti per deditionem capta est Sancta Civitas IV. Kalendas Octobris, ubi ingredientibus Sarracenis, prophanata utique fuere Templa, non tamen demolita, ut Scriptores, qui præsentes aderant, referunt. Terricus enim Templariorum equitum Magister, de Salomonis dumtaxat Templo in Mesquitam verso, & de Cruce in opprobrium data mentionem facit in literis datis ad Regem Anglorum: inquiens: „ Saladinus Crucem de Templo Domini deponi „ fecit, & eam per duos dies per Civitatem „ in ostentum fustigando portari fecit. Deinde fecit Templum Domini aqua rosata, intus, & exterius, sursum & deorsum lavari, & legem suam desuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. *Hæc ille*. Conradus verò filius Marchionis Montisferrati, in literis datis ad Archiepiscopum Cantuariensem, fœdatum dicit Dominicum Sepulchrum, nequaquam demolitum. *Periit enim*, inquit, *Hierosolyma*, *& inertia Christianorum à Sarracenis vilissimè pertractatur*. *Fœdant namque Dominicum Sepulchrum*, *destruunt Calvariæ Locum*, *Nativitatem Christi contemnunt*: *& B. Virginis eradicant Sepulchrum*. Sed Marinus Sanutus lib. 3. Fidel. Cruc. parf. 9. Cap. 6. Nec fœdatum Sepulchrum scribit, sed nè pollueretur à Surianis multo auro redemptum: „ Intrantes igitur, „ *inquit*, Sarraceni innumeri, loca Sancta „ prophanant; in Ecclesiis cæterisque locis „ Deo dicatis, equos stabulant, & turpia „ quæque agunt: Ecclesiam quoque Sancti „ Sepulchri multo auro nè polluatur, redimunt Suriani. *Hæc ille*. Et concordat „ cum iis, quæ Terricus Templariorum Magister in præfata data ad Regem Angliæ Epistola scribit, dum ait: *Sciatis quod Hierusalem cum Arce David reddita est Saladino. Syrii autem habent custodiam Sepulchri usque ad quartum diem post festum Sancti Michaelis*. Quod porrò scribit Conradus de eradicato Beatæ Virginis Sepulchro, non est ita intelligendum, quasi omninò demolitum, sed fortè quod eversum fuerit externum ejus ornatum: quoniàm hoc Sepulchrum marmoreum est, ac in rupe solo ipso hærenti excisum, à Christianis sacello inclusum: unde verosimile est ipsum sacellum radicitus eradicatum, totum namque sacellum, vulgò Sepulchrum appellari in more est. Extat adhuc præfatum Sepulchrum, quod à peregrinis piè visitatur, ac magna, ut par est, veneratione habetur.

1064 Anno verò MCCXIX. sub Honorio III. Romano Pontifice, sui Pontificatus Anno III. Indictione VII. obsidentibus crucesignatis Damiatam, in hujus obsidionis vindictam Conradinus Saladini filius Damasci Soldanus, Sanctæ Civitatis muros, intus, forisque, Turres quoque ejus, ac præcipua ædificia demolitus est, solo Domini Templo, & Davidis arce, necnon Domini Sepulchro exceptis, quod licèt evertere cogitasset, non tamen præstit: ut Godefridus illius ævi scriptor in suis refert Annalibus, inquiens: „ Regina Civitatum Hierosolyma, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa „ est; à Corsdino filio Saladini, foris & intus muri ejus cum Turribus redacti sunt in „ acervos lapidum, præter Templum Domini, & Turrim David. De glorioso Sepulchro destruendo consilium habuerunt Sarraceni, & per literas comminati sunt, quas „ Civibus Damiatæ miserunt, ad ipsorum „ solatium, sed nemo huic temeritati præsumpsit manus apponere, propter loci reverentiam. *Hæc ille*. Sic pariter integrum & intactum repertum est, Anno Domini MCCXIX. quando à Soldano Ægypti, licèt perfidis conditionibus, de quibus supra, eadem Sancta Civitas Friderico II. Imperatori tradita fuit, ut suo loco in superibus à nobis relatum est. Mansitque sub Christianorum custodia usque ad Annum Dom. MCCXLIV. quo à Chorasminis iterùm capta est, & Sacratissimum illud Locum licèt prophanatum, ut fati sumus, non tamen legitur fuisse demolitum: Ipsis porrò abeunctibus Chorasminis, nihil adversùs sacrum illud tumulum actum ab infidelibus est memoriæ proditum.

Nec ipsi Chorasmini diù terram occupatam, vel etiam Civitatem retinuere: quoniàm ut notat Marinus Sanutus lib. 3. par. 12. Cap. 1. divisi inter se, à cultoribus Terræ adeò læsi fuere, donec infra triennium totaliter repulsi fecedere coacti fuerint.

1065 Prævaluit ergò Soldanus Ægypti, qui iterùm universa occupavit, & quæ in Syria sub Christianorum potestate adhuc munitiones erant, sibi subjecit, Anno scilicèt Domini MCCXLVI. ut notat Jordanus in Chronico M.S. apud Raynaldum ad hunc annum, num. 51. ubi sic Jordanus, ait: „ Eodem „ Anno Soldanus Damasci à Soldano Alipiæ „ fratre incarceratur. Hæc audiens Soldanus Ægypti veniens occupavit Damascum, „ Calamelam, & Maubeth. Deinde Christianorum terram percurrens, omnia monumenta nuper erecta per Regem Navarræ, „ Comitem Brittaniæ, & Comitem Cornubiæ dejecit. *Hæc ille*. Idem scribit Sanutus loco mox citato, inquiens: „ Post hæc „ Soldanus Damasci à Soldano Alipiæ bello „ superatus, carceri mancipatur: quod audiens Soldanus Ægypti, cum magno exercitu veniens cœpit Damascum, Calmelam „ quoque, & Mahubet: Deinde Christianorum terras percurrens, castrum quod „ Tyberiade firmatum erat, Deinde Ascalonem, multasque munitiones, quas reparaverat Rex Navarræ, Comes Brittaniæ, & „ Comes Cornubiæ, ille destruxit. *Hactenus Sanutus*. Et hoc eodem tempore eosdem Sarracenos in universum Sanctam Civitatem, licèt à Chorasminis penè eversam, occupasse certum puto, quoniàm nullibi proditum legitur, post ejusmodi Charosminorum eversionem in Christianorum possessionem devenisse.

1066 Inter hæc verò, Anno Domini MCCXLVIII. Innocentii IV. Pontificatus Anno VI. Friderici Secundi Imperii Anno XXIX. Balduini autem Secundi Anno XX: Indictione VI. Sanctus Ludovicus Francorum Rex, accepta Cruce magnis cum copiis, iter est aggressus in Syriam, appulitque ad Cyprum Insulam, mense Septembris circa festum Sancti Matthæi, ut Anonymus quidam scriptor in Chronic. Reg. Francorum scribit, inquiens: *Rex Ludovicus sexta Feria à Pentecoste iter transmarinum suscepit*. Et item. *Die quinta, & vigesima Augusti Rex cum suis in navim ingressus biduo sustinuit ventos adversos. Vigesimo octavo Augusti die à portu solvens, Christo Duce, prosperè navigans, paulò ante Beati Matthæi ferias, noctè ad Cyprum appulit*, Marinus Sanutus supra citatus agens de hac Sancti Regis expeditione, ait: „ Post Crucem acceptam, dispositis pro se, & regno negotiis, mittit ante faciem suam, qui in Cypro victualia, & opportuna quæque præparent. Ipse verò „ MCCXLVIII. XXVIII. Septembris, ad „ Insulam Cypri applicuit. *Et post pauca*: „ Longa in Cypro, *ait*, mora contracta, „ MCCXLIX. die xv. Maji, Rex de Limisso versus Damiatam properat; & quarto „ die Junii, ante Civitatem exercitus in Ancoris stetit. *Hæc ille*. Qui & prosequitur enarrare quomodo territi Sarraceni, capta fuga, Damiatam in manus Christianorum liberam dimiserunt: capta Diamata, inquit auctor de gestis S. Ludovici: „ Legatus Pontificis cum Patriarcha Hierosolymitano, „ cum Archiepiscopis, Episcopis, & magna „ parte eorum, qui convenerant; itemque „ Ludovicus Rex cum permultis aliis, nudis pedibus præsente Rege Cypri cum non „ paucis nobilibus, in Urbem ingressi sunt. „ Cùmque Legatus ædem quamdà prophanatam reconciliasset, & gratias egissent Deo, „ in honorem Sanctissimæ Matris Dei ab eodem Legato Sacrificium oblatum est. Rex „ autem constituit, Deo bene volente, illic „ Canonicorum instituere Collegium, qui „ Domino servirent. Capta est Damiata, „ quam alii Eliopolim vocant; anno ab orbe „ redempto MCCXLIX. *Hæc ille*.

1067 Verùm, occulto Dei judicio, & fortasse, sic exigentibus peccatis, non multò post, imò infra eundem annum iterùm amissa est, devenitque sub Sarracenorum dominio, priùs ipso Rege Ludovico, unà cum duobus fratribus aliisque nobilibus, capto: Etenim tacto exercitu Regis ab Epidemico morbo, major pars militum sublata est, & pauci qui remanserant ex victualium penuria penè deficiebant: Cumque Rex attenta præfata penuria, non valens cum paucis Sarracenorum sustinere multitudinem, dùm Damiatam repetere curat, propè Sarmosac oppressus, à prædicta multitudine captus. Ità illius ævi Scriptores. Auctor Anonymus de gestis S. Ludovici, ait: „ Post dies aliquot in Castra eorum (*puta Sarracenorum*) venit Sultani Ægypti filius: jam enim pater ejus obierat. Quæ res auxit animos Sarracenorum. „ At Christianorum res, occulto Dei Omnipotentis judicio, deteriores reddebantur, multis eorum morbo assumptis, ita „ ut ex triginta millibus, vix millia sex superessent. *Hæc ille*. Prosequens postea enarrare Regis capturam. Sed audiamus Marinum Sanutum qui lib. 3. par. 12. cap. 3. compendiosè sic rem enarrat, inquiens: „ Venerunt ex tunc Christianis omnia contra votum, & pestilentia, & fames: nam quilibet penè lugebat mortuum, vel infirmum, „ & grassabatur infirmitas in homines, & jumenta. Impediebant quoque galeæ Sarracenorum transitum victualium: Duas enim „ Caravanas successivè acceperant. Quinta „ proinde die Aprilis, Rex Ludovicus victualium penuriâ constrictus, ad sua Castra retrocessit, ut ad Damiatam rediret; „ & relicta ipso die platea, cum pervenisset

ad

„ ad quoddam Caſale, vocatum *Sarmoſac*,
„ tunc tanta ſe Sarracenorum multitndo cir-
„ ca Chriſtianos infudit, ut ipſorum impe-
„ tum ſuſtinere non poſſent. Capiturque Rex
„ cum duobus fratribus, & exercitus mul-
„ titudo per terram, & per fluvium occidi-
„ tur, capitur, concrematur: totus tandem
„ exercitus Chriſtianus Sarracenis ſubiici-
„ tur. *Hactenus Sanutus*.

1068 Egrotaſſe, & graviter ipſum Regem
„ dum captus fuit, ac inde per medicos à
„ Sultano miſſos curatum, ſcribit Godefri-
„ dus è Belloloco in vita S.Ludovici, in-
„ quiens: „ Deniquè non ſilendum eſt, quod
„ quando ipſe Rex captus fuit graviter ægro-
„ tabat illa mortifera generali infirmitate,
„ qua maxima pars exercitus illis diebus eſt
„ defuncta; ita quod de vita ipſius modi-
„ cum ſperabatur. Sed eo capto, providen-
„ te ipſo, qui diligentibus ſe omnia coopera-
„ ri facit in bonum, Soldanus per medicos
„ ſuos, qui meliùs quàm noſtri noverant ar-
„ tem curationis infirmitatis hujus, fecit cu-
„ ſtodiri diligentiùs, & ſanari: & omnia ne-
„ ceſſaria quæcumque Rex petiiſſet, abun-
„ danter, & curialiter miniſtrari: ita quod
„ de ipſo, atque de ſuis potuit vere dici:
„ *Et dedit eos in miſericordias, in conſpectu om-*
„ *nium, qui ceperant eos*. Hæc Godefridus.
Cæterùm ex literis ejuſdem S.Ludovicis da-
tis Prælatis, Baronibus, Militibus, Civibus,
Burgenſibus, & univerſis in Regno Franciæ
conſtitutis, incipientibus: *Ad Dei & glo-*
riam Divini Nominis, ex Accone, menſe Au-
guſti Anni Domini MCCL. præfata omnia
confirmantur. Extant hujuſmodi literæ in
opere cujus inſcriptio: *Geſta Dei per Fran-*
cos, poſt hiſtoriam Oliverii Scholaſtici, de
captione Damiatæ: In eis namque literis in-
ter alia ſcribit.

1069 „ Elapſis aliquot diebus adventa-
„ vit apud Maſſorum Soldani filius veniens de
„ partibus Orientis: in cujus adventu tympa-
„ nizantes, & lætantes Ægyptii receperunt
„ eum ad Dominum: & ex hoc augmentata
„ eſt eorum non modicum fortitudo. Unde
„ apud nos poſtmodum, neſcimus quo Dei
„ judicio, omnia noſtris deſideriis in contra-
„ rium ſucceſſerunt: inolente diverſarum
„ ægritudinum peſte, & mortalitatis etiam
„ generalis tam in hominibus, quàm in equis:
„ ita quod vix erant in exercitu aliqui, qui
„ mortuos ſuos plangerent, aut ægrotantes
„ ad mortem. Unde pro magna parte dimi-
„ nutus erat exercitus Chriſtianus, & con-
„ ſumptus. Tantus erat defectus victualium,
„ quod plures inedia deficiebant, & fame.
„ Non enim vaſſela navalia de Damiata ad
„ exercitum tranſire poterant, impedienti-
„ bus Sarracenis galeis, & vaſis piraticis,
„ quæ per terram in flumine collocaverant
„ antedicto. Sicque compluribus vaſis no-
„ ſtris priùs captis ab eis in flumine, tandem
„ duas ſucceſſivè Caravanas, victualia, &
„ alia multa bona ad exercitum deferentes,
„ cæſu Marinanorum, & aliorum multitu-
„ dine, ceperunt, in totius exercitus detri-
„ mentum. Unde deficiente victualium, &
„ annonæ equorum ſuffragio, cœperunt in
„ exercitu deficere ferè omnes, in deſolatio-
„ nem, & terrorem non modicum inciden-
„ tes.

1070 „ His igitur arctatos incommodis,
„ tam propter ciborum carentiam, & equo-
„ rum annonæ, tàm propter caſus ſuperiùs
„ annotatos, inevitabilis neceſſitas nos in-
„ duxit à loco prædicto recedere, & ad par-
„ tes Damiatæ redire, ſi Dominus providiſ-
„ ſet, *ſed cum viæ hominis non ſint in eo, ſed*
„ *potiùs in illo, qui quorumque* greſſus dirigit,
„ & diſponit, juxtà ſua placita voluntatis.
„ Dùm eſſemus in itinere revertendi, quintò
„ ſcilicèt die menſis Aprilis, & Sarracenis
„ totis ſuis viribus congregatis in unum,
„ cum multitudine infinita agreſſi ſunt exer-
„ citum Chriſtianum; & ſicut accidit, per-
„ miſſione Divina, peccatis noſtris exigen-
„ tibus, in manus inimicorum incidimus,
„ nobis, & chariſſimis fratribus noſtris, Al-
„ phonſo Pictavienſi, & Carolo Andegaven-
„ ſi Comitibus; & cæteris, qui nobiſcum
„ revertebantur per terram, nemine penitùs
„ evadente; captis, & carceribus mancipa-
„ tis, non ſine maxima ſtrage noſtrorum, &
„ effuſione non modica ſanguinis Chriſtiani:
„ majori parte illorum, qui revertebantur
„ per fluvium, ſimiliter capta, aut gladio
„ interfecta; vaſſelis navalibus, ut pluri-
„ mùm incendio diſſipatis, in quibus incen-
„ dii flamma combuſſit ægrotantium multi-
„ tudinem doloroſam. *Hæc Sanctus Ludo-*
vicus.

1071 Itaque captus eſt Beatiſſimus Rex,
Anno Domini MCCL. Innocentii IV. Ponti-
ficatus Anno VIII. Imperii Friderici XXXI.
Balduini II. Anno XXII. Die V. Aprilis, In-
dictione VIII. Poſt cujus captionem actum
eſt de concordia quæ inita, ut ait Sanutus,
hiſce cum conditionibus: „ Ut Regem, &
„ fratres ipſius Soldanus dimittat, omneſq;
„ captivos, poſt quam ipſe Rex in Ægyptum
„ venerat; necnon, & captivatos à tempore
„ avi ſui; & quod terras, quas in Regno
„ Hieroſolymitano in adventu Regis Ludo-
„ vici Chriſtiani tenebant, cum omnibus
„ pertinentiis in pace teneant: quæcumque
„ etiam in Damiata manerent, quæ ſecum
„ Chriſtiani ferre non poſſent, ſuis Nuntiis,
„ cùm pro eis mitterent redderentur. Rex
„ verò debebat reddere Damiatam, & Sar-
„ racenos liberare captivos, tam in Ægypto,
„ quàm in Regno Hieroſolymitano: pro Re-
„ demptione verò captivorum, factis expen-
„ ſis, damniſque illatis centum millia marcha-
„ rum argenti: & uſque in decennium, Rex
„ ipſe non debeat bellum inferre Sarracenis.

Hæc ille. Idem refert Auctor Anonymus de gestis Sancti Ludovici: additque, pro expensis factis in bello convenisse ut Rex solveret octo millia bizantiorum. Sed in numero ipse fallit, fallitque, & Sanutus, qui ex antefatis literis Ludovici corriguntur: ubi de inita tregua verba faciens, inter alia ait: „ Nos autem tenebamur ei reddere Damiatam, & octingenta millia Bizantiorum Sarracenis, pro liberatione captivorum, & damnis, & expensis prædictis: De quibus jam foluimus quadringentos: & liberare omnes Sarracenos captos in Ægypto à Christianis, postquàm illuc venimus: necnon, & eos, qui capti fuerant in Regno Hierosolymitano, à tempore treguarum olim factarum inter Imperatorem, & Soldanum Ægypti. *Hæc & alia ibi*.

1072 Cùm porrò inter hæc à suis occisus esset Soldanus, iterùm iisdem cum pactis, adhibito ex utraque parte juramento, eadem cum Admiratis Ægypti renovata est tregua: licèt impii Sarraceni. contempto juramento, pacta non servaverint, nam de captivis ex fere duodecim millia, quadringentos dumtaxat restituerunt, quos infirmos repererunt Damiatæ occiderunt: electos juvenes in captivitate positos, vi arctarunt ad fidem Christianam abjurandam, Mahomettanamque sectam amplectandam, & quos ad hoc inducere nequiverunt, trucidarunt: Quæ omnia in præfatis S.Ludovici literis continentur. His verò peractis, remissis in Galliam fratribus ad consolandam Matrem, ipse Sanctissimus Rex ad partes Syriæ se contulit, rebus ibidem fubventurum Christianorum: „ Ludovicus autem, *ait Sanutus*, videns quod juxtà conventiones non poterat eis bellum inferre, disponebat in Franciam redire: sed audiens quod terra promissionis in periculo, privata omni spe auxilii, si recederet, remaneret, mittens fratres suos ad matris consolationem, mansit ipse in Syria annis quinque, à MCCXLIX. Anno Domini, usque ad MCCLIV. & maximè pro redemptione captivorum. Reparavit autem tunc Ptolemaydæ Burgum. *Hactenus ille*. Qui de ejus gestis in Syria cap. 4. compendiosè subjungit, inquiens: „ Sequenti Anno XXIX. Martii Rex Franciæ ivit ad firmandum Cæsaream. Tunc Baomundus Princeps Antiochenus, & Comes Tripolitanus moritur, cui succedit filius Boemundus. Sequenti anno Rex Franciæ XV. Aprilis ivit ad firmandum Japham, quo anno mortua est Regina Blancha mater ejus. *Et post aliqua ait* MCCLIV. expleto muro Sydonis, Rex Franciæ venit Ptolemaydam VIII. Martii: & in Paschate fecit militem Balianum de Ybelyn, filium Domini de Arsuf, qui desponsavit Placentiam Reginam Cypri: & XXIV. Aprilis Rex Franciæ cum Gente sua parat se ad eundum in Franciam: & habuit in Societate sua octo naves, & quatuor galeas: & in crastino hora vespertina in festo Beati Marci recessit de Portu Ptolomeiensi, relinquens pro custodia Civitatis centum milites secundum dispositionem Senescalci Regni Hierusalem. *Hactenus Sanutus*. Et hoc eodem anno decessit Innocentius IV. Romanus Pontifex, ut capite sequenti.

CAPUT XXVI.

De Alexandri IV. Pontificatu, ejus studio pro Græcorum unione, ac de capta à Græcis Constantinopoli, Latinorumque ab ea ejectione.

1073 Persequentibus Sanctam Dei Ecclesiam Conrado, & Manfredo Friderici Secundi Imperatoris filiis, dùm Innocentius, ut illorum conatibus occurreret, in Regnum Siciliæ se contulisset, senectute, ægritudine, ac cordis mœrore confectus, in morbum incidens Neapoli ultimum clausit diem Anno Domini MCCLIV. sui Pontificatus XXII. vacante Imperio Occidentali, ejusdem vacationis Anno IV. Imperii Balduini Secundi Anno XXVI. VII. Idus Decembris, Indictione XII. ubi sedisset Annos XI. menses V. & dies XIV. De cujus obitu Alexander hujus nominis IV. qui ei successit, in suis Encyclicis literis, ut ex libro 1. Epist. 2. hæc scribit: „ Sanè fœlicis recordationis Innocentio Papa Prædecessore nostro VII. Idus Decemb. in Regno Siciliæ, in Civitate scilicèt Neapolis, de angusto, & tetro carnis carcere vocato, sicut speramus, ad spatiosum, & lucidum Cœli Palatium, ut de multis laboribus, quos pro Ecclesiæ honore ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternæ: ac deinde ipsius solemniter celebratis exequiis, ejusque corpore honorificè, prout decuit, tumulato; nos tunc Ostiensis, & Vellitrensis Episcopus, & cæteri fratres nostri, mox pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut gregi suo Pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. *Hæc Alexander*.

1074 Eo ergò defuncto convenientes Domini Cardinales in unum in eadem Regia Neapolis Civitate, citiùs quàm potuerunt, propter Manfredi Tyrannidem, qui apud Nuceriam Apuliæ Sarracenorum auxilio, victoriam de exercitu Pontificio, & fœderatorum nobilium obtinuisset, & elatus cum copiis, versus Neapolim iter direxerat, electionem solicitantes, quartadecima ab Innocentii obitus die, mente unanimi consenserunt in Rolandum

landum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Ostiensem, creatum XII. Kal. Januarias, labente Anno Domini MCCLIV. supra adnotato. Hinc corrigendus est auctor Vitæ Alexandri apud Labæum, qui consignat ejus electionem in diem XXV. Decembris festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, inquam diem potuit magis incidisse Alexandri coronationem: & fortiùs corrigendi sunt alii, qui post obitum Alexandri statuunt Interpontificium unius, vel duorum etiam annorum: Ex literis namque Encyclicis ejusdem Alexandri antefatis consignatur non minus tempus obitus Innocentii, quam suæ electionis, unde creatum diximus die XXI. ideft XXII. Kal. Januarias, ut observat Raynaldus ad hunc annum sub num. I.

1075 Hic verò fuit patria Anagninus, nobili Comitum Segniæ familiâ natus, Innocentio III. & Gregorio IX. à quo in Cardinalium collegium aggregatus fuit, sanguine propinquus, vir benignus, religiosus, in orationibus assiduus, & in abstinentia strenuus, eodem testante Parisio, licèt ex more suo, & insito in Romanos Pontifices odio, ad eas, quas ipsemet tanti Pontificis recenset obscurandas virtutes, non levem nimiæ facilitatis in adulatorum susurris excipiendis & cupidorum sequentis voluntatibus nævum aspergat: inquiens: „ Sublato de medio Innocentio IV. Papa, subrogatus est alius „ vir, ut ajunt, satis benignus, & bene Religiosus: assiduus in orationibus, in abstinentia strenuus, sed sibilis adulantium „ seducibilis, & pravis avarorum suggestionibus inclinativus: Episcopus videlicèt „ Ostiensis, Nepos Gregorii Papæ, pridem „ defuncti, qui ipsum in Episcopatum promoverat, & vocatus est Alexander, videlicèt IV. *Hæc Parisius.* Coactè porrò onus suscepisse ipsemet testatur in prædicta Epistola sua Encyclica, inquiens: „ Nos autem nostram attendentes imbecillitatem, & insufficientiam cogitantes; pensantes quoque tam gravis sarcinæ molem, & tanti „ honoris altitudinem advertentes, nimium „ trepidavimus, validoque membra nostra „ obriguere pavore, ac intra nos cor nostrum „ vehementi quasi stupore gelavit, ac eorundem intentioni fratrum pro posse restitimus, contra concordes ipsorum affectus „ plurimùm reluctantes, renuendo prorsùs „ ad Summi Pontificatus apicem sublimari, „ & exorando instanter, ut imponerent aliis „ onus istud. Ipsi verò, suo proposito fortiùs insistentes, nostra recusatione omninò „ repulsa, personam nostram, quantumcumque renitentem, quadam violentia coegerunt, & extensis in eam manibus, ad assentiendum eorum desideriis nos pertinaciter attraxere. *Hactenus Alexander.*

1076 Primo sui Pontificatus anno inter alias curas, labentibus Christianorum rebus in Syria, ac penè deficientibus, animum adjecit ad procuranda subsidia, deditque ad hunc effectum literas Regi Castellæ & Legioni, sub die XII. Aprilis, hoc est, pridie Idus ejusdem mensis, consignatæ namque leguntur: secundo Idus Aprilis Anno primo: in quibus, inter plura, ad excitandum animum Regis ad ferendum subsidium prædictum hæc habet: „ Cùm in illos dudùm irruerint in „ gravi multitudine Corasmini, cùm illis „ immineat terribiliter valida Turquemannorum, & fera Barbaries, cumque ipsos assiduis insultibus atterant, Christiani pro„ fluvio sanguinis nescientes mitescere Sarraceni, quod aliud nisi misericordiæ Domini opus est, aliquas ibi Christiani nominis „ reliquias superesse? Præter hoc de terra illa vehementer exclamat sanguis Christi ad „ populum, quem redemit, & improperia „ exprobantium Salvatori omnium, obiiciuntur oculis singulorum, si forsan intelligant, „ & justo Zelo requirant de atrocibus Creatoris sui contumeliis ultionem, illa præcipuè ipsorum faciem ignominia confundente, quod locus ille, in quo Dei Filius nascendo, moriendo, & à mortuis resurgendo, cuncta redemptionis nostræ Sacramenta perfecit. factus est possessio exterorum: „ & terra, quam redemptor humani generis „ cruoris sui perfusione sacravit, perfidorum „ immunditiis profanatur. *Hæc ibi Alexander.* Sed frustrà abeuntibus ipsius conatibus, res Syriæ paulatim pro Christianis defecerunt.

1077 Deinde eodem pariter Anno scripsit ad Episcopum Argolicensem, aliosque Prælatos, præcipiens ut Achaiæ, ac Peloponnenso laborantibus succurrerent, suasque ad subsidia contradenda opes conferrent, cùm ipsorum maximè res ageretur, nè communi ruinam obruerentur: hinc in eis literis ait: „ Circà negocium Imperii Romaniæ, vias, „ & modos invenire studemus, quibus eidem „ Imperio in multis constituto necessitatibus „ possit utiliter, & salubriter subveniri. Et „ licèt pro eodem negocio multipliciter hactenùs Sedes Apostolica laborarit, nos tamen non possumus, nec debemus propter „ hoc illud negligere, quin semper ad ipsius „ promotionem omnem, quam possumus, „ diligentiam impendamus. Sanè intelleximus, quod Achaiæ, & Moreæ regiones „ tantæ necessitatis articulo coarctantur, „ quod nisi eis per ejusdem Sedis providentiam celeriter succurratur, graviora eis „ poterunt pericula imminere, propter quod „ decet, & expedit, ut circa regionum ipsarum statum solicitè vigilemus, ad earumdem munimentum efficaciter intendendo. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus universos Episcopos, & archiepiscopos, ac alios „ Ecclesiarum Prælatos, necnon Procuratores

„ res Cathedralium Ecclesiarum vacantium, „ & cæteros Clericos beneficiatos, necnon „ omnes Religiosos tam exemptos Religio- „ num ipsarum moneatis attentè, & effica- „ citer inducatis, ut providè attendentes - „ quod hujusmodi negocium specialiter ip- „ sos tangit, cum commune sit ipsis, & alis, „ & prosperitas, & adversitas in hac parte, „ tam per se, quàm per cunctos suos subdi- „ tos Clericos, & Laicos ad dictarum Regio- „ num conservationem adversùs hostilea in- „ sultus, & impugnationes hostium commu- „ nium violentas, sicut Laici tam nobiles, „ quàm alii Regionum ipsarum, eisdem sub- „ ventionem opportunam, & congrua subsi- „ dia largiantur &c. Datum Neapoli IV. No- „ nas Januarii, Anno I. *Hactenus Alexander*.

1078 Interea Joannes Ducas Vatacius, qui Imperium Constantinopolitanum totis viribus sibi subjugare conabatur, diutino morbo correptus sublatus est: „ Cum verò, *ait Gregoras* lib. 2. in Orientem trajecisset, & ad „ Nicæam versaretur, atroci morbo est cor- „ reptus, qui haud scio phrenitia, an Epi- „ lepsia sit appellanda: nàm gravitate, & „ stupore capitis afficiebatur, ut iis qui è ce- „ rebro laborant, in Solis, & Lunæ con- „ gressibus aucta frigiditate, & humiditate „ aeris, accidere Solet, vertigine oborien- „ te cerebro, quod talea conversiones, & mu- „ tationes ferre nequit. Cùm autem mutus, „ respiratione excepta, mortuua tres perpe- „ tuos dies jacuisset; recuperare vires, mor- „ boque levari visus est: qem tamen ars me- „ dicorum non penitùs propulsare potuit, „ quò minus ex eo tempore in eo delitescere, „ & firmam Sedem fixisse videretur: itaut „ deincepa alius affligeretur, aliàs valere vi- „ deretur: *Et paucis interjectis subjungit*: „ Morbus is annum integrum captu ejus in- „ festabat, clàm ac paulatim subindè auge- „ scens: donec omni mediocrum arte supe- „ rata è rebus humanis eum sustulit. Deces- „ sit autem ex eo morbo, cùm circa Nim- „ phæum versaretur: ac sepultus est in Sostan- „ drio Monasterio à se extructo: Anno æta- „ tis sexagesimo: septem & viginti natus an- „ nos, cùm Imperium suscepisset, idque „ annos tres, & triginta administraret: quot „ annos & filiua ac successor ejus Theodorus „ compleverat, codem natus anno, quo pa- „ ter summa rerum potitus est. *Hæc Gregoras*. Georgius verò Acropolita Logotheta, refert Joannem Ducam jam à Medicis desperatum, Smyrnam profectum, ut Christum ibi adoraret, propitiumque sibi pro salute recuperanda redderet: „ Cum ergo, *ait*, medi- „ corum ingenium de restituenda valetudine „ desperasset, ut respirare ipse paululum „ posset, Smyrnam iter meditatur, ut Chri- „ stum, qui in ea colitur, adoraret, preci- „ busque effusia sibi propitium in tanto in- „ fortunio redderet. Accessit, omnia ut in- „ stituerat perfecit, nec tamen ex morbo con- „ valuit. *Hæc ille*. Frustrà namque extra Catholicam Ecclesiam quis à Deo miracula expetit. Obiisse porrò subjungit III. Kalend. Novembris, sexaginta & duos annos natum, in duobua discrepans à Gregora annis.

1079 Successit ergò in Imperio Theodorus cognomento Lascaris ejus filius, qui communi concursu totius exercitus, ac nobilium omnium, ac procerum, Patre defuncto, salutatus est Imperator, in Clypeo sedens, more majorum, ut notat Gregoras in initio libri 3. Et cum Patriarchalis Sedes vacasset, vità jam functo Artemio, egit statim Theodorus de eligendo Patriarcha à quo coronaretur: habitoque de pluribus sermone, visum est omnibus, Nicephorum Blemmydem cæteroa doctrina, & virtue præcellere; sed eo dclatum sibi honorem recusante, electus est Arseniua Monachus, qui in quodam Monasterio juxtà Apolloniam, ut idem Gregoras tradit, strenuè sese exercehat: vir quidem illustris virtute, ingenio tamen simplici, & minimè callido, à quo inde Theodorus unctus est, ac Diademate ornatus.

1080 Itaquè hoc Theodoro Græcis imperante Alexander, Secundo sui Pontificatus Anno Domini MCCLVI. negocium tamdiù optatum de ineunda Græcorum unione sub Innocentio decessore suo solicitè procuratum, perficere in animum habuit, & absolvere, designata ad hunc effectum ad novum Imperatorem, & Patriarcham Legatione, quam obeundam commisit Episcopo Urbevetano: Data ei instructione de modo se cum eis gerendo, in Apostolicis ed eum datis literis expressa, quas literas ex Regesto Vaticano excripsit Wadingus, suisque minorum, in Annalibus ad hunc annum inseruit, sub num. 61. sicut, & in suis Raynaldu: sub num. 48. Ubi in primo loco recensentur pacta, quæ post Legationem Joannis Parmensia Minoritæ, de qua supra cgimus, Joannes Ducas cæterique Græcorum Prelati, per Archiepiscopos Quinsicensem, & Sardensem, sc Joannem Comitem Apocrisiarios, & Theophilaceum Interpretem, ad Sedem Apostolicam miserant, quæ sub Innocentio coràm Cardinalibus examinata, pro bono pacis suère approbata: Quibus recensitis, subnectitur plena Legati instructio: Quæ omnia hic subiicere non pigebit: sic enim se habent.

1081 „ Hæc sunt recognitionis, & pe- „ titionia Capitula, quæ dudùm Quisicen- „ sis, & Sardensis Archiepiscopi, & Ange- „ lus Comes, sc Theophylaceus magnus in- „ terpres ex parte quondam Calojoannis Im- „ peratoris, & Ecclesiæ Græcorum, fælicis „ recordationis Innocentio Papæ prædeces- „ sori nostro, & Sedi Apostolicæ obtulerunt. „ videlicèt.

I. „ Ro-

I. „ Romanæ Sedi, ejusque Summo Pontifici, præ cæteris Patriarchalibus, Summi recognitionem, ac professionem in Ecclesia catholica Principatus. Canonicam obedientiam præfato Prædecessori, ejusque successoribus canonicè intrantibus exhibendam.

II. „ Prærogativam appellandi Romanam Ecclesiam, cùm sacræ Personæ Ecclesiæ Græcorum à Superioribus suis crediderint se gravari.

III. „ Liberum recursum ad Sedem Romanam in quæstionibus, quas inter Prælatos, & alias Personas Ecclesiasticas Græcas contigerit suboriri.

IV. „ Obedientiam quoquè in sententiis, quas Romanus Pontifex, sacris non adversas Canonibus promulgabit.

V. „ In Conciliis insuper eidem Pontifici primam Sedem, & primam subscribendi vicem, cùm subscriptiones fuerint faciendæ.

VI. „ In quæstionibus fidei, si quæ ibidem fortassis emerserint, præ aliis dare sententiam, suæque voluntatis proferre judicium; quòd dummodò Evangelicis, & canonicis non obviet Institutis, obedienter cæteri suscipient, & sequentur.

VII. „ In aliis verò Ecclesiasticarum personarum causis, & negociis, quæ in Conciliis tractabuntur, sententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodò sacrorum non adversentur Conciliorum decretis, cæteri acquiescent.

VIII. „ Ad hæc iidem Nuncii sæpèdicto Calojoanni Constantinopolitanæ Civitatis Imperium, & Patriarchis Græcis ibidem, & alibi Patriarchalium Sedium jura restitui petierunt, ac Imperatorem, & Patriarchas Latinos ab eisdem Civitate, ac Sedibus amoveri, Antiocheno Patriarcha in illa Ecclesia, dùm viveret, tolerat. *Hactenus Græcorum Capitula*. Subjungit statim Pontifex recensens quid super ejusmodi petitionis Capitulis sub Innocentio decretum fuerit ad Legati exactam instructionem, inquiens.

1082 „ Sanè oblationem, professionemque præmissas fœlicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster, de fratrum suorum consilio, nobis tunc in minori officio constitutis, ut per hujusmodi benignitatis assensum desiderabili tantæ reconciliationis incremento tota lætaretur fidelium universitas, approbavit, sperans, quòd postquàm prætacta Ecclesia in maternæ pacis amplexum, dante Domino, rediisset, oblationis, & professionis suæ terminos per liberam dilectionis latitudinem ampliaret.

1083 „ Verùm cùm inter alia hoc prædictæ oblationis, & professionis series contineret, ut post Concilium, & restaurationem uniformitatis Romanus Pontifex ante alios habeat dare sententiam, quòd utiquè verbum ità proponentium expositio declaravit, ut videlicèt: si de aliquo articulo fidei in Concilio fortè quæratur, quidquid super eo dixerit Romanæ Sedis Antistes, dummodò Evangelicis, vel Apostolicis non obviet traditionibus, in eo cæteri sibi obediant, ejusque auctoritatem sequantur; idem prædecessor satis absonum reputavit, quòd in Concilio celebrando ille solus articulus Symboli Nicænæ Synodi, in quo de processione Spiritus Sancti Græca Ecclesia aliquantulùm à Romana dissonare videtur, per præfatos Nuncios à Romani Pontificis excipiebatur judicio, adjicientes, quòd definitioni ejus in Concilio Græca non acquiesceret Ecclesia, nisi quòd diffinitum esset per scripturæ authenticæ testimonium, vel divinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis causa, qua Græca Ecclesia movebatur, ut diffiniendi potestatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in cæteris articulis fidei, velit eum in hoc uno articulo non habere.

1084 „ Verumtamèn nè aliquid ex hoc reconciliationem Ipsius Ecclesiæ impedimentum, vel obstaculum impediret, prædecessor ipse concessit in Concilio imminenti tenorem prædicti Symboli, adjectione qualibet, nisi fortè de mutua convenientia, quam sicut condimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari; sed in ea forma penès Græcam Ecclesiam remanere, quam dicta Synodus promulgavit, dummodò de Sanctæ Trinitatis fide Græca Ecclesia in omnibus catholicè sentiat cum Romana.

1085 „ Porrò de Imperii negotio iidem Nuncii hoc receperunt ab eodem prædecessore nostro responsum, quòd super eo, non vocato Imperatore Latino, contrà ipsum juris ratio non patitur aliquid diffiniri, quià definitio irrita videretur, nisi adversùs citatum confessum procederet, vel convictum. Sed ut nihil de iis, quæ reconciliationi Orientalis Ecclesiæ cooperarentur omitteret, paratum se obtulit ad compositionem inter præfatum Calojoannem, & Imperatorem eundem, interponere studiosiùs partes suas, confidens eam per suum studium provenire. Si autem placita partium in compositione convenire non possent, offerebat super hoc idem prædecessor eidem Calojoāni exactum justitiæ complementum, jus ejus prosequuturus favore, quo posset, ut justum pro suo voto judicium reportaret. Confidere nàmque debebat, àc tenère pro certo, quòd Ecclesia Romana in judicialis cognitionis examine foveret tantò favorabiliùs causam suam, quantò majorem de ipsius, quàm alterius de-

„ devotione, atque potentia eadem Ecclesia, „ si eum, ut charissimum, & sublimem filium, „ Deus daret suo gremio contineri, poterat „ habere profectum, ad cujus tutelam christianis sunt distributæ Principibus administrationes sæcularium dignitatum.

1086 „ Cæterùm, quià Patriarchalium „ Sedium status absque judicio immutari, „ fas jusque non patitur, responsum est oportere illas in ea, quam nunc obtinent, ordinatione dimitti, nisi fortè super iis causam per consultam sacri deliberationem „ Concilii dirimi placuisset; super quo, cum „ beneplacito sæpèfati Imperatoris prædecessoris nostri concurrebat assensus. Verùm, ut circà Constantinopolitanum Patriarcham Græcum, in eo quod posset idem „ prædecessor, condescenderet voto ejus, hoc „ pro illo suæ duxit Excellentiæ offerendum, „ quòd ipsum ex tunc Constantinopolitanum Patriarcham veræ appellationis nomine nuncuparet, & postquàm Constantinopolitanam Civitatem ad ejusdem Imperatois dominium devolvi casu quolibet „ contigisset, eum faceret in antiquam Patriarchatus Sedem reduci, ut ibi residens, „ suis præesset subditis, quibus in præsentiarum noscitur præsidere; Patriarcha Latino suis, quos nunc habet, subditis pacificè præfuturo.

1087 „ Volumus autem, ut tu frater Urbevetane Episcope, quem cùm Legationis „ officio ad partes Græcorum transmittimus, „ juxtà ea, quæ præmissa sunt, cautè procedens, si plura iis utiliora, & honorabilia „ Romanæ Ecclesiæ, ac aptiora reconciliationis negotio à Græcis impetrare potueris, non repentè prosilias ad præmissa Capitula exponenda illis, vel etiam acceptanda. Si verò utiliùs te non posse procedere „ compereris, tunc ista prudenter, sicut expedire videris, nostro, & Ecclesiæ Romanæ „ nomine acceptabis.

1088 „ Quòd si forsitàn iidem Greci noluerint tecum finaliter omnia consumare, „ sed aliqua petierint, quæ tibi gravia videantur, super quibus acceptandis, & consumandis potestatem non habes, ac noluerint dicti Græci tunc Ecclesiæ Romanæ „ canonicam obedientiam præstare: Tu, si „ de futura reconciliationis consummatione „ speraveris, nè per te rumpi tantùm negotium videatur, recipias, eandem saltèm obedientiam vice nostra, ut ipsa recepta, ad „ ulteriora facilior fit progressus.

1089 „ Si autem nec hoc facere voluerint, sed nobiscum adhùc, vel super ipsis „ Capitulis, vel super aliis, si qua de novo „ emerserint, prolixiorem habere voluerint „ tractatum, & tu de negotii consummatione aliquam spem habueris; ordines, quòd „ solemnes Imperatoris, & Ecclesiæ Græcorum Nuncii, tàm Prælati, quàm alii, ad „ Sedem Apostolicam unà tecum accedant, „ habentes plenitudinem potestatis ab ipsis Imperatore, & Ecclesia Græcorum, „ in nostra præsentia negotium consummandi,

1090 „ Demùm, si per te in partibus illis, juxtà traditam tibi formam, ad consummationem negotii procedi contigerit, securè cum eis ordines de Generali Concilio „ per nos in partibus istis, vel circà eas ad „ locum securum, & idoneum convocando, „ cum assignatione temporis congruentis, „ infrà quod idem possit commodè pro locorum distantia, & temporum malitia „ Concilium congregari &c. *Hactenùs Alexander*.

1091 Hac accepta instructione, Pontificiis mandatis obtemperans Urbevetanus Episcopus, ad Græcorum partes, & ad ipsum se contulit Theodorum Lascarum. Sed nimia Græcorum pertinacia, vel quià Theodorus continuis agitatus bellorum tumultibus, minùs ad tantùm opus peragendum animum adjicere potuerit, cœpta concordia perduci ad exitum non potuit: subsecuta indè Lascaris morte, de qua ait Gregoras lib. 3. „ Imperatorem anno ætatis sextum & trigesimum „ agentem, molestus, ac difficilis, & planè „ lethalis morbus invasit; qui paulò antè obitum, alacriter monasticum habitum induit, & multos pecuniarum acervos suis „ manibus distribuit, ferventique corde vim „ lacrymarum profudit, quibus animi vulnera in tantæ necessitatis articulo eluebat, „ & curabat. *Hæc de Lascaris obitu Gregoras.* Consentit Georgius Logotheta, inquiens: „ Theodorum Imperatorem morbus invasit, „ Morbo medicinam facere Medici haùd poterant, frustràque remedia omnia, quæ malo succurrere posse videbantur, tentata „ sunt. Longo itaquè tempore noxa conflictatus, & corpus omne exiccatum, propè „ finem in animo suo dedit pœnitentiæ locum, & monasticum habitum induens, „ quemadmodùm res illius sedulò, ac curioso intuitu mihi narrarunt, confessionem „ peccatorum animo generoso, ac magnifico „ dignam absolvit. Quippè Evangelicam „ æmulatus peccatricem, Mythilinensem Archiepiscopum pro delictorum confessione „ accersens, antè illius pedes in solum obvolutus, lacrymarum indesinenter fluentium rivis, terram, in qua jacebat, conspersit, adeòut ex illis lutum concinnatum „ fit. Sic qui illa conspexere, planè nobis „ affirmarunt. Et sæpè illud: *Deserui te Christe*, inter confessionis verba immiscens inclamabat. *Addit indè*. Igitùr ille ità ætate peracta nondùm quatuor integros annos „ Imperio potitus, tanquàm cui principium „ regnandi November, finis vitæ fuerit mensis Augustus. Cadaver illius in Sosandrum „ Monasterium delatum, ubi Imperator, & pa-

„ pater illius anteà humatus. *Hæc ille*.

1092 Decessit ergò Anno Dñi MCCLIX. Alexandri IV. Pontificatus Anno V. Imperii Balduini Secundi Anno XXXI. Anno IX. à vacato Imperio Occidentali, mense Augusto, Indictione secunda, relicto Imperio Joanni filio adhùc puero nondùm agenti octavum annum, ac designatis ei in tutelam Arsenio Patriarcha, & Mazalone, qui licèt obscuro genere natus, amicitiâ, & favore plurimùm apud Theodorum prævaluerat. Hujusmodi verò dispositioni reluctantibus Græcis, quoniàm non videbatur eis sub Principe puero, & Tutoribus illis tutum potuisse servari: eâ tempestate undiquè agitatum Imperium, egerunt de alio substituendo, cui Imperii regimen traderetur, perdurante Joannis pueritiâ, virtute, ac strenuitate ab imminentibus periculis illæsum servare; & acceptis Proœrum primùm votis, ut scribit Georgius Logotheta, indè Latinorum, Scytharum etiam, qui Græcis tùm parebant, ac totius Senatus, designatus est Michael Comnenus Paleologus nobilissimo genere ortus; nàm ex Andronico Paleologo, & filia Irenæ primogenitæ quondàm Alexii Imperatoris ortus erat, ut notat Gregoras lib. 3. Histor. cujus quoquè mores describens, ait: „ Comnenus Michael Paleo-
„ logus, cujus suprà mentionem sæpè feci-
„ mus, inter Proceres erat cæteris superior,
„ vultu perquàm hilari, comis atque urba-
„ nus, prætereàque munificus, & liberalis,
„ quæ res ei omnium animos vehementer
„ conciliabant, ut facilè omnes ad se allice-
„ ret Tribunos, Centuriones, Exercitum Du-
„ ces, sivè Plebei, sivè Senatorii Ordinis. *Hactenus ille*.

1093 Hic ergò primùm exceptis Insignis Imperialibus, summâ auctoritate habenas Imperii moderandas suscepit; sed paucis post diebus Despotę titulo est insignitus, Patriarcha ipso, ac juvene Principe consentientibus; sic idem Gregoras, inquiens: „ Paucis die-
„ bus elapsis, aliud Concilium ejus studiosi
„ indicunt, negantes oportere eum, qui ne-
„ gocia Imperii, & Reipublicæ administra-
„ ret, multarumque gentium Legationes au-
„ diret, dignitate regia proxima carère, tùm
„ honoris causâ Populi Romani etiam ad sta-
„ tum interregni firmandum. His de causis
„ igitùr Despotæ titulo ornatur, tàm à Pa-
„ triarcha, quàm à filio Imperatoris. *Hactenus Gregoras*, qui initio libri 4. tradit paulò posteà, circà Magnesiam acclamatum Imperatorem: „ Quæ eùm ibi, *inquit*, ità gere-
„ rentur, viri auctoritate, & nobilitate præ-
„ stantes, circà Magnesiam clypeo insiden-
„ tem, Michaelem Paleologum Imperatorem
„ appellant. *Hæc ille*, referens quoquè, eundem Paleologum post præstitum sacramentum de non insidianda pueri vita, ac eidem suo tempore restituendo Imperio, ab Arsenio apud Nicæam coronatum fuisse: quæ quidèm omnia summariè recenset Georgius quoquè Logotheta, inquiens: „ Ità primùm qui-
„ dèm eum Despoticâ dignitate exornant,
„ mox tenia etiam Despotica caput exor-
„ nant, nec multùm temporis processit, &
„ ipse volens nolens vi ab eminentioribus, &
„ quibus res publicæ erant, adactus ad Im-
„ peratorium culmen ascendit: Etenim qui
„ in dignitate, & alii Cohortium celebrio-
„ rea collocatū acclamationibus prosequun-
„ tur, & Imperatorio Diademate coronan-
„ dus, ad Reginam Bythinarum Urbium Ni-
„ cæam proficiscitur, in qua à Patriarcha Ar-
„ senio coronâ Imperii decoratur. *Hæc Logotheta*.

1094 Sic evectus ad Imperii culmen Michael, puerum Principem Magnesiam custodiendum misit, cujus rei causâ Arsenius relictâ Patriarchali Sede in maritimum Paschasii Monasterium se contulit: „ Post hæc Ar-
„ senius, *ait Gregoras*, relictâ Sede Patriar-
„ chali, se in maritimum Paschasii Monaste-
„ riolum quiescendi causâ contulit. Causa
„ illius secessus fuit, Joannis contemptus,
„ Imperatoris Lascaris filii. Miserat enim
„ eum paulò ante Imperator Michael Paleo-
„ logus Magnesiam custodiendum, nè præ-
„ sentia ejus quosdam, alioquì rerum nova-
„ rum cupidi, commoveret. *Hæc ille*. Porrò Arsenio datus est successor Nicephorus Metropolita Ephesius, qui uno anno, ut idem Auctor scribit, in ea dignitate exacto, mortem obiit.

1095 Sub hoc itaquè Michaele, Anno sui Imperii primo, Domini MCCLXI. Alexandri IV. Pontificatus Anno VII. à vacante Imperio Occidentali Anno IX. Indictione IV. erepta est Latinis Regia Constantinopolis Civitas, Græcorum sanè proditione: Cumque Latinorum Exercitus eductus fuisset versùs Pontum Euxinum ad obsidendam Daphnusiam, denudatâ præsidio Civitate, Alexius Cæsar, Græcorum quorundam Civitatis usus operâ, Civitatem eum suis copiis subegit. Modum verò, quo eam cœpit, narrat Gregoras eodem lib. 4. inquiens: „ Cœ-
„ pit autem sic. Cùm in illos Viros incidis-
„ set, genere Romanos, Constantinopoli
„ verò natos, qui ob rusticum opus, condendasque fruges foris agerent, rogavit eos,
„ quales, & quantæ essent Latinorum vires,
„ aliaque à Duce inquirenda, longo præser-
„ tim usu exercitato. His verò, cùm Lati-
„ norum jugum longo jàm tempore molestè
„ ferrent, & aliorum, qui etiam popularium
„ suorum, quàm alienigenarum consuetudi-
„ ne uti mallent, optatissimus Cęsaris adven-
„ tus fuit; eique cuncta perspicuè narrave-
„ runt, consiliaque proditionis cum eo agi-
„ taverunt, & maximorum præmiorum pol-
„ licitationes cupidissimè, veluti re minimè
„ dubiâ, admiserunt. Nàm Latinorum vires
„ exiguas modò nunc esse, sed etiam maxi-

„ mam earum partem abesse in Daphnusiæ „ (Oppidum id Euxini Ponti est, multis „ aquis circumdatum, mille stadiis à Con- „ stantinopoli dissitum) obsidione: sibi verò „ facilè esse noctu illi patefacere ingressum, „ atque etiem ascitis amicis opem ei laturos „ esse, & manu, & armis, & totis viribus ad „ hostes ulciscendos; quòd & ædes suæ por- „ tæ contiguæ essent, quæ rectà fanum Dei- „ paræ Fontanæ spectaret; occultumque sci- „ re aditum, quem vetus quidam cuniculus „ ultrò præberet: per quem quinquaginta „ armati ingressi, occisis Vigilibus, effratâ- „ que porta, facilem ingressum universo „ Exercitui patefacturi essent. His illi di- „ ctis, domum reversi, paucis diebus interje- „ ctis, quæ verbis promiserant, re ipsâ præ- „ stiterunt.

1096 „ Cæsar verò sub diluculò Urbem „ ingressus, ibique certo in loco acie ad pu- „ gnam instructa, uno die exacto, postridiè „ ignem injici ædibus, & quatuor in locis „ Urbem incendi jubet, ut gemino bello „ exitium Latinis machinaretur. Regia La- „ tinorum erat Pantocratoris Monasterium. „ Qui verò tùm Constantinopoli regnaret, „ Balduinus erat, Balduini primi ex sorore „ nepos. *Et paucis interjectis*. Is manè cùm „ surrexisset, ac hostes in Urbe esse audivis- „ set, simùlque Urbem flammis circumdatam „ conspexisset, quæ actæ vento, mox ipsius „ quoquè Regiam invasuræ essent: primùm „ arma, & bellum spectavit, coactis siqui- „ dèm aderant Latinis Militibus. Sed cùm „ statim animadvertisset irritum esse cona- „ tum suum; & insignia Regni, & ipsum Re- „ gnum valere jubet, ac nudus Cymba qua- „ dam arrepta fuga, salutem quærit. Cujus „ rei famà eodem die ad eos, qui Daphnu- „ siam obsidebant affertur; qui ea relicta, po- „ stridiè quàm celerrimè poterant, præter & „ circùmmœnia Urbis navigantes conspiciun- „ tur, & elabentes Latinos, quatenùs lice- „ bat, acervatim recipientes; idque à ve- „ sperè usquè ad diluculum continenter fe- „ cerunt. Sub auroram verò expansis velis, „ rectum versùs Italiam cursum intenderunt, „ multùm & ipsi adulterinam patriam vale „ jubentes. *Hactenus Gregoras*.

1097 Addit indè captam Urbem ab octin- gentis dumtaxàt Militibus: at Georgius Lo- gotheta aliter scribit; ait nàmque, non à pau- cis Militibus, sed ab universo Græcorum Exercitu, adjunctis etiam Scythis captam fuisse: „ Ex improvisò Cæsar, *inquit*, Ale- „ xius Stratogopolus noctu adveniens, in „ eam impetum fecit; & Viros secùm ha- „ beret nonnullos ex Urbe fugitivos, & re- „ rum illius apprimè gnaros, ex iisque sci- „ scitans cognovisset foramen Urbis muris „ inesse, per quod armatus Miles introire „ posset, nulla mora operi incumbit, & per „ illud quidam ingreditur, quem sequitur „ alius, & alterum tertius; & hac ratione „ quindecim, & fortè plures Viri Urbem in- „ troeunt. Et cùm in ipso muro quemdam, „ cui custodia demandata erat, comperissent, „ quidam ex illis muro conscenso, arreptum „ pedibus, extrà muros projiciunt, alii for- „ titis securibus, & portarum vectibus dis- „ ruptis, in Urbem ingressum liberum Exer- „ citui aperiunt. Hac ratione Cæsar Stra- „ tegopolus, & cum eo Romani universi, ac „ Scythæ, ex iis enim eorum Copiæ conflatæ „ quoquè erant, Urbem ingressi sunt. *Hac Logotheta*.

1098 Deindè prosequitur cætera enarra- re, quæ in Urbe post Cæsaris, & Militum in- gressum evenerant, inquiens: „ Cives re im- „ provisa percussi, ut quisque poterat saluti „ suæ consulere; hinc quidam Monasteria „ petere, & Monasticum habitum, ut cla- „ dem evitarent, induere; Mulieres in mu- „ rorum foramina conjici, & in Cellis ob- „ scuris, reconditisque abscondi, Civitati „ imperans Balduinus, in magnum advolare „ Palatium. Qui verò Daphnusiam abierant „ Latini, & cum illis potestas nihil eorum, „ quæ gerebantur, edocti, cùm nihil adver- „ sùs Daphnusiam perpetrare potuissent, „ opem enim illis tulerat Deus, retrogressi „ in Urbem contendere, & super summum „ virtutum Principis Michaelis Templum, in „ amplo situm convenientes, nihil adhùc eo- „ rum, quæ patrabantur cognoscere. At ubi „ eò convenissent, certiores redditi, in Ur- „ bem gressus festinant. Verùm Romanæ „ Copiæ, ubi audiunt, igne in Latinorum „ domos propè litus adjacentes immisso, eos „ corrumpunt, & antè alios Venetorum, „ aliarumq; deinceps Nationum, quas cam- „ pos vocant. Latini, ubi incendiis Urbem „ inflammari conspiciunt, manibus diverbe- „ ratis, quotquot habere potuerunt ex suis „ intrà, & alia navigia assumptis, retrò ces- „ sère; ex triremibus verò una in magnum „ Palatium progressa, Balduinum penè non „ vivum captum recepit. Et ità ea res eve- nit. *Hæc ille*.

1099 Subjungit indè consignans tempus, quo capta fuit, inquiens: „ Et Constanti- „ nopolis, ità Deo annuente, rursùm sub „ potestate Romani Imperatoris, jure & uti- „ què meritò venit vigesimaquinta mensis „ Julii, Indictione IV. Anno ab Orbe con- „ dito sex millesimo septingentesimo sexage- „ simonono, postquàm hostes ea potiti fuis- „ sent annos quinquagintaocto. *Hactenus Logotheta*. Expugnata nàmque à Latinis fuit Constantinopolitana Civitas, ut suo loco consignavimus, Anno Domini MCCLV. sub sub Pontificatu Innocentii III. Anno ejus VII. die XII. Aprilis. Cùmque à Græcis recupe- rata fuerit Anno Domini MCCLXI. die XXV. mensis Julii, sequitur, Latinos ea potitos an- nos quinquagintaseptem integros, menses

tres,

tres, diesque duodecim, non computato die, quo à Græcis capta est: unde rectè Logotheta scribit, à Latinis potitam annos quinquaginta octo, licèt non completos, inchoato quinquagesimo octavo.

1100 „ Post dies complures, *subiungit* „ *Gregoras*, Imperator Constantinopolim in„ trat: non priùs tamen, quàm Sacrosanctæ „ Deiparæ, quàm quasi viæ monstratricem „ Hodegetriam vocant, Imago per portam, „ quam auream dicunt, ingressa esset. Ubi „ cùm illi gratiæ hymnis actæ fuissent, tùm „ demum pedes, præcedente Sacrosancta Ima„ gine, est ingressus: & in Palatio, quod „ Hippodromo proximum est, habitare cœ„ pit: nàm Blachernum longo jam tempore „ neglectum, & fumo ac pulvere plenum erat. *Hæc ille*. De eodem Imperatoris ingressu Georgius Logotheta accuratiùs scribens, utpotè qui aderat præsens, hæc scribit: „ Im„ perator decimotertio Augusti die Constan„ tinopolim pervenit, neque illo eodem die „ Urbem introit, sed apud Cosmidii Mona„ sterium, quod propè Blachernas locum, „ tentoria locat: ubi cum pervenisset, po„ stero die Constantinopolim hoc apparatu „ ingreditur. Et cum Patriarcha Arsenius „ abesset, præcationesque illæ, omnibus au„ dientibus, à Præsule quopiam recitandæ es„ sent, Cyzici Metropolita Georgius, quem „ Clidum cognominabant, defectum sup„ plevit. ipse enim in unam ex aureæ portæ „ turribus ascendens, secumque Deiparæ „ Imaginem ex Monasterio Hodigorum por„ tans, omnibus audientibus recitavit. In„ terim Imperator, capitis tegumento regio „ deposito, flexisque genibus in terram pro„ voluitur, omnesque, qui cum eo erant, post „ eum in genua procumbunt. Sed precatio„ ne prima finita Diaconus indixit, ut assur„ gerent omnes; qui stantes, *Domine mise„ rere*, centies numerantes acclamarunt. His „ etiam finitis à Præsule rursus alia precatio „ enunciatur, itaque ut in prima, ita in se„ cunda, & in aliis factum est, & sic dein„ ceps, usque ad completam precationum „ omnium recitationem. Sacris precationi„ bus ac cæremoniis fine imposito, Deo ma„ gis convenientibus, quàm regi, portam au„ ream Imperator cum Dei Matris Imagine „ proficiscebatur. Cum ad studii Monaste„ rium ventum est, ibidem Immaculatissimæ „ Matris Dei Imagine relicta, equum con„ scendens, ad sapientiæ Dei Templum per„ venit, in quo Christo Domino adorato, „ gratiisque, uti par erat, redditis, ad ma„ gnum Palatium appellit. *Hæc ille*.

1101 His itaque peractis, ejecto Justiniano illius Ecclesiæ legitimo Patriarcha, revocatus ab Imperatore Arsenius, qui, ut supra fati sumus, secesserat: objeratque, & Nicephorus, Arsenio fere exulanti, sola Regia auctoritate substitutus. Agens enim Gregoras de præcipuis Imperatoria curis post ejus in Civitatem ingressum, asserit primam fuisse repurgandi Civitatem, omniaque suo ordine ad vitandam confusionem disponendi: secundam, revocandi Arsenium, tertiam denique remunerandi Cæsarem, cujus operâ Civitas capta fuerat: de revocato Arsenio sic ait: „ Altera (scilicèt, cura) ut Arsenius Pa„ triarcha Sedem Bizantinam, tùm vacantem „ occuparet: idque, revocato illo, factum „ est, partim volente, partim nolente: no„ lente propter superiores offensas: volente, „ quod & ipse Imperatricem Urbem specta„ re cupiebat, & amore gloriolæ non pror„ sùs invictus erat. *Hæc Gregoras*. Hujus rei meminit etiam Georgius Logotheta, qui de ingressu Arsenii in Urbem, & quæ in eum excipiendo egerit Imperator, hæc memoriæ scripto reliquit: „ Quando verò, & Patriar„ chæ ingrediendum erat Constantinopolim, „ post nonnullorum dierum excursum, ser„ monibus, suasionibusque adductus introit. „ Imperator interim in Sacram Regiam ma„ gnæ sapientiæ sacrarium ad Cathedram „ Pontifici consignandam proficiscitur. Cùm „ Imperatore omnes in dignitate constituti, „ & patritiorum præcipui, & plebs universa „ accurrerat. Ibi Imperator manum Patriar„ chæ continens, Tene, *inquit*, Thronum „ tuum Domine, & à qua tamdiù aberrasti, „ Cathedra fruere. *Hæc ille*. Post hæc verò ejecti sunt ab Urbe Regia Latini omnes, nè fortè aliorum exemplo Urbem aliquando proderent: quorum cùm ingens multitudo esset, ex adversa Bosphori Thracii parte circa Galatam, Pisania, Venetia, ac Genuensibus, locus ad habitandum est attributus.

1102 Porrò Palæologus ad excutiendum omnem timorem, ne sibi diadema, adolescente Joanne Lascaris filio, ac Imperii legitimo successore, eriperetur, jussit ei aduri oculos ignito crepitaculo, ut ita obcæcatus inhabilis ad imperandum efficeretur: indeque duas illius Sorores, Theodoram, & Irenem Latinis hominibus nuptui tradidit, ea lege, ut suos viros ad Italiæ partes sequerentur. Ita Gregoras, inquiens: „ Enim verò Impera„ tor cùm Constantinopolim jam tenens, tùm „ res prosperè sibi succedere cernens, secun„ dæque fortunæ aura ferri, planè jam Im„ perium sibi vindicare statuit, omnemque „ metum sibi imminentem funditus extirpa„ re: veritus, nè forte tandem ii, qui nunc „ clàm se devoverent, iramque magno cum „ dolore premerent, non parvo prætextu „ successionis Imperii, & paternæ hæredita„ tis freti, insidiis in apertam vim commu„ tatis, maximum sibi, & capitale pericu„ lum crearent. Igitur Latino cuidam, qui „ è Peloponeso, negocii cujusdam causa, obi„ ter in Urbem venerat, nobili quidem illi, „ sed non illustri, Belicurto nomine, Theo„ doram, unam Theodori Lascaris filiam,

„ despondet, eumque hortatur uti secum eam „ abducat : alteram Irenen Comiti cuidam „ Genuensi despondet, nomine Vigintimilio, „ qui, & ipse forte Constantinopolim vene- „ rat, & eum quoque Domum redire sinit: „ Fratrem verò eorum Joannem, qui jam de- „ cimum agebat annũ, oculis privat. *Hæc ille*.

1103 Audito Paleologi facinore Arsenius Patriarcha, cui moriens Theodorus Lascaris filium commendarat: „ Exilit sursum, deor- „ sumque, *subjungit idem Scriptor*, in ædi- „ bus cursitat, vociferans, plorans, pectus „ palmis tundens, acriter plangens: animoque „ gravissimis doloribus sauciato, facinus il- „ lud palàm cum crebris suspiriis, detestatur, „ & solem, atque elementa in ultionem vo- „ cat. Sed cum quiritando, ac lamentando „ nihil proficeret, alia ratione inita, sacris „ interdicit Imperatori. Mentionem tamen „ ejus in psalmodiis non sustulit, veritus nè „ per iracundiam gravius aliquid in Eccle- „ siam consuleret: nè ut fumum (quod ajunt) „ fugiens, in ignem incidere cogeretur. *Hæc ille*. Quid postea egerit Paleologus, subiicit, dicens: „ At ille mulctam moderatè ferens „ compluribus diebus supplici gestu & habi- „ tu, restitutionem in integrum expectabat. „ Sed cum spe frustraretur, ad ultionem con- „ versus, non eam, quam potentiæ licentia „ suadet, nec aperta vi grassatus, Pontifi- „ cum Concilium indicit: eaque crimina, „ quæ sparsim à quibusdam contra Patriar- „ cham susurrabantur, in unum quasi fascem „ collecta, in Canonicam disquisitionem vo- „ cari jubet. Mandato illo (quid dicam?) „ ii, quos Dominus aliis fraternæ charitatis „ exemplum esse jussit, accepto, Concilium „ contra Principem fratrem in Palatium con- „ vocarunt: & ut accusatores in medium „ prodirent proclamarunt. Ji verò, alius „ alium antevertere studens accurrerunt.

1104 Prosequitur inde, inquiens: „ Cri- „ mini autem dabatur, Sultanum Azati- „ nem, cum Sacra Doxologia perageretur, „ sæpè interfuisse, & intra Templum cum Pa- „ triarcha collocutum esset, quamvis, & „ Imperatori, & Sacerdotibus constaret, quod „ is, & Christianis Parentibus ortus, & „ sacro baptismate initiatus esset ac fortunæ „ quodam impetu (ut multa præter spem eve- „ niunt) Sultanus, & Princeps Turcarum „ extitisset, ac tum quidem præcipua Reli- „ gionis capita in animo conservasset: nunc „ verò Constantinopoli, & Sacras Imagines „ veneraretur, & omnia palàm Christianæ „ pietatis instituta tueretur. Quæ arma Pa- „ triarchæ firma suppeterent, oppugnatores „ ejus, ut abrogationi adversantia retunde- „ bant, primùm incerta atque obscura, post „ etiam planè commentitia esse dictitantes. „ Accersitur Patriarcha ad causam dicendam: „ Judicio se non sistit: Concilium jussu Im- „ peratoris indictum esse, qui ipse adversa- „ rius, & prætor esset, excipit. Igitur eum „ contumacem condemnant, & Sedem cedere „ jubent: unaque adsunt, qui in exilium „ eum abducant. Is verò, qui & ocium lon- „ go jam tempore desideraffet, & eum rerum „ statum molestè ferret, ultrò eos, à quibus „ abducebatur, est secutus.

1105 Sic ergò ejecto Arsenio substitutus est ab eodem Imperatore Germanus Episcopus Adrianopolitanus, ei veteri amicitia conjunctissimus: De cujus substitutione hæc addit idem Gregoras: „ Cùm tertio die in Præ- „ consensum perductus est (*scilicèt Arsenius*) „ Adrianopolitanus Episcopus illi subroga- „ tur, amicitiæ vetustate cum Imperatore „ conjunctus, qui ea dignitate illum, ceu „ debito præmio remuneraretur. Nàm supe- „ rioribus temporibus, illi metu Theodori „ Lascaris Imperatoris ad Sultanum fugien- „ ti, in extremis tùm Romanorum finibus „ monasticam vitam agens, lætus occurre- „ rat: splendidèque exceptum, & liberali „ viatico instructum prosequutus erat: delu- „ de Imperio positum accesserat, & post mul- „ tos alios honores, etiam Adrianopolitano „ solio accepto, indemodò in Patriarchicam „ Sedem transferebatur. *Hactenus Gregoras*.

1106 Circa Christianorum res in Syria à discessu S. Ludovici Francorum Regis, ad captam usque Constantinopolim pejus ruebant, exortis civilibus discordiis inter ipsos Christianos: præcipuèque inter Januenses & Venetos: quas suo compendioso stylo recenset Sanutus lib. 3. par. 12. Cap. 5., inquiens: „ MCCLVI. incæpit discordia inter eos: & „ eodem anno Januenses debellaverunt Vene- „ tos, cum auxilio Pisanorum, & cucurre- „ runt infra eorum habitationem usque ad „ Sanctum Marcum: Deinde Pisani Venetia „ pacificati sunt, & acceperunt Legaban, & „ mensuras Venetorum: & composuerunt, ut „ usque ad annos viginti mutuò se juvarent „ in odium Januensium. Sequenti verò An- „ no MCCLVII. Januenses composuerunt cum „ Dominio Accon in odiũ prędictę concordię, „ propter quod Dominum Accon simul cum „ Januensibus, aggreditur simul, & Pisanos, & „ Venetos, duasque Turres Pisanorum tandem „ obtinuit. Eodem anno venit Ptolemay- „ dam pro Venetis Laurentius Teuplo, Ca- „ pitaneus XIII. Galearum; & occupavit por- „ tum Ptolemaydæ violenter. Januenses verò „ armaverunt Galeas in Tyro, pugnaverunt- „ que simul: & Veneti ante Tyrum cœperunt „ Januensium tres galeas, & Ptolemaydam „ conduxerunt. Anno MCCLVIII. quadra- „ ginta galeæ, & quatuor Naves Januensium „ ante portum Ptolemayde venerunt in Vi- „ gilia Sancti Joannis: tunc armaverunt Ve- „ neti, & Pisani quadraginta galeas & ag- „ gressi sunt illos inter Ptolemaydam & Cay- „ pham, eosque debellaverunt, captis ga- „ leis vigintiquinque, captis etiam vel inter-

fe-

„ fectis mille feptingentis viris. Tunc pax „ in Civitate Ptolemaydæ hoc pacto refor- „ mata eft: ut videlicèt Turris munitiffima „ Januenfium deftruatur, cunctaque ædifi- „ cia: & Tyri de cætero commorantes, ve- „ xillum in fuis navigiis ad portum Ptole- „ maydæ nunquam portent: nec in Ptole- „ mayda habeant de cætero curiam vel præ- „ conem. *Hæc Sanutus*. De diffidiis inter Venetos, & Januenfes.

1107 Dum ergò Chriftiani inter fe pugnantes vires in dies amittebant, Tartari irrupentes priùs in Perfidem inde Syriam, poftea in Hierofolymitanum Regnum univerfa deveftaverunt, donec & ipfi victi à Soldano Babyloniæ retrocedere coacti funt. Anno namque MCCLIX. ut notat Sanutus Cap. 6. cœperunt Tartari Alapiam, Harenc, Haman, Calamelam, & Damafcum, cunctos fibi obviam factos Occidentes: Anno MCCLX. ingreffi funt in Regno Hierufalem, & cœperunt Sydònem, licèt non caftrum in Mare fitum. Quo Annno in plano Tyberiadis à Soldano Babyloniæ debellati funt. Hæc quidem ex Sanuto, à receffu S. Ludovici ad Annum MCCLXI. quo capta eft à Græcia Conftantinopolis, quam & auxilio Januenfium in Venetorum odium captam fcribit Nangius, de rebus geftis S. Ludovici, ad Annum MCCLXI. id quod, & Gregoras innuit eodem lib. 4. hiftoriæ.

CAPUT XXVII.

De Urbani IV. Pontificatu, & rebus ab eo geftis, tùm pro amiffo Imperio recuperando, tùm in procuranda Græcorum unione.

1108 Ereptam à Latinorum dominio Regiam Conftantinopolis Urbem Anno VII. Pontificatus Alexandri IV. ut fupra fati fumus, qui & ejus ultimus fuit annuus, vitâ functus VIII. Kal. Junii, & quidem nondùm à Græcis capta Urbe, quæ nonnifi die xxv. Julii, ut ex Georgio Logotheta adnotavimus, ea ceffit: vacabat tamen tunc Romana Sedes, nondum Alexandro dato fucceffore: & Ità apparet, quo fenfu dictum fit, ereptam anno VII. Pontificatus Alexandri IV. Itaque anno Domini MCCLXI. evulgata per occidentem de Tartarica in Syriam irruptione, fama, Alexander cùm effet Viterbii, ad capeffenda adversùs eos arma, ac ad nomen Chriftianum defendendum, Catholicos Principes, & Reges datis literis, excitare curavit, indicto quoque ad hunc eundem effectum Concilio Viterbii celebrando in octava Apoftolorum Petri & Pauli, fed morte præventa univerfa infecta remanferunt. Sic Sternus fuis in Annalibus ad præfatum Domini annum, inquiens: „ Eodem Anno Dominus „ Alexander Papa direxit literas Regibus, „ & Ducibus, Archiepifcopis, & Epifcopis, „ & univerfis Principibus Chriftianis, hor- „ tando ipfos, ut contra horrendam rabiem „ Tartarorum Confiliis, & armis fe præmu- „ nire deberent: nam iidem Tartari, devi- „ ctis jam, & deletis omnibus Regibus, & „ Regnis Sarracenorum, in partibus tranfma- „ rinis, Antiochiæ, & aliis Chriftianorum „ terris, terrorem tam validum incufferunt, „ ut ad dictos Papam, & Reges fupplices, „ & frequentes legationes dirigerent pro „ fuccurfu. Unde cùm fuper hoc negotio „ Concilium in octava Apoftolorum Petri & „ Pauli habendum Viterbii indixiffet, ipfe „ VIII. Kal. Junii diem claufit extremum. *Hactenus ille*. Confonant ea quæ Urbanus IV. de cura Alexandri deceſſoris fuis hac in caufa fcribit Archiepifcopo Nidrofienfi, & Epifcopis Bergenfi, Aloenfi, & Stavangrenfi. Ex lib. 1. Regefti Urbani, Epiftola 100. Ubi & legitur eundem Alexandrum præcepiffe, ut in Provinciis Concilia haberentur ad effectum deliberandi de modò fubveniendi labenti Orientali, & aliorum Regnorum Ecclefiæ propter Tartarorum invafiones. Hinc Matthæus Weftmonafterienfis, ad hunc eundem annum refert in Anglia diverfa celebrata Concilia, puta apud Lambetham juxtà Londinum, Londini, & Beveriey, menfe Maji, ut Alexandri obtemperarent mandatis, in Gallia quoque, tùm apud Moguntiam, tùm alibi, ad eundē effectum celebratos eodem anno Synodos, fcribit Siffridus Presb. in fuo Epitome.

1109 Cæterùm de obitu Alexandri concordant ferè omnes Scriptores in eò quod afferunt obiiffe Viterbii die xxv. Maii, ideft, VIII. Kal. Junii. Sic Matthæus Weftmonafterienfis in Floribus hiftoriarum, inquiens: *Eodem anno in fefto S. Urbani Papæ, & Martyris, quod fuit* VIII. *Kal. Junii, obiit Papa Alexander*. Sic Nangius de geftis S. Ludovici, fcribens: *Anno Domini MCCLXI, in fefto Sancti Urbani Papæ, obiit apud Viterbium Alexander Papa*. Sic Ptolæmus Lucenfis lib. 22. Ecclef. hift. cap. 16. ubi ait: *Alexander moritur in fefto S. Urbani* VIII. *Kal. Junii, ut communiter hiftorici tradunt, & hoc apud Viterbium: Et in Ecclefia S. Laurentii honorificè fepelitur*: & fic cæteri adnotant Scriptores: ex quibus colligitur fediffe annos VI. menfes v. & dies v. Et ità corrigendus eft auctor vitæ Alexandri apud Labæum, fcribens fediffe fuper annos fex, & menfes quinque, dies XIII. & magis corrigendus eft Longinus lib. 7. hiftor. Polonicæ, afferens fediffe annos feptem, & menfes duos: nam creatum fuo loco diximus anno Domini MCCLIV. XII. Kal. Januarii fcilicèt XXI. menfis Decembris: ac ità dato ejus obitu VIII. Kal. Junii anni MCCLXI. fequitur fediffe annos fex, menfes quinque, totidemque dies: Proindè errant pariter apud Labæum, qui mortem Urbani confignant in an-

num

num Domini MCCIX. Ex hoc nàmque sequeretur sedisse annos dumtaxàt quinque, non sex, ut ibi subinfertur.

1110 Post ejus obitum, dissidentibus Cardinalibus in successoris electione, cessavit Pontificatus mensibus tribus, & diebus quatuor. In assignando autem tempore vacantis Sedis errare videtur Westmonasteriensis, dùm scribit: *Cessavit Romanus Pontificatus tribus mensibus, & binis circitèr hebdomadibus*; quoniàm teste Longino, eodem lib. 7. Urbanus IV. Alexandri successor, renunciatus fuit Roman. Pontifex in festo Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, die scilicèt XXIX. Augusti; & ab VIII. Kalendas Junii ad XXIX. Augusti numerantur menses dumtaxàt tres, & dies quatuor. Itaquè post longa Cardinalium dissidia, extrà eorum gremium requisitus est Pontifex Romanus, designatus, ac renunciatus universis suffragantibus, Jacobus Pantaleonis Patriarcha Hierosolymitanus, qui Urbanus IV. appellari voluit. De eujus electione Auctor anonymus Rerum Siculorum, apud Raynaldum ad Annum Dñi MCCLXI. sub num. VII. ità scribit: „ Papali Curia „ morante Viterbii, ibique Alexandro IV. „ Summo Pontifice viam universæ carnis ingresso, dùm Collegium Cardinalium, in „ quibus, velut in montibus sanctis Ecclesiæ „ fundamenta sunt posita, habere incœperunt de Pastoris substitutione tractatum, „ eùm inter eos, vertiginis spiritu, & invidiæ „ livore suffuso, non possent in aliquo de gremio convenire, contigit, quòd Hierosolymitanus Patriarcha, natione Burgundus „ (*verè tamen Trecensis*) qui tunc ad Curiam ipsam pro Ecclesiæ suæ promovendis „ negotiis accesserat, concorditèr ad apicem „ Apostolicæ dignitatis assumptus est. Itaq; „ factus de petitore concessor, de subdito „ Dominus, de filio Pater, Papa Urbanus IV. „ meruit nominari. *Hæc ille*.

1111 Trecis in Gallia, non Burgundiæ, natum scribit Gregorius Decanus apud Masson lib. 5. inquiens: *Huic de catholicis ortu natalibus Trecarum Civitas nomini proprio cognomen adjecit*. Et quidem ex humili, & obscuro genere, licèt virtute, & sapientiâ nemini inferior extitisset, ut scribit Sanctus Antoninus part. 3. Summ. Histor. tit. 19. cap. 13. in principio, inquiens: „ Postquàm Alexander IV. de hac luce subtractus est, elapsis quinque mensibus post vacationem Sedis Apostolicæ (*errat hic Antoninus in designando tempore vacantis Sedis*) concordantibus Cardinalibus Orbis, canonicè „ electus est ad Summum Præsulatum Urbanus IV. Anno Domini MCCLXI. in Civitate Viterbii, ubi Curia residebat; & in „ numero Pontificum centesimus octogesimusquartus; & sedit annis tribus. Hic etsi „ infimæ conditionis fuit, secundùm sæculi „ vanitatem, quia filius pauperculi resarcientis Sutilares in Francia, nobilissimus „ tamen sapientiâ, & virtutibus. *Hæc ille*. Sed de ejus pueritia, studio, & profectu, idem Gregorius Decanus ità scribit: „ Idem „ Vir dilectus Deo, & hominibus, dùm adhùc esset puerulus, Parisios mittitur, ut „ ibi armariolum puri pectoris scholasticis „ imbueret disciplinis. Ubi sie laudabilitèr „ primò in liberalibus artibus, postmodùm „ in scientia Juris Canonici, superni Numinis benedictione profecit, quòd in utrisque Cathedrali meruit insigniri. Cùmque „ ipsius excellentia ingenii altitudo majorum profunda requireret facultatum, ad „ Theologiæ studium se convertit, in qua sic „ laudabilitèr dignoscitur profecisse, quòd „ lingua ejus Scribæ calamus prædicationis „ verbo singulos confovebat. Solum natale „ tandèm repetens, ejus eximiæ sapientiæ, „ & ordinatæ vitæ fama laudabilis ad vicinos evolat, & remotos. Itaquè honorabilis Præsul Laudunensis Ecclesiæ eum in „ suum Archidiaconum evocavit: in qua „ Ecclesia laudabilitèr vixit, & honestæ „ conversationis habitum studuit conservare.

1112 Deindè subjungit: „ Postmodùm „ verò, Virdunensis Ecclesiæ obeunte Pontifice, dictus Vir Deo plenus, in ejusdem „ Virdunensis Ecclesiæ Episcopum honorabiliter est assumptus. Cui Virdunensi Ecclesiæ cum aliquantis temporibus famosissimè, & utilitèr præfuisset, odor ejus bonorum operum montes transiliens, & mare „ perlustrans, ad partes ultramarinas pervenit, ubi sic cor Incolarum de illis partibus commovit, & suavitate morum refecit, quòd Ecclesiæ Hierosolymitanæ Trecensis Jacobus, Beato Jacobo fratri Domini in tàm eximio Patriarchatu successit. In quo quidèm Patriarchatu sic Patriarchis præfuit, & profecit, quòd Peregrini, & Incolæ ipsarum partium, Patrem, & Pastorem amabilem se habere gaudebant.

1113 „ Porrò, cùm pro Terræ Sanctæ „ subsidio, & ejusdem Hierosolymitanæ Ecclesiæ utilibus, & arduis negotiis, idem „ pater necesse habuisset Sedis Apostolicæ „ limina visitare, navigii subsidio maris pelagus navigavit, & ad Civitatis Venetiarum litora veniens, & ad Civitatem Anagniensem, ubi tunc Sedes Apostolica residebat, se transtulit; in qua bonæ memoriæ „ Domino Alexandro Papa IV. qui tunc Romanam regebat Ecclesiam, ab ejus fratribus Dominis Cardinalibus, & tota Curia „ honorificè susceptus, & benignè tractatus, „ in eadem Civitate aliquantis temporibus „ conquievit, subsidium Terræ Sanctæ, & „ negotia Ecclesiæ Hierosolymitanæ prædictarum fœliei consilio promovens, & procurans.

1114 „ Eodem verò Alexandro Papa in „ Civitate Viterbiensi, ad quam cum tota „ Curia, & eodem Patriarcha se transtulerat, „ diem claudente extremum, ipsa Romana „ Ecclesia trimestri vacavit, eisdem Cardi- „ nalibus, inimico hominis superseminante „ discordiam, non valentibus concordare. „ Sed cùm Dei sapientia ab æterno alto pro- „ vidisset consilio, eundem Jacobum, quem „ Archidiaconum, Episcopum, & Patriar- „ cham jàm fecerat, Summo Pontificatus „ fastigio honorare, eorundem Cardinalium „ corda sic disparia ad tantam concordiam, „ & paritatem adduxit, ut concordi voto, „ voce &, animo eundem Jacobum in Sum- „ mum Pontificem acclamarent; quem iidem „ Cardinales ad tantæ dignitatis sic promo- „ tum apicem, Urbanum Papam IV. cum in- „ genti gaudio vocaverunt. In cujus pro- „ motione gaudet Clerus, & Populus, læta- „ tur Mater Ecclesia, & cuncti fideles jubi- „ lant, & exultant. O' magna Dei Patris „ providentia! O' altitudo Divinæ Sapien- „ tiæ, quæ tanto, & tali Pastore suam Spon- „ sam Matrem Ecclesiam illustravit. *Hacte- nus ille*.

1115 Ad hæc verò, ut ejus merita excu- tiamus, prætereunda non est nobilis illa Le- gatio, qua in Polonia functus est adhùc Leo- diensis Archidiaconus sub Innocentii Tertii Pontificatu, à quo missus fuit ad componen- das in eo Regno excitatas turbas, Anno Do- mini MCCXLIV. quas deniquè mirè compo- suit, indèque indicta Patrum Uratislaviæ Synodo, pro Romanæ Ecclesiæ indigentiis obtinuit, ut ab universo Clero quinta reddi- tuum pars triennorum Romano solveretur Pontifici; in qua Synodo sustulit antiquam Poloniæ consuetudinem, quæ dissidiorum causa erat, incipiendi videlicèt Quadragesi- mam more Orientalium à Dominica Septua- gesimæ. Ejus deniquè merita Alexander IV. commendat in Epistola ad eum data, dùm Legatum in Orientem misit, & Patriarcham Hierosolymitanum fecit, inquiens: „ Tibi, „ quem charum habemus, tuorum exigen- „ tia meritorum, plenæ Legationis officium, „ tàm in Provincia Hierosolymitana, quàm „ etiam in Exercitu christiano, ubicumque „ pro subsidio Terræ Sanctæ in dicta Provin- „ cia fueris, de fratrum nostrorum consilio „ duximus committendum; firmam spem, „ fiduciamque tenentes, ut cùm semper di- „ lexeris justitiam, & iniquitatem oderis, „ tibique prestò sit judicium rationis, recta „ reges, & diriges indirecta, asperaq; con- „ vertes in plana. *Hæc ille*. Et in literis da- tis ad Orientales, quibus præfatum pluri- mùm commendat Legatum, ait: „ Venera- „ bili fratri nostro Patriarchæ Hierosolymi- „ tano, viro utiquè morum honestate con- „ spicuo, literarum scientiâ prædito, & pro- „ videntiâ circumspecto, quem charum ha- „ bemus suorum exigentiâ meritorum, ple- „ næ Legationis officium, tàm in Provincia „ Hierosolymitana, quàm etiam in Exercitu „ christiano, ubicumque pro subsidio Terræ „ Sanctæ in dicta Provincia fuerit, de fra- „ trum nostrorum consilio duximus commit- „ tendum; spe nobis firma proposita, quòd, „ cùm ei adsit puritas conscientiæ, & præstò „ sit judicium rationis, malitiam odiat, & „ innocentiam tueatur, quòd recta regens, „ & diregens indirecta, aspera convertet in „ plana. *Hactenus Alexander*.

1116 Hic ergò ad apicem Pontificatus, ut fati sumus, evectus, omnium primùm En- cyclicas ad Principes, & universi Orbis Præ- sules fecit literas, quæ incipiunt: *O' altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, in qui- bus post plura, de sua electione verba faciens, ait: „ Sanè fœlicis recordationis Alexan- „ dro Papa prædecessore nostro, VIII. Ka- „ lendas Junii, videlicèt in festo Beati Ur- „ bani Papæ, & Martyris, de carnis nexibus „ liberato, ad gloriam supernæ Patriæ, sicut „ speramus assumpto; ac ejus corpore post „ celebratas solemnes exequias in Viterbiensi „ Ecclesia honorificè, prout decuit, tumu- „ lato, fratres nostri Episcopi, Presbyteri, „ & Diaconi Cardinales, mox pro eligendo „ successore insimùl convenerunt, affectus „ suos erigentes ad Deum, ut generali Ec- „ clesiæ viduatæ, Pastorem idoneum consue- „ tâ misericordiâ largiretur.

1117 „ Invocatâ ergò Sancti Spiritus „ gratiâ, ut est moris, incœperunt protinùs „ super electione Summi Pontificis diligen- „ tem habere tractatum. Et licèt studiosè „ institerint, & studuerint instanter, ut citò „ consequeretur tantum negotium finem bo- „ num, ac Divinam clementiam devotâ, & „ sedulâ supplicatione pulsaverint, ut illum, „ qui sibi esset acceptus, & quem apud se ad „ onus Apostolicæ servitutis elegerat, ac su- „ per cujus meritum considerationis suæ ra- „ dius quiescebat, populo suo in Rectorem „ celeritèr concedere dignaretur; fuit ta- „ men eorum in hoc desiderium aliquandiù „ moræ interventione suspensum, & ipsius „ consummatio negotii per alicujus tempo- „ ris spatium retardata; Nàm cùm de sum- „ mo, & universali Præsule, de Patre Pa- „ trum, de Pastore Pastorum, & Christi Vi- „ cario, ac successore præfati Apostolorum „ Principis ageretur, majorem utiquè provi- „ dentiam, & ampliorem deliberationem res „ tàm ardua requirebat.

1118 „ Demùm autem post multam di- „ scussionem, longumque tractatum, ad per- „ sonam nostram, cùm tunc Ecclesiæ Hie- „ rosolymitanæ gerentes regimen, pro suis „ negotiis apud Sedem Apostolicam mora- „ rentur, sua unanimiter corda, & animos „ concorditer, converterunt, direxerunt vo- „ ta, & firmaverunt consensum. Et quam- vis

„ vis inter eos essent, qui veluti dignores „ fuissent, & potuissent pleniùs, & laudabi- „ liùs tantum officium exercere; quàmquàm „ etiam multos extrà suum Collegium eo- „ rum anxiæ cogitationi, & explorationi so- „ lerti mundus offerret, quibus utpotè po- „ tioribus magis decuisset imponi tantæ sar- „ cinam dignitatis, ipsi tamèn nostram in- „ sufficientiam aliorum sufficientiæ prætule- „ runt, nos ad Summi Pontificatus apicem „ eligentes. *Hæc de sua electione Urbanus.* Qui mox incœptum à decessore suo negotium pro subvenienda Terra Sancta, ac Tartarorum audacia, christianas omnes invadentium Provincias refrenanda, perficere omnimodis procurat; quemadmodùm & pro amisso vacante Romana Sede, à Latinis Constantinopolitano Imperio, curam adjecit, si qua via iterùm recuperari posset, ut ejus literæ indicant. Quarè primùm scripsit Archipiscopo Nidrosiensi, ac Episcopis ejus Suffraganeis, hortans, & præcipiens, ut subsidia pro Tartarico bello exigere, ac exhibere studiosè curent. Literæ verò sic se habent.

Urbanus Episcopus &c.
Archiepiscopo Nidrosiensi, ac Bargensi, Aloensi, Orcadensi, Stavvangrensi Episcopis.

1119 „ Sibi, & gregi sibi commisso solicitus fœlicis recordationis Alexander Pa- „ pa prædecessor noster, prout sui Apostola- „ tus officium exigebat, certis alienæ cædis „ exemplis admonitus, & malorum instan- „ tium non dubiis rumoribus excitatus; cùm „ sevissimum Tartaricæ feritatis gladium, „ quo filios hominum pro parte jàm maxima „ in suorum peccaminum ultionem dignè „ commota indignationis divinæ severitas, „ ut residui saluhritèr paveant, flagellari „ permisit, cautis prudentiæ sensibus prospe- „ xissent, non potuit dissimulare, nec debuit, „ quin clamaret præmuniens diligenter, & „ præmovens fidelium præcipuè Pastores, & „ Principes, ut secùm expergiscerentur, & „ surgerent, ac in alienis periculis propria „ præcaventes, antè sera tempora tempesti- „ va remedia præpararent.

1120 „ Nè verò generalis convocatione „ Concilii, quod arduæ rei necessitas flagi- „ tabat, ob incommoda temporum, loco- „ rum distantias, viarumque discrimina ge- „ neralitas gravaretur, aut necessariæ provi- „ sionis utilitas incurreret ex nimia tardita- „ te defectum, præfatus prædecessor à chri- „ stianis Principibus, Prælatis, atque Col- „ legiis solicitè inter alia requisivit, ut cir- „ cumspectæ deliberationis examine provi- „ derent, quibus modis, quibusvè remediis, „ atque subsidiis Ecclesiasticis, & mundanis „ ad resistendum prædictis Tartaris, tàm in „ Terra Sancta, quam impetunt, quàm in „ Regno Hungariæ, atque terra Poloniæ, „ aliisque locis, undè ad alia occupanda „ Christianorum Regna violentum molin- „ tur ingressum, conflarentur in unum vires „ Populi christiani, cùm tantæ, tàmque im- „ probæ multitudinis irruptionibus cohi- „ bendis unius Regni quantumlibet præpo- „ tentis non credantur sufficere facultates, „ quæ insuper Regio, cui, quibusque modis, „ & viribus contrà eosdem Tartaros succur- „ rere teneretur: quæ demùm, & qualia sub- „ ventionis auxilia particulariter ob hoc in- „ dici deberent Cleris, & Populis christia- „ nis, & de reliquis nihilominùs providentiæ „ opportunæ suffragiis in tantum negotium, „ illudque contingentia conferendis, secun- „ dùm datam ipsis prudentiam, Deum, & uni- „ versale periculum habendo præ oculis; co- „ gitantes super omnibus, deliberatione ha- „ bita diligenti usquè ad octavam Apostolo- „ rum Petri, & Pauli, nunc proximo præte- „ ritam, aliquos Procuratores, & Nuncios „ providos, & discretos sufficienter instru- „ ctos, ac plenum habentes à Prælatis, Col- „ legiisque mandatum super præmissis omnia „ faciendi quæ ipsi possent, si præsentes es- „ sent efficere, ad Sedem Apostolicam desti- „ narent, per quos eorum communicato con- „ silio dicta Sedes statueret quæ in tam ar- „ duo Christianitatis negotio publicæ salutis „ utilitas postularet.

1121 „ Receptis itaquè hujusmodi lite- „ ris Apostolicis christiani Principes, & Ec- „ clesiarum Prælati, ac Ecclesiastici Viri di- „ versorum Regnorum deferentes Apostolici „ Patris mandatis, & monitis, ut decuit re- „ verenter, ad Apostolicam Sedem Procura- „ tores, & Nuncios transmiserunt. Sed quia „ dictus Prædecessor noster jussus à Domino „ migrare de sæculo isto nequàm, positam „ omnibus legem fatalis conditionis imple- „ verat, venerabiles fratres Episcopi, & di- „ lecti filii nostri Presbyteri, & Diaconi sa- „ crosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, „ prædictâ tunc Sede vacante, hujusmodi „ Nuncios honorificentiâ, qua decuit, ad- „ mittentes; ac benevolam præsentiam, & „ audientiam impendentes, eisdem literas, & „ mandata, quæ attulerant, fecerunt sibi pro- „ tinùs exhiberi, quibus inspectis, attentiùs, „ & propensiùs, quia ipsi tunc occupati cir- „ cà tractatus, qui tunc eis de substitutione „ Romani Pontificis imminebant, cùm eis- „ dem Procuratoribus, in remediis adhiben- „ dis contrà pestem hujusmodi efficacitèr „ procedere nequiverunt, Procuratores, & „ Nuncios ipsos, nè suos Dominos, aut eos „ mora gravaret longior, dimiserunt, eodem „ non intermisso, sed ad plenioris instructio- „ nis consilium remisso negotio, donec præ- „ dictâ Sede ordinatâ, de Pontificatu Apo- „ stolici successore, consequeretur super eo „ Ecclesiasticæ solicitudinis instantia exitum „ concupitum.

1122 „ Licèt igitùr vos Nuncios, & „ Procuratores vestros, propter hoc, ad prædictam Sedem tardè miseritis, quod opinamur ex multa locorum distantia, cùm in „ ultimis terræ sitis constituti finibus, contigisse; nos tamèn, quos omnipotens Dominus, licèt immeritos, ad Summi Apostolatus apicem sublimavit, eosdem Nuncios, & Procuratores vestros benignè, ac „ clementer admisimus, nec non & literas, „ quas nobis ex parte vestra tulerunt, attentè perlegimus, & intelleximus diligenter. Sed quia mens nostra in nostræ hujusmodi novæ promotionis initio, multarum „ solicitudinum, & diversarum curarum obsidione vallatâ super prædicto negotio, „ quod non ultimam requirit diligentiam, „ plenè adhùc deliberare nequiverit; præfatos Nuncios, & Procuratores vestros ad „ vos eum memoratæ Sedis gratia duximus „ remittendos, fraternitatem vestram monentes, rogantes attentiùs, & hortantes, ut „ per Apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenùs intendentes „ vobis ipsis, & christiano Populo, in quo „ vos posuit Dominus Principes, & Pastores „ circà prædictum negotium contrà Tartaros prosequendum, quæ necessitati conveniunt, & utilitati expediunt generali, prudentèr, & solicitè cogitatis, illud in omnibus, & per omnia, juxtà formam per literas memorati Prędecessoris vobis traditam, „ prudentibus consiliis, sedulis studiis, & „ provisionibus circumspectis talitèr dirigatis, ut prompti inveniamini, & parati ad „ ea, quæ per ejusdem negotii promotionem, „ tàm circà subsidium, quod propter hoc in „ Regno Norwegiæ ad præsens colligitur, „ ut scripsistis, quàm etiàm circà alia, quæ „ ipsius Regni, & Reipublicæ Christianitatis „ commodum respiciunt, & profectum vos „ duximus requirendos. Dat. Viterbii v. Idus „ Junii Anno I. *Hæc Urbanus*.

1123 Cogitante indè Balduino juncto Venetorum Duci de resarciendis Latinorum jacturis in Oriente ob amissam Regiam Constantinopolis Urbem, & ferè universum Orientale Imperium, Paleologo aliundè sæviente in Latinorum reliquias, qui sub præfato remanserant Imperio, ut omnia in suam redigerent potestatem, interpellavit, & Romanum Pontificem, ut huic negotio manum dare dignaretur; nec distulit Urbanus, nec defuit, qui Minoritis Franciæ imperavit, ut incitandis ad arma sacra populis operam navarent, Crucem prædicando, ac Indulgentias profecturis pollicendo, quas pro Terræ Sanctæ subsidio bellum inituri consequerentur, datis Ministro Provinciali præfati Ordinis in Regno Franciæ gravissimis literis, quas ex Vaticano Regesto exscripsit Pater Wadingus, suisque inseruit in Minorum Annalibus ad Annum Domini MCCLXI. sub num. XVII. quæ ad hunc modum se habent.

Urbanus Papa IV.
Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum in Regno Franciæ.

1124 „ Orta est Nobis de partibus Romaniæ multæ turbationis materia, & exindè prosilierunt jacula, quæ diris puncturis „ affecerunt, & afficiunt intima cordis nostri. „ Eccè siquidèm in Regione illa contrà fidelem populum, schismaticorum erectus est „ gladius, undiquè ad subvertendum Catholicorum statum gravis persecutionis turbo „ prorupit, proptèr quòd cultores fidei orthodoxæ hostilibus inibi quatiuntur insultibus, & christiana Religio variis, & diversis adversitatibus impugnatur. Paleologus „ nàmque schismaticus, qui Græcorum Imperatorem vocari se facit, postquàm illius „ perfidæ gentis obtinuit principatum contrà Populum Latinorum, qui in illis partibus commoratur, cœpit in eum furoris „ tyrannidem inhumanitèr exercere: Sicque „ adversùs eum unà cum subjectis sibi Græcis nationibus conspiravit, quòd ad illius „ exterminium, & subversionem tota suæ „ malignitatis convertit studia, direxit intentionem, & animum præparavit, improbè sperans se posse de facili, Latinis „ ejectis, exindè Constantinopolitani Imperii dominium integrum obtinere. Congregato igitùr post debellationem, & captionem dilecti filii nobilis viri Guillelmi de „ Willarduin Principis Achajæ, Exercitu „ copioso, & Civitatis Constantinopolitanæ „ finibus appropinquans, Civitatem eandem, „ cùm non posset illam violentèr capere, proditionalitèr occupavit, collocans in eâ superbiæ suæ Sedem in sempiternum opprobrium Latinorum.

1125 „ O' quantos concepit dolores, o' „ quot suspiria protulit, o' quàm acerbas „ effudit lacrymas Romana Mater Ecclesia, „ cùm audivit, quòd prætactam Civitatem, „ quæ in ejus permanens unitate in suo gremio altiùs relucebat, amisit! Recolens etenim, quòd multo tempore anxiè vigilavit, „ laboriosa studia intentis vigiliis adnectendo, ut Civitatem tàm inclytam, & famosam, tàmque insignem, & amabilem obtineret; memor etiàm solicitudinum, suspiriorum, & laborum, quibus fœlicis recordationis Innocentius Papa III. prædecessor „ noster illam Imperialem Urbem ad unitatem catholicam conquisivit; & audiens „ eam sic probrosè deperditam, & ab ejus „ obedientia, & devotione subtractam, acuti „ doloris gladio sua præsensit viscera perforata.

1126 „ Verumtamèn quantumcumquè „ immensum ex hoc flebili casu Civitatis ejus-

„ ejusdem dolorem concepit, & mœrorem,
„ nequaquàm ob hoc cecidit spes ipsius, nec
„ fuit animo consternata, quin de ipsius Ci-
„ vitatis, & per consequens dicti Imperii
„ recuperatione solicitè cogitaret, confi-
„ dens in illo, qui est in se sperantium forti-
„ tudo, quòd post hujus percussionis dolo-
„ rem, consolationis opportunæ medelam
„ misericorditèr adhibebit. In hoc enim cla-
„ ret excellentia fidei, super cujus petram
„ eadem Ecclesia fundata consistit, quià
„ quantò graviùs Ecclesia ipsa impetitur,
„ tantò persistit constantior, quoniàm im-
„ mobile accepit in Christo, qui est veritas,
„ fundamentum; Nàm licèt antiquis tempo-
„ ribus eadem Ecclesia memoratum Impe-
„ rium amarè planxerit, ab ejus unitate sub-
„ tractum, licèt diutinas, & innumeras ama-
„ ritudines, & afflictiones pertulerit de suo-
„ rum inibi dimicantium oppressionibus filio-
„ rum; semper tamèn animo fortis stetit, nec
„ unquàm, quæ potuit, illùc subsidia desti-
„ nare cessavit; quià sibi continuè divina po-
„ tentia in tanti prosecutione negotii neces-
„ sariæ subventionis largitione providit, corda
„ fidelium ad prebendum ei auxiliū super hoc
„ assiduè accēdendo, ex quibus innumeri jàm,
„ effuso in pugna tam salutifera sanguine,
„ cursum vitæ præsentis sub glorioso trium-
„ pho martyrii fœlicitèr consummarunt.

1127 „ Verùm, quià dicti Paleologi ne-
„ quitia faventis temporis tumefacta suffra-
„ gio, prædicta Urbe, quæ memorati Im-
„ perii Caput existit, talitèr occupata, ad
„ occupationem residui ejusdem Imperii, vi-
„ delicèt Principatus Achajæ, ac Moreæ fer-
„ ventèr anhelat, nos attendentes, quòd Ec-
„ clesiæ corpus ex membris tàm chari, scili-
„ cèt Imperii prætacti carentia, si prætactum
„ residuum, quod absit, occuparetur ab eo,
„ notam probrosæ deformitatis incurreret,
„ & sustineret debilitatis dolendæ jacturam;
„ Considerantes etiam, quòd charissimus in
„ Christo filius noster Balduinus Illustris Im-
„ perator Constantinopolitanus, & nobilis
„ vir Dux Venetorum, sicut ejusdem Impe-
„ ratoris, & ejusdem Ducis Nuncii, nobis, in
„ nostra constituti præsentia retulerunt, unà
„ cum Prælatis, & Baronibus Principatus
„ jàm dicti magnificum tàm per Mare, quàm
„ per terram pro succursu ejusdem Imperii
„ jàm disposuerunt facere apparatum; ac
„ volentes eos in hoc fidelium Christi præsi-
„ diis adjuvari, dignè providimus fore ab
„ eisdem fidelibus opportunum propter hoc
„ suffragium postulandum.

1128 „ Tuæ igitùr discretioni per Apo-
„ stolica scripta in virtute obedientiæ distri-
„ ctè præcipiendo mandamus, quatenùs tàm
„ per te, quàm per alios fratres tui Ordinis,
„ quos ad hoc idoneos esse cognoveris, pro-
„ ponens eisdem fidelibus per Regnum Fran-
„ ciæ, nec non per alia loca, per quæ tua
„ administratio se extendit, juxtà datam tibi
„ à Deo prudentiam verbum Crucis, eos at-
„ tentiùs, & sedulis exhortationibus inducere
„ non omittas, ut pensantes providè quàm
„ sit necessaria nunc Imperio prætacto festina
„ subventio; advertentes etiā, quòd per Impe-
„ rii pretacti succursū, catholicę Fidei, & Ec-
„ clesiasticæ libertatis augumentum, nec non
„ & Terrę Sanctę liberatio specialitèr procu-
„ rantur, ad succurrendum eidem Imperio, ac
„ Latinis morantibus in eodem, quinimmò ad
„ Imperium ipsū eripiendū de manibus adver-
„ sariorum, contrà prędictum Paleologum, &
„ fautores ipsius, assumpto Crucis signaculo,
„ virilitèr, & festinantèr exurgant; prædicto
„ quoquè fidelibus ipsis, quòd dictus Dux
„ Venetorum, omnes Crucesignatos, hujus-
„ modi suo potenti navali stolio illùc deferri
„ faciet sinè naulo.

1129 „ Nos etiam de omnipotentis Dei
„ misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli
„ Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex
„ illa, quam nobis, licèt indignis, Deus li-
„ gandi, atque solvendi contulit potestate,
„ omnibus eidem Imperio, ac Latinis in per-
„ sonis, vel bonis eorum succurrentibus, il-
„ lam suorum peccaminum veniam indulge-
„ mus, ipsosque illo privilegio eàque volu-
„ mus immunitate gaudere, quæ prædictæ
„ Terræ Sanctæ subvenientibus in generali
„ Concilio sunt concessa, non obstante Sedis
„ Apostolicæ indulgentia, quę Fratribus tui
„ Ordinis dicitur esse concessa, nè de cau-
„ sis, vel negotiis, quæ per literas Aposto-
„ licas committuntur eisdem, se intromittere
„ teneantur, nisi de Indulgentia hujusmodi
„ expressam faciant mentionem.

1130 „ Ut igitùr utiliùs, & faciliùs com-
„ missum tibi hujusmodi ministerium exequi
„ valeas, tibi, & Fratribus ejusdem Ordinis,
„ quos ad hos cooperatores elegeris, convo-
„ candi ob id Clericos, & Populos locorum,
„ in quibus hujusmodi verbum Crucis pro-
„ ponere vos continget, quotiescumquè, &
„ ubicumque videris expedire, ut processio-
„ nalitèr prædicationibus vestris cum devo-
„ tione intersint; nec non largiendi omnibus
„ verè pœnitentibus, & confessis, qui ad hu-
„ jusmodi convocationes, & prædicationes
„ vestras accesserint, quadraginta, vel cen-
„ tum dierum Indulgentiam, juxtà tuæ di-
„ scretionis arbitrium moderandam, plenam
„ concedimus auctoritate præsentium pote-
„ statem. *Hactenus Urbani literæ*, in quibus
licèt dies, qua datæ sunt, consignata nec
apud Wadingum legatur, nec apud Raynal-
dum, à quo paritèr recitantur sub Anno Do-
mini MCCLXII. num. 34. quin nec annus,
nec mensis, certum tamèn est datas primo sui
Pontificatus Anno, & fortè mensis Junii, quo
datæ leguntur ejusdem argumenti literæ ad
S. Ludovicum Galliæ Regem, incipientes:
Si Mater Ecclesia.

1131

1131 Ad quem postea anno sequenti lugubres pariter fecit literas hortatorias item ad ferendum pro Terra Sancta, à Tartaris, & Sarracenis invasa, subsidium, nè Latinorum reliquiæ illis in partibus penitùs delerentur, totaque promissionis Terra, ac universum Hierosolymitanum Regnum Barbarico subjiceretur jugo: In eis namque literis, recensita priùs Tartarorum illa invasione, cujus mentionem fecimus in fine superioris capitis ex Marino Sanuto, quæ inde, deletis ac devictis Tartaris per Babyloniæ Sultanum, ab eodem Sultano in Christianorum perniciem, & nominis Christiani opprobrium, gesta sunt, enarrat, inquiens: „ Perfidus Sultanus Babyloniæ treguarum, & pactorum „ fide, quam cum Christianis ipsis injerat, „ infideliter violata, cum exercitu copioso, „ quem in gravi multitudine congregarat, „ castrametatus inter Montem Thabor, & „ Naim, & tota Christianorum Terra usque „ ad portas Accon occupata ostiliter, & inter Admiratos suos pro libitu distributa, „ per varios Nuntios Christianæ fidei cultoribus, aditus, sollicitatus multipliciter, & „ solicitè requisitus in aliquo inclinari non „ potuit, nec moveri. Quin idem profanus „ hostis radicati prosecutor odii, quod contra Christianum nomen, & cultum, de iniqua editus radice, conceperat, dolos præparans, iniquitatem pariens, sic in venerandam Ecclesiam Nazarenam, infra cujus „ ambitum Virgo Virginum salutata per Angelum de Spiritu Sancto concepit, & ipsius Partus Angelico exstitit, prænunciatus „ affatu, manus non solum occupatrices, „ sed etiam destructrices injecerit, quod ipsam, per sacrilegos, & nefandos iniquitatis suæ ministros deseviens, redegit ad solum, ejusdem structura nobili omninò destructa. Ecclesiam in Capite Montis Thabor in Dominicæ transfigurationis honorem constructam, ac Ecclesiam de Cabula, „ ubi Deus, & homo unigenitus Dei filius „ Jesus Christus post Resurrectionem suam „ cum Discipulis suis, vera & infallibilia resurrectionis ejusdem, & suæ humanitatis „ eis exhibens argumenta, comedit, sacrilegio simili demolitus, & post paucos dies „ planiciem Accon agressus, ipsam quam „ jam incursuum multiplicatione concusserat, multis vexavit incendiis, ac turri „ Doc, circa quam castra fixerat, igne supposito, capta & diruta; custodumque ipsius, aliis morti traditis, reliquis, ut diutiùs morerentur, captivitati servatis. *Hæc Urbanus, & alia*. Ut Sanctissimum Regem ad festinum ferendum subsidium excitaret. Datæ sunt hujusmodi literæ apud Urbem Veterem XIII. Kalend. Septembris. Cum postea iterùm rescripsisset ex eadem Civitate sub datis III. Idus Januarias, tertio sui Pontificatus anno, hortans, & ad idem solicitans, inquiens ad literarum calcem: „ Taliter igitur Apostolicas preces adimpleas, „ quod Unigenitum Dei Filium Jesum Christum, qui te fecit oleo Sacri Chrismatis Christum suum, propitium exinde tibi constituas, & benignum, nosque devotionem tuam, quam in adimplendis, „ Divinis, & Apostolicis beneplacitis promptam semper invenimus, & paratam, dignis ob hoc laudum præconiis attollamus. *Hactenus Urbanus*.

1132 Dum ergò in Occidente, solicitante, ut fati sumus, Pontifice, arma pararentur, tùm pro amisso Orientali Imperio recuperando, tùm pro ferendo Terræ Sanctæ subsidio, Michael Palæologus sibi consulens, tanto Occidentalium bellico apparatu territus, nè talis expeditio conflaretur, solemnem Legationem ad Urbanum destinavit, pro unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina, selectis ad hoc munus obeundum Maximo Alufardo Monacho, Andronico Muzalone, & Michaele Abalante, hac via sperans sibi gratiam Romani Pontificis conciliare, eumque ab incepto revocare. Fecit ergò, & literas per eosdem Legatos Urbano contradendas, quibus post effusas amoris, atque observantiæ in Pontificem notas, ac agnitum Petri, & successorum ejus in Ecclesia Primatum, questus est, ut ex literis Urbani ad eundem redditis constat, Januenses ob initum cum Græcis fœdus, anathemate Pontificio esse percussos. Adjecit inde se ultrò nullis monitis solicitatus in Patris ruere amplexus, quod si filio dare, atque explicare Pontifex aspernaretur, se coràm Divino numine, ac mortalibus omni criminis suspicione purissimum futurum, omnemque invidiam in Romanam Ecclesiam derivatum iri: Quo verò ad dogmata ac ritus, quibus Græci à Latinis discreparent, confecta priùs Græcos inter, & Latinos pace, contentionem omnem sopitum iri, ac extinctum. Itaque Michaelis Legati hujus tenoris literas secum ferentes, Romam pervenerunt, ubi honorificè ac benignè recepti, contraditis literis, ore quoque Principis mentem aperuerunt: Lætatus ex hoc Pontifex, inito cum Cardinalibus consilio, Nuncios brevioribus cum literis ad Imperatorem remittendos duxit, in quibus se mox suos quoque Apocrisiarios mittere promisit, per quos largiùs ad Imperatorias literas responsurum declarat. Literæ porrò per eosdem Imperatoris Nuncios missæ, excriptæ à Wadingo ex formulario Marini Ebulensis, & insertæ in suis Annalibus ad Annum Domini MCCLXII. sub num. 2. ad hunc modum se habent.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei, Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, Divini timorem nominis, & amorem.

1133 „ Tantæ sinceritatis affectum, & „ reverentiæ studium in te virtutum Domi- „ nus suscitavit; quod Sanctam Romanam „ Ecclesiam, Matrem cunctorum fidelium „ divinitùs institutam, per speciales tuæ cel- „ situdinis Nuncios, ac etiam solemnes lite- „ ras charitatis, ac pacis ac virtutis conti- „ nentes insignia, visitasti; Nos quidem se- „ rlem literarum ipsarum, ac illa omnia, quæ „ jam dicti Nuncii prudenter, ac providè, in „ nostra, & fratrum nostrorum præsentia re- „ tulerunt, cum quadam exultatione spiri- „ tus annotavimus diligenter, firma conce- „ pta fiducia de Conditoris omnium ineffabi- „ li pietate, quod tu circa nos, & prædi- „ ctam Ecclesiam super iis, quæ sunt devo- „ tionis, & reverentiæ filialis suscepturus „ augmentum, vacabis ad illa mente vigili, „ per quæ inter eandem Romanam, & Græ- „ corum Ecclesiam, fœdus unitatis perpe- „ tuæ valeat reformari, nobis per consequens „ ad hoc dirigentibus nostri cordis affectum, „ ut quàm citò locus affuerit, illa cum omni „ diligentia faciamus, quæ & ipse Ecclesiæ „ Romanæ accomoda, & tuis etiam desideriis „ sint accepta; de hujusmodi siquidem affe- „ ctione nostra purissima, & universali Chri- „ stifidelibus, Deo propitio, multipliciter „ profutura, plena informatio tibi ex teno- „ re literarum nostrarum proveniet, quas „ tuæ magnitudini, quamcitiùs poterimus, „ per nostros speciales Nuncios transmitte- „ mus. Interim autem tuæ sublimitatis in- „ dustria sibi constituat pro re delectabili, & „ jucunda, ut se in illis intentam reddat & vi- „ gilem, per quæ tu in conspectu Majestatis „ Divinæ laudabilis, & in oculis hominum „ charior habearis, sub illa credulitate fir- „ missima, quod nos, qui obtentu Divini „ Nominis te gerimus in paternæ visceribus „ charitatis, quandocumque nobis de dono „ cœlestis gratiæ facultas occurrerit, erimus „ ad illa soliciti, & efficaciter studiosi, per „ quæ tibi fit in gaudium erga nos, & prædi- „ ctam Romanam Ecclesiam affectionis ma- „ ternæ suscipere incrementum. *Hactenus Urbani literæ.*

1134 Hisce cum literis, Imperatoris Nunciis remissis, Urbanus, inito cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Consilio, in Apocrisiarios ad eundem Imperatorem destinandos, ad effectum consumandi tam optatum unionis negotium, selegit quatuor viros Religiosos ex ordine Fratrum Minorum, Simonem scilicèt de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Crista, & Bonifacium de Yporegia, quibus, & facultatem concessit amplissimam, secum in coadiutores assumendi quoscumque, tam proprii, quàm aliorum ordinum Religiosos, ut ex ejusdem Pontificis literis, ad eosdem datis, quas ex Regesto Vaticani exhibet Wadingus ad Annum MCCLXIII. sub num. IV. liquet, quę quidem ad hunc modum se habent.

Fratribus Simoni de Alvernia, Petro de Morat, Petro de Crista, & Bonifacio de Yporegia, de Ordine Minorum Nunciis nostris in Græciam.

1135 „ Cum vos, de quorum industria, „ & prudentia circumspecta plenam in Do- „ mino fiduciam gerimus, pro fidei Catholi- „ cæ ac salutis, & pacis fidelium negotio „ promovendo ad partes Græciæ destinemus; „ ut eò efficaciùs, eoque utiliùs hujusmodi „ negotium prosequi valeatis, quo plures in „ prosecutione ipsius utiles, & fideles habue- „ ritis adjutores, assumendi fratres de ve- „ stro, Fratrum Prædicatorum, Cisterciensium, & aliorum quorumque Fratrum Or- „ dinibus, de quibuscumque Conventibus, „ seù locis volueritis, necnon, & sæculares „ Clericos ad hoc idoneos, qui à vobis in iis, „ quæ ad promotionem ejusdem negotii vi- „ debuntur utilia, obedire ac intendere te- „ neantur, contrariis eorundem Ordinum „ consuetudinibus, vel Statutis, seù Indul- „ gentiis Apostolicis, eis concessis, nequa- „ quam obstantibus, plenam vobis, & libe- „ ram concedimus auctoritate præsentium „ facultatem. Datum apud Urbem Veterem „ v. Kal. Augusti, Pontificatum nostri anno „ secundo. *Hactenus Urbani literæ.* Qui inde per alias literas datas ad universos Ecclesiarum Prælatos, eosdem Apocrisiarios commendavit, quatenus eundo & redeundo, de necessariis per eos providerentur subsidiis, ita scribens.

Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Conventibus exemptis, & non exemptis Sancti Benedicti, Cluniacen. Præmonstraten. S. Augustini, & Cistercien. Ordinum, necnon Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, Capitulis, Præceptoribus, ac Prioribus Militiæ Templi, ac Hospitalis Hierosolymitani, ad quos literæ istæ pervenerint.

1136 „ Ut ea, quæ ad officium nostrum „ pertinent, irreprehensibiliter exequamur, „ oportet nos universali præsidentes regimi- „ ni, frequenter mittere viros idoneos ad ne- „ gotia, quæ in plerisque Mundi partibus „ imminent, prout negotiorum ipsorum di- „ versitas exigit, & natura. Cùm igitur di- „ lectos filios Fratrem Simonem de Alvernia, „ Petrum de Moras, Petrum de Crista, &

Bo-

„ Bonifacium de Yporegia, de Ordine Mi-
„ norum, nobis, & fratribus nostris meri-
„ tia ipsorum probitatis acceptos, ad partes
„ Romaniæ pro arduis Ecclesiæ Romanæ ne-
„ gotiis destinemus, universitatem vestram
„ duximus attendè rogandam, per Aposto-
„ lica vobis scripta districtè præcipiendo mā-
„ dantes, quatenus eisdem fratribus, pro se
„ ac eorum familiis in eundo, morando, &
„ redeundo curetis in evectionem & aliis ne-
„ cessariis, ac securo conductu taliter pro
„ Apostolicæ Sedis, & nostra reverentia,
„ providere, quod devotio vestra possit exin-
„ de non immeritò commendari. Alioquin
„ sententiam, quam iidem fratres tulerint in
„ rebelles, usque ad observationem condi-
„ gnam faciemus, auctore Domino, obser-
„ vari. Non obstante, si aliquibus ab eadem
„ indultum existat, quod Legatos, seù Nun-
„ cios dictæ Sediā recipere, vel eis provide-
„ re non teneantur inviti, seù quod interdi-
„ ci suspendi, vel excommunicari non possint
„ per literas Apostolicas, non facientes ple-
„ nam, & expressam, seu de verbo ad ver-
„ bum, de nominibus Monasteriorum, & Or-
„ dinibus eorundem, seu de Ecclesiis, & ea-
„ rum Personis, & Capitulis, tam Cathe-
„ dralium, quām aliarum Ecclesiarum, vel
„ eorum Indulgentiis mentionem. Datum
„ apud Urbem Veterem v. Kal. Augusti, Pon-
„ tificatus nostri anno secundo.

1137. Deindè amplam concessit eis pote-
statem reconciliandi Sanctæ Dei Eccl. quos-
cumque Schismaticos, aliaque peragendi ad
tale ministerium rectè exequendum utilia, &
necessaria: quemadmodùm Innocentius IV.
concesserat fratribus proficiscentibus ad par-
tes infidelium, hæreticorum, & schismati-
corum, cujus literas superiùs recensuimus; &
inde per alias literas fratribus pariter ejusdem
Ordinis, ad easdem partes euntibus indulse-
rat Alexander IV. sub datum Viterbii XIII.
Kal. Maii, sui Pontificatus Anno IV. recen-
sitas à Wadingo ad annum Dom. MCCLVIII.
sub num. 2. & excriptas ex Archivio S. Fran-
cisci Assisitatis, ac etiam relatas sub calce Di
rectorii Pennæ. Itaque quas dedit Urbanus
prædictis fratribus Nunciis, ex Vaticano Re-
gesto exhibet idem Wadingus ad annum Do-
mini MCCLXIII. sub num num. 3. ad hunc
modum se habentes.

*Fratribus Simoni de Alvernia, Petro de Mo-
ras, Petro de Crista, & Bonifacio Ypo-
regia, Ordinis Fratrum Minorum
proficiscentibus in
Græciam.*

1138 „ Cum hora jam undecima diei sit
„ hominibus, ut exeant ad opus usque ad
„ Mundi Vesperam deputati, & illud Apo-
„ calypsis elogium citò credatur cum Ma-
„ tris Ecclesiæ consolatione complendum,
„ videlicèt, oportere viros spirituales, vitæ
„ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum
„ Joanne sortitos, populis, & gentibus, lin-
„ guis, regibusque multis denuò prophetare;
„ quia non sequetur reliquiarum Israel per
„ Isaiam Prophetata salvatio, nisi juxtà Pau-
„ lum Apostolum priùs introeat gentium
„ multitudo. Nos, licèt immeriti super
„ Apostolicæ Sedis speculam constituti, fide-
„ liter ac prudenter dispensandis Dei mini-
„ steriis, & operibus coadiuvandis intendi-
„ mus: si vergente plenitudine temporis post
„ pia priorum studia, in vineam Domini Sa-
„ baoth, novos, & penè novissimos, qui sa-
„ pientiam longum didicere per otium, ope-
„ rarios mittere procuremus.

1139 „ Vos igitur, quos juxtà professæ
„ Religionis officium, Zelus comedit ani-
„ marum, & in quadriga quarta, quam va-
„ riis charismatum donis, & fidei fortitudi-
„ ne trahitis, ubique discurrere, ac vexil-
„ lum Regis gloriæ procul levare gestitis, ad
„ gentes, quæ Jesum Christum Dominum
„ non cognoscunt: & ad subtractionis filios,
„ qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non
„ obediunt, destinamus. Vobis in remissio-
„ nem peccatorum omnium injungentes, qua-
„ tenus seminaturi super aquas multas, in illo
„ tantùm, qui Mundum dixit se vicisse con-
„ fisi, ad illuminationem cæcæ multitudinis,
„ exterminium hæreticæ falsitatis, ad con-
„ firmandos nutantium animos, & fidelium
„ confortandos, in luce sermonis, & certi-
„ tudine operis, propositum vobis iter, sine
„ quorumlibet offensione curratis. Ut autem
„ ministerium vestrum honoretur pleniùs, &
„ honorabiliùs impleatur, præsentium vobis
„ auctoritate concedimus, ut in terris, quæ
„ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non in-
„ tendunt, proponere Verbum Dei, & con-
„ stitutis ibidem, non obstantibus, si aliqua
„ sunt excommunicatione ligati, in verbis,
„ officio, & cibo, ac in aliis securè commu-
„ nicare, & ipsos, seù etiam alios converti ad
„ unitatem Christianæ Religionis cupientes,
„ recipere, baptizare, & aggregare Eccl. filiis
„ valeatis. *Huc usque, tam in literis In-
nocentii IV. qua in aliis Alexandri IV. supra
citatis, eadem totidem ferè verbis leguntur.
Quæ porrò in literis Urbani subjecta sunt, sic
se habent.*

1140 „ Liceat etiam vobis ibidem Lati-
„ nis redeuntibus ad mandatum Sedis Apo-
„ stolicæ, qui ex eo sunt excommunicatio-
„ ne ligati, quod ab ejusdem Sedis unitate
„ diverterant, absolutionis beneficium, jux-
„ tà formam Ecclesiæ impertiri, & super eo
„ dispensare cum ipsis, quod sacros recepe-
„ runt ordines, & Divina celebrarunt Offi-
„ cia sic ligati. Hoc ipsum vobis sit licitum
„ circa illos de terris eisdem, qui infra æta-
„ tem legitimam, aut quod omnes minores,
„ vel qui superiores, prætermissis inferiori-
bus,

„ bus, conferre, seù recipere Ordines præ„ sumpserunt, si tamen in hoc servata forma „ talis extiterit, per quam Ordines recepissent. Vobis præterea dispensare liceat, ut „ ii de partibus Græciæ, qui ad Ecclesiæ Ca„ tholicæ redierint unitatem inter suos habi„ tent, eisque communicent, necnon; quod „ Clerici earundem partium publicè ad obe„ dientiam Sedis Apostolicæ redeuntes, gau„ deant privilegio Clericali,

1141 „ Sit etiam vobis licitum omnium „ fidelium in prædictis partibus confessiones „ audire, ac ipsis injungere pœnitentias sa„ lutares, & excommunicatos à Canone, vel „ allo modo, juxtà Ecclesiæ formam absol„ vere, dummodò injuriam, & damna passis „ satisfaciant competenter. Cum irregulari„ bus autem partium earundem in illis casi„ bus, in quibus solent Legati Sedis Apo„ stolicæ dispensare, ac etiam cum Clericis „ ipsarum partium, patientibus defectum na„ talium, dummodò non sint de adulterio, „ vel incestu, aut regularibus procreati, & „ alias bonæ conversationis existant, sit vo„ bis dispensandi facultas, quam circa illos „ similiter habeatis, qui ab unitate Ecclesiæ „ Catholicæ, seù Regione, vel Clericali or„ dine discesserunt, si humiliter, & publicè „ redire voluerint, & dignè satisfacere de „ commissis, ita quod ipsi Religiosi, ad sua „ loca, salva disciplina Ordinis resumantur, „ & illos ex jam dictis, qui excommunica„ tionis vinculo sunt adstricti, juxtà præter„ missam formam, & prædictæ satisfactio„ nis modum absolvere valeatis, &cum irre„ gularibus ex eisdem, sicut est expressum „ superiùs, dispensare.

1142 „ Ad hæc, absolvendi occisores, & „ personis per hos læsis, condignam satisfa„ ctionem impendant, & fundandis de novo „ ibidem Ecclesiis, primarium lapidem con„ cedendi, & reconciliandi illas, quæ sunt „ casu aliquo prophanatæ, ac discordantes „ inter se ad invicem, quod ad pacem, & „ concordiam redeant, necnon quod inor„ dinatè viventes de suis excessibus, sicut „ justum fuerit, satisfactionem exhibeant, „ compellendi per censuram Ecclesiasticam „ vobis libera sit potestas. Insuper in locis, „ in quibus vos hospitari continget, vel in „ locis partium earundem, in quibus resi„ dentiam facietis, missam, & cætera Di„ vini celebrandi Officia, interdictis, & ex„ communicatis nominatim exclusis, ac dan„ di indulgentias, & commutandi vota ab„ stinentiæ, facultatem plenariam habeatis. „ Cæterùm vobis concedimus, quod vestes „ Sacerdotales altaris, pallas, & corporalia, „ vobis, vestrisque fratribus necessaria possi„ tis, cum necessè vobis fuerit, juxtà for„ mam Ecclesiæ, benedicere, ubi Catholi„ corum Episcoporum copia non habetur. „ Datum apud Urbem Veterem v. Kalen„ das Augusti, Pontificatus nostri anno se„ cundo.

1143 Cùmque per idem tempus idem Palæogus, ut universum Imperium suæ subiiceret ditioni, bellum ageret adversum Gulielmum de Villarduin Achaiæ Principem, Urbanus in literis præfato Palęologo per Apocrisiarios missis, infra recensendis, hortatus est, ut pendente unionis tractatu desisteret ab inferendo bello eidem Achaiæ Principi: Cujus rei certiorem fecit per alias literas eundem Principem, mandans, & ipsi, ut nihil moveat contra Imperatorem eodem tractatu pendente: quas literas eisdem Apocrisiariis contradendas dedit, ad hunc modum se habentes.

Nobili Viro Willelmo de Villarduin Principi Achaiæ.

1144 „ Cùm nos dilectos filios Simo„ nem de Alvernia, Petrum de Moras, Pe„ trum de Crista, & Bonifacium de Yporegia, Fratres Ordinis Minorum, ad Michae„ lem Palæologum, qui pro Græcorum Im„ peratore se gerit, de fratrum nostrorum con„ silio, ad hoc specialiter destinemus, ut ip„ sum si unquam reduci potest, ad unitatem „ Ecclesiæ reducamus, & inter alia, quæ ei„ dem Palæologo scribimus, contineatur ex„ pressè, ut interim donec inter nos, & ip„ sum super hoc tractatus habitus fuerit, „ commotæ, jam per eum contra te cessent „ penitùs simultates, terribiles armorum stre„ pitus conquiescant, hostiles arceantur in„ cursus, & præcipites bellorum impetus „ refrænentur. Nobilitatem tuam rogandam „ duximus attentè, & hortandam, mandan„ tes, quatenus si dictus Palæologus hæc, quæ „ sic super hoc scribimus, duxerit adimplen„ da, & tu, fili, similiter ad requisitionem „ dictorum Fratrum, interim ab ipsius Palæo„ logi impugnatione desistas, intendens eis„ dem fratribus in iis, quæ tibi super his ex „ parte nostra duxerit injungenda, cum in „ hoc non tuus agatur specialiter honor pa„ riter, & profectus. Taliter igitur hujus„ modi nostra precamina, & mandatum adim„ pleas, ut possis à nobis de devotionis prom„ ptitudine merito commendari. Datum apud „ Urbem Veterem Kalendis Augusti, Pon„ tificatus nostri anno secundo. *Hactenus Urbani literæ.* Ex Vaticano Regesto apud Wadingum ad annum supra relatum sub numero 6. Qui, & alias literas commendatitias, pro eisdem fratribus datas Nobilibus Achaiæ, & universis Baronibus illarum partium, ex eodem codice exhibet, quæ sic se habent.

No-

Nobilibus Viris Principi Achajæ, ac universis Baronibus illarum partium.

1145 „ Inter alias solicitudinis nostræ „ curas, illa præsertim nos angit, & permaximè occupat mentem nostram, ut vigilantiæ nostræ studio fides possit dilatari catholica, & salus, atque tranquillitas christiano populo provenire. Proindè habentes de dilectis Fratribus Simone de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Crista, & Bonifacio de Yporegia de Ordine Minorum, utpotè magnæ Religionis, & industriæ Viris, & in opere potentibus, & sermone, plenam in Christo fiduciam; ipsos pro fidei, ac salutis, & pacis fidelium negotio promovendo, ad Palæologum, qui pro Græcorum Imperatore se gerit, tanquàm salutis Angelos, & fideles verborum nostrorum bajulos, de fratrum nostrorum consilio destinamus. Cùm igitùr in hujusmodi negotio vestra specialitèr utilitas procuretur, Fratres ipsos cum commisso sibi negotio vobis fiducialitèr commendantes, nobilitatem vestram monemus, & hortamur attentè, quatenùs eisdem Fratribus in negotii prosecutione ipsius favorabilitèr, & efficacitèr assistentes provideatis sibi per districtum vestrum de securo conductu, eundo, morando, & redeundo, prout opus fuerit, ut ipsi à vobis duxerint requirendum, ità quòd exindè vestra possit devotio meritò commendari. Datum apud Urbem Veterem v. Kalendas Augusti, Pontificatus „ nostri Anno II. *Hactenus literæ Urbani.* Illæ porrò literæ, quas idem Pontifex rescripsit ad Palæologum, & per eosdem Apocrisiarios misit, exhibentur ex ejusdem Urbani Regesto lib. 2. Epist. 158. à Raynaldo ad Annum Domini MCCLXIII. sub numero 23. Et ex Formulario Marini Ebulensis à Wadingo ad eundem Annum sub num. 2. sic se habentes.

Palæologo Imperatori Græcorum Illustri viam agnoscere veritatis.

1146 „ Imperialis Excellentiæ Nuncios, videlicèt, Maximum, dictum Alufardum Monachum; Andronicum, dictum Muzalonem; & Michaelem, dictum Abalantem; nec non & literas, quas ex parte tui culminis præsentarunt, cum ingenti gaudio, & exultatione, ac honorificentia condigna recepimus; & tàm ea, quæ coràm nobis, & fratribus nostris dicti proposuere Nuncii, quàm earundem literarum seriem, quas de Græco transferri fecimus in Latinum, planè advertimus, & intelleximus diligentèr. Sanè in literis ipsis in primo utiquè salutationis alloquio, nos Papam veteris „ Romæ, Throni Apostolici successorem, & spiritualem tui Patrem Imperii recognoscens; deindè de charitate utilia subjunxisti, dicens, quòd Imperium tuum, charitatem libentèr amplectens, ac habens zelum Dei, & zelans pacis, & concordiæ bonum, te ad mittendos dictos Nuncios, & prædictas literas præparavit.

1147 „ Scripsisti etiàm, quòd nos, qui Patres sumus, ad te, quem asseris nostrum devotissimum filium paterni affectus viscera nullatenùs aperimus, quantumcumquè tu filius nos diligas sicut patrem: Nam licèt statim captâ Constantinopolitanâ Urbe, alias nobis epistolares literas miseris, eandem intentionem, idemque propositum continentes, nihilominùs tamèn propter ardens tuum in hoc desiderium, prædictos Nuncios cum hujusmodi literis mittere decrevisti, postulans, ut circà priorem unitatem, in Dei Ecclesia renovandam Pater filio conjungatur, quoniàm si hoc Dominus ex alto permiserit, nullus pro certo præsumet contrà ipsam Ecclesiam superbire, quià nec Rex, nec Princeps aliquis audebit resistere jussioni Apostolicæ.

1148 „ Adjecisti quoquè, quod Imperium tuum multo fuit dolore turbatum, intellecto, quòd nos contrà Januenses, pro eo quòd se tibi vinculo confœderationis adstrinxerunt, excommunicationis duxeramus sententiam promulgandam apud ipsos, ut ab hujusmodi confœderatione discedant, præceptis, & monitis Apostolicis insistendo; propterea miratus es valdè, quòd nos, qui magni, & primi Sacerdotis locum tenère dignoscimur, hoc jubemus, guerram paci, & bellum amicitiæ præponendo; cùm tamèn & Januenses, & Græci christiani existant, nec sit incongruum cum Christianis amicitiam, & unionem colere Christianos.

1149 „ Descripsisti quoquè multa mala, quæ contigerunt populo christiano, à tempore, quo Latinæ gentes Græcorum terram, ut tuis verbis utamur, velut fortem propriam acceperunt; imponens Latinis eisdem Templorum conculcationes, & exterminia Divinorum, & quamplura, quæ in sacris illarum partium ædibus per eos asseris attentata. Quæ quidèm quoniàm facta sunt, & præterierunt, & quod factum est, pro infecto haberi non potest, in eisdem literis videbaris appetere, ut hinc indè inimicitiæ dissolverentur, abjicerentur scandala, & omne removeretur obstaculum, ad quod pedes suos possent offendere Christiani; præsertim cùm tu, sicut, asseris, in toto desideres mentis affectu; & si nos ad hoc ex corde velimus intendere, nihil est, quòd tantum bonum valeat prohibere: sed cùm nos, qui Patres sumus, te in hoc debuerimus implendo Patris officium

„ cium prævenisse, tu nos in hac parte præveniens, pacem nobis, & concordiam obtulisti, proptèr quòd ad consummationem tractatus hujusmodi reputabis nos ampliùs obligatos; expresse protestans, Imperium tuum, id, quod in eo est, jàm laudabilitèr explevisse; ac posse dicere coràm Deo, & Angelis ejus, qualitèr cucurristi ad Patrem tanquàm filius, Patris amator, debitam nobis habitudinem, & convenientem honorem, ac dispositionem, spontè, ac liberalitèr offerendo; undè si filium currentem Pater repelleret, Imperium tuum se de hoc coràm Deo, & Angelis ejus excusaret.

1150 „ Addebas prætereà, quòd de dogmatibus Fidei, & consuetudinibus, seù ritibus Ecclesiasticis nullum tunc sermonem in eisdem literis faciebas; nàm si in iis aliqua esset discordia, pace præmissâ, præhabitâq; inter Latinos, & Græcos, hæc solverentur faciliùs, & celeriùs sopirentur. Demùm autem tua Sublimitas, tàm per easdem literas, quàm per memoratos Nuncios cum multa petivit instantia, ut Apocrisiarios, seù Legatos nostros, homines videlicèt pacis, & pacificos Christi Discipulos, non gaudentes in vanitate verborum, nec bono pacis mundanam sapientiam præponentes, ad tuam præsentiam mitteremus, cùm per ipsos tuum expectet Imperium recipere à nobis, & prædicta Sede responsum.

1151 „ Nos igitùr prædictis literis debitâ coràm fratribus nostris attentione discussis, Deo Patri omnipotenti, à quo bona euncta procedunt, & in cujus manu Regum corda consistunt; & qui etiam quæcumque vult illa, sinè obice difficultatis inclinat, millemodas gratiarum retulimus actiones; totaque Romana Mater Ecclesia in laudis supernæ jubilum assurrexit, pro eo quòd Spiritus Sancti gratia videbatur mentales tanti Principis oculos sui fulgoris radiis illustrasse, ac ostendisse sibi viam catholicæ veritatis, per quam ad matrem filia, pars ad totum, & membrum reducatur ad caput. Hoc enim eadem Romana semper affectavit Ecclesia, & ad hoc indesinentèr suæ studium considerationis inflexit, ut Græcorum Ecclesia suæ reficeretur lacte dulcedinis, suosque effluentis educaretur uberibus charitatis, ità quòd ovile Dominicum sub unius Pastoris regimine alimenta doctrinæ salutis acciperet, & nomen Domini sub uno veræ fidei dogmate utiliùs, & salubriùs invocaret.

1152 „ Volentes itaquè, quinimmò toto mentis cupientes affectu, tàm utili, tàmque fructuoso tractatui diligentèr, & ferventèr insistere, ac nostros propter hoc ad te Apocrisiarios, juxtà Imperialis petitionis desiderium destinare, memoratis tuæ Celsitudinis Nunciis paternâ benignitate dimissis promisimus, quòd circà mittendas ad te personas idoneas, in quarum ore verba responsionis Apostolicæ ponerentur, libentèr tuæ satisfaceremus beneplacito voluntatis. Licèt ergò eisdem tuis præcedentibus Nunciis vellemus nostræ super hoc intentionis affectum perducere, faciente Domino, celeritèr ad effectum; longa tamèn loci distantia, qua dilecti filii Simon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Crista, & Bonifacius de Yporegia Fratres Ordinis Minorum, latores præsentium, Apocrisiarii nostri tunc temporis morabantur, nostris super hoc votis contrà spem nostram obstaculum dilationis ingessit. Infesti quoquè rumores, qui ad audientiam nostram medio tempore pervenerunt, de persecutionibus, molestiis, & pressuris, quæ nobili viro Guillelmo de Villarduin Principi Achajæ, devotissimo utiquè dictæ Matris Ecclesiæ filio, ejusque Terris, & Insulis, ac Latinis morantibus in eisdem, per tui Viros Imperii jugitèr inferuntur, celerem expeditionem Legationis hujusmodi retardarunt, cùm per hujusmodi tuorum operum novitatem resiliisse à concepto proposito, nec in eadem voluntate persistere crederetis.

1153 „ Verumtamèn, quià tanti boni prosecutio non potuit apud nos, nec debuit per aliquod, quantumcumquè verosimile, retractativum finalitèr impediri; cum cæteris mentis nostræ desiderabilibus id specialitèr præferamus, ut christiana plebs sub orthodoxæ professione fidei, atque cultu proficiat, & in idem individuum Collegium unius Pastoris, si detur, magisterio, & custodiâ muniatur: Eccè prædictos Fratres, Viros utiquè Religione conspicuos, & in lege Domini eruditos, pacificos, & ramum olivæ in ore gestantes, veritatis etiam Evangelicæ professores, amatores, & cultores humilitatis, qui Christum sequendo pauperem, sæculo cum suis divitiis, & deliciis derelicto, ad solam Cœlestem Patriam totâ mentis attentione suspirant; ad tuam Magnitudinem, tanquàm pacis Angelos de fratrum nostrorum consilio destinamus; sperantes in illo, qui arcem possidens unitatis, universitati rerum, quas condidit, suæ vestigium unitatis impressit; per quam ad suum principium recurrentes, ab eo recipiunt perfectionis finem, à quo subsistendi sumpsere primordium; & quòd aures Imperialis Magnitudinis ad eorundem fratrum salutaria monita efficacitèr inclinabit, tibique tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Domini, tuosque pedes in ejus testimonia convertendi prævia charitate; quæ sicut literarum tuarum habet assertio, tuum excitavit, & induxit Imperium ad pacem, à nobis, & concordiam requirendam, & super qua etiàm, veluti suprà solidum

„ dum fundamentum literarum ipsarum structuram quasi totalitèr erexisti.

1154 „ Et licèt nos, qui vices illius, „ licèt immeriti, tenemus in terris, qui charitatem docuit, charitatem dilexit, charitatem ostendit, & charitatem misit in „ Mundum, verba charitatis à te proposita „ in ipso earundem exordio literarum charitativè recepimus, & libentèr audivimus; „ Deo, qui charitas est, labiorum nostrorum propter hoc vitulos immolantes; devotè supplicantes eidem, ut te per suam „ clementiam, ad illius veræ charitatis affectum, per quam in Deo maneas, & Deus „ in te dignetur, tanquàm in suo habitaculo, „ permanere; ex zelo tamèn sincerissimæ „ charitatis proculdubiò procedere noveris, „ quòd te, & universos populos, quos tuum „ regit, & gubernat Imperium, ut ad veritatem redeatis catholicam, totis anhelamus „ affectibus, & vos, ut ad sinum Matris Ecclesiæ convertamini, promptis desideriis „ invitamus; quoniam hujusmodi unio, sivè „ connexio salutaris, si placeret Altissimo, „ quòd nostris, & tuis temporibus fieret, „ cordi nostro inęstimabilis gaudii rorem infunderet, & anxiæ propter hoc nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret „ irriguo, nostrumque animum, panem salutis, & fructum animarum desiderabilitèr „ appetentem, pabulo reficeret charitatis. „ Tunc enim nobis, & ipsi Ecclesiæ proveniret magnum, & desiderabile salutare, cùm „ videremus varias gẽtium nationes sub ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum congregatas. Tunc „ etiam exultatione nimiâ hilaresceret totus Orbis, quià valdè bonum, & jucundum existeret fratres simùl in domo Domini habitare.

1155 „ Hęc, inquam, domus est Ecclesia Christi firmitèr ædificata, & benè fundata suprà firmam petram fidei orthodoxę, „ quam ipse Christus suo fundavit sanguine „ pretioso; & in qua multitudini credentium est cor unum, & anima una; unus „ Deus, una fides, & unum baptisma; & in „ qua etiam tota fidelium multitudo uni corpori comparatur, dicente Apostolo: *Multi unum corpus sumus in Christo*; cujus quidèm corporis unitas à spiritus unitate „ procedit, quia etsi sit unus, pro suo tamèn arbitrio membria ipsius Ecclesiæ diversitatem influit gratiarum; Propter quòd „ idem Apostolus, enumeratis Spiritus Sancti Donis, ait: *Hoc autem operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult*. Et post pauca subjunxit: *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati fuimus*. „ Hæc quidèm Ecclesiastici corporis unitas, „ per inconsutilem Domini tunicam, quæ divisis aliis vestibus, uni tantùm cessit in sortem, non immeritò figuratur. Hanc unitatem Piscina Probatica designavit, in quâ „ unus tantummodò sanabatur, extrà ipsam, „ languentium multitudine remanente; quoniàm in hujus unitatis circuitu impii ambulant, & in eam intrare renuunt, ut sanentur. Hanc etiam unitatem commendat Sponsus in Canticis, dicens: *Una est Columba mea; una perfecta mea*; quamquàm „ plures Reginas adolescentulas, & concubinas esse describat.

1156 „ Ut igitùr hujusmodi unitatis „ gratia firma, & illibata penitùs servaretur, „ unum eidem unitati Dominus, videlicèt „ Petrum Apostolorum Principem, Caput „ constituit, & Magistrum, ut illam quasi „ Noe arcam, extrà quam animantia derelicta, in aquas diluvii submerguntur, in ipso „ Apostolorum Principe, velut in uno cubito consummaret, eique magisterium Ecclesiæ suæ conferens, & Primatum, oves, & „ agnos suos illi pascendos, præmissâ trinâ „ dilectionis interrogatione, commisit, tradens ei claves Regni Cœlorum, cum libera ligandi, atque solvendi Pontificiâ, & „ plenariâ potestate. Et nè ipsius Principis „ fides deficeret aliquandò, pro ipso efficacitèr exoravit; quòd cùm postmodùm aliarum Ecclesiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana Ecclesia, „ cujus idem Beatus Petrus Magister extitit, „ immaculata remansit, nullamque prorsùs „ labem contraxit hereticæ pravitatis. Undè reliqui Apostoli hujusmodi institutionem Dominicam, etiam post Christi Ascensionem inviolabilitèr observantes, recognoverunt eundem Beatum Petrum fore Christi Vicarium, & super eo primatus officium „ in omnibus obtinere. Ad verbum nàmque „ ipsius Beati Petri surgentis in medio fratrum, unanimitèr per Apostolos ad electionem Matthiæ proceditur; Surrexit enim „ medio tanquàm ardens igne Spiritus Sancti, loco Magistri, qui ei commiserat gregem suum; & tanquàm honorabilissimus, „ cui omnes paritèr intendebant. Ejus quoquè sermonibus illi, qui blasphemabant „ Apostolos, immò Sanctum Spiritum, convincebantur. Multa insuper fidelium millia ipsius prædicatione convertebantur ad „ fidem; in quâ quidèm prædicatione se serventèr, & ardentèr velut Christi Vicarius „ exercebat.

1157 „ Neque huic institutioni Dominicæ Sancti Patres postmodùm restiterunt: „ Sed ipsius Principis successorem, tanquàm „ illum, qui Christi vices in terris obtinet, „ venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreses „ condemnarunt, manentes sicut membra in „ eorum capite, Apostolico scilicèt Throno „ Pontificum Romanorum, à quo quærendum est quid sit tenendum, quidvè credendum; cùm ejus sit reprehendere, statuere, or-

„ ordinare, disponere, præciperè, solvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quòd nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit, & concessit. Huic etiàm Throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & primates Mundi veram confitentes fidem, tanquàm ipsi Domino Jesu obediunt, & intendunt; ac in illum tanquàm in Solem respiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei ad salutem recipiunt animarum; prout nonnullorum Sanctorum Patrum, tàm Græcorum, quàm aliorum Scriptorum dicta veridicè asseverant. Porrò cùm præcellens Ecclesiæ prædictæ auctoritas, & potestas, & Evangelico roboretur privilegio, & quamplurium Sanctorum Doctorum testimonio fulcistur, nequaquàm expediens fore decrevimus plura horum super hoc scripta producere, quià supervacaneum prorsùs extiteret Solem adjuvare facibus, & id, quod est in Cœlo, & in terra notorium, Scripturarum suffragiis comprobare. Sed utinàm Imperialis judicium rationis nos Throni Apostolici successorem, & spiritualem tui Patrem Imperii, sicut verbo in tuis literis, sic & opere recognosceret, ac nobis debita jura redderet reverentiæ filialis.

1158 „ Utinàm illam charitatem, cujus te asseris sectatorem, circà nos, & Thronum ipsum efficacitèr demonstrares, ad gregem redeundo Dominicum, ac recipiendo teipsum, & in tuto Matris Ecclesiç gremio, ubi consolationis maternæ dulcedinem cum cęteris orthodoxis Mundi Principibus degustares; ubi etism in cunctis tuis opportunitatibus indesinentèr tibi adesse sentires prompta sui præsidii favorabilis adjumenta; Nàm si hoc tibi spiritus, qui ubi vult spirat, cœlitùs inspiraret, non solùm ostenderemus, & aperiremus tibi paterni affectus viscera, verùm etiàm te intrà illa tanquàm præcordialem, & charissimum filium locaremus, tibique in tui sustentatione, & exaltatione folii monstraremus, quantùm Thronis Regalibus Apostolicæ Sedis, gratiam & communionem habentibus sit necessaria, fructuosa, & utilis potestatis Apostolicæ plenitudo. Neque volumus diffiteri, quinimmò constantèr asserimus, quòd maxima eidem Ecclesiæ, ac tibi etiam ex tui conversione Imperii utilitas, multorumque incrementa profectuum spiritualitèr, & temporalitèr provenirent, quià & ejusdem corpus Ecclesiæ ex membri reintegratione tàm nobilis appareret, & existeret in omni parte sui elegantissimè venustatum; & membrum ipsum non languesceret, neque tabesceret extrà corpus, sed validum ex illo suscipiens incrementum favoris, & honoris vigorem resumeret, & humorem; illamque curam teneram, vigilemque solicitudinem de tuo Imperio eadem haberet Ecclesia, quam habet de cæteris Orbis terræ Regnis, atque Provinciis sub salubri ejus obedientia constitutis, quorum potestates, & Principatus adeò fovet, protegit, & gubernat, quòd si nonnunquàm inter hujusmodi Regna, sivè Provincias dissensionum scandala, seù tumultuantium bellorum discrimina forsitàn oriantur, statim eadem Ecclesia in mediaa filiorum furentium partes prosiliens, & strictos jàm, vel stringendos gladios de manibus altercantium confidentèr eripiens, per auctoritatem sit inter ipsos imperiosa placidæ pacis auctrix.

1159 „ Regea quoquè Catholici cum inter ipsos aliquid dissensionis emergit, vel cum Vassalli eorum præsumunt contrà eos calcaneum rebellionis erigere, mox habent ad portum Ecclesiæ prædictæ recursum, ejusque salubre consilium, & auxilium implorantes, tranquillitatis, & pacis remedia infallibiliter ab ipsa recipiunt; faciuntque, ut inter discordes, & turbatos eorum animos serena concordia, & concors serenitas reformetur, sedentur seditiones à subditis concitatæ, & litigantium clamores queruli conticescant. Præterea circà hæredes parvulos Regnorum hujusmodi, si quos, parentibus eorum Regibus decendentibus in pupillari ætate, remanere contigerit, eadem Romana Ecclesia piæ Matris assumit officium, ac diligentèr, & utilitèr ipsorum gerit regimen, & tutelam; eorum hæreditates, & Regna, cùm necessitas imminet, etiam suis propriis sumptibus, à quibuslibet invasoribus, & occupatoribus defendendo. Hæc autem, & alia quamplura refugia invenerunt semper, & inveniunt apud eandem Ecclesiam fidelia, & obedientia sibi Regna, Reges, & Principea orthodoxi. Unde si tu, quòd serventèr appetimus, inspiratus à Domino, ad ejus obedientiam rectâ mentis intentione redires; tantò promptiora favoris, & præsidii juvamina tuum in illa inveniet Imperium, in tua, tuorumque hæredum defensione, ac exaltatione perpetua, quantò ferventioribus desideriis eadem Ecclesia festa Paschalia tuæ jucundæ conversionis expectat; quantòque attentioribus studiis, te ad ejus utilitatem conversum in suæ charitatis amore, ac gratia retineret.

1160 „ Quçsumus ergò, quinimmò tuam Excellentiam obsecramus per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, ut illud laudabile, ac salubre propositum, quòd tuæ literæ jàm super hoc te concepisse testantur, in partum, sublatâ qualibet difficultate, ac dilatione, producas; redeundo celeritèr ad amplum, & spaciosum ejusdem gremium, ubi indubitantèr invenies tibi, & semini tuo perpetua solidæ firmitatis sedilia præparata; & ubi etiam non solùm tu, sed & tua

tua

„ tua posteritas futuris temporibus recumbere poterit confidenter, quis si te in consilia meliora retuleris, & ad eandem Ecclesiam in spiritu humilitatis redieris, non solum auxilium Januensium, quorum amicitiam nos tibi subtrahere velle conquereris, & aliorum fidelium Latinorum potentiam, verùm etiam si opportunum fuerit, vires omnium Orthodoxorum Regum, ac Principum Orbis Terræ, in tuum, tuique folii fulcimentum conflare, ac provocare studebimus inter te, & ipsos indissolubilis fœdera dilectionis ad laudem, & gloriam Divini nominis, & Christianæ Religionis augmentum.

1161 „ Sed quamdiù ipsi Romanæ Ecclesiæ inobediens, & throno Apostolico indevotus exstiteris, salvâ conscientiâ sustinere non possumus, quod dicti Januenses, vel alii quicumque Latini tibi auxilium præbeant vel favorem, cum sit prorsùs incongruum, ut obedientiæ filii cum filiis inobedientiæ per alicujus confœderationis commercium misceantur; præsertim cum posset per tale commercium status inobedientium fortiùs ad inobedientiam roborari. Posset etiam de facili puritas filiorum obedientium ex focia conversatione, & familiaritate, quam cum inobedientibus contrahunt, in sinceris eorum moribus maculari. Si ergò contra eosdem Januenses processimus, hac de causa Imperialis circumspectio non miretur, cum officii nostri debitum impleverimus in hac parte: nec per hoc aliquis, rationis judicium, & non voluntatis sequens libitum, justè contra nos potest arguere, quod guerram paci, & bellum amicitiæ præponamus: cùm talis confœderatio, seù amicitia in guerram, bellum, & scandalum prædictæ Romanæ Ecclesiæ, suorumque fidelium filiorum, quos ante oculos suos in ejus gremio cum eorundem favore Januensium opprimis, cedere totaliter dignoscitur.

1162 „ Et cum simus illius Vicarii veritatis, quæ ait: *Ego sum via, veritas & vita*; propter quod veritatem diligere, veritatem ostendere, veritatem sequi, veritatem omnibus dicere, ac veritatem etiam supra tecta prædicare tenemur, tacère in hoc non possumus, nec debemus; nec volumus veritatem: quod omnes illi, qui throno Apostolico non obediunt, quantumcumque Christianos se nominent, Dominicis obviant institutis, & in Deum peccant mortaliter, & graviter oculos Divinæ Majestatis offendunt. Nam quanta sit inobedientiæ culpa, verbo Samuelis ostenditur, asserentis, quod quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ aquiescere nolle. Monstratur etiam exemplo Dathan, & Abiron, qui propter inobedientiæ malum ab Altissimo pænâ gravissima sunt puniti, terra eos cum suis omnibus absorbente. Hæc autem ibi dicimus, more periti medici nolentes palpare vulnera inobedientiæ telo transfixa, & ideò verba nostra patienter audias, & sapienter advertas, ut tibi auctore Deo, proficiant ad salutem. Meliora sunt enim, Salomone teste, diligentis vulnera, quàm fraudolenta oscula odientis. Ad nostrum nempè spectat officium, ubi necessaria est increpatio, non tacère; sicut conticent canes muti non valentes latrare; sed secundum Apostolum arguere, obsecrare, & increpare in omni patientia, & doctrina.

1163 „ Verùm quanta mala populo Christiano contingerint à tempore dissensionis, & divisionis hujusmodi, nullatenus ignoramus: quinimmò dum hæc ante oculos nostros reducimus, producimus ab imis amara suspiria, nec possumus lacrymas sustinere, dolentes super illis, qui primi à prædictæ Romanæ Ecclesiæ obedientia recedentes, inter Latinos, & Græcos tanti materiam scandali reliquerunt. Nam si Latini Græcos diversis temporibus impugnarunt, hoc proculdubiò non fecerunt tantummodò causâ aquirendi eorum terras, & divitias temporales, sed ut per vexationem Græcis intellectus, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent, præstaretur. Propter quod si Templa Divina, & ædea sacræ per aliquos latrunculos, seù per aliquos prædatores destructionis exterminium, sicut in terris guerrarum fluctibus æstuantibus consuevit contingere, forsitan incurrerunt, nullus sanæ mentis vel debet, vel potest id Latinis omnibus imputare; sed hujusmodi latrunculis, & prædatoribus, imò potiùs illi, qui, prout dictum est, inter utramque gentem dissidii Zizania seminaverunt.

1164 „ Quia verò pacem videris appetere, & petere, ut hinc inde solvantur inimicitiæ, abiiciantur scandala, & omne removeatur obstaculum, ad quod Christiani possent offendere pedes suos; nos tuum in hoc salubre, & laudabile desiderium dignis laudum præconiis attollentes, ad Imperialem notitiam præsentium tenòre deferimus, quod cum illius Regis pacifici vices geramus in terris, qui unicum Sacrificium per mortem Patri se obtulit, ut secundum Joannem Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum; & qui secundum Apostolum est pax nostra, faciens utraque unum, & qui etiam passionem accedens, de pace condidit testamentum; veram pacem, & concordiam quærimus, & ad talem pacem inter utrumque populum, auctore Domino, reformandam, vigilanter, & efficaciter intendere volumus: per quam utique pacem capula rectæ charitatis & fidei cordibus inseratur, & quæ uni-

„ unitatis vinculum operetur, procùl depel-
„ lat odia, rancores abiiciat, fugat invidiam,
„ excutiatque livorem; paret mentes, corda
„ conciliet, & societ voluntates. Unde si
„ talem pacem tua nobis offert serenitas; nos
„ illam, & libenter admittimus, & deside-
„ rantes amplectimur, firmo intendentes pro-
„ posito, & intentione stabili proponentes,
„ secundum psalmistam inquirere, ac sequi
„ eam: ac pro ipsa, si opus fuerit super im-
„ pendere nosmetipsos.

1165 „ Sed quia non esset vera, nec sta-
„ bilis, quæ super firmo non consurgeret
„ unitatis, & fidei fundamento, non debuit
„ dogmata fidei, nec ritus Ecclesiasticos tua
„ postponere magnitudo, cùm non sit du-
„ bium, omnem pacem & omnem concor-
„ diam tanquam adjectivum ex hujusmodi
„ debere subsequi substantivo. Nam cùm hæc
„ principaliter insideant menti nostræ, & cor-
„ di nostro; cùm etiam circa hæc specialiter
„ nostræ diligentiæ studium, & Apostolicæ
„ Sedis versetur intentio; inconveniens sa-
„ tis fuit illa postponere, quæ præponi po-
„ tiùs debuissent. Nos autem, quia utrum-
„ que volumus, utrumque credimus, &
„ utrumque votis anxiis expectamus, præ-
„ dictos nostros Apocrisiarios pro utroque
„ negotio; ut scilicèt de dogmatibus fidei,
„ ritibusque Ecclesiasticis, & de pace, & con-
„ cordia cum tuo tractarent Imperio, ad te
„ duximus destinandos. Unde si pacem, &
„ concordiam desideras, ut scripsisti, in pro-
„ secutione, ac consummatione tractatus hu-
„ jusmodi, tractabilem te exhibeas, & beni-
„ gnum; nec reputari possimus ab aliquibus
„ negligentes, quod te non prævenimus, sed
„ à te fuimus pacis oblatione preventi: Novi-
„ ter enim tunc fuerat cervicibus nostris im-
„ positum jugum Apostolicæ servitutis, & in
„ illo nostræ novitatis initio, tot, & tantis
„ fuimus solicitudinibus obsessi, quod ad su-
„ stinendos inundantium undique super nos
„ negotiorum impetus, reputabamus nos
„ quasi penitùs impotentes: sed quantum-
„ cumque essemus negociorum varietatibus
„ occupati, semper tamen cogitabamus in-
„ ter alia maxima, quæ nostris humeris in-
„ cumbebant, qualiter tuum attrahere posse-
„ mus Imperium ad Ecclesiasticam unitatem:
„ intendentes in hoc firmiter nostrorum præ-
„ decessorum Romanorum Pontificum vesti-
„ giis inhærere, qui sub diversitate tempo-
„ rum, indeficientibus studiis (licèt quod
„ dolenter referimus, eorum labores inuti-
„ les, sterilesque abjerint) laborarunt; ac
„ spem nostram ponentes in eo, qui est in se
„ sperantium fortitudo, quod Ecclesiæ Dei
„ tantum bonum tuis temporibus proveni-
„ ret.

1166 „ Ideò Imperialem mansuetudinem,
„ de fratrum nostrorum consilio monemus,
„ rogamus, & hortamur attentè, ac per asper-
„ sionem prædicti sanguinis obsecramus, qua-
„ tenus habens cor suum ad Dominum, ac
„ de tua, tuique conversione populi cogi-
„ tans, & salute, prædictos nostros Apo-
„ crisiarios, ob reverentiam Apostolicæ Sedis
„ benignè recipias, & honorificentiâ condi-
„ gna pertractes, ac tractes efficaciter super
„ præmissis per te, vel per alios, quos ad
„ hoc deputaveris super eisdem, sicque at-
„ tentè præbeas ipsorum salutaribus monitis,
„ aures tuas, ut spes, quam de tua lauda-
„ bili intentione concedimus, fructus nobis,
„ & toti generali Ecclesiæ afferat concupitos.
„ Si autem ex tractatu hujusmodi visum ti-
„ bi, & eisdem Apocrisiariis fuerit, quod
„ tam pium, tamque salubre negocium, pro-
„ gressum laudabilem, & egressum debeat
„ habere fœlicem, ordinari poterit per te, ip-
„ sosque Apocrisiarios, ut solemnes Nuncii
„ pro ejusdem consummatione negotii, cum
„ auctoritate, & potestate plenaria, & man-
„ dato sufficienti, ad nos ex parte tuæ celsi-
„ tudinis dirigantur; vel alia via conveniens
„ inveniri, per quam ad consummationem
„ dicti negocii, finaliter, auctore Deo, pro-
„ cedatur.

1167 „ Ad hæc autem, ut tractatus hu-
„ jusmodi, tàm salubris aliquo sinistri casus
„ occursu, seù quolibet alio insperatæ turba-
„ tionis impediri nequeat interjectu, à tua
„ magnitudine pro munere petimus speciali,
„ ut saltem Divinæ Majestatis intuitu, cen-
„ sent penitùs interim commotæ jam per te
„ contra memoratum Achajæ Principem si-
„ multates, terribiles armorum strepitus con-
„ quiescant, hostiles arceantur incursus, &
„ præcipites bellorum impetus refrænentur;
„ Ita quod nos videntes, & recognoscentes,
„ quod libenter in hoc Apostolicis benepla-
„ citis te coaptes, reddamur exinde tibi, non
„ solum ad benevolentiam, verùm etiam ad
„ procuranda tua spiritualia, & temporalia
„ commoda promptiores. Cæterùm quia no-
„ vissimè hisce diebus scriptum imperiale re-
„ cepimus, in quo inter alia continebantur,
„ quod in causis, seù quæstionibus, quas
„ tuum habet, seù habere speratur Imperium
„ cum Latinis, nullum alium Judicem, nisi
„ solum Romanum Pontificem, & Roma-
„ nam Ecclesiam habere proponis; Nos at-
„ tendentes, quod ex recta confidentia, &
„ benevolentia multa procedit, quod no-
„ strum, & ipsius Ecclesiæ subire judicium
„ non recusas; quinimmò te offers ad subeun-
„ dum, promptum, expositum, & para-
„ tum; Tui super hoc animi promptitudinem,
„ quam disponere, ac dirigere jam videtur
„ Altissimus, ad suorum semitam mandato-
„ rum, commendandam propter hoc multi-
„ pliciter, ac uberrimis gratiarum actioni-
„ bus prosequendam fore decrevimus, Im-
„ perialis circumspectionis industriæ prædi-
„ centes apertè, quod cum nos in valle hu-

jus

„ jus sæculi vices superni Judicis exequamur, „ simusque omnium secundum Apostolum in „ justitia debitores, super hujusmodi causis, „ seu quæstionibus, si eas vel ipsarum aliquas „ ad examen Apostolicum devenire contige„ rit, adeò favorabilis justitiæ plenitudinem, „ tibi, tuoque Imperio exhibere curabimus, „ quod tu, qui Patris, & Matris subire ju„ dicium elegisti, meritò gaudere poteris te „ in nobis, & prædicta Romana Ecclesia id „ quod in Patris, & Matris reperire foro „ speraveras, invenisse. Datum apud Ur„ bem Veterem v. Kal. Augusti, Pontifica„ tus nostri anno secundo. *Hactenus Urbani literæ.*

1168 Intereà autem Palæologus, licèt de unienda Ecclesia Græca cum Latina ageret cum Romano Pontifice, non proinde ab inferendo Latinis in Oriente adhuc remanentibus bello se abstinuit: Ut enim eorundem Latinorum delerentur penitùs reliquiæ, Achajæ principatum invadere est aggressus, terram illam, ac loca omnia depopulando, & devastando. Extant hujus literæ Urbani datæ ex Urbe Veteri III. Idus Maji, anno sui Pontificatus III. Episcopo Trajectensi, in quibus inter alia scribit: „ Sanè Græci Schismatici ex captione Con„ stantinopolitanæ Civitatis elati vento su„ perbiæ, municipibus, & opibus roborati, „ & ad impugnandum plus solito fideles illa„ rum partium vicinitatis opportunitate pa„ ratiores effecti; ad terram principatus „ Achajæ depopulatrices manus extendunt: „ Et ut ibidem in devotis Ecclesiæ filiis ex„ tinguant penitùs nomen matris, qualibet „ partem principatus ejusdem continuis per„ sequuntur insultibus, quam duris obsidio„ nibus illius municipia, & Civitates angu„ stant, & ibidem irremediabiliter omnem „ terræ faciem, cunctis ad usum generis hu„ mani nascentibus ex ipsa denudant: tan„ tumque jam inibi diminuerunt numerum „ fidelium populorum, & tantum eos, qui „ residui sunt, prædiis, & aliis diversis affli„ ctionibus attriverunt, quod vix aliqua su„ perest fiducia seu spes, ut iidem absque „ aliorum fidelium Christi succursu, diù va„ leant persequentium manus effugere, & ter„ ram illam vero Christi cultui conservare; „ prout hactenus per literas Prelatorum, Prin„ cipum, & Baronum illorum partium, ac „ speciales Nuncios ad Apostolicam Sedem „ exinde transmissos nobis innotuit eviden„ ter. *Hæc Urbanus*. Prout in ejus Regesto lib. 3. Epist. 180. Qui ut opem illis ferret, Crucem prædicari jussit in Gallia, commissa cura eidem Episcopo Trajectensi, sicut in eisdem literis continetur: Necnon, & Coronensi, & Argoligensi Episcopis, ut in Epist. 181. & sequenti, pariter easdem provinciam, contrahendi scilicèt Crucesignatorum exercitus pro recuperando Imperio Constantinopolitano demandavit: scribens pariter, ut in Epistola 182. ad Burgundiæ Ducem, ut ad bellum sacrum sese accingeret, atque ad Imperium Orientale Ecclesiæ restituendum copias compararet.

1169 Hæc itaque disponente, sive procurante Romano Pontifice pro reprimenda Græcorum superbia, Rex Bulgarorum junctus Scythis, eidem Palæologo crudele indixit bellum, quod Gregoras lib. 4. histor. Rom. „ his verbis recenset: „ Constantino Bulga„ rorum Principi nuptam fuisse diximus La„ scaris Imperatoris filiam. Quæ eum fratris „ Joannis excæcationem audivisset, mari„ tum ad illius facinoris ultionem exhortari, „ atque impellere non desistebat. Illi igitur „ vindictæ occasionem quæritanti, & hæsi„ tanti, rei aggrediendæ causam, veluti flam„ mæ materiam præbuit Sultanus Azatines. „ Nam absente Imperatore, ad Henum ma„ ritimum Oppidulum degere jussus est, quod „ ei simul custodiæ vice esset, ad suspectam „ ejus fugam prohibendam. Quod cum ei „ malum intolerabile videretur, in causa fuit, „ ut per Nuncios, cum Constantino ageret, „ bellum Romanis illaturo. Qua occasione „ Constantinus non parùm confirmatus, co„ gnito etiam Imperatoris è Thessalia recessu, „ ampliùs viginti millia Scytharum ad Istrũ „ degentium accersit: Cum quibus celerri„ mè in Romanos fines impressione facta, ip„ sum etiam Imperatorem in itinere exce„ pturum sperabat. Scythæ igitur per om„ nem Thraciam, Sagenæ instar dilatati, ad „ mare usque provecti sunt, ut neque jumen„ tum, nec homo ullus, nec Imperator ipsos „ effugeret. Ac cætera quidem illis omnia ex „ sententia successerunt: Solus autem Impe„ rator elapsus, spem eorum fefellit: Nam „ cum eorum incursionem antevertisset, clam „ per montes, qui juxtà Ganos sunt, ad ma„ re descendit, ubi Divina quadam provi„ dentia iu duas Latinas triremas incidit: „ quæ cum Bizantium iter haberent, ibi aqua„ tionis causa præteribant: in quas cum se „ conjecisset, biduo in Urbem pervenit. *Hæc Gregoras.*

1170 Hoc ergò difficili bello implicitus Palæologus, nec ignorans in Occidente adversùs se crucem diversis in Provinciis prædicari, & aliunde promissis ab Urbano Apostolicis Apocrisiriis ad effectum tractandi Ecclesiarum unionem nondùm comparentibus, suspicatus fortè propter illata Latinis in Achajæ principatu damna, indignatum Pontificem à proposito recessisse, sibi consulens, ut saltem Occidentales apparatus diverterent: optimè norens Bulgaris, Scythis, simulque Latinis se haud posse resistere, novam Legationem ad Urbanum pro ineunda Ecclesiæ Græcæ cum Latina concordia, destinavit, mittens Episcopum Crotonensem Græcum genere, sed in Romanæ Ecclesiæ sinu

sinu educatum, datis ad eundem Pontificem literis, tenoris sequentis.

Venerabili Patri Patrum Beatissimo Papæ Veteris Romæ, Imperii nostri Domino Vrbano, Sacrosanctæ Apostol. Sedis Summo Pont. Divina voluntate, & providentia majori moribus, & vita & doctrina eorum Deo & sanctis reverendo.

Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus Comneno Palæologus, ac novus Constantinus, salutem, & reverentiam filialem cum competenti fidei Christianæ honore, & divorum Canonum.

1171 „ In omnibus orationibus nostris, „ vestram licèt indigni, & vestrorum fratrum „ S.R.E. Cardinalium, ad Deum filiali affe„ ctione memoriam facimus, quatenus se„ ptiformi gratia Dei paracleti, qua totum „ Ecclesię corpus coadunatur, compagina„ tur, sanctificatur, & Deo Christo legiti„ mo suo Sponso, per vos ad nos, & ad omnia „ membra Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus ca„ put est Christus, per suam virtutem ipse „ cœlitus destinare dignetur: in futuro verò „ cum Beatissimis verticibus Christi Aposto„ lorum, videlicèt Petro & Paulo, à Pasto„ rum, Pastore Christo Deo, qui propter „ nos beneplacuit sibi sicut ovis occidi; Vos „ dignos faciat coronari.

1172 „ Per præsentes quidem literas Sa„ crosanctæ Vestræ Paternitati, & vestro„ rum fratrum discretę dilectioni notifica„ mus, quod transactis temporibus beatæ „ memoriæ Imperatorum prædecessorum no„ stri Imperii, multoties Legati, & Nuncii „ hinc inde directi fuerunt ad componendum „ pacem, unitatem, & gratiam reuniendæ „ in Christo Deo Ecclesiæ, quam pravi, & „ schismatici Præsules dilaceraverunt: & hi „ medicamen aliquod non portarunt, sed „ magis ac magis prædictæ Ecclesiæ, schis„ ma, & discordiæ creverunt propter sermo„ nem Divinæ Scripturæ non puram exposi„ tionem, & Divinorum Sacrorum Dogma„ tum, quæ in libris Sanctorum Patrum con„ tinebantur, declarationem non sinceram: „ & prædicti Nuntii immediatè loqui ad in„ vicem ignorabant, sed eorum colloquium „ per illos, qui in medio stabant interpretes, „ non existentes sufficientes in scientia, nec „ potentes capere amborum intellectus; cùm „ rectè ac verè non potuissent exponere, & „ in palàm reducere ambarum Ecclesiarum „ dogma; ad centrum veritatis, & normam „ veræ fidei pervenire minimè potuerunt: & „ sic odium fraternum extinctivum amoris „ fraterni, & obnubilativum rationis veræ „ fidei, ad lites, & contentiones, sed super„ biam, & contumaciam; necnon ad strepi„ tum armorum, & sanguinis effusionem, & „ ad omnem injustitiam juris Divini, & Di„ vinorum Canonum semper crevit: Et hæc „ quidem erant miserrima, & lacrymarum „ bene digna scientibus, & salutem earum de„ siderantibus animarum propter brevitatem „ temporis hujus sæculi, quod post præsen„ tis vitæ transitum ad comparationem per„ petui, & futuri sæculi pro nihilo reputa„ tur.

1173 „ Cùmque quarto anno nostri Im„ perii primo præterito vox lætitiæ ab Occi„ dente cor nostrum tetigerit, & insonuerit „ auribus nostris, quæ animi nostri accendit „ affectum, quod à patria, & origine gentis „ nostræ Romæorum generationis Divina gra„ tia, & planta proveniens, & de virenti vi„ ridario transplantata; & ad hortum simi„ lem inserta Sanctæ Matris Romanæ Eccle„ siæ, atque literis sacris, & scientia Divi„ næ Scripturæ, & dogmatibus utriusque „ Ecclesiæ adornata, & inspiratione Sanctis„ simi Spiritus animata, & augumentata ad „ fructum odoris; perveniens ad Imperium „ nostrum transportavit, Nicolaus videlicèt „ Venerabilis Præsul Crotoniensis, de quo „ per multorum relationes virorum Venera„ bilium veritatem dicentium sensimus, ipsum „ esse Dei cultorem diligentem, & Catholi„ cæ fidei discretum, & verum prædicato„ rem, & in omnibus sermonibus piæ fidei „ sine personarum acceptione Zelatorem reu„ niendæ omnis Matris Ecclesiæ sine falsitate „ utriusque partis, verum dispensatorem Di„ vinæ Scripturæ, & quæ sunt Sanctorum „ Patrum fidum expositorem: Cui tertio an„ no nostri Imperii tranquillitatis animi no„ stri literas direximus, rogantes eundem, „ quatenus amore Dei, patriæ, & omnium „ nostrorum clandestinè ad Majestatis nostræ „ præsentiam personaliter se conferret, ut ex „ ore ipsius veritatem fidei, quam confitetur „ Sancta, & Catholica Romana Dei Eccle„ sia, & doctrinam Divinarum Scripturarum, „ quam ad ruditionem proponit ipsa Romana „ Ecclesia, & formam vestri Divini Sacra„ menti immediatè Græco audiremus sermo„ ne, necnon hauriremus vestram, & vestro„ rum fratrum plenariam voluntatem.

1174 „ Ipse autem Dei spiritu motus in „ hac hyeme præterita in Vigiliis Dei Chri„ sti Nativitatis ad Imperium nostrum acces„ sit, quo viso lætati sumus, ac si Sanctæ Pa„ ternitatis Vestræ faciem videremus. Quà „ omnia, quæ sunt veræ fidei, per ordinem „ reseravit, quæ rectè percepimus, & corde,

& ani-

„ & animo illuſtrati invenimus Sanctam Dei „ Eccleſiam Romanam, non alienatam à nobis in divinis piæ fidei dogmatibus, ſed ea „ ferè nobiſcum ſentientem, & concatantem. „ Prædictus nàmque Præſul ejuſdem Eccleſię „ doctrinam, & Sanctorum Patrum ejus, videlicèt Sancti Sylveſtri Papæ, Damaſi, Cœleſtini, Agathonis, Hadriani, Leonis Majoris, & Junioris, Gregorii Dialogi, Hilarii Pictavienſis, Ambroſii Mediolanenſis, „ Auguſtini Hypponenſis Africæ, Hieronymi, Fulgentii, & aliorum expoſitiones, & „ dogmata rectæ fidei reſeravit noſtro Imperio, ſicut iſti Sancti expoſuerunt prædicta, „ quæ invenimus concordantia ſermonibus „ Sanctorum Patrum ejus, videlicèt Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſareæ, & Cappadociæ, Gregorii Magni Theologi, Gregorii Nyſſeni, Joannis Chryſoſtomi cum „ utroque Cyrillo, & ſimilia ſapientes omninò, quæ cum omni fide puriſſima percepimus, veneramur, credimus, & tenemus; „ nec non & omnia Sacramenta ejuſdem Eccleſiæ Romanę veneramur, effectum credentes habere ea in animabus juſtis, quæ „ Deo conveniunt, conjunguntur, ac confirmantur.

1175 „ Cæterùm veſtram Sanctam Paternitatem rogamus, quatenùs, ſicut Princeps omnium Sacerdotum, & univerſalis „ Doctor Catholicę Eccleſiæ, ſolicitetis continua promptitudine ad reuniendam eandem Eccleſiam amodò, cui loco Beati Petri Deus præcipuè vos præfecit; quia jàm „ & noſtram tranquillitatem ad hoc peragendum paratam Sanctitas veſtra habet, ipſi „ Matri noſtræ Eccleſiæ omnes gentes, & „ Patriarchales Sedes, extento Divinâ potentiâ brachio noſtri Imperii, ac omnes nationes, ad devotionem, obedientiam, & „ amorem ejuſdem Eccleſiæ noſtri tranquilli „ Imperii potentia ſubjugavit. Quarè dictum Præſulem cum præſentibus literis „ fidei noſtræ catholicæ non fictè, ſed ex bona conſcientia, ex animo Dei amore accenſo ad veſtram Sanctam Reverendam Paternitatem remittimus, ut ipſe omnia, quæ „ apud nos unà nobiſcum, & nos cum eo protulimus, & ordinavimus; ac noſtram voluntatem, & propoſitum veſtris ſacris auribus oretenùs referet, Deo dante. Quocirà in Domino ſupplicamus veſtræ beatæ „ affectioni, quatenùs eundem cum aliis diſcretis, & ſanctis Viris ſuffultis, & præmunitis Legatis veſtræ ſanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, ad noſtrum Imperium revocetis, ac celeritèr remittatis ad noſtrum „ Imperium Paternitas veſtra Sancta, qui „ nobis plenariè veſtram voluntatem, & affectionem referet, & unà nobiſcum omnia, „ quæ ſunt veræ fidei, reuniendæ Eccleſiæ „ opere infallibili valeat percomplere; nàm „ Imperium noſtrum omne propoſitum animi noſtri Sanctitati veſtræ hactenùs multotiès præſentavit. Remanet ergò totum „ negotium ad diſcretionem veſtræ piiſſimæ „ Sanctitatis, & exindè de cætero Imperio „ noſtro in Dei teſtimonio accuſatio aliqua „ non poteſt opponi. *Hactenus Palæologi literæ.*

1176 Hiſce receptis literis, intellectiſq; quæ Legatus oretenùs adjecerat, lætatus eſt, ſummèque gaviſus Urbanus, & cor ejus dilatatum eſt, firmitèr credens, ac nihil hæſitans, Palęologum recto corde, menteque ſincera, unionem concupiviſſe; proindè nullâ interpoſitâ morâ, novos Apocriſiarios prioribus adjecit, ſelectos Fratrem Gherardum de Prato, & Fratrem Raynerium de Senis ex Minorum Ordine, quos unà cum eodem Nicolao Epiſcopo Crotonienſi ad Imperatorem infraſcriptis cum literis miſit.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Michaeli Palęologo Illuſtri Imperatori Græcorum, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

1177 „ Mediator Dei, & hominum, Deus „ & homo; Jeſus Chriſtus, qui Eccleſiam „ ſuam congregatam ex gentibus non habentem maculam, neque rugam ſuper gentes, & Regna conſtituit, extenditque palmites ejus uſque ad Mare, & uſque ad terminos terræ ipſius propagines dilatavit. „ Ad hoc Beatum Petrum Apoſtolorum Principem ipſius Eccleſiæ Caput inſtituit, & „ Magiſtrum, ut tàm ipſe, quàm cæteri ejus „ ſucceſſores, oves Dominicas, eidem Apoſtolorum Principi confidentèr à Summo Paſtore verbo ter repetito commiſſas, fidei catholicæ documentis imbuerent, morum „ inſtruerent diſciplins, & vivendi norma dirigerent in Cœleſtium ſemitam mandatorum, ac ſuper ipſos vigiles obſervantes excubias, illam de ipſis curam gererent, illamq; circà eos ſolicitudinem adhiberent, „ ut ipſas in unum ovile collectas, ſub unitatis glutino, & charitatis vinculo ad Divina obſequia retinerent; & ſi quas diſgregatas à Grege conſpicerent, indeſinentibus „ ſtudiis, & laboribus indeſeſſis ad gregis conſortium revocarent.

„ 1178 „ Nos igitùr, qui, licèt immeriti, „ ſuper oves ipſas Paſtoralis officii magiſterium, per Divinæ diſpoſitionis providentiam obtinemus, & qui totis ad hoc deſideramus affectibus, ut chriſtiana plebs ſub „ uno veræ fidei cultu proficiat, & variæ „ gentium nationes, extrà Romanæ Matris „ Eccleſiæ gremium evagantes, in unum ſub „ ejuſdem vexillo fidei congregatæ, ad catholicam redeant unitatem, & in illa ſtabili, auctore Deo, firmitate perſiſtant, receptâ, & perlectâ nuper Excellentiæ Imperia-

„ rialis Epistolâ, quam nobis venerabilis „ frater noster Nicolaus Crotonensis Episcopus præsentavit; intellectus quoquè his, „ quę idem Episcopus nobis ex parte Magnitudinis tuæ narravit oretenùs, eò majoria „ gaudii fuimus jucunditate perfusi, eòque „ uberiùs lætitiæ fructu horrea mentis nostrę „ replevimus, quò certiorem nobis spem, & „ fiduciam firmiorem de tua, tuique salute „ Imperii, ejusdem Episcopi fidelis, & discreta relatio, & Epistolæ series attulerunt. *Post hæc verò repetit quæ in sua Palæologus exaravit Epistola, quibus repetitis, subjungit Pontifex.*

1179 „ Hujusmodi ergò Excellentię Imperialis Epistola nostris comprehensa luminibus, & ad fratrum nostrorum solemnitèr, prout tanti negotii exigebat qualitas, „ redacta notitiam, nos, itemque fratres ex „ amœna lectione ipsius, veluti ex præsentialibus Serenitatis tuæ affatibus recreati, „ Patri luminum, à quo est datum omne „ optimum, & omne donum perfectum, & „ medullatum eum omnimodæ devotionis „ incenso gratiarum obtulimus holocaustum; „ exultantes alacritèr, & unanimiter collaudantes, & benedicentes Dominum, qui „ tantam nobis dignatus est facere gratiam, „ quòd in diebus nostris per tuæ solicitudinis ministerium aperiatur via compendii „ salutaris, per quam Ecclesia Dei ad antiquam, & tranquillam prioris unitatis famitam redeat; & grex Dominicus ad caulam unam, eandemq; congressus, sub unius „ Pastoris regimine, & in unius professione „ fidei gubernetur salubriùs, & in ejus observantia firmiùs solidetur.

1180 „ Et quidèm dignè gaudemus, Excellentissime Imperator, quòd ex his, quæ „ in vestra præmissa continentur Epistola, „ ferventem te cognoscimus ergà nos, & fratres nostros, ac eandem Romanam Ecclesiam sinceritatis affectum, & ad utriusque „ unionem Ecclesiæ zelum ardentis charitatis habere; dùm inter occupationes multiplices, quibus animum tuum continua „ Reipublicæ cura solicitat, & procellosus „ frangendorum sæcularium fluctus involvit; „ pro nobis, eisdemque fratribus, & Ecclesia „ intentis frequenter, ut scripsisti, apud „ Deum vacas orationibus; & pro unitate „ renovanda in Ecclesia Dei, adeò utilitèr, „ & efficacitèr laborasti, quòd agnita per eundem Episcopum concordi variarum, & diversarum sententia Scripturarum, quas „ Sancti Patres, tàm Latini, quàm Græci „ in orthodoxæ fidei fulcimentum sub diversitate temporum ediderunt; & quadam laudabili ejusdem professione fidei in prædicta „ Epistola ex tui prosperitate ingenii, & eum „ puritate fidelitèr expressa, & simplicitèr „ denotata, illud desiderantèr appetis, & constantèr prosequi velle videris, quòd eadem „ Romana desiderat, & semper desideravit „ Ecclesia; & quòd etiam prædecessores nostri Romani Pontifices à tempore, cujus „ non extat memoria, cunctis studiis, cunctisque nisibus penès prædecessores tuos „ Grçcorum Imperatores studuerunt, licèt „ eorum studia desideratum fructum non produxerint, promovere.

1181 „ Lætamur etiam, & meritò jubilum supernæ laudis assurgimus, quòd præparata est jàm materia, & via etiam expedita ipsi Ecclesiæ ad sui animi desiderium, „ suæque intentionis propositum de unione „ hujusmodi celeritèr obtinendum, cùm nunquàm ità certa de hoc spes, firmaque sibi „ fiducia exhibita fuerit, quemadmodùm memoratæ tenor Epistolæ ad ea, quæ prædictus Episcopus (quem tanquàm virum circumspectum, & providum, eruditum in „ Lege Domini, ac fervidum tui honoris, & „ nominis zelatorem, & in nostris, & prædictorum fratrum nostrorum oculis multiplicitèr gratiosum benignè recepimus, & diligentèr audivimus) nostro Apostolatui „ expressit oretenùs, nobis de ipsius unionis „ negotio præbuerunt: *Gloria*, igitùr, *in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quià, *eccè nunc acceptabile tempus* advenit: *Eccè nunc dies salutis* gratiâ „ plenus adest. Exurgant ergò omnes fidei „ catholicæ zelatores, & unà eum prædicta „ Romana Ecclesia eorum Matre immensâ „ jucunditate lętentur, quòd Imperator tantæ potentiæ, & qui tàm magni Imperii „ moderatur habenas, promptum se exponit, „ & offert ad fidem catholicam propagandam in gentibus, ad exaltationem ipsius „ Ecclesiæ, apud nationes etiam barbaras procurandam, & cultum divinum sub „ Apostolicæ Sedis magisterio ubilibet ampliandum.

1182 „ Sed non minùs ex præmissis in „ te, inclyte Imperator, eximiæ debet exultationis causa consurgere; non minùs cor „ tuum debet ardere, tuusque magnificus „ animus in gaudiis dilatari. Pensando nàmque præmium, quod tibi pro tantæ pietatis opere divina dispensatio compensabit; „ considerando quoquè, quòd pro re tàm sancta, tàm utili, tàmque Deo, & Ecclesiæ „ fructuosa funiculo tuæ Magnitudinis, & „ potentiæ per cuncta Mundi climita extendetur latiùs, & dilatabitur ampliùs vita „ tua, & post dissolutionem corporis nunquàm tui memoria nominis morietur. Potes utiquè non immeritò Deo salutari tuo, „ pro cujus honore tantùm Ecclesiæ suæ „ sponsæ bonum promoves, jubilare, sibique „ devotas gratiarum actiones exsolvere pro „ eo quòd tibi scire, posse, ac velle de alto „ concessit inveniendi, ac prosequendi vias, „ & modos, quibus remotis à tanto negotio „ cujuslibet veteris difficultatis obstaculis,

tàm

„ tàm damnosa gentis utriusque dissensio, de „ facili amodò, Divinâ favente clementia, „ sopiatur.

1183 „ Licèt itaq; ab olim dilectos filios „ Simonem de Alvernia, & Petrum de Moras, „ Petrum de Crista, & Bonifacium de „ Yporegia, fratres Ordinis Minorum, Apocrisiarios nostros, super hujusmodi negotio „ sufficientèr instructos, ad tuam Magnitudinem duximus destinandos, proptèr quòd „ ipsi satis ad ea, quæ scripsisti, sufficere videbantur. Tuis tamèn gratis, & placidis „ illecti oblationibus; & ex concepta de „ complemento negotii spei certitudine confortati; excitati quoquè tuæ puritatis affectu, quem ad nos, & prædictum negotium te gerere, ipsius tenor Epistolæ, ac „ memorati Crotoniensis Episcopi expressio „ attestantur, tuæ saluberrimæ petitionis „ instantia, debita cum fratribus nostris attentione pensatâ, & petitioni satisfaciendum fore decrevimus, & petenti. Et eccè „ Apocrisiarios nostros, videlicèt prædictum „ Episcopum, nec non dilectos filios Gherardum de Prato, & Raynerium de Senis Fratres Ordinis Minorum, pauperes utiquè „ Christi servos, Religione conspicuos, providos, & discretos, ac nobis, & Fratribus „ nostris gratos multiplicitèr, & acceptos, ad „ Imperialem Excellentiam de ipsorum fratrum consilio destinamus, ut idem Gherardus, & Raynerius, his, quæ præmissa continebat Epistola, & quæ idem Episcopus „ ex parte tuæ Celsitudinis nobis retulit, & „ ex ore tuo pleniùs intellectis, simùl cum „ prædicto Episcopo, animum tuum in hujusmodi tàm Sancto proposito corroborent, & confirment, teque ad meliùs salutaribus eorum monitis incessanter inducant, ac nostra, & eorundem fratrum nostrorum vota tibi pleniùs exprimentes, unà „ tecum, & cum prædictis aliis Apocrisiariis „ nostris; si præsentes in tua Curia fuerint, „ alioquin per seipsos diligentèr, & ferventèr intendant ad præparanda illa, quæ ad „ finalem dicti consummationem negotii fuerint opportuna.

1184 „ Ideòq; Imperialem Excellentiam „ rogamus attentiùs, & hortamur, obsecrantes te per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, quatenùs attendens providè, quòd mora semper extitit nociva paratis, quòdque „ tantæ salutis opus non est aliquatenùs differendum, nostras, & prædictorum fratrum nostrorum animas ulteriùs non suspendas, sed tanquàm solaris radius de cujuslibet obscuræ dubietatis caligine in auroram lucidam festinantèr erumpas, & consurgens in Ecclesiæ firmamento patefacias „ toti Mundo tuæ bonæ super hoc intentionis splendorem, tuique laudabilis propositi „ claritatem.

1185 „ Accelera, quæsumus, ad paratos „ tibi cum desiderio maternæ susceptionis „ amplexus, & confidentèr paternæ charitatis brachiis te committas, ità quòd Mater „ sub longiori expectatione ulteriùs non languescat, nec Patris fauces exclamando ad „ te altiùs raucæ fiant. Cæterùm prædictos „ Episcopum, Gherardum, & Raynerium „ cum omni benignitate recipias, eorumque „ exhortationibus aures tuæ Serenitatis inclines. Ipsi enim sinceritatem amoris, favoris plenitudinem, & puritatis affectum, „ quibus te, tuumque Imperium prosequi, „ Deo auctore, proponimus, ac nostram, & „ dilectorum fratrum nostrorum intentionem tibi apertiùs poterunt indicare. Datum apud Urbem Veterem x. Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno III. *Hactenùs Urbani literæ*, quas ex Codice Vaticano exscripsit Wadingus, recensetque suis in Annalibus ad Annum Domini MCCLXIV. sub num. 2. Et ad eundem Annum easdem, etsi non integras, recitat Raynaldus sub numero 63.

1186 At post hæc, tribus elapsis mensibus, contigit Urbanum ad Cœlum migrare, tanto negocio nondùm ad effectum perducto. Objit namque Perusii VI. Nonas Octobris, ut Clemens ejus successor scribit in suis Encyclicis literis; undè constat, errorem irrepsisse in Annalibus Minorum apud Wading. ad Annum MCCLXIV. sub num. 9. in quibus legitur objisse VI. Nonas Aprilis; Non tamèn errasse auctorem putamus, qui rectè annos illius Pontificatus, mensem, & dies consignat, cùm dicat sedisse Annos III. mensem unum, & dies tres: Quod quidèm Sedis tempus nequaquàm cohæret, dato obitu sexto Nonas Aprilis, quandò etiam mensis Aprilis sex Nonas non habet; post enim primam Kalendam, in præfato mense, IV. Nonas dicitur, non VI. Nonas. Itaquè Librarios errasse, minimè auctorem, certum fit. De antesato obitu, hæc apud eundem Scriptorem habentur: „ Intereà Urbanus ætate, & curis confectus, „ vel, ut alii volunt, venenosis ficubus intoxicatus, moritur VI. Nonas Aprilis (*lege Octobris*) intestinis exiccatis, apud Burgum Perusii ad Ecclesiam Sancti Petri, „ devotè susceptis Sacramentis; sepultus in „ Ecclesia Cathedrali Sancti Laurentii, postquàm sedisset Annos III. mensem unum, „ dies tres, affixumque hoc Epitaphium.

Archilevita fui, Pastorque Gregis
Patriar)
Tunc Jacobus, posui mihi nomen
ab Urbe Monar)
Tunc cinis exivi, tumuli post cha
condor in Ar)
Te sinè fine frui tribuas mi Sum-
me Gerar)

„ Vir fuit doctus, & pius, obesus corporis „ mole, pacis, ac otii amantissimus; Templa „ multa vetusta restauravit, nova construxit; „ nihil tàm desideravit, quàm Græcos, & „ Latinos ad concordiam reducere. Dùm „ per externa negocia licebat, semper ali- „ quid scribere, aut meditari solebat, mul- „ tas, easque doctas edidit Decretales, & in „ pretio habuit Viros eruditos. *Hæc ille*.

1187 Ante cujus obitum, insignem in Cœlo visum Cometem, ferunt Scriptores, evanuisse autem eàdem, qua è vivis sublatus est, nocte; de quo Gregorius Decanus de Urbani gestis sic scribit; „ Hic Urbanus Patrum „ Pater, mitis, pius, benignus, munificus, „ gratus, omni bonitate refertus rexit Eccle- „ siam Romanā Annis tribus, mensibus duo- „ bus (*intellige inchoatis*) & objit in Civita- „ te Perusina; & quiescit in Ecclesia Cathe- „ drali Civitatis ejusdem, quæ Beati Lau- „ rentii Ecclesia est vocata. In cujus obitu, „ quià mirè vixit, & miraculosè in Ecclesia „ Dei, ut dictum est, babuit incrementa, „ magnum mirum apparuit; nàm per tres „ menses, antequàm de hoc Mundo migras- „ set ad Dominum, quædam Stella Come- „ tes continuè, usquè ad diem obitus, homini- „ bus est ostensa, qualis nunquàm visa di- „ gnoscitur temporibus retroactis; quæ dicto „ Pontifice in Domino dormiente, ulteriùs „ non est visa per aliquem. Per quod signum „ creditur, & speratur, quòd ad Cœli tran- „ sierit sanctas mansiones, proptèr quòd Sy- „ dus dignoscitur miraculosè commotum. *Hactenus Gregorius*. In multis Orbis partibus visum tradunt, nedùm Occidentalibus, verùm & Orientalibus, puta in Syria, ac etiam Ptolemaide, aliisque regionibus.

1188 Hunc porrò Cometem alium fuisse ab eo, quem apparuisse scribit Gregoras lib.4. ante Bulgaricum, & Scythicum Bellum, indubium est; cum nàmque in signo Tauri apparuisse in Græcia scribit, inquiens: „ Cùm „ autem in Thessalia versaretur (*scilicèt Pa- „ læologus*) ostentum in Cœlo apparuit, va- „ tes, & prænuncius malorum, Cometes il- „ lustris, juxtà signum Tauri, noctu sub di- „ luculum, paululùm suprà Orizontem; & „ quantùm Sol procedebat, tantùm in dies „ & ille ab Orizonte discedebat, donec tan- „ dèm ipsum Cœli medium præteriret; Nàm „ cùm is primum visus esset, Solstitium æsti- „ vum fuit, Sole Cancrum perambulante; „ cùm languesceret, atque extingueretur, „ idem Sol autumnale Æquinoctium confe- „ cerat; tribus interim signis peragratis, Co- „ meta circà Taurum fixo, ac paulatìm eva- „ nescente. *Hæc Gregoras*. Verùm Cometes, qui antè obitum Urbani visus est, evanescens in ejus obitu, apparuit XVI. Kalendas Augusti, die scilicèt XVII. Julii, in XI. gradu Leonis, quæ retrogradu motu in XIII. Cancri gradu in occiduas gradiebatur partes, altero verò motu in merdidiem, ut ferunt Scriptores.

1189 Itaquè, ut suprà fati sumus, fato functus est Urbanus VI. Nonas Octobris, die scilicèt secunda ejusdem mensis, Anno Domini MCCLXIV. sui Pontificatus Anno IV. Imperii Michaelis Palæologi Anno IV. vacante Imperio Occidentali ab Annis XIV. Indictione VII. vel computando à mense Septembris, ineunte Indictione VIII. ubi sedisset Annos III. mensem I. ac dies III. vel IV. computato sui obitus die; Creatus est enim Romanus Pontifex die XXIX. Augusti, in festo scilicèt Decollationis Sanctissimi Præcursoris Anni Domini MCCLXI. Decessit autem die secunda Octobris Anni MCCLXIV. & ità rectè consignatum sui Pontificatus tempus concluditur.

1190 Sub ejus Pontificatu, quæ gesta sunt in Syria, brevi complectitur Marinus Sanutus lib.3.part.12.cap.6. inquiens: „ Sar- „ raceni Babylonii MCCLXII. Antiochiam „ obsederunt; sed, procurante Rege Arme- „ niæ, venientes Tartari obsidionem solue- „ runt. Sequenti Anno, Bendocdar cum „ XXX. millibus Equitum venit ante Ptole- „ maidam XIV. die Aprilis; sequenti die im- „ petuosè nimis usquè ad portas Civitatis „ prosiliit, Viridaria combussit; suitque Ci- „ vitas in periculo valdè magno. Ratio hu- „ jus impetus fuit, quià Templarii, & Ho- „ spitalarii nolebant Soldano Sclavos, se- „ cundùm pacta, reddere, cùm ipse vellet „ reddere quod debebat; undè Comiti Ja- „ phæ tunc proculdubiò treguam servavit. „ Eodem quoquè mense Sarraceni destruxe- „ runt Monasterium Bethlemitanum. *Hæc ille*, addens posteà sub cap.VII., Eodem An- „ no (*scilicèt MCCLXIV.*) XXVI. Januarii, „ Bendocdar cœpit Cæsaream per proditio- „ nem; Cujus timore Ptolomenses Turrim „ Molendinorum prosternunt, & Ecclesiam „ Sancti Nicolai in Cœmeterio, Soldanus „ verò Castrum Arsuf obsidens, undiquè vallavit. *Hæc ille*. Verùm de his sub Clemente Papa agendum erit, sub quo contigisse probabiliùs est.

CAPUT XXVIII.

De Clementis IV. Pontificatu, ejusque cum Palæologo gestis pro Ecclesiarum unione.

1191 Elapsis quinque ferè mensibus ab Urbani obitu, dissentientibus pro successoris electione DD. Cardinalibus, tandèm Nonis Februarii Anni Domini MCCLXV. unanimi suffragantium consensu renunciatus est Romanus Pontifex Guido Falcodius Episcopus Narbonensis, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sabinensis, im-

pe-

perante in Oriente Michaele Palæologo, ejus Imperii Anno V. Imperio Occidentali vacante, Richardo pro Romanorum Rege se gerente, Indictione VIII. sumpto nomine Clementis IV. Natione fuit Provincialis, patria verò, de Villa S. Ægidii: Cujus eximias virtutes describit Ptolomæus Lucensis lib. 22. cap. 29., inquiens: „ Hunc Historici communiter sic describunt, quod fuerat vir „ magnæ probitatis, & exempli, quia omnem statum Mundi expertus est; & in quolibet virtuosè se habuit, & gratiosè: Primo quidem uxoratus, filios quos habuit, „ in cultu enutrivit Divino: Advocatus in „ utroque jure, in Curia Regis Ludovici sancti gratiam habuit in conspectu ejus; unde „ & ipsum de suo secreto fecit consilio: mortua verò Conjuge, vitam clericalem assumpsit, & in brevi tempore factus est propter sua merita, Aniciensis Episcopus, inde assumitur in Archiepiscopum Narbonensem, propter exempla virtutum, quas „ videbant de ipso. Propter quæ omnia, „ Urbanus prædecessor ejus Cardinalem Sabinensem fecit, ac tandem ab eodem Papa „ Urbano in Angliam Legatus mittitur propter turbationem inter Regem Henricum, „ & Comitem Simonem Montis fortis: Existens in Francia, quia in Angliam transire „ non potuit, eligitur in Papam: sed scrutinio retento mittitur pro ipso à Collegio. *Hæc Ptolemæus*.

1192 Itaque absens electus est, & habita suæ electionis notitia per missos à Sacro Cardinalium Collegio, Perusium sine pompa, & mentito habitu se contulit, inde debito cum honore à Cardinalibus susceptus Viterbium deductus est. Verùm non alia certè de causa simulato cultu, & ut ajunt, mendicantis habitu Perusium se contulisse creditur, nisi ut à nemine, ut Pontifex honoraretur, in animo habens suæ non consentire electioni: nam consensit, sed quasi coactus, nè iterùm dissentientes Cardinales diù Ecclesia Sancta Dei careret Pastore. Quod non obscurè innuit ipsemet in suis Encyclicis literis datis Perusii VIII. Kal. Martii, in quibus & de antecessoris obitu, & de sua electione, ità scribit: „ His diebus fælicis recordationis Urbano „ Papa prædecessore nostro VI. Nonas Octobris viam universæ carnis ingresso, & sicut de largissima Dei pietate confidimus, „ post labores ad præmium evocato; tantique Patris defuncti corpore, prout est juris, & moris, cum honore, & reverentia „ Ecclesiasticæ tradito sepulturæ, Episcopi, „ Presbyteri, & Diaconi Cardinales, habito super futuri Pontificis electione tractatu, in nos tandem, licèt immeritos, de „ Legatione, quam susceperamus in Angliam redeuntes, & per aliqua terrarum „ spatia ab Apostolica Sede remotos, suos „ oculos injecerunt, nos in Ecclesiæ Romanæ Pontificem eligentes. Cùmque demum „ Perusium venissemus, & insufficientiæ nostræ multiplicis non ignari, tam importabilis oneris ferre sarcinam, tamque „ eminentis honoris fastigium conscendere „ meritò formidantes, demum ad concordium fratrum instantiam, tanto suppofuimus oneri humeros imbecilles. *Hæc ille*.

1193 Gravissimas in sui Pontificatus initio passus est molestias, persequente Sanctam Romanam Ecclesiam Manfredo, qui pro Siciliæ Rege se gerebat, quondam Friderici Imperatoris filio: Cujus rei causa Carolum Andegavensem Sancti Ludovici Francorum Regis advocavit, Regemque Siciliæ adversùs Manfredum creavit, quibusdam sub conditionibus, quæ habentur tom. 3. lib. privilegiorum S.R.E. inter quas una fuit, ut feudi titulo, Eccl. Rom. quadraginta millia Ducatorũ quotannis penderet, eoque sine liberis decedente, vel ejus filiis pariter absq; liberis, Regnũ ipsum ad Rom. Eccl., ejusq; dispositionem reverteretur: In eo tamen Regno liberos suos, & filiorum suorum, tam mares, quàm fœminas succedere posse, ac debere constituit. Vicit Manfredum Carolus, quem in prælio occidit, capta illius uxore cum filiis, illiusque fautoribus, & sequacibus dissipatis, ac pariter Sarracenis Luceriæ, quos Manfredus in auxilium sui adhibuerat, penitùs retusis. Cùmque Conradinus præfati quondam Friderici nepos, audita Manfredi morte adversùs Carolum arma movisset, innumera mala in Italiam, & Romanam Ecclesiam intulisset, captus denique in prælio à Carolo, unà cum Austriæ Duce, & Gerardo Comite Pisano, in Platea Civitatis Neapolis, de sapientum consilio, licèt nonnullis contradicentibus, jussu ejusdem Caroli, abscisso capite ultimum clausit diem. Hæc quidem omnia in decursu Pontificatus Clementis.

1194 Sub ejusdem Clementis Pontificatu tristitia acciderunt in Syria, quæ stylo compendioso, suo more, perstringit Marinus Sanutus lib. 3. fidel. Cruc. par. 12. Cap. 7. & 8., inquiens: „ Eodem annò, *scilicèt* „ MCCLXV., ultimo Aprilis, captum est „ castrum Arsuf. ab Oriente enim Ptolemaydę visum est clarum signum quasi ensis, longitudinis lanceæ, percutere Turrim Ecclesiæ Sanctæ Crucis. Fuerunt quoque capti, aut mortui Hospitalarii XC. & qui in „ castro erant universi, circa mille, ducti sunt „ in captivitate Babyloniæ. *Et Cap.* 8. Bendocdar, MCCLXVI. Primo Junii venit „ ante Ptolemaydam; ibique octo diebus „ immoratus est. Ibi nihil agens, ad castrum „ Montis fortis nona die accessit, & ibi nihil „ agens, ad castrum Saphet se contulit; obtinuitque XXIV. die mensis: & contra deditionis pacta, præter Castellanum, cunctos „ occidit. Obtento enim castro, post Solis „ occasum, misit Admiratum, suadens ut

,, Sarracenorum legem suscipiant, alioquin
,, gladio cuncti perirent. At universi, duo-
,, rum Fratrum Minorum, qui aderant mo-
,, nitis, tota nocte confortati, Martyrium
,, potiùs elegerunt, quàm Christi negare fi-
,, dem, fluebatque sanguis per montis de-
,, clivum, quasi aquæ rivulus, fuerunt au-
,, tem ultra DC. Post hos verò Fratrem Ja-
,, cobum de Podio, & Fratrem Hieremiam,
,, quia cæteros in fide firmaverant, & Prio-
,, rem Templariorum excoriari fecerunt,
,, deinde fustigari; postremò ad locum cæ-
,, terorum deducti, capite cæsi sunt. Fecit
,, autem Soldanus locum materia circundari,
,, quia noctibus super corpora splendebat
,, lux, etiam cernentibus Sarracenis. Inte-
,, rim verò, quinta die ejusdem mensis, unus
,, Admiraldus discurrit Civitates, & distri-
,, ctus Tyri, & Tripolis,& Tortosę. Et XXII.
,, Augusti, similiter unus fortis Admiraldus
,, percurrens Terram Armenię, cœpit unum
,, de filiis Regis, alterumque occidit cum
,, populo multo. *Hactenus Marinus Sanu-
tus*.

1195 Deplorat hęc Clemens in literis datis ad Ottobonum Cardinalem S.Adriani Legatum in Anglia tom 2. Epist. 271., inquiens:
,, Ecce Fili, Dominus omnium, qui non
,, multos ante jam dies, Azotum, & Cæsa-
,, ream à Sarracenis diripi justo suo judicio,
,, licèt nobis occulto, permiserat; conse-
,, quenter Sapheti castrum in manus tradi
,, voluit eorundem, dicemus, voluit, an
,, permisit? Casum novimus, sed Cœlestis
,, Abyssum judicii penetrare non possumus;
,, & idcircò, quod nescimus, metuimus; &
,, id plangimus quod videmus. *Hactenus Clemens*. Qui, & Crucem prædicare jussit, quam S. Ludovicus Francorum, unà cum tribus filiis suis Philippo, Joanne,& Petro assumpsit, eum secuti Atrebatensis, Brittanię, Flandriæ, Alegii, aliique Comites, Barones, & Milites in magno numero, sicut testatur idem Clemens in Epist. 320. tom. 2. data ad antefatum Cardinalem Ottobonum Legatum in Anglia. Indeque Sanctissimi Regis exemplo, Rex Navarræ, & Alphonsus Comes Pictaviæ & Tolosæ, pariter Crucem acceperunt, de quibus Clemens in Epistola data ad Regem Tartarorum tom. 2. Epistola 367., ait: *Ecce Reges Franciæ, & Navarræ cum multis Comitibus, & Baronibus, & Militibus, & aliis infinitis, Terræ Sanctæ negotium assumentes, Crucis insigniti charactere, contra Crucis, & fidei inimicos se viriliter præparant, & potenter*. Cùmque Palæologus mæstas literas eidem Pontifici direxisset, condolens de Armenorum jactura, à Barbaris, & infidelibus illata, rescripsit, ut si ex animo Christianorum nomen in Armenia ab infidelibus deleri lngeret, prosiliret in Arma, conjungeret se Ludovico Francorum Regi, qui tribus cum filiis Crucem induerat, ut diutiùs bellum sacrum geri posset, nec Christianus miles ducem desideraret, dum obeunte aliquo, alius ductandis copiis succederet; si timeret sibi, suisque à Latinis, posse Imperium suum in tuto collocare, si Romanæ Ecclesiæ Græcam conjunxisset. Extat Epistola tom. 2. Epistola 327. ad hunc modum se habens.

Clemens Episcopus &c.
Viro magnifico Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, viam agnoscere veritatis.

1196 ,, Si præssuris compateris Terræ
,, Sanctæ, si charissimi in Christo filii nostri
,, Regis Armeniæ, ut scribis damna deplo-
,, ras, tuum in hac parte commendamus af-
,, fectum, quem propensius utique laudare-
,, mus, si affectui responderet effectus. Ecce
,, si quidem, si ex animo Crucis persequeris
,, inimicos, tempus imminet, satis propo-
,, sito tuo congruum. Jam quidem charissi-
,, mus in christo Filius noster Ludovicus Il-
,, lustris Rex Franciæ,se cum filio primogeni-
,, to, & duobus aliis sequentibus Crucis
,, charatere insignivit,cum multis Comitibus
,, & Baronibus militibus, & plebeis. Et nè
,, tantum negotium persunctoriè prosequi
,, videatur, illud duxit longo præsidio fi-
,, ciendum, tres filios jam adultos, sed non ul-
,, tum Juvenes secum ducens, ut si Divina
,, forsitan ordinatio ex eis aliquem à præ-
,, senti peregrinatione subtraxerit, supersint
,, alii, qui velint, & valeant rem incæptam
,, fæliciter cursu prospero continuare. Sanè
,, totum Occidentalem populum excitamus,
,, qui tam nostris ordinationibus, quàm
,, Francorum exemplis provocatus, ad opus
,, simile se accingunt, si ipsis ex uno latere
,, impugnantibus Agarenos, tu ex altero
,, certare volueris contra ipsos è propinquo,
,, jam poterunt inimici Crucis, & fidei se-
,, ctæ suæ pestiferæ præstolari ruinam.
1197 ,, Quod si dicis tè timère Latino-
,, rum incursum, si terram quã possides,ducto
,, tecum exercitu,nudam relinqueres, & qua-
,, si penitùs immunitam, non est longè quæ-
,, renda responsio: nam in te est timorem hu-
,, jusmodi à radice præcidere, si ad Roma-
,, næ Ecclesiæ rediens unitatem, ejus con-
,, siliis salutaribus aquiescens; proferendis,
,, rigore justitiæ temperato, mandatis humi-
,, liter obedire volueris. Nec tuæ potest ex-
,, cusationi proficere quod scripsisti, Præla-
,, tis scilicèt, & Clero, non tibi, vel populo
,, tuo impingendum, si nobis obedientia de-
,, bita non impenditur ab eisdem; Cùm cer-
,, tò certiùs habeatur, quod tu in Prælatos,
,, & Clerum longè majorem, quàm deceat,
,, obtines potestatem: quibus, & contra
,, Deum, & omnem justitiam, in errore
hujus-

„ hujufmodi credere non deberes, fed eofdem tanquam Schifmaticos evitare fi coercere non valeres. *Hæc & alia Clement.* Data eft Viterbil XVI. Kal. Junii, fui Pontificatus anno tertio.

1198 Degebant adhuc Conftantinopoli apud Imperatorem quatuor illi Fratres Minores, Simon fcilicèt de Alvernia, & Socii miffi Apocrifiarii ab Urbano IV. infiftentes pro Græcorum unione: qui cum non poffent affequi quod volebant, atque ad pefectam fuæ legationis functionem expediebat, volentes tandem obtinere quod poterant, in quandam cum eo devenerunt concordiam, Scriptura per Articulos certos explicata, bona fide fpondentes fe apud Apoftolicam Sedem inftitituros, quantum effet in eis, ut Scripturam hujufmodi acceptaret, ut idem Clemens in redditis ad ipfum Palæologum literis, infrà recitandis, teftatur. Non enim limites fuæ Legationis prætergreffi funt, ut nonnulli autumant, nec à Pontifice de hoc reprehenduntur: non enim ipfi Scripturam illam concordiæ, vel fuo, vel Apoftolicæ Sedis nomine roboraverunt, aut approbaverunt. promiferunt dumtaxat, quantum in fe erat, inftare apud eandem Apoftolicam Sedem, ut acceptaretur, & hoc quia non poterant aliud obtinere, fperantes poffe inde in dubiis, vel etiam erroneis articulis, cum Sancta Sede ipfa concordare, ut refcinderentur erronei, explicarentur in rectum fenfum dubii: licèt eventus contrarium demonftravit: Nam Palæologus cum præfatis Articulis mifit Apocrifiarios fuos ad Romanum Pontificem, minimè fuper rem tam graviffimam fufficienter inftructos, nec cum poteftate ad concordandum, vel agendi id ad quod mittebantur, fed ad effectum dumtaxat, ut præfata roboraretur Scriptura, ut ex ejufdem Clementis literis conftat. Cùmque Pontifex præfatam Scripturæ concordiam minimè acceptare vellet, intelligens ex Palæologi literis, necnon & Patriarchæ Jofepho Conftantinopolitano, per eofdem Apocrifiarios redditis, affectare unionem cum Ecclefia Romana, de fratrum confilio decrevit mittere ad eundem Imperatorem expreffam fidei admittendæ, & credendorum Arcanorum feriem, ut abfque ambagibus, aut anfractibus explicitè confiteretur eandem cum Ecclefia Romana fidei doctrinam, ad quam feriùs amplectendam, fi ità placeret, Concilium œcumenicum fe indicturum, ubi commodiùs videretur, promifit. Itaque cum præfata fidei confeffione fequentes ad Palæologum fecit literas, quas nofter Wadingus ex Epiftolis fecretis Regefti Vaticani num. I. excripfit, fuifque in Minorum Annalibus ad An. Dom. MCCLXVII. fub num. 2. inferuit, videlicèt.

Palæologo Illuftri Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineas in futuro.

1199 „ Magnitudinis tuæ literas, ac viros providos, & difcretos latores earum, Apocrifiarios tui culminis, ad noftram venientes præfentiam, ferena facie, fed, & animo læto recepimus, & eis fuper omnibus quę proponere voluerunt, coram nobis, & Fratribus noftris, audientia benigna conceffa, fideles adhibuimus interpretes, qui noftrum eis, & fuum nobis in omnibus, & per omnia panderent intellectum. Ipfum quoque veftrarum literarum initium, quod ex pfalmis affumpferas fpiritualis, & nobilis Citharædi, cordis tui gaudium manifeftas; Ex eo jufta ratione conceptum, quod in Domum Domini te fperabas iturum; illuc etiam tribus Domini, Latinorum videlicèt, & Græcorum pariter afcenfuras; acceptum nobis plurimùm cum gaudio accepimus exultationis ingentis. Hoc eft enim, quod & nos totis vifceribus cōcupifcimus, quod, & in ipfis Miffarum folemniis à Domino petimus inceffanter, ut fuā videlicèt Ecclefiam toto Orbe Terrarum adunare dignetur. Hoc eft quod videre fummoperè cupimus, ut ipfius ruinas impleat, fciffuras reparet, muros ædificcet, & Sanctorum cuftodia muniat Angelorum. Non funt enim nobis incognita damna populi Chriftiani, quæ jam dudum Latinorum & Græcorum diffenfio peperit annofa pariter & damnofa: dum divifos inter fe populos, & in fua fe adverfis mutuo debilitando conatibus converfos vifcera, frequentiùs, & liberiùs furor hoftilis invafit, qui eifdem glutino veræ charitatis unitis, obeffe minimè potuiffet.

1200 „ Sanè olim ad fœlicis recordationis Urbanum Papam Prædeceflorem noftrum cum tuis literis folemnes Nuncios deftinans, tuum modo confimili per eofdem Nuncios, & literas pium defiderium explicando, inter cætera poftulafti, ut ad tuam præfentiam Apocrifiarios fuos mitteret, feù Legatos pacis homines, & pacificos Chrifti difcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque bono pacis mundanam fapientiam præponentes. Qui tuis votis annuens in hac parte, viros electos de fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc Mundo, in fide divites, in lege Domini pleniùs eruditos; fratres fcilicèt Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Crifta, & Bonifacium de Yporegia, eum fuis fub certa forma literis ad te mifit.

1201 „ Licèt autem idem prædeceffor nofter celfitudini tuæ literas fupradictas cum magno gaudio recepiffet, & in ipfis con-

„ contenta literis sigillatim inspecta pietatis „ perpenderet speciem obtinere; ad contentum tamen in eis ordinem, sicut non debuit, sic noluit se arctare. Tu quidem „ eorundem Latinorum & Græcorum concordiam, dissolutis inimicitiis, in charitate mutua priùs decreveras solidandam; „ & tunc demum videbatur tibi commodior „ de dogmatibus fidei; & rituum diversitate tractatus, & ad hujusmodi probationem „ ordinis ex scripturis authenticis argumenta multa compegeras, ad probandum, quod „ bonorum sit omnium charitas fundamentum. Ipse verò tuis non obvians argumentis, nec præconia charitatis attenuans, „ quam Sedes Apostolica illibatam servat, ad „ filios etiam indevotos; sed fidei primum, „ & solidum fundamentum attendens, sine „ qua Deo est impossibile placere; non injustè de consonantia fidei tractatum censuit „ præmittendum.

1202 „ Absit enim, ut Romanam Ecclesiam, quæ nec rugam habens nec maculam, illam tenet hodie, quam semper „ hactenus tenuit fidei veritatem, filios etiam „ se avertentes ab ea odio prosequi fateamur: „ cùm proculdubiò eadem Mater Ecclesia justis, & peccatoribus, obedientibus, & rebellibus exhibens piæ charitatis affectum, „ ad salutem omnium, quibus potest modis „ interdat: Nec ideò minus diligere sit censenda, quod interdum, exigente justitia, „ peccatorum confringit cornua, qui salutaribus monitis obtemperare contendunt. „ Sicut nec recto judicio dici potest medicus „ odiosus, qui curandis vulneribus ferrum, „ & ignem adhiberet, quæ lenioris antidoti „ medicamini non curantur. Stetit itaque „ cum fide charitas apud ipsam: sed qui fidem contaminant, necessario deserunt charitatem, ad quam nullus est eis redditus, „ nisi priùs, quam non receperant, vel receptam abjecerant, fidei veritatem agnoscant: „ cum sit illa fons vivus charitatis, cui nullus communicat alienus.

1203 „ Ut igitur rectus esset ad pacis „ optatæ colloquium, & tractatum ingressus, missi sunt ad tuam magnitudinem dicti Fratres de dogmatibus fidei, & Ecclesiasticis Ritibus tractaturi, ac insuper de concordia super aliis inter prædecessorem ipsum & te, tuumque populum „ reformanda. In ejusdem prædecessoris literis hoc expresso, quod si ex hujusmodi „ tractatu tibi, & ipsis fratribus videretur, „ quod tam pium, tamque salubre negotium, „ progressum laudabilem, & egressum deberet habere facilem, per te ordinari posset, & eos, quod pro ejusdem consummatione negotii solemnes Nuncii cum auctoritate, & potestate plenaria, & sufficienti mandato ad Sedem Apostolicam, ex parte tuæ celsitudinis, vel alia inveniretur via „ conveniens, per quam promptus ad negotii consummationem ipsius Deo procederetur auctore. Cæterùm fratres ipsi aliquandiù in tua Curia commorati, cùm non „ possent ad plenum assequi, quod volebant, „ volentes tandem obtinere, quod poterant, „ in quandam tecum, ut dicitur, convenere Scripturam, certos Articulos continentem, magnitudini tuæ bona fide spondentes, se apud dictam Sedem instituturos, „ quantum essent in eis, ut Scripturam hujusmodi Sedes eadem acceptaret.

1204 „ Nuper autem tuis Apocrisiariis „ supradictis ad nostram præsentiam accedentibus, & à nobis priùs secretò, ut eis placuit, ac in fratrum nostrorum præsentia „ subsequenter auditis, super fidei veræ dogmatibus cum eisdem conferre voluimus, „ non contentiosæ disputationis certamine, „ sed verbis simplicibus, & Evangelicæ consonis veritati. Quod recusantibus ipsis admittere, Tractatores eis obtulimus de dictorum fratrum nostrorum Collegio, qui „ colloquio familiari discuterent cum eisdem, „ quibus modis, quibusve gradibus, tam „ salubre posset negotium consummari. Sed „ ipsi nec istud recipere voluerunt, proponentes finaliter, quod nec ad disputandum, „ nec ad tractandum venerant, sed per nos „ roborari petebant, quæ à prædictis fratribus, Simone scilicèt, & Collegis ipsius, „ in tua, ut dicebant, præsentia fuerant acceptata, quæ cujusdam Scripturæ series, „ quam in nostra protulerunt præsentia, continebat, de qua tamen pro te, tuisque subditis roboranda, etiamsi nos acceptare vellemus eandem, nullam se recepisse penitus „ potestatem, coràm nobis, & eisdem fratribus nostris iidem tui Apocrisiarii sunt confessi.

1205 „ Quibus auditis, mirati sumus, „ tanti Apocrisiarios Principis, qui, si ea „ quæ in ejusdem prædecessoris literis expressa supra meminimus, adeò processissent, „ quod juxtà eorum seriem existimares non „ immeritò Nuntios destinandos, mitti à te „ debuerant, ut præmittitur, cum auctoritate, & potestate plenaria, & sufficienti mandato, sic instanter super ejusdem „ corroboratione Scripturæ; cum tamen ad „ hoc petendum, nec in scriptis, nec alias „ mandatum aliquod exhiberent; imò nec „ prædictæ tuæ celsitudinis literæ nobis præsentatæ per ipsos, de petione hujusmodi, „ vel præfata Scriptura, seù etiam de prædictis Sedis ejusmodi Apocrisiariis aliquam „ facerent mentionem, aut quod ipsis tuis „ Apocrisiariis fides à nobis deberet super iis, „ quæ pro parte tua proponerent, adhibere. „ Sed nè ipsos contemnere videremur, benignè ipsis ostendimus, quod præfata Scriptura nobis per ipsos exhibita, non potuit „ à spedictis fratribus dictæ Sedis Apocrisia-

„ siariis, ejusdem Sedis nomine approbari, „ cùm ad id ab ea non habuerint potestatem. „ Tractatores siquidèm missi fuerant, non „ negotii perfectores: sicque per consequens „ illorum incumbebat officio tractatus sui „ summam ipsi Sedi referre, illiusque appro- „ bationem ejusdem Sedis judicio reservare. „ Quod & ipsemet consultiùs attendentes, „ circà finem præfatæ scripturæ fatentur ex „ injuncti ministerii debito dictę Sedi inven- „ ta renunciare debere. Nec approbationis „ sibi usurparunt officium, sed instantiæ suæ „ ministerium promiserunt spondentes, ut „ prædiximus, se instituros apud dictam „ Sedem, quantùm in eis erat, ut Scriptu- „ ram approbaret eandem. Videat itaquè „ tua Sublimitas quàm purè, quàm liquidè „ dicti fratres Apocrisiarii Sedis ejusdem, „ suæ potestatis, & ministerii referarunt se- „ riem, & fines, seu terminos expresserunt, „ quàm clarè, quàm apertè suæ intentionis „ aperuere propositum. Quid enim clariùs „ dici, vel scribi potuit, ut nondùm actum „ quis diceret, quòd adhùc omninò ex al- „ terius approbatione pendebat? Fratres „ igitùr memorati Apocrisiarii dictæ Se- „ dis, nec roboraverunt, nec intenderunt, „ sicut nec etiam potuerunt, prædictam „ sinè Sedis ejusdem conscientia roborare „ Scripturam.

1206 „ Nos quoquè petitionem à præfa- „ tis tuis Apocrisiariis super ipsius Scriptu- „ ræ inspectam tenore, cùm nonnulla, quæ „ continentur in ea, nec accomoda, nec uti- „ lia, imò dispendiosa, & damnosa potiùs „ tanto, & tali negotio reputemus, de præ- „ dictorum fratrum nostrorum consilio, ejus- „ dem negotii qualitate pensata, non duxi- „ mus admittendam, præsertim cùm ipsi tui „ Apocrisiarii ad roborandam eandem, pro „ te, tuique Imperii Clero, vel Populo, nul- „ lum, ut præmisimus, mandatum, vel pote- „ statem haberent, nec tu de petitione præ- „ missa tuis aliquid literis duxeris inseren- „ dùm: immò ab eadem Scriptura, utpotè „ de cujus corroboratione, jàm elapso ferè „ triennio non curasti, nec per nostros Apo- „ crisiarios, post superiùs nominatos novissi- „ mè ad te missos, qui apud te diutiùs mo- „ ram contraxerunt, nobis misisti aliquid „ verbo, vel scripto, recessisse verisimi- „ litèr credi posses, quamquàm & aliàs „ non fuisset à nobis eadem petitio admit- „ tenda.

1207 „ In eis etenim, quæ sunt fidei, & „ veritatem respiciunt, sinè qua salus esse „ non potest, explicitè, non sub volucro est „ agendum, ideòque, ut in lucem omnia ve- „ niant, nec verborum ambagibus intentio- „ nis nostræ puritas involvatur, tenore præ- „ sentium duximus declarandum, quod tibi „ à Prælatis, & cæteris sub tua ditione de- „ gentibus faciendum incumbat, ut ad sinum „ ejusdem Sacrosanctę Romanę Ecclesię Ma- „ tris tuę, sano fretus consilio redeas reveren- „ ter. Quod si faciendum, Domino decre- „ veris inspirante, ipsa Mater piissima, filio „ redeunti, sinum largissimę pietatis aperiens, „ in tuos læta properabit amplexus. Eccè „ ergò quod corde firmitèr credimus, & „ quod ore simplicitèr profitemur, tibi pla- „ nè proponimus, & exponimus, nec in ve- „ lamentis enigmatum dogmata nostra tegi- „ mus, sed omninò verbis explicitis, & aper- „ tis notam esse volumus universis professio- „ nem fidei, quam tenemus. Quam à te Cle- „ ro, & Populo prædictis exigimus, ut ean- „ dem, tu, & ipsi profiteamini, si ad nostram, „ ut desideramus, volueris redire unitatem. „ Ea insuper, quæ circà ejusdem Ecclesiæ „ Romanæ primatum, de cujus veritate non- „ nulla præfatæ Scripturæ series continebat, „ à te, ac ipsis, Clero, & Populo recipi, & ac- „ ceptari volumus, pleniùs & apertiùs expli- „ cantes.

1208 „ Et quidèm credimus Sanctam „ Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiri- „ tum Sanctum, unum Deum omnipoten- „ tem, totamque Deitatem coessentialem, „ consubstantialem, coæternam, & omni- „ potentem, unius voluntatis, Potestatis, „ Majestatis, Creatorem omnium Creatura- „ rum, à quo omnia, & per quem omnia, in „ quo omnia, quæ sunt in Cœlo, & in terra, „ visibilia, & invisibilia, corporalia, & spi- „ ritualia.

1209 „ Credimus singulam quamque in „ Sancta Trinitate personam unum verum „ Deum, plenum, & perfectum.

1210 „ Credimus ipsum filium Dei, Ver- „ bum Dei æternalitèr natum de Patre, con- „ substantialem, coomnipotentem, & æqua- „ lem per omnia Patri in Divinitate, tempo- „ ralitèr natum de Spiritu Sancto ex Maria „ semper Virgine cum anima rationali, duas „ habentem nativitates, unam ex Patre æter- „ nam, alteram ex Matre temporalem, Deum „ verum, & hominem verum, proprium in „ utraque natura, atq; perfectum, non ado- „ ptivum, neque fantasticum, sed unum, & „ unicum Filium Dei in duabus, & ex dua- „ bus, Divina scilicèt, & humana naturis; „ sed in unius Personæ singularitate, impas- „ sibilem, & immortalem Divinitate, sed in „ humanitate, pro nobis, & pro salute nostra „ passum, verà carnis passione mortuum, & „ sepultum, & descendisse ad Inferos, ac ter- „ tià die resurrexisse à mortuis verà carnis „ resurrectione, die quadragesimo post Re- „ surrectionem cum carne, in qua resurrexit, „ & anima ascendisse in Cœlum, & sedère ad „ dexteram Patris, indè venturum judicare „ vivos, & mortuos, & redditurum unicui- „ que secundùm opera sua, sive bona fuerint, „ sive mala.

1210 „ Credimus etiam Spiritum San-
„ ctum plenum, & perfectum, verumque
„ Deum ex Patre & Filio procedentem, co-
„ æqualem, & coessentialem, & coomnipo-
„ tentem, & coæternum per omnia Patri, &
„ Filio.

1211 „ Credimus hanc Sanctam Trini-
„ tatem non tres Deos, sed unum Deum om-
„ nipotentem, æternum, invisibilem, & in-
„ commutabilem.

1212 „ Credimus Sanctam Catholicam
„ & Apostolicam unam esse veram Eccle-
„ siam, in qua unum datur Baptisma, & ve-
„ ra omnium remissio peccatorum.

1213 „ Credimus etiam veram Resurre-
„ ctionem ejusdem carnis, quam nunc gesta-
„ mus, & vitam æternam.

1214 „ Credimus etiam novi, & veteris
„ Testamenti, Legis, ac Prophetarum, &
„ Apostolorum unum esse auctorem Deum,
„ ac Dominum omnipotentem.

1215 „ Hæc est vera Fides Catholica, &
„ hanc super dictis Articulis tenet, & prædi-
„ cat Sacrosancta Romana Ecclesia. Sed &
„ propter diversos errores, à quibusdam ex
„ ignorantia, & ab aliis ex malitia introdu-
„ ctos, dicit, & prædicat eos, qui post Ba-
„ ptismum in peccata labuntur, non reba-
„ ptizandos, sed per veram pœnitentiam suo-
„ rum posse consequi veniam peccatorum.
„ Quòd si verè pœnitentes in charitate de-
„ cesserint, antequàm dignè pœnitentiæ fru-
„ ctibus de commissis satisfecerint, & omis-
„ sis, eorum animas pœnis Purgatorii post
„ mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi
„ relevandas prodesse eis fidelium vivorum
„ suffragia, Missarum scilicèt sacrificia, ora-
„ tiones, & eleemosynas, & alia pietatis offi-
„ cia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri
„ consueverint, secundùm Ecclesiæ instituta.
„ Illorum igitùr animas, qui post sacrum Ba-
„ ptisma susceptum nullam omninò peccati
„ maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post
„ peccati contractam maculam, vel in suis
„ manentes corporibus, vel eisdem exutæ,
„ prout superiùs dictum est, sunt purgatæ,
„ in Cœlum mox recipi. Illorum autem ani-
„ mas, qui in mortali peccato, vel cum solo
„ originali decedunt, mox in Infernum de-
„ scendere, pœnis tamèn disparibus punien-
„ das, eadem Sancta Romana Ecclesia cre-
„ dit, & firmitèr asseverat. Et quòd nihilo-
„ minùs in die Judicii omnes homines antè
„ Tribunal Christi cum suis corporibus com-
„ parebunt, reddituri de factis propriis ra-
„ tionem.

1216 „ Tenet etiam, & docet eadem
„ Sancta Romana Ecclesia septem esse Eccle-
„ siastica Sacramenta: Unum scilicèt Baptis-
„ ma, de quo dictum est suprà. Aliud est Sa-
„ cramentum Confirmationis, quod per ma-
„ nus impositionem Episcopi cōferunt chris-
„ mando renatos. Aliud est Pœnitentia.
„ Aliud est Eucharistia. Aliud est Sacra-
„ cramentum Ordinis. Aliud est Matrimo-
„ nium. Aliud est Extrema Unctio, quæ
„ secundùm doctrinam Beati Jacobi, infir-
„ mantibus exhibetur. Sacramentum Eu-
„ charistiæ ex azymo conficit Romana Ec-
„ clesia, tenens, & docens, quòd in ipso Sa-
„ cramento panis verè transubstantiatur in
„ Corpus, & vinum in Sanguinem Domini
„ nostri Jesu Christi. De Matrimonio tenet,
„ quòd nec unus Vir simùl plures uxores,
„ nec una Mulier simùl habere permittitur
„ plures viros. Solutâ verò lege Matrimonii
„ per mortem alterutrius conjugum, secun-
„ das, & tertias, & deinceps plures nuptias
„ successivè & licitas esse dicit, si impedi-
„ mentum canonicum ex causa alia non ob-
„ sistat.

1217 „ Ipsa quoquè Sacrosancta Roma-
„ na Ecclesia summum, & plenum Primatum,
„ & Principatum super universam Catholi-
„ cam Ecclesiam obtinens, quem se ab ipso
„ Domino in Beato Petro Apostolorum Prin-
„ cipe, seù vertice, cujus Romanus Pontifex
„ est successor, cum potestatis plenitudine
„ recepisse veracitèr, & humilitèr recogno-
„ scit; sicut præ cæteris tenetur fidei veri-
„ tatem defendere, sic & si quæ de fide sub-
„ ortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio
„ diffinire. Ad quam potest gravatus quili-
„ bet in negotiis, ad forum Ecclesiasticum
„ pertinentibus appellare. Sed & in omni-
„ bus causis ad examen Ecclesiasticum perti-
„ nentibus, ad ipsius potest recurri judicium,
„ & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ,
„ ipsarumque Prælati, & obedientiam, & re-
„ verentiam sibi debent, apud quam sic po-
„ testatis plenitudo consistit, quòd Ecclesias
„ cæteras ad solicitudinis partem admittit;
„ quarum multas, & Patriarchales præcipuè,
„ diversis privilegiis eadem Romana Eccle-
„ sia honoravit; suâ tamèn prærogativâ, tàm
„ in Generalibus Conciliis, quàm in quibus-
„ cumque aliis semper salvâ.

1218 „ Porrò præscriptam purissimam,
„ certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei
„ veritatem, Evangelicæ Doctrinæ conso-
„ nam, à Sanctis Patribus, & Romanorum
„ Pontificum in suis Synodis diffinitione fir-
„ matam; sicut nec decet, sic nec volumus
„ novæ discussioni, ac diffinitioni subjacere,
„ ipsam quasi per hoc quomodolibet, contrà
„ fas & licitum, in dubium revocando. Ideò-
„ que licèt in præfata Scriptura de convoca-
„ tione Concilii ageretur; licèt tu per tuas
„ præfatas literas Concilium in terra tua
„ convocari petieris; Nos tamen nullo mo-
„ do proponimus Concilium ad discussio-
„ nem, seù diffinitionem hujusmodi convo-
„ care; non quòd cujusquam faciem verea-
„ mur, vel eandem Sacrosanctam Romanam
„ Ecclesiam Græcorum superari prudentiâ
„ timeamus; sed quià prorsùs indecens foret,
im-

„ immò nec licet, nec expedit in dubium revocari præmiſſam veræ fidei puritatem, tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili diffinitione firmatam; pro cujus defenſione, ſi neceſſe foret, parati eſſemus ſubire martyrium, & morti etiam exponere corpus noſtrum. Quam ideò ad præſens, nequaquàm auctoritatibus, quarum tamèn ſatis nobis copia pro voto ſuppeteret, munire curavimus; ſed in ſimplicitate veridica, ſic purè, ſic explicitè tàm prædictis tuis adhibendam Nunciis, quàm tibi decrevimus deſtinandam, quià vel notam prolixitatis nimiæ diffuſus Epiſtolæ textus incurreret, ſi auctoritatum multitudinem, quibus eadem roboratur veritas, contineret, vel ſi notam vitare volens, hujuſmodi tàm prolixam tot articulorum materiam brevi ſermone perſtringeret, de defectu forſitan, qui proculdubiò nimis foret in tanto notabilis, & periculoſus negotio, notaretur.

1219 „ Et quià providâ deliberatione concepimus Apocriſiarios aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu, ac prædicti Clerus, & Populus ſuper præmiſſis conferre poteritis; & ſicut ſperamus, ipſi vobis ſufficientèr, Divinâ eis donante clementiâ, reſpondebunt; ſed nihilominùs, ſi quid tuum, tuorumque animos concutit; ſi quid turbat, ut eorum aliquid, quæ ſuprà adſcripſimus veremini, ut petimus profiteri, aliquos de petitionibus, quos in prædictis repereris Clero, vel Populo, ad noſtram mitte præſentiam; noſque, qui juxtà ejuſdem Principis Apoſtolorum ſententiam parati ſumus omni poſcenti nos de ea, quæ in nobis eſt, fide, & ſpe reddere rationem; illos, quos miſeris charitate tractabimus, & patienter quidquid proponere voluerint, audiemus; & tàm plenè, donante Domino, ſatisfaciemus eiſdem, quod, amoto cujuslibet dubitationis ſcrupulo, fidei veritatem agnoſcent; & in agnita ſalubritèr gloriantes, ad te cum gloria remeabunt. Ipſis quoquè Apocriſiariis tuis, cùm de præmiſſa profeſſione fidei, eja, ut præmittitur, copiam fecimus, clementèr obtulimus benignè ipſis ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent.

1220 „ Ideòque Excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis obſecrantes, quatenùs diligentèr attendens, quantùm tibi accreſcet ad meritum, quantùm accedet ad gloriam, & exaltationem tui nominis ampliandam, ſi datum tibi deſupèr fuerit, ut oves, quæ perierunt, tuæ diligentiæ ſtudio ad caulam Domini reducantur; ſi tuis fiat laboribus, ut unum ſit ovile, unuſque Paſtor, Latinorum, & Græcorum populis tuis temporibus in unitate præmiſſæ orthodoxæ fidei adunatis; ſic ſtudeas habilitare materiam, ſic animos tuum, tuorumque diſponere, quòd in prædictorum Apocriſiariorum noſtrorum adventu, te, ac præmiſſis Clero, & Populo præſcriptam, humilitèr ſuſcipientibus, & fidelitèr profitentibus fidei veritatem, facilis ſit ad reliqua, Domino faciente, proceſſus.

1221 „ Quòd ſi poſtquàm talitèr ſuprapoſitam, tu, idemque Clerus, & Populus veritatem fidei ſuſceperitis, & profeſſi fueritis, & ad obedientiam, ut præmiſimus, ejuſdem venerítis Eccleſiæ Matris veſtræ; Concilium per Sedem ipſam ad locum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idoneus convocari petieritis, ad charitatis vinculum inter Latinos, & Græcos fœdere perpetuo roborandū; Legatos ſuper hoc ad nos poteritis deſtinare, quibus, faciente Dño, reſponſum dabitur, quò tuū deſiderium ſatiari poterit, & debebit. Ad præmiſſæ igitùr tàm ſalutiferæ unionis ſalutare commercium efficacitèr ſolicitudo tuæ ſublimitatis intendat; & ut animarum, & corporum diſcrimina, quæ ingerit inveterata diſſenſio, præcidantur, præmiſſa, quæ paternâ monitione requirimus, implere feſtinet; ſcitura, quòd occaſione tractatus hujuſmodi nec iis, qui à tua magnificentia ſe gravatos eſſe querantur, ſicut nec debemus, in ſua juſtitia deeſſe proponimus, nec à profecutione tanti negocii per alias vias, quas ad animarum ſalutem Dominus miniſtraverit, deſiſtemus. Datum Viterbii IV. Nonas Martii Pontificatus noſtri Anno IV. *Hactenus Epiſtola Clementis*.

1222 Erat tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus Joſephus, ut ſuprà innuimus, ex Monacho Montis Galleſii, qui Germano in Patriarchali Sede ſucceſſerat, vir aliundè litterarum planè rudis, ſed Michaeli Palæologo valdè charus, qui & ei omnia ſua negotia communicare conſueverat; de quo Gregoras lib. 4. Hiſtor. Rom. hæc ſcribit: „ Cæterùm Patriarcha Conſtantinopolitanus Germanus, cùm ſibi vulgus per ſummam petulantiam inſultare audiviſſet; quippè qui Arſenio legitimo Patriarchæ adhùc Superſtite Sedem illius occuparet, ea cuivis relicta, quieti ſe dedit. Huic ſuccedit Joſeph, vir canus, qui longo tempore in Monte Galleſio Monachum in ocio egerat, Græcarum literarum planè rudis, & nimiùm ſimplex. Tales enim mores cum Republica, & uſu rerum commune nihil habent. Hujus ob religionem conſuetudine utebatur Imperator Michael, & ſuas illi cogitationes exponebat. *Hæc Gregoras*, ſubjungens hunc Imperatori duo crimina publicè confeſſa, perjurium, ſcilicèt & filii Imperatoris excecationem, data quam Syngrapha, condonaſſe.

se. Hic ergò, ut pariter superiùs fati sumus, cum Imperatore concors, literas fecit ad Clementem pro unione ineunda, ferendas, & contradendas per eosdem ab Imperatore missos Apocrisiarios, cui rescripsit Pontifex sequentes perbreves literas.

Clemens Episcopus &c.
Dilecto in Christo fratri Patriarchæ Græcorum spiritum gratiæ salutaris.

1223 „ Tuarum nobis missarum nupèr „ feries literarum tui desiderii, ad Ecclesiarum, Latinæ videlicèt & Græcæ desiderabilem unionem reseravit affectum, tantò „ proculdubiò gratiorem, quantò & nos pleniùs ad illam afficimur, quantòque eam „ tanquàm Deo acceptabilem, & animabus „ gratia divina proposita salutarem, totis visceribus affectamus. Hoc est siquidèm, quòd „ inter solicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti curà revolvimus; Hoc est, „ quòd ardentiùs nostra suspirat intentio; „ Hoc est, quòd in solidæ charitatis ardore „ crebris orationibus postulamus, ut ille lapis angularis, qui facit utraque unum, „ suam Sanctam Catholicam, & universalem Ecclesiam schismatum scissura divisam „ misericorditèr uniens, in unitate fidei orthodoxæ toto orbe dignantèr adunet. Innumera etenim, & inæstimabilia præcipuè „ animarum, sed & corporum commoda, quę „ Populo christiano hujusmodi unio desideranda, tàm salubris afferret, diligentèr advertimus, ut nnmerosa discrimina, quæ jàm „ intulit, proh dolor! inveterata dissensio, „ ignoramus.

1224 „ Proptèr quòd, nè tàm utile, tàm „ pium negocium per verba inefficacia ulteriùs deducatur, viam ad accelerationem „ hujusmodi nobis admodùm votivi negotii, „ de consilio fratrum nostrorum compendiosam, ut speramus, eligimus, quam ideò „ præsentibus, non duximus inserendam, „ quià eam Magnifico viro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, nostris „ literis pleniùs explicamus. Ideòque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & „ hortamur in Domino Jesu Christo, per „ aspersionem sui pretiosi Sanguinis obsecrantes, quatenùs præmissum affectum, „ quem cædem tuæ literæ prætendebant, per „ efficacem operis evidentiam exhibens, ad „ celerem executionem illorum, quæ in prędictis nostris literis paternè requirimus, in „ humilitatis spiritu teipsum promptum, & „ propitium offeras, & tàm præfatum Græcorum Imperatorem, quàm alios, quo poteris studio, solertis exhortationis inducas, „ ut cum Altissimi dextera tàm gloriosum „ opus utilitatis tantæ perfecerit, tu in hoc „ te utilem extitisse cooperatorem ipsius, sub „ spe nihilominùs divinæ gratiæ, ac favoris „ Apostolici, quem tibi ex hoc accrevisse „ dignè lætaberis, possis non immeritò gloriari. Datum Viterbii IV. Nonas Martii „ Anno III. *Hactenus Clemens ad Josephum Patriarcham*. Ex eodem Wadingo.

1225 Easdem literas, licèt non integras, recitat etiam Raynaldus ad eundem Domini Annum MCCLXVII. discrepat tamèn in die, quo data est Epistola ad Patriarcham, cùm apud eum legatur data VI. Nonas Martii, apud Wadingum verò IV. Nonas, eodem die, quo leguntur datæ literæ ad Imperatorem; quod veriùs censeo, nedùm quià sic signatas reperit in Regesto Vaticano in literis Secret. sub num. 2. undè ipse eas exscripsit: verùm etiam quia regularitèr Summorum Pontificùm literæ, quæ datæ habentur ad Imperatores, & Patriarchas simùl pro eadem causa, mittendæ per Apocrisiarios, datæ semper leguntur eadem die: quarè hoc factum ex Typographi errore accidisse existimo. Errorem similem circà Annum reperio apud Wadingum, ubi literæ datæ ad Imperatorem signatę sunt Anno IV. Pontificatus Clementis; quę verò recensentur datæ ad Patriarcham, notantur sub Anno III. Et certè simùl datę sunt, aut ambæ sub Anno III. aut sub IV. & verosimiliùs mihi videtur scriptas Anno IV. Pontificatus Clementis ante ejus obitum, quoniàm, ut infrà dicemus, præfatam fidei confessionem, post Clementis obitum, Sede adhùc vacante, Domini Cardinales ad ipsum direxerunt Imperatorem.

1226 Designaverat pius Pontifex ex familia Sanctissimi Patriarchæ Dominici, & inclyto Prædicatorum Ordine Apocrisiarios mittendos ad Imperatorem Græcorum assumere, pro qua re scripsit Magistro Generali præfati Ordinis, ut habetur tom. 2. Epist. 333. quatenùs seligeret ad hoc opus Viros Religiosos, qui Testamenti scientià pollerent utriusque, & ingenio præditi naturali; Nec essent in gestibus incompositi, nec in responsione præcipites, sed exactà potiùs gravitate laudandi, in tempore proferre sermonem scirent, & eorum jactantiam, puta Græcorum æquanimitèr tolerare. Subjungit posteà: „ Scire te volumus nobis sufficere, si illos, „ quos tecum habes, vel intrà fines Italiæ „ ad hoc videris idoneos, illos elegeris; non „ enim Græci disputationi se offerunt, sed „ paratos dicunt ostensam sibi recipere veritatem; suntque apud nos rationes eorum, „ quibus suum errorem fulciunt, baculis „ arundineis innitentes. *Hactenus Clemens*. Hanc tamèn Legationem sub Clemente effectum haùd esse sortitam, causà mortis præfati Pontificis; immò & ipsorum Legatorum, ut testatur Gregorius X. in literis datis ad eundem Imperatorem.

1227 Intereà Clemens migravit ad Dominum Anno ab Incarnatione MCCLXVIII. sui

sui Pontificatus Anno IV. Imperii Michaelis Palæologi Anno VIII. Indictione XII. inchoata à mense Septembri, vacante Imperio Occidentali ab Annis XVIII. die XXIX. mensis Novembris, ubi sedisset Annos III. menses IX. ac dies XXV. ut notat Baronius in schedis, inquiens: *Clemens IV. creatus IX. Februarii, consecratur VIII. Kal. Martii, sedit Annis III. mensibus IX. diebus XXV.* Obiit Viterbii, sepultusque est in Ecclesia Fratrum Prædicatorum: sicut in Chronic. Romanorum Pontificum scribit Bernardus Guido, ubi ait: „Clemens Papa IV. vir totius prudentiæ præ„ cunctis generosis hominibus obiit Viterbii, „ in Vigilia Beati Andreæ Apostoli cum pa„ ce Ecclesiæ concessa ex illo latere: fuitque „ sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicato„ rum in Viterbio, Anno Domini Millesimo „ ducentesimo sexagesimo octavo. *Hæc ille.* Cùm enim dicit, *cum pace Ecclesiæ concessa ex illo latere*, intelligit ex ea parte, qua obtyrannidem Manfredi, & Conradini vexata fuit, quoniàm ambobus existinctis, & Carolo in Siciliæ Regno firmato, pax Ecclesiæ reddita fuit.

1228 Præstat reddere, quæ Sanctus Antoninus de cujus Pontificis obitu, & sepultura scribit par. 3. sum. cap. 1. §. XI. ubi ait: „ Annum insignem multis rebus, insignio„ rem fecit Pontificis mors, & contentio mox „ inter Patres secuta. Sepultus est autem „ gloriosus Pontifex Viterbii, ubi tunc Cu„ ria residebat in Ecclesia Fratrum Prædica„ torum: ubi ipse elegerat sepulturam. Sed „ de facto translatum ad Ecclesiam Cathe„ dralem ad voluntatem quorundam. Post„ modum dictante justitia per successorem „ Pontificem restitutum est corpus fratribus „ ipsis; & ante Cappellam majorem in late„ re honorificè, ut patet, collocatum. *Hæc ille.* Qui inde in ejus laudem, hæc alia subjungit: „ Dicitur etiam in laudem tanti „ viri, quod duas filias nubiles haberet, & „ nuptui tradere quærens: nil tamen de Pa„ trimonio crucifixi: sed tantum de proprio, „ quod non maximum erat, dotare vellet; at„ tendentes ad divitias Pontificales, seù Ec„ clesiæ, cum de illis nil expectare valerent: „ illas innuptas dimiserunt: unde, & melio„ ri Sponso Domino Jesu Christo traditæ „ sunt, in Virginitate Deo obsequentes. *Hæc Antoninus.*

1229 Ab aliis quoque hic Beatus Pontifex laudatur Scriptoribus: De eo namque scribit Jordanus apud Raynaldum ad hunc annum sub num. 54. *Fuit vir benignius generaliter habitus, cantor delicatus, in concionando non habens Socium, sibi austerus, ceteris pius.* Ptolemæus Lucensis lib. 22. histor. Eccles. cap. 38., ait: „ Generalis Clericus „ fuit, videlicèt Jurista summus, Prædica„ tor egregius, cantor pulcherrimus sine pa„ ri: carnes diù nō comēdit, asperrimo lecto est „ usus, nec vestibus lineis ad carnem ute„ batur: & sic sanctissimam vitam duxit: nec „ invenitur exaltasse parentes, Deo dicatus. „ *Longinus lib. 1. histor. Pol. de eodem scribit.* „ Ultima Decembris die (*supple Novembris*) „ vir vitæ Sanctissimæ Clemens Papa Quar„ tus insignis Jurista, & Prædicator egre„ giùs, diù carnibus abstinens, asperrimo le„ cto, vestibus verò lineis ad carnem nun„ quam in Papatu utens, Viterbii moritur. *Hactenus ille.*

1230 Censuratur tamen ab aliquibus Novatoribus, ex illorum more, inter quos Joannes Charion in suo chronico, auctor meritò damnatus, primum tenet locum, quasi prædictus Sanctus Pontifex interitum Conradini operatus fuerit: Quod quidem longè abest à verò, prout veridici tradunt historici, qui omnia gesta Conradini, & quæ egit Clemens cum eo, ut ad meliorem frugem reduceret, describunt. Præviderat Pius Pontifex spiritu prophetico interitum illius, dum exercitum ejus circa Viterbium transeuntem de Palatio suo conspexit, & ut ait Jordanus, dixisse fertur: *Dolendi super tali puero, qui taliter seductus ducetur ad victimam.* Refert S. Antoninus loco mox citato §. X. Deceptum à Diabolo captum in prælium Conradinum *Hic*, inquit, *deceptum à Diabolo: quem interrogavit de eventu futuri prælii*, quem respondisse, subjungit: *Ibis bellabis vincens non morieris in bello: Et caput tuum altius erit quolibet alio.* Quo accepto responso, estimasse, ait, Conradinum se habiturum victoriam, in eo quod dictum erat, caput suum altius futurum super omnes. Et addit idem Sanutus, *quod impletus fuit, quia in lancea portatum.* Notat insuper deceptum ex æquivoco responso, quoniàm verba illa, *vincens non morieris*, non rectè est interpretatus, conjungens *non* cum verbo morieris, neutiquam cum verbo *vincens*, cum quo erat conjungendum. *Et non, separabatur*, inquit, *à morieris, & conjugebatur ad vincens, idest, non vincens.* Unde vera responsi interpretatio esse debuit: *Ibis, bellabis, vincens non, morieris in bello: Et caput tuum altius erit quolibet alio*, quoniàm in alto Thalamo capite truncatus occubuit.

CAPUT XXIX.

De gestis pro Græcorum unione post obitum Clementis, tempore vacantis Sedis.

1231 EODEM Clementis obitus An., nimirum MCCLXVIII. Bendocdar Soldanus Babylonis audacior factus, ad augendam in Syria potentiam suam reliquiasque Christianorum delendas, manu forti, rupta pro libitu tregua aggressus est,

cœpit primùm Japham, inde castrum Belfort; postea Tripolis vastavit viridaria, ac denique celeri progressu Antiochiam subegit: Hæc Sanutus lib. 3. part. 12. cap. 9., inquiens: „ Sequenti anno, Bendocdar VII. die Martii „ cœpit Japham proditiosè, & tempore tre„ guarum, multos ex pauperibus occidit, „ aliis dedit conductum, multis primò ex„ poliatis XV. verò die Aprilis cœpit castrum „ de Belfort:, & XII. ejusdem mensis venit „ Ptolemaidam Hugo Rex Cypri. Tunc Sol„ danus venit Tripolim, & destruxit viri„ daria: deinde processit contra Antiochiam; „ & XXIX. Maji, Civitatem absque ullo „ belli tumultu cœpit: & post captionem, „ usque ad XVII. millia personarum interfe„ cta sunt; & ultra centum millia captivata „ sunt: & facta est Civitas, tam famosa qua„ si solitudo deserti. Cœpit quoque portum „ Præbonelli, juxtà introitum Armeniæ. *Hactenus Sanutus*.

1232 Harum rerum gestarum fama perlata in Occidente, sollicitavit animum Sanctissimi Regis Ludovici ad transfretandum, ac Christianorum reliquiis in Syria ferendum auxilium. Anno itaque MCCL. Die secunda Junii iter est aggressus, comitantibus Rege Navarræ, Comite Tholosano, & Pictaviensi, duobus ejus filiis, Philippo Primogenito, & Joanne Tristano, Odoardo filio Regis Angliæ, aliisque Baronibus, ac multitudine Bellatorum copiosa: „ Ludovicus „ Rex Franciæ, *ait idem Sanutus, Cap.* X. „ Pro Cœlesti Regno affectans commutare „ Terrenum, Passagium iterans contra ho„ stes nominis Christiani, habuit secum Re„ gem Navarræ, & consortem ipsius, filiam „ Fratris Regis Franciæ: fratrem etiam suum, „ Comitem Tholosanum, & Pictaviensem: „ filios suos Philippum, qui ei succedere de„ bebat in Regno: & Joannem Tristanum, „ cæterosque Barones, & Bellatorum mul„ titudinem copiosam: secutusque est eum „ Odoardus Filius Regis Angliæ. Parato „ itaque exercitu, Rex Tunitium obsidere „ disponit, quia magnum damnum transfre„ tantibus inferebat Christianis. Secundo „ autem Junii transfretare cœpit, Sardiniæ „ portum capiens. *Hactenus Sanutus*.

1233 Intereà Carolus Siciliæ Rex, ejusdem Sancti Regis frater, bellum indixerat adversùs Palæologum Orientis Imperatorem, nupta priùs filio Principis Achajæ filia, acquisito ex hoc Matrimonio jure in præfate Achajæ principatum, cogitans, & universum Orientale Imperium, quod injusto titulo occupaverat Palæologus sibi subjugare: scribit de hoc Caroli bello Ptolemeus Lucensis lib. 22. cap. 40., inquiens: „ Anno Domini MCCLXIX. „ Ecclesia Romana vacante, & Imperio simi„ liter, Rex Carolus, videns se in dominio „ prævalere, jam incipit versus Orientem „ suam potentiam dilatare. Unde Matrimo„ nium pro filio suo Philippo contrahit cum „ filia Principis Achajæ: Ex quo Matrimonio „ principatum acquirit. Tum constituto in „ Tuscia suo Vicario, Domino Joanne Bertal„ di, & parte sua in dicta Provincia præva„ lente, militiam mittit de Apulia contra „ Palæogum, quia Imperium Constantino„ politanum non justo titulo occupaverat, ut „ supra est dictum; cui aliquando bene ces„ sit cum ipso, aliquando male. *Hæc ille*.

1234 At Palæologus hoc implicitus bello, & si hactenùs non dispari sorte pugnatum fuerit, cum accepisset S. Ludovicum Caroli fratrem ingenti belli apparatu in Oriētem proficisci, timens, nè conjunctis armis, Balduinum, Græcorum Schismatis odio, Constantinopoli restituerent, de abjurando Schismate, & unienda Ecclesia Græca cum Sancta Romana Ecclesia iterùm tractatum reassumpsit, ut hac via Latinorum diverteret arma: non certè veritatis amore, sed timore dumtaxat, aliter amittendi Imperium, Hoc ideò fecisse auctor Græcus testatur Gregoras lib. 5. histor. Rom. in principium, qui omnia prædicta recensens, ait: „ Supra dixi„ mus Balduinum Constantinopolitanis pe„ riculis elapsum, venisse in Italiam; ibique „ cum Rege Carolo congressum, illius filiam „ suo filio despondisse, promissa in dotem, „ quam perdidisset, Constantinopoli, si il„ lius opibus in bello adjuvaret. Ille igi„ tur hoc promisso inflammatus, nihil jam „ exiguum de summa rerum agitabat, sed „ totam Julii Cæsaris, & Augusti Monar„ chiam somniabat, Constantinopoli, si po„ tiretur. Erat enim vir non acri modo in„ genio, ad prudenter cogitandum: sed „ etiam ea quæ decrevisset, strenuè exeque„ batur: & paucis, ut dicam, animi vigò„ re, præstantique sapientiâ majores suos „ longo intervallo superabat. Quare consi„ lium id, quod diximus, brevi se ad exi„ tum perducturum sperabat.

1235 „ Ad eum porrò conatum, & Con„ stantinopolis infirmitas, multifariam di„ vulsæ, & dilaceratæ, quæ multum tempo„ ris ad instaurationem, & confirmationē po„ stularet, instigabat, & Imperatoris in re„ bus novis excogitandis solertia, & summa „ in negociis conficiendis celeritas. Quæ sa„ nè permolesta illi erant, ejusque rationes „ turbabant: atque ob hæc ipsa ad opprimen„ dum eum festinabat, priùsquam ipse ab eo „ Majoribus & terrestribus, & navalibus co„ piis instructo oppressus, in extremum di„ scrimen adduceretur. Ac primùm statuit, „ justo exercitu comparato, jubere, ut is „ per Jonium in Romanos fines impressionem „ faceret: neque priùs conquiesceret, obviis „ quibusque subigendis, quàm ipsam Impe„ rii Sede ad deditionem compulisset. „ Deinde magna Classe instructa Imperato„ rem ancipiti, ac duplici bello circumveni„ re.

„ re. Sed spe sua frustratus est, cum Imperator, dux eò solertior extitisset; qui statim „ summâ celeritate, & studio irritos illius „ reddere conatus studit, Imperatrice Urbe, „ & præsidiis, & structuris ab omni parte „ munienda, firmumque murum intrà maritima mœnia extendit.

1236 „ Nec his contentus, magnâ pecuniâ finitimos, Siculum Regem, & Venetos „ ad bellum illi faciendum concitavit; Artaxersem illum imitatus, qui Agesilai Spartani impetum reformidans, Thebanum „ Epaminondam, Pelopidam, cæterosque „ Græciæ Principes ad bellum ei inferendum „ impulit, prudentique consilio cavit, ut „ priusquàm insigni ab illo clade afficeretur, „ cum illo potiùs pessimè ageretur. Cæterùm Carolus, quamvis ab Imperatore sic „ & oppugnaretur, & repelleretur, tamèn se „ non esse quieturum præseferebat, tùm viribus Exercitus sui, tùm pecuniæ copiâ „ fretus. Proindè tot difficultatibus circumventus Imperator, ac penè ad desperationem compulsus, Legatos ad Papam mittit de ineunda veteris, & novæ Romæ Ecclesiarum concordia, modò Caroli expeditionem averteret. *Hæc ille*.

1237 Verùm non ad Pontificem, nec ad Apostolicam Sedem Legatos suos direxit Palæologus, veritus fortasse, nè totiès eadem Apostolica Sedes decepta, sua postulata rejiceret. Misit autem ad S. Ludovicum Galliæ Regem, antequàm in Orientē proficisceretur, eumque totius negotii arbitrum constituens, insuper & promittens, se plenè, ac inviolabiliter, quid ille in causa diceret, observaturus. Hsc sanè calliditate usus, nè interim Rex arbiter constitutus in tàm pio, sanctoque negotio, arma sua Carolo jungeret in imperii Orientalis perniciem; sciens quoquè & ejusdem Caroli attentata, utpotè fratris, Sanctum Regem sufficere ad divertenda. Cæterùm pius Rex susceptâ Legatione, prudentèr considerans hujus rei consummstionem ab Apostolica Sede expectandam, neque sibi licère in negotio summè arduo, & sacro arbitrum agere, ad Collegium Cardinalium, tùm vacante Sede, Nuncios suos misit Eustachium Atrebatensem, & Lambertum de Cultura ex Frstrum Minorum Ordine, qui coràm eo exponerent rei gravitatem, & solicitè laborarent pro desiderata perficienda concordia.

1238 Profecti ergò Viterbium, ubi Cardinalium Collegium pro eligendo Pontifice adhùc detinebatur, antefati duo Viri Religiosi, à Ssnctissimo missi Rege, fuere gratantèr suscepti, & oretenùs universis, quæ Rex præceperst, expositis, Domini Cardinales annuerunt; sc ideò scripserunt ad Rodulphum Cardinalem Episcopum Albanensem, Apostolicæ Sedis Legatum in Gallia, atque in expeditione Africana, & Syriaca pro subsidio Terræ Sanctæ, remittentes ei professionem fidei à Clemente præmissam, & formam juramenti, quod præstare deberet Imperator, & præcipui quique Græcorum pro concordia admittenda. Literę verò ad hunc modum se habent.

Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Venerabili Fratri Episcopo Albanensi, Apostolicæ Sedis Legato.

1239 „ Inter cætera, quæ in Excellenti, „ & Christianissimo Principe Ludovico Rege Francorum Illustri, dignis in Domino „ laudibus attollenda, recti judicii censura „ dijudicat, singularem ipsius zelum ad incrementa fidei orthodoxæ, considerationis „ oculis intuentes, in vocem exultationis, „ & confessionis erumpimus, & exultantes in „ Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipsi „ super hoc vitulum labiorum exolvimus, à „ quo dicto Regi credimus piâ miseratione „ concessum, ut aliàs affluentèr charitatis „ ubera in opera pietatis effundat, & pro defensione ipsius fidei, quasi abnegans semetipsum, ad id se, suos, & suâ promptitudine „ spontaneâ exponendo, sic illius specialem „ se exhibeat defensorem, & in ejus dilatatione Ministrum, quod laudabilium evidentia operum satagit eidem fidei, non solùm filios ab initio alienos venire, sed & „ per erroris devium alienatos ab ipsa, suæ „ solicitudinis studio ad ejus reducere unitatem; sicut Terræ Sanctæ negotium, auspiciis, Deo auctore, fœlicibus, per eundem tàm potenter assumptum, & porrecta nobis ex ipsius parte super Græcorum reconciliatione petitio, liquidò protestantur.

1240 „ Nupèr siquidèm nobis præfatus „ Rex Religiosis Viris Fratribus Eustachio „ de Attrebato, & Lamberto de Cultura „ Ordinis Fratrum Minorum suis Nunciis, „ & literis ad nostram præsentiam, exposuit, „ quòd Magnificus vir Palæologus eorundem Græcorum Imperator Illustris, per „ Apocrisiarios, & literas eidem Regi exposuit, quòd ipse, Clerus, & Populus suæ „ ditioni subjectus desiderantes ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ redire, ipsique in „ ejusdem fidei professione uniri, varios super hoc Nuncios, & literas ad Sedem Apostolicam destinarant, quorum etiam aliqui „ in via detenti non pervenerant ad eandem, „ & frequentèr, ac humilitèr ad hæc postularant admitti, nec adhùc eorum circà id „ fuerat desideriis satisfactum. Apud eundem Regem super hoc multiplicatis Nunciis, & literis institit, deposcens instantèr, „ ut ipse Rex in tàm pio, & utili negotio arbitri partes assumens, ad ipsius consumma-

tio-

„ tionem sollicitâ intenderet pietate. Ipse „ nàmque Imperator, ut suis verbis, prout „ nobis referuntur, utamur, se velle Regem „ eundem arbitrum in hoc constituere affe- „ rens, promittebat, quidquid idem Rex su- „ per hoc diceret, se plenè, ac inviolabilitèr „ observaturum. Et ut circà hoc suum ma- „ gis ostenderet dictus Imperator affectum, „ prædictum Regem adjurabat per aspersio- „ nem Sanguinis Jesu Christi, quòd nequa- „ quàm assumere onus hujusmodi recusaret. „ Et si secùs faceret, ad Summum Judicem, „ ut ipse Rex in extremo judicio coràm eo „ de hoc rationem redderet, appellabat; pro- „ pter quòd memoratus Rex solitum profe- „ quens ad ejusdem fidei argumenta proposi- „ tum, & ad præfatam Romanam Ecclesiam „ consuetæ non omittens devotionis affe- „ ctum, sed prudentèr attendens, ac humi- „ litèr cognoscens, quòd suum non erat tale „ in eodem negocio, quod specialitèr perti- „ nere dignoscitur ad ejusdem Sedis examen, „ etiam ad ipsius Imperatoris instantiam, „ officium usurpare, consultè respondens, „ quòd in eodem negocio hujus partes ne- „ quaquàm assumeret, sed pro ipsius salubri „ consummatione apud eandem Sedem, ad „ quam id pertinet, libentèr instaret.

1241 „ Nè itaquè negocium, cujus ex- „ peditio, si eam concedat Altissimus, tot „ animarum discriminibus obviat, eisq; viam „ aperit ad salutem, in prosecutione defe- „ ctum aliquem patiatur à nobis, quibus eà- „ dem nunc Sede vacante, cùm alius, qui „ hoc possit tempore vacationis hujus non „ supersit, spectat in talibus providere; „ humilitèr per eosdem Nuncios suos po- „ stulavit, ut negocii executionem ejus- „ dem sollicitudini vestræ committere cura- „ remus.

1242 „ Nos autem, quæ per Sedem ip- „ sam de nostro consilio acta novimus, in præ- „ missis commemoratione solita recensentes, „ attendimus, quòd tempore fœlicis recor- „ dationis Domini Urbani Papæ IV. Reli- „ giosi Viri Fratres quondàm Simon de Al- „ vernia, Petrus de Moras, Petrus de Crista, „ & Bonifacius de Yporegia de Ordine Mi- „ norum &c. (*Hic commemorant sub compen- dio quid in hac re actum per Urbanum, mox per Clementem missis bis, & aliis Apocrisia- riis, deindè subnectunt.*)

1243 „ Quocircà debitâ moderatione „ pensantes tàm salubre negotium, tàm uti- „ litèr, tàmque perpenso consilio, & exactâ „ maturitate dispositum, non immutatione, „ sed prosecutione potiùs indigere, instantiæ „ memorati Regis Francorum in votiva ad- „ modùm expeditione ipsius negocii, nostris „ desideriis, concurrenti consensu prompto „ concurrimus, & præmissa vobis ad ple- „ nioris instructionis auxilium seriosiùs ex- „ ponentes, executionem prædicti negocii „ fraternitati vestræ, præsentium tenore com- „ mittimus, ut in ipso, juxtà præmissarum „ ejusdem Domini Papæ Clementis litera- „ rum tenorem, quem vobis sub sigillis no- „ stris de verbo ad verbum sinè immutatione „ aliqua destinamus, secundùm datam vobis „ à Deo prudentiam procedentes, Impera- „ torem, Clerum, & Populum memoratos, „ ad ejusdem fidei orthodoxæ professionem, „ & acceptandum, & recipiendum ipsius Ec- „ clesiæ Romanæ primatum, juxtà subscri- „ ptam formam idoneis securitatibus, & cau- „ telis adhibitis admittatis. Volumus siqui- „ dèm, quòd in Concilio de Græcis genera- „ litèr congregando, memoratus Imperator, „ Patriarcha Græcorum, Archiepiscopi, Epi- „ scopi, Archimandritæ, Abbates, & alii „ Ecclesiarum Prælati, Clerus, & Populus „ supradicti eandem fidei veritatem, & Pri- „ matum Ecclesiæ Romanæ, juxtà seriem „ in præmissis literis ejusdem Domini Papæ „ Clementis expressam, plenè, ac seriosè le- „ ctam, & expositam fidelitèr, explicitè, ac „ apertè hoc modo recognoscant, acceptent, „ & profiteantur præstito juramento.

1244 „ Ego N. Græcorum Imperator su- „ prascriptam fidei veritatem, prout plenè „ lecta est, & fidelitèr exposita, veram, san- „ ctam, catholicam, & orthodoxam fidem „ esse cognosco, eam accepto, & corde, ac „ ore profiteor, ipsamque, prout eam vera- „ citèr tenet, fidelitèr docet, & prædicat „ Sacrosancta Romana Ecclesia, me inviola- „ bilitèr servaturum, & in ea omni tempore, „ perseveraturum, nec ab ea ullo unquàm „ tempore recessurum, quoquomodò devia- „ turum, vel discrepaturum promitto. Pri- „ matum quoquè ipsius Sacrosanctæ Roma- „ næ Ecclesiæ, prout in præmissa serie conti- „ netur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spon- „ taneus veniens fateor, recognosco, acce- „ pto, ac spontè suscipio, & me omnia præ- „ missa tàm circà fidei veritatem, quàm cir- „ cà ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum, „ & ipsorum recognitionem, acceptationem, „ susceptionem, observationem, præstito cor- „ poralitèr juramento promitto, & confirmo. „ Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei „ Evangelia. Quòd si contrà hæc aliquid „ sentire, consiteri, aut aliàs agere præsum- „ psero, me schismaticum, & anathematiza- „ tum eo ipso recognosco, & severitati sa- „ crorum Canonum subjacere. Huic autem „ præscripto de mea recognitione, accepta- „ tione, professione, susceptione, promissio- „ ne, ac juramenti præstatione, spontè meâ „ facto, lecto, & perlecto spontè subscripsi, & „ sigillum meum apponi feci.

1245 „ Porrò à Prælatis erunt prædicta, „ & alia exigenda, videlicèt, ut & manua- „ lem obedientiam, & reverentiam exhi- „ beant, & se ab illa nullo unquàm tempore „ recessuros, præstito juramento promittant.

Et

„ Et nihilominùs in eorum promissione veniat, quod nec contrà suam professionem aliquid publicè prædicare, aut occultè suadère præsumant. Adjiciendis nihilominùs vestra solicitudine in omnibus professionibus, quas fieri continget, aliis idoneis securitatibus, & cautelis, quas vobis facti circumstantiæ suggerent exigendas. Cæterùm ad faciliorem, & pleniorem consummationem prædictorum expedire putamus, ut per singula loca insignia illarum partium personas idoneas destinetis, per quas professiones similes in locis eisdem, cum solemnitate, ac observatione simili admittantur.

1246 „ De hujusmodi autem professionibus fient publica instrumenta multiplicanda in varia omninò similia, & sigillanda sigillis authenticarum personarum, quas contigerit esse præsentes, ut aliquas penès vos retinere, nonnulla possitis deponere, si, & prout videritis expedire, & alia per diversos Nuncios, propter inopinatos casuum fortuitorum eventus, ad Sedem Apostolicam, ut in ejus conserventur Archivio cum cautela, & diligentia omnimodè remittatis. Et ut quantò solemniùs, & salubriùs est negocium, tantò in eo studiosiùs, & diligentiùs procedatur; vestris volumus curâ, & studio provideri, ut in Cathedralibus, & aliis solemnibus Ecclesiis, & Monasteriis locorum, in quibus professiones eædem in libris authenticis redigantur in scriptis, ut in futurum conservent rei gestæ memoriam, & ipsius recentem posteris notitiam repræsentent, diligentiùs conservandę. Datum Viterbii, Idibus Maji, Anno Domini MCCLXX. Apostolica Sede vacante. *Hactenus literæ.*

1247 Has exscripsit Wadingus ex Formulario Marini Ebulensis, inseruitque suis in Minorum Annalibus ad hunc eundem Annum, sub num. 2. Raynaldus quoquè ex eodem Formulario eas recenset, ad prædictum Annum. Alias insuper ejusdem argumenti literas fecerunt ad eundem Regem Ludovicum ex eodem Wadingo loco mox citato sub num. 4. ad hunc modum se habentes.

Miseratione Divinâ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Regi Franciæ Illustri.

1248 „ Inter cætera, quæ in vobis, tanquàm in Christianissimo Principe dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii censura dijudicat, singularem zelum ad incrementa Fidei catholicæ, considerationis oculis intuentes, in vocem exultationis, & confessionis erumpimus, & exultantes in Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipsi super hoc vitulum labiorum exsolvimus (*hactenùs sicut in præcedenti*) ut & alias affluenter charitatis ubera in pietatis opera effundatis, & pro defensione ipsius fidei, quasi abnegantes totalitèr vosmetipsos, ad id vos, vestros, & vestrâ promptitudine spontaneâ exponendo, si vos specialem exhibeatis defensorem ipsius, & in ejus dilatatione Ministrum, quod laudabilium evidentiâ satagitis operum, eidem fidei, non solùm filios ab initio alienos unire, sed & per erroris devium alienatos ab ipsa, vestræ solicitudinis studio ad ejus reducere unitatem. Sicut Terræ Sanctæ negotium, *& cætera, quæ in superioribus literis continentur, competentèr tantùm mutatis, exceptâ formâ juramenti usque in finem, & indè sequentia subnectuntur.*

1249 „ Licèt autem necessarium non credamus vos de ingenti utilitate tanti negotii admonere, vel excitare ad ejus promotionem Regiæ pietatis affectum, cùm illum fervere noverimus circà ista; quià tamen ad fœlicem ejusdem negocii consummationem, per quam inveterati schismatis semina omninò tollantur, & redintegretur corpus Ecclesiæ, per illud, tanto membro, eorundem videlicèt Græcorum Imperio, tàm longis, & deflendis temporibus mutilatum, pręcordiis totis afficimur, & ad eam plenis desideriis suspiramus; Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum suadentes, quatenùs utilitates innumeras, & præcipuè animarum salutem ex hujusmodi negocio, Deo auspice, proventuras piâ meditatione pensantes, nec non attendentes solicitè, quòd circà illud, quamquàm frequenti repetitione tentatum pro eo, quod sicut eventus indicat, dicti Græci non in veritatis simplicitate in illo procedere, sed tempus deducere in cautelis, & simultatibus intendebant, frustrata longè deductionis ambagibus sæpèsatæ Sedis intentio ad optatum exitum non pervenit; memorato Legato, sicut per easdem nostras literas directas ad ipsum videre poteritis, dicti negotii executio ad vestræ petitionis instantiam demandatur; si, annuente Domino, forsàn appareat dictos Grecos efficacitèr velle procedere in præmissis, vestræ cooperationis suffragium in directione, & prosequutione ipsius negocii exhibentes ad evitandum consuetæ simultatis insidias, & idem negocium securitatibus, & cautelis accomodis roborandum, divinæ retributionis intuitu, & ob reverentiam Sedis ejusdem sic solicitè intendatis, quòd vitatis scissuræ antiquatæ dispendiis, & in fidei, charitatis, & obedientiæ unitate Latinis, & Græcis memoratis unitis, eandem Ecclesiam suis reintegratam partibus. & solidâ membrorum suo-

„ suorum restitutione firmatam, in iis veri- „ similitèr timere non oporteat ulteriùs reci- „ divum, vestraque devotio illi exindè red- „ datur acceptior, & cujus in veritate res „ geritur, quique labores vestros, quos pro „ servitio sibi tàm grato, & accepto su- „ bibitis, in retributione justorum inæsti- „ mabili munificentia compensabit. Da- „ tum Viterbii Idibus Maji, Anno Domi- „ ni MCCLXX. Apostolicâ Sede vacante. *Hactenus literæ*.

1250 Antè has datas literas Sanctissimum Regem in ipsis Kalendis Martii solvisse Massilia, scribit Wadingus loco relato, sub num. 5. Raynaldus paritèr loco citato, sub num.5. antequàm Mare conscendisset, exaratas tradit. Hinc Sanutus suprà relatus, die secunda Junii transfretare cœpisse contendit, ac de consequenti post datas suprafatas literas. Potuit ergò Massiliam appulisse in ipsis Kalendis Martii, indè transfretasse secunda Junii ejusdem Anni, post receptas prædictas literas. Sed Raynaldus sub num. 6. subjungit, Sanctum Ludovicum ingressum Mare Kalendis Martii; addit indè, Classem tempestate jactatam, maximâ cum difficultate ad Calaritanum Sardiniæ Portum appulisse; quæ non cohærere videntur cum præcedentibus, ubi asserit antefatas literas exaratas, antequàm Mare ad debellandos Sarracenos conscenderet: quæ cùm legantur datæ Idibus Maji, non potuit conscendisse Mare Kalendis Martii ejusdem Anni. Quòd si de anno sequenti intelligere vult, non concordat cum tempore obitus Sancti Ludovici, quem obiisse mense Augusti, in festo Sancti Bartholomæi, ejusdem Anni MCCLXX. communis est Scriptorum omnium sententia, quam Sancta Romana Ecclesia sequitur, in cujus Canonizationis Bulla Bonifacius Papa VIII. inter alia ait: „ Ideòq; Universitatem vestram „ monemus, & hortamur attentè, per Apo- „ stolica scripta mandantes, quatenùs in cra- „ stinum Beati Bartholomæi Apostoli, cùm „ fœlix ipsius anima, tunc de carnis eruta „ vinculis, astra petens, Cœlestem Aulam „ adiverit, æternis gaudiis potitura, festum „ ipsius Sancti devotè, & solemnitèr venerari, „ colereque studeatis.

1251 Itaquè sivè antè exaratas sæpèfatas literas, sivè posteà, Mare ad Sarracenos debellandos conscendisset, constantissimum est, ut captâ Carthagine, in obsidione Tunitii ultimum clauserit diem, mortuis priùs Joanne Tristano ejus filio, & Cardinali Albanensi Apostolicæ Sedis Legato, ut notat Sanutus eodem cap. 10. inquiens: „ Secundo autem „ Junii transfretare cœpit, Sardiniæ Portum „ capiens, indèque procedens contrà Tuni- „ tium, cœpit Carthaginem; & tunc Epide- „ mia invasit Exercitum. Requiritur proin- „ dè frater ejus Carolus Rex Siciliæ, ut in „ auxilium vadat fratris, & populi christia- „ ni. Profectus autem Rex, in Garbum castrametatus est, in loco, qui dicitur, *Certacarne*; ibi Joannes Tristanus infirmari „ cœpit, & mortuus est; post eum Legatus; „ post eum S. Rex Ludovicus, qui dùm in- „ firmaretur, Dominum laudare non cessans, „ orationem illam sæpè interserebat: *Fac nos „ quæsò, Domine, pro amore tuo prospera Mun- „ di despicere, & nulla ejus adversa formida- „ re*. Pro populo etiam orabat similitèr: *Esto „ Domine plebi tuæ sanctificator, & custos, & „ quam tibi facis esse devotam, benignè resove „ miseratus auxilio*. Et appropinquans ad fi- „ nem, Cœlum suscipiens, ait: *Introibo, Do- „ mine, in domum tuam, adorabo ad Templum „ sanctum tuum*. Quo dicto in festo S. Bar- „ tholomæi, Rex Deo gratus obdormivit in „ Domino, MCCLXX. ejusdem Domini „ Anno. Erat enim stupor videre mortem, „ non solùm vulgi, sed etiam Comitum, Mi- „ litum, & Baronum. *Hactenus Sanutus*. Ex hoc enim sinistro casu, exigentibus Christianorum peccatis infecta remansit expeditio in Syriam; negocium verò de Græcorum unione paritèr evanuit.

CAPUT XXX.

De Gregorii X. electione, ejusque pro conciliandis Græcis studio.

1252 Mortuo Sanctissimo Rege Ludovico, ut præfati sumus, Rex Carolus ejus frater Tunitii expugnationem prosequi curavit; verùm ob epidemicum morbum, initâ treguâ honestis conditionibus cum Rege Tunitii, unà cum Rege Navarræ, ac universo Exercitu reversus est Italiam. Marinus Sanutus eodem cap. x. hæc describit, inquiens: „ Post mortem verò „ Beati Ludovici, adveniens frater ejus Rex „ Siciliæ, erectis machinis, ac præparatis bel- „ licis instrumentis per terram, & per aquam „ Tunitium expugnare disponebat; sed pro- „ pter Epidemiam jàm dictam, cum Rege „ Tunitii composuit; acceptâq; magnâ sum- „ mâ pecuniæ propter expensas, quas Reges „ ibi fecerant, Exercitum ducit in Siciliam, „ ubi Rex Navarræ mortuus est. Et cùm „ pervenisset ad Portum Trapanitanum, ex- „ ortâ tempestate Navigia confracta sunt; & „ Exercitus per terram rediit. Inter cæteras „ verò pacis conventiones promisit Rex Tu- „ nitii cunctos Christianos captivos dimit- „ tere, & quòd Monasteriis ad honorē Chri- „ sti in omnibus Civitatibus Regni illius „ constitutis, fidem Christi per Prædicato- „ res, & Minores, & quoscumque alios libe- „ rè prædicare sineret, & baptizari volen- „ tium, nullum impediret; Regique Ca- „ rolo prædicto tributarius factus est. *Hæc ille*.

1253 Verùm non rectâ viâ Carolus reversus est in Siciliam; ipse nàmque Philippus Frsnciæ Rex, primogenitus quondàm Sancti Ludovici, ac Henricus filius Richardi Regis, portsntes fecùm ejusdem Sancti Regis Corpus, Viterbium se contulerunt, ut follicitarent difcordantes tamdiù Cardinales ad eligendum Romsnum Pontificem, providendamque Ecclefiam de fuo legitimo Psftore. Cùmque fruftrà omnem conatum adhiberent, proditoriè occifo in quadsm Ecclefia Parochiali ejufdem Civitatis, operâ Simonis, & Guidonis de Monteforti, Henrico antefato, difcefferunt; quæ omnia liquidò conftant ex datis à Gregorio X. literis adversùs Gnidonem, relatis lib. 2. Epift. 64. in quibus dicitur: „ Divulgatus ferè in omnem terram „ jàm fonus exivit, & in remotos Orbis an„ gulos vulgaris fama deduxit, qualitèr in „ Henricum Crucefignatum de Tunitii par„ tibus, in quibus Jefu Chrifti fervitio cum „ Chriftiano vacarat Exercitu, ad Sedem „ Apoftolicam in comitiva chariffimorum in „ Chrifto filiorum noftrorum Franciæ, ac „ Siciliæ Regum Illuftrium, ad Civitatem „ Viterbienfem, ubi tunc Romana refidebat „ Curia, venientem; & tsndèm in quadam „ Parochiali Ecclefia Civitatis ejufdem, pro „ Miffsrum folemniis, Sacro qusdrsgefimali „ tempore conftitutum, eifdem Regibus in „ Civitate ipfs præfentibus, quondàm Simon, „ & Guido de Monteforti Germani &c. af„ fociatis fibi aliis Belial filiis cum armis, „ disbolico incitati fpiritu irruentes, ipfum „ msnibus inhumsnis, immò prorsùs im„ manibus, trucidsrunt. *Hæc inter alia Gregorius*.

1254 Poft hæc verò præfsti Domini Cardinales feriò cogitsntes, nec valentes concordare, per viam Compromiffi procedere decreverunt, ac ità fex ex ipfis Cardinalibus felectis, omnem fuam auctoritatem fslutsndi, ac eligendi Romanum Pôtificem, facto Compromiffo, in eos contulerunt, concefsâ poteftate nominandi unum, fivè de Collegio, fivè extrà Collegium, ad eorum libitum, fpondentes in quemlibet ah cis felectum, fivè falutatum, aut nominatum in Romanum Pontificem, fe confenfuros. Fuerunt nàmque Compromiffarii defignati, Simon Tituli Sancti Martini, Guido Tituli Sancti Laurentii in Lucina, Presbyteri Cardinales; Richardus Tituli Sancti Angeli, Octavianus Tituli Sanctæ Mariæ in Via-lata, Joannes Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & Jacobus Tituli S. Mariæ in Cofmedin Cardinales Diaconi.

1255 Itaquè præfsti Domini Cardinales Compromiffarii, maturè gravitatem negotii confidersntes, poft varios tractatus, unanimi confenfu nominarunt in Romanum Pontificem Theobaldum, vel Thealdum, ut alii vocant Placentinum, de nobili illius Civitatis Vicecomitum Familia, Archidiaconum Ecclefiæ Leodienfis, abfentem, atque tunc in Syria commorantem; in quem confenferunt indè cæteri Domini Cardinales. Accidit hujus Pontificis electio Anno Domini MCCLXXI. die prima Septembris, Imperii Michaelis Palæologi Anno XI. adhùc vacante Occidentsli Imperio ab Annis XXI. Indictione XIV. labente; qui in fua confecratione facta poft fuum reditum de Syria, nomen affumpfit Gregorii X. Vacaverat autem Sedes à Clementis V. obitu Annos duos, menfes novem, & dies duos. Extst electionis inftrumentum apud Wading. ad hunc Annum, exfcripto ex m. f. Formulario Marini Ebulenfis, quod ad hunc modum fe habet.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

1256 „ Anno Incarnationis Dominicæ, „ Millefimo ducentefimo feptuagefimoprimo, menfe Septembris, die prima menfis „ ejufdem. Nos, miferatione divina, Odo „ Tufculanus Epifcopus, Simon Tituli Sancti Martini, Ancherus Tituli Sanctæ Praxedis, Guido Tituli Sancti Laurentii in „ Lucina, Gulielmus Tituli Sancti Msrci, „ Simon Tituli Sanctæ Cęciliæ, & Anibaldus Bsfilicæ Duodecim Apoftolorum Presbyteri, Richsrdus Sancti Angeli, Octavianus Sanctæ Mariæ in Via-lata, Joannes „ Sancti Nicolsi in Carcere Tulliano, Ottobonus Sancti Hadriani, Jacobus Sanctæ „ Msriæ in Cofmedin, Gothifredus Sancti „ Georgii ad Velum aureum, Hubertus „ Sancti Euftachii, & Matthęus Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinales, Apoftolicâ Sede per obitum fœlicis recordationis Clementis Papæ Qusrti vacante, „ in communi Confiftorio folito more convenimus, de electione Summi Pontificis tractaturi.

1257 „ Cùmque omnes, & finguli per „ viam procedere Compromiffi voluiffent: „ Nos prædicti Odo Tufculanus Epifcopus, „ Antherus Tituli Sanctæ Praxedis, Guido „ Tituli Sancti Lanrentii in Lucina, Gui„ lelmus Tituli Sancti Marci, Simon Tituli „ Sanctæ Ceciliæ, Anibaldus Bafilicæ Duo„ decim Apoftolorum Presbyteri, Ottobo„ bonus Sancti Hadriani, Gothefridus San„ cti Georgii ad Velum aureum, Hubertus „ Sancti Euftachii, & Matthęus Sanctæ Ma„ riæ in Porticu Diaconi Cardinales, Vene„ rabili Patre noftro D. Joanne Portnenfe „ Epifcopo, tunc abfente à dicto Confiftorio, „ & infrà Papale Palstium in fua Camera „ conftituto requifito; & exprefsè confen„ tiente, in Venerabiles Patres præfatos Do„ minos Simonem Tituli Sancti Martini, „ Guidonem Tituli Sancti Laurentii in Lu-

„ cina Presbyteros, Richardum Sancti Ange-
„ li, Octavianum Sanctæ Mariæ in Via-lata,
„ Joannem Sancti Nicolai in Carcere Tul-
„ liano, & Jacobum Sanctæ Mariæ in Cos-
„ medin, Diaconos Cardinales, consensimus,
„ & eos Compromissarios eligentes, ipsis
„ volentibus, & expressè consentientibus,
„ ac Compromissum, ac formam acceptanti-
„ bus infrascriptam, contulimus concordi
„ voto, & unanimi consensu omnes & sin-
„ guli potestatem providendi Sacrosanctæ
„ Romanæ, ac universali Ecclesiæ de Pasto-
„ re in forma subscripta, videlicet, ut quin-
„ que ex eisdem sex Compromissariis de sex-
„ to ex ipsis sex, vel omnes ipsi sex, de ali-
„ quo alio de Collegio Dominorum Cardi-
„ nalium, seù etiam extrà ipsum Collegium,
„ in Pontificem, & Pastorem ipsius Ecclesiæ
„ concorditèr providerent; ad hoc faciendum
„ præsenti præfata die Septembris, & sequen-
„ ti concessis.

1258 „ Dicti verò sex Compromissarii,
„ singuli singularitèr, & omnes communitèr
„ consentientes, ut præmittitur, hujusmodi
„ Compromisso, ipsum & potestatem in præ-
„ scripta forma concessam eisdem benignè, ac
„ humanitèr susceperunt.

1259 „ Porrò nos præfati Compromissa-
„ rii hujusmodi Compromisso, & potestate
„ susceptis, habito in Conclavi diligenti
„ (prout negotii exigebat arduitas) & per-
„ penso tractatu, & consideratis circumstan-
„ tiis universis, quæ necessitate ipsius Eccle-
„ siæ, ac totius Orbis inspectâ, nos secun-
„ dùm Deum movere poterant, & debebant;
„ Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, &
„ Gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris suæ,
„ Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli,
„ omnium Sanctorum, ac ipsius Sacrosanctæ
„ Romanæ Ecclesiæ, dictâ primâ die Septem-
„ bris, ex collata nobis potestate, juxtà for-
„ mam nobis traditam procedentes, conveni-
„ mus, & concorditèr consensimus vice no-
„ strâ, & ejusdem Collegii in Venerabilem
„ Patrem Thealdum Placentinum, Archi-
„ diaconum Leodiensem, seù in Ecclesia Leo-
„ diensi, ipsum Romanum Pontificem nomi-
„ nantes, ac etiam assumentes, & præfato
„ Domino Simoni, nos reliqui quinque
„ Compromissarii dedimus potestatem, ut
„ eundem Dominum Thealdum vice suâ, &
„ nostrâ, & totius præfati Collegii eligeret
„ in ipsius Romanæ, ac universalis Ecclesiæ
„ Pontificem, & Pastorem.

1260 „ Et nos præfatus Simon ipsum è
„ vestigio elegimus per hæc verba: *Ego Si-*
„ *mon Tituli Sancti Martini Presbyter Cardi-*
„ *nalis, ad honorem Domini nostri Jesu Chri-*
„ *sti, Beatissimæ Matris ejus, & Sanctorum*
„ *Apostolorum Petri, & Pauli, ac omnium*
„ *Sanctorum, nec non Sacrosanctæ Romanæ*
„ *Ecclesiæ memoratæ, eligo Venerabilem Pa-*
„ *trem Dominum Thealdum Placentinum,*
„ *Archidiaconum Leodiensem, seù in Eccle-*
„ *sia Leodiensi, in Romanum Pontificem, &*
„ *Pastorem.*

1261 „ Sanè iis peractis incontinenti,
„ prædictis Dominis Cardinalibus convoca-
„ tis, & convenientibus in Consistorio me-
„ morato, nos prædicti Compromissarii con-
„ sensus nostros, & electionem prædictam
„ publicavimus, & publicando, ipsos con-
„ sensus, & electionem iteravimus in com-
„ muni.

1262 „ Nos autem prædicti omnes, &
„ singuli Episcopi, Presbyteri, & Diaconi
„ Cardinales in eodem Consistorio congre-
„ gati, processum, & electionem hujusmodi
„ ratificantes, & acceptantes, ac in ipsum
„ Venerabilem Patrem dictum Dominum
„ Thealdum consentientes expressè, ipsum,
„ licèt absentem, recepimus, & recipimus
„ in Romanum Pontificem, & Pastorem. Cæ-
„ terùm Venerabilē Patrem Dominum Hen-
„ ricum Hostiensem Episcopum, post hæc ad
„ idem Consistorium evocantes, communi-
„ cavimus ei omnia supradicta, qui ea om-
„ nia, & singula gratantèr acceptans, me-
„ moratum Dominum Thealdum in Roma-
„ num Pontificem, & Pastorem humilitèr,
„ ac devotè recepit. Actum Viterbii in di-
„ cto Consistorio, Anno, mense, & die præ-
dictis. *Hactenus Instrumentum electionis Pon-
tificis Gregorii X.*

1263 Ex hoc electionis Instrumento, quod ex Formularum Codice Vaticano Marini Ebulensis, ut antefati sumus, primus omnium exscripsit noster Wadingus, indè Raynaldus, & alii posteà, evincitur complures ex antiquis Scriptoribus in errores varios lapsos, ut Meyreus, qui in annum sequentem electionem hujus Pontificis differt. Binius, qui ejus electionem scribit accidisse die decimaseptimâ Septembris. Ricordanus, & Joannes Villanus, qui ajunt, Thealdum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Apostolicæ Sedis Legatum, fuisse in Syria. Galesinus in Vita Sancti Bonaventuræ, qui tradit, Dominos Cardinales compromisisè in Sanctum Bonaventuram, & quem ipse eligeret, etiam si seipsum, in Pontificem reciperent, ac ipsum Sanctum nominasse præfatum Thealdum, sicut & Marianus lib. 3. cap. 31. Marcus à Lisbona part. 2. Chronic. lib. 2. cap. 7. & Rodulphus fol. 93. quoniàm fortasè vulgi famâ decepti, sicut audierant, ità scripserunt. Et fortasè potuit, facto Compromisso in sex illis Cardinalibus, Sanctus Bonaventura, cujus fama celebris erat, suggessisse præfatis Compromissariis personam Thealdi Archidiaconi Leodiensis, & ex hoc sparsam in vulgò famam compromisisse in eundem Sanctum, ac ab eo nominatum Thealdum: Nec inverosimile est, aliquas saltèm in suggerendo partes habuisse, quoniàm posteà eidem Pontifici charissimus, & inter

Sa-

Sacri Collegii Purpuratos ab eodem aggregatus fuit.

1264 Aliqui etiam ferunt, Joannem Portuensem Episcopum ob gravissimas Patrum Purpuratorum contentiones facere objecisse, Palatii tectum amovendum videri, quo Spiritus Sanctus penetrare posset: Deindè electo Thealdo Placentino, Archidiacono Leodiensi, hos versus extemporaneos fudisse.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.

Hæc tamèn nullo solido fulciuntur fundamento, tacentibus coævis Historicis.

1265 Publicatâ ergò Viterbii electione, confectoque antefato ejusdem electionis Instrumento, Sacrû ipsum Purpuratorum Collegium, selectis Religiosis Viris, in Syriam cum electionis tabellis, ac literis, ad præfatum Thealdum electum Pontificem direxerunt, rogantes simùl, ut quantocyùs Viterbium accederet, sic scribentes.

Sanctissimo Patri, & Domino, Reverendo Domino Thealdo Archidiacono in Ecclesia Leodiensi, Divinâ Providentiâ, in Romanum, & Summum electo Pontificem, miseratione Divinâ, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctę Rom. Ecclesiæ Cardinales, pedum oscula Beatorum.

1266 „ Sempiterno splendens lumine, „ ac ineffabili præditus Majestate, Patris „ Æterni Filius Dominus Jesus Christus, qui „ cuncta disponit virtute mirabili, prout suæ „ placet potentissimæ pietati, circà Sanctam „ Romanam, & universalem Ecclesiam, ità „ suæ continuat benignitatis affectum, & „ roborat protectionis auxilium, quòd ullo „ unquàm turbine vexationis evertitur, nec „ propter alicujus persecutionis, vel adversitatis instantiam naufragatur; quinimmò „ gloriosa incrementa suscipit, & tanquàm „ Stella Matutina per Mundi climata refulgescit, prout multis liquet indiciis, & patet clarissimis argumentis; Nàm licèt jàm „ dicta Ecclesia post habitum à Superno Rege de morte triumphum, & ipsius regressum ad gloriam Cœlestis Patriæ sui fulgore luminis perennitèr illustratæ; fuerit pro „ diversitate temporum personarum illarum „ destituta præsidiis, quas ad ejus regimen „ Celsitudo providerat omnium Conditoris; „ ipsa tamèn Ecclesia per successivam substitutionem Romanorum Pontificum, faven„ te supernæ virtutis auxilio, fœlicis habuit „ perseverantiæ firmamentum.

1267 „ Et quidèm diebus istis circà dictam Ecclesiam hoc ipsum virtuti Altissimi „ dignantèr placuit operari; quià piæ recordationis Domino Clemente Papa Quarto, „ dudùm de hac luce finibili ad infinibilem „ evocato (sicut de Redemptoris nostri confidimus pietate) ac ipsius corpore tumulato; Nos Missarum solemniis, sicut moris „ est, ad honorem Sancti Spiritus devotissimè celebratis, in unum convenimus ad „ habendum de Pontificis substitutione tractatum, quo frequentèr habito, & circà „ tanti profunditatem negocii, cui simile in „ humanis actibus non cernitur inveniri, „ diffusi temporis spatio interjecto, ac desideriis eligentium, permittente Domino, „ in diversa divisis, tandèm, Divinâ propitiante clementiâ, vota nostra in Venerabilem Personam vestram unanimitèr, & concorditèr dirigentes, Vos per Compromissi „ viam elegimus in Romanum Pontificem, „ consueto laudis divinæ Cantico, fidelium „ adstante multitudine, decantato. Ducti „ credulitate firmissimâ, quòd cùm in vobis „ ab annis teneris, laudabilis conversationis, „ & vitæ refulserint ornamenta, & odor famæ vestræ gratissimus hinc indè per loca „ plurima sit diffusus, ille benedictus in sæcula, qui vos dignantèr in suum assumpsit „ Vicarium, & in christiani Populi Patrem, „ & Dominum gratiosum, de vestris Sanctis „ dabit provenire meritis, quòd in statum „ prosperum, & jucundum resurgat Ecclesia generalis, & etiam quòd fidei catholicæ „ gloria ubiquè votiva suscipiet incrementa; „ nec non quòd Terræ Sanctæ negocium, facilem, & fœlicem sortietur effectum, maximè cùm sit verosimile, quòd Redemptoris nostri benignitas vos ad terram illam, „ illa de causa voluit personalitèr pervenire, „ ut occultâ fide, visis ejus angustiis, & tribulationibus intellectis, de illo sibi procuretis provideri subsidio, ex quo proveniat „ acquisitionis perfectæ gaudium, à longis „ retroactis temporibus laudabilitèr expectatum.

1268 „ Quid ad ista vir virtutis eximie? „ vir in oculis Dei, & hominum gloriose? „ Venerabiles, ac providos, & discretos viros „ (*desunt nomina*) latores præsentium, nostros quidèm speciales Nuncios de decreto electionis canonicæ, de vobis concorditèr celebratæ, ad præsentiam vestram „ duximus destinandos; supplici precum pe„ tentes instantiâ, ut per Dei misericordiam „ obsecrantes, quatenùs in virtute illius, qui „ *super pennas ventorum ambulat, & in momento cuncta perficit*, prout suæ sanctissimæ voluntatis existit, cessantibus quibuscumque diffugiis, vos accingatis ad iter adeundi Sedem Apostolicam, sub anxietate multa spiritus constitutam, quousquè de clementissima virtute Altissimi proveniat vestram desiderabilem faciem intueri; qua „ visa, *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lactis, & mellis incessabilem uberta-*

„ *tem*; quinimmò quòd ad pedum vestrorum „ oscula non solùm concurret multitudo Fi„ delium numerosa, sed ante Vos etiam cur„ vabitur altitudo Principum, & Persona„ rum sublimitas inclytarum. Nec mirum, „ quià sicut piè confidimus, & devotè spera„ mus, Vobis habentibus Deum solum prę „ oculis, & amplectentibus jugitèr vitæ stu„ dium innocentis, vitiorum in malevolis „ extirpatione præmissâ, & plantatione vir„ tutum in benevolis subsecuta, benignitas „ vestra lætificabit Dei populum in exhibi„ tione justitiæ, ac etiam in condignis gra„ tiis opportuno tempore liberalitèr inferen„ dis, miserandâ multitudine pauperum ob „ illam causam habitura de Vobis affluen„ tiam gaudiorum, quià ipsorum nomen erit „ coràm Vobis amabile, ac eorum animas „ consolari in vestris existet affectibus spiri„ tualitèr.

1269 „ Vobis autem Pater Orphano„ rum, & Judex clementissime Viduarum, „ sufficiat istam brevem audivisse particulam „ de profectibus innumeris, qui proventuri „ sunt universitati fidelium per vestræ mini„ sterium Sanctitatis, illius favente clemen„ tiâ, qui mannæ cœlestis edulio suum satia„ vit miraculosè populum, & de quinque pa„ nibus, ac duobus piscibus saturavit quin„ que millia personarum, duodecim cophi„ nis in augumentum suæ gloriæ superan„ tibus de fragmentis. Istis etenim no„ stræ devotionis eloquiis cum affectu pa„ terno clementèr auditis, festinate nos ve„ stros videre fratres, & filios, & conso„ lari corda gementium, quibus in visione „ vestri vultus Angelici vidisse quasi dabi„ tur delicias Paradisi. Reliqua super iis vo„ tiva nobis, & christiano populo vestria „ infundat præcordiis Spiritus ille Para„ clitus, qui Discipulorum corda lugen„ tium fuit plenissimè consolatus. *Hactenus* „ *literæ*.

1270 Ptolemayde morabatur tunc Thealdus cum Eduardo Anglorum Regis filio primogenito, dùm antefatæ literæ per Nuncios ei allatæ sunt, quibus perlectis, ac suæ electionis monumentis perspectis, non levi admiratione defixus, hæsit conjectos in se Cardinalium oculos, qui neque Cardinalitia, neque Episcopali dignitate fulgeret; & quamvis ab initio, cùm de se admodùm demissè sentiret, dignitatem respuere meditaretur, tot tamèn, atque adeò gravibus argumentis, & rationibus compulsus est, ut oblatum honorem admiserit, nè divinæ voluntati obluctari videretur, nè fratrum discordia denuò excitaretur, nè Ecclesia Sancta Dei diù viduata Pastore permaneret; & nè populus christianus Pastore carens, ulteriùs affligeretur. Tanto ergò submissis oneri humeris, & dignitate non quæsitâ, sed spontè oblatâ, humilitèr acceptatâ, navigare in Occidentem decrevit; Sed ante ejus profectionem commiserans rerum Christianorum in deteriùs per dies labentium in Syria, in Concione habita Ptolemayde ante suum recessum, inter ália promisit, non se obliturum Hierusalem, auxiliaque ad debellandos inimicos Crucis, quantùm in eo esset, promoturum. Narrat hæc Sanutus lib.3. part.12. cap.13. inquiens: „ Gregorius X. existens Archidiaconus Leo„ diensis, devotionis gratiâ ad visitandam „ Terram Sanctam profectus, in Papam eli„ gitur, Pro cujus electione magnum gau„ dium habuere fideles Terræ Promissionis, „ erecti ad spem magni auxilii; quià Christi „ Vicarius, Terræ Sanctæ devotua, oculis „ conspexerat, & experientiæ manu palpa„ verat miserabilem, ac lugubrem ejus sta„ tum. Ipse quoquè de Ptolemayda recessu„ rus, intèr cætera concionis suæ verba mel„ liflua, cordis sui affectum aperiens; dùm „ de statu Terræ Sanctæ, & Hierusalem lo„ queretur, ajebat: *Si oblitus fuero tui, Hie„ rusalem, oblivioni detur dextera mea; ad„ hæreat lingua mea faucibus meis, si non me„ minero tui; si non proposuero Hierusalem in „ principio lætitiæ meæ. Hæc ille*.

1271 Sanè oculis suis spectaverat & Sarracenorum sævitiam, potentiamque, & Christianorum debilitatem, ipsomet nàmque commorante in Syria potuit non ignorare Soldani progressus, & Christianorum attritiones. Eo etenim anno, quo ipse electus fuit in Pontificem, & quidèm ante ejus electionem, plura damna Christianis intulerat Bendocdar, quæ idem Marinus Sanutus cap.XI. recenset, inquiens: „ Sequenti anno (*puta MCCLXXI.*) „ XVIII. Februarii Bendocdar obsedit Ca„ strum Crac, quod erat Hospitalariorum; „ & VIII. Aprilis, non valentes ampliùs lo„ cum defendere, qui deintùs erant, salvis „ personis reddidere Castrum. Turrem quo„ que destruxit Castri Blanci, & Gibelathar, „ quod erat Principis; fecit quoquè treguas „ cum Comite Tripolitano; & cœpit Mon„ fort, destruxitque quod erat Alemanno„ rum; deindè ante Ptolemaydam stetit; cœ„ pit quoq; Castrum unum Vetuli de Mon„ tibus. *Hæc Sanutus*; subjungens, Christianos belli mole obrutos, consulente Eduardo Regis Angliæ filio, Abagham Tartarorum in Perside Regem concitasse in prædictum Bendocdarem Babyloniæ Soldanum; verba Sanuti sunt: „ Odoardus etiam, de quo su„ periori Capitulo fecimus mentionem, IX. „ die Maji cum avunculo, & filio Comitis „ Brittaniæ, & multa comitiva, Ptolomay„ dæ applicuit: Eumq; frater ipsius, de men„ se Septembri, cum paucioribus secutus est. „ Tunc attendens actualem sævitiam, & sæ„ vientem potentiam Bendocdar in distri„ ctum, & populum christianum, cum cæ„ teria habitâ deliberatione, prudentes Nun„ cios ad Tartaros dirigunt; qui provocati,

di-

„ discurrunt per totam terram Antiochiæ, „ Alapiæ, Haman, Calamelæ usquè ad magnam Cæsaream, Sarracenos ubiquè interimentes; Indèque redierunt ad locum, dictum Marays, ad introitum Turchiæ, multam conducentem prædam Sclavorum, & „ Animalium; ibi quietem aliquandiù eligentes, propter laborum excessum, copiamque squarum, intuitu etiam jumentorum. *Hactenus Sanutus*.

1272 Horum igitùr omnium conscius, ac testis oculatus Thealdus, in animo concepit omnem suam adhibere operam, ut præfatia Christianorum rebus in Syria subveniretur. Et hac spe fixa, mense Decembri ejusdem labentis Anni MCCLXXI. ex Syris navigio recessit, pecuniis, & egregio comitatu ab Eduardo donatus. Appulit Brundusium mense Januarii, Carolo Rege Siciliæ summâ cum veneratione obviam procedente, & Ceperanum usque comitante; deindè per Capuam, Marsos, & Sabinos iter faciens, Viterbium, ubi Cardinales erant, pervenit IV. Idus Februarii Anni Domini MCCLXXII. currente Indictione XV. ubi reiteratæ, ac si nova fieret à Cardinalium Collegio, interfuit electioni. Occurrerant ei Romanorum Oratores, inter cæteros, rogantes, ut recto tramite Romam declinaret, nonnullis etiam Cardinalibus, qui obviaverunt ei, idem poscentibus. Quibus haud annuere voluit, justis de causis, quas in Epistola data ad Eduardum antefatum post suam coronationem refert, cui sic scripsit.

Gregorius Episcopus &c.
Magnifico viro Eduardo Primogenito Regis Anglorum.

1273 „ Exigit affectio, quam de te, veluti filium prædilectum habemus, ut Magnitudinem tuam specialium literarum visitemus oraculis, de successoribus, ac processibus nostris habitis, postquàm de partibus Terræ Sanctæ recessimus, curemus „ reddere certiorem. Itaquè, sicut placuit „ Altissimo, iter nostrum, juxtà suæ miserationis abundantiam dirigenti, nunc lento, „ nunc veloci navigio sulcatis æquoribus, „ prosperè pervenimus ad Portum Brundusii, „ prout ad tuam credimus pervenisse notitiam. Deindè verò continuatis quasi dictis, versùs Romanam Curiam properantes, ut quò citiùs ibidèm præsentiam nostram adesse contingeret, eò celeriùs, & „ efficaciùs, secundùm fervens desiderium, „ quod in mente gerebamus, & gerimus, „ possemus unà cum fratribus nostris dictæ „ Terræ Sanctæ statui providere, nonnullos „ nobiles Ambasiatores Romanos de majoribus Urbis intrà Regnum Siciliæ nobis „ occurrentes invenimus, qui, ut recto tramite declinaremus ad Urbem, apud nos, & „ aliquos ex dictis fratribus, qui tunc in occursum nostrum accesserant, cùm maximæ „ supplicationis instantia laborarunt.

1274 „ Pensantes autem, quòd Romana „ Civitas, utpotè magna, plenaque negociis, alia fortè nostrum impedientia propositum, vel retardantia saltèm ejus affectum, non annuimus eorum precibus, etiam „ cum quadam filialis devotionis importunitate porrectis; sed Viterbium, ubi præfata residebat Curia, procedentes, inibi „ nobis, licèt labore defessis, otio subtracto „ quietis, per octo dies continuè, cæteris „ interim aditu præcluso negotii, ad hoc solùm studia nostra vigili meditatione convertimus, ut eidem Terræ, quam in extremæ reliqueramus necessitatis articulo constitutam, defensionis, & gubernationis subsidium proveniret. (*Et post aliqua de generali Concilio congregando, subnectit.*) Magnitudinem tuam rogamus, & hortamur „ attentè, quatenùs jugum oneris Domini „ pro sui nominis amore supportans, circà „ custodiam, & defensionem ejusdem Terræ „ solicitè vigiles, & labores; ità quod exindè retributionis æternæ tibi proveniat incrementum, & nomen tuum laudis humanæ præconiis altiùs extollatur. Datum Laterani 2. Kalend. Aprilis. *Hactenus Epistola Gregorii*.

1275 Morâ ergò aliquantulùm factâ Viterbii, Romam venit, ubi VI. Kalendas Aprilis, die videlicèt XXVII. Martii, in Basilica Principis Apostolorum, in Presbyterum, & Episcopum consecratus, suæ coronationis insignis per manus Joannis Cajetani Ursini, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidisconi, suscepit. In eaque consecratione Gregorius X. nominari voluit. Et ab hoc anno, non ab electionis tempore, sui Pontificatus numerantur anni, ut ex ipsius literis palàm fit: id quod fortasse nonnullis, & præcipuè Jacobo Meyero ansam errandi præbuit, scribendi electum fuisse Anno Domini MCCLXXII. quo reverà non electus, sed consecratus fuit.

1276 Post hæc verò, ut promiserat, tota intentus fuit ad comparanda auxilia in subsidium Terræ: scripsit ad Philippum Francorum Regem, ad Januenses, ad Pisanos, Massilienses, & Venetos gravissimas literas, ipseq; duodecim Triremes comparavit, quas in Syrias misit convenienti militiâ custoditas, prout in præfatis ipsemet testatur literis, quæ habentur tom. 2. Epist. 14. 15. & 16. & 12. Sed ut majori cum effectu hujusmodi sortiretur negotium, Concilium generale indixit Lugduni celebrandum, in quo etiam concluderetur tractatus tamdiù agitatus de Græcorum unione. Itaquè sui primo Pontificatus Anno, Domini MCCLXXII. Imperii Michaelis Græcorum Imperatoris, Anno XII. vacante Occidentali Imperio ab Annis XXII. In-

Indictione xv. Concilium generale indixit post biennium Lugduni celebrandum per suas Enclycas literas, quæ prout datæ sunt ad Patriarcham Hierosolymitanum, aliisque Episcopis, Abbatibus, & Prioribus, ac aliis Ecclesiarum Prælatis per Hierosolymitanam Provinciam constitutis, relatæ à Binio, Labbeo, aliisque Conciliorum Collectoribus, necnon à Raynaldo, Wadingo, ipso Romano Bullario, sunt tenoris sequentis, videlicèt.

Gregorius Episcopus &c.
Venerabilibus fratribus Patriarchæ Hierosolymitano, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Hierosolymitanam Provinciam constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem,

1277 „ Salvator noster, In cujus dictione cuncta sunt posita, Civitatem Hierusalem videns, & prævidens ruituram, flevisse describitur super eam. Et nos itaquè, qui Civitatis veri David, Religionis videlicèt christianæ, circà cujus regimen, non in sufficientia nostræ debilitatis, sicut nec debemus, innitimur, sed de sola superabundantia virtutis divinæ speramus, non solùm scissuras, juxtà Prophetæ vaticinium multiplicatas, apertè vidimus, sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Græcorum, qui à Sedis Apostolicæ devotione, ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima, & vastatione valida Terræ Sanctæ, in subversione morum, quæ universalitèr in Clero gravitèr obrepsisse videtur, & populo, jàm non tàm cernimus, quàm palpamus. Nùm possumus non lugere? Nùm comprimere lacrymas? Continere suspiria? Cohibere singultus? Profectò cùm tanta subsit plangendi ratio, planctum decliuare non possumus; sed necesse est jàm foràs exeat, ab olim, dùm etiam nos minor status haberet, tantò altiùs radicatus introrsùm, tantòque diuturnitate factus acerbior, quantò facultate vitante diutiùs non est efficacitèr exire permissus.

1278 „ Exeat igitùr, exeat ad fratres, & filios, ut scientes incommodum, ipsumque prudentiùs æstimantes, cooperationis remedio efficaciùs pro viribus relevent, & planctum piæ compassionis officio dulciùs consolentur: *Quis ergò dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum*, ut sic populi nostræ humilitati commissi spiritualitèr, & temporalitèr interfectos, diebus, & noctibus lugeamus? Quòd culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, dilnamus? Lugendum, siquidèm occurrit, quòd per subtractionem prædictam à Sedis ejusdem unitate subtractos, & in devio positos grandis culpæ mors afficit, quòd sanctæ universalis corpus Ecclesiæ tàm nobile, eadem gravis admodùm, & dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilavit.

1279 „ Lugendum & iterùm, ac amarè dolendum, quòd sicut in partibus transmarinis non tantùm audivimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectaverunt (prob dolor!) detestabiliùs solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cùm jàm non tàm verbis, quàm rebus ipsis, & factis Christianus insultetur ab Infidelibus, & dicatur, ubi est Deus eorum? Dum funiculum hæreditatis Domini eadem Terra Sancta per nefandissimos Sarracenos, sic audactèr invaditur, sic securà occupatur audaciâ, sic vastatur intrepidè, sic eisdem partibus christianus populus immanitèr trucidatur, quasi non sit illius adjutor, nec sit qui misereri possit ipsorum.

1280 Lugendum & ampliùs paritèr, & horrendum, quòd cùm ille Pater familias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in Vineam, ille summus Agricola, sator bonorum omnium, & plantator, agrum Mundi hujus diligentèr excolens, in eo seminaverit semen bonum, inimicus homo tanta invenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat, quàm narrare. Idemque ager quotidiè potiùs arescere videatur ad ignem, quàm albescere videatur ad messem. Hæc dùm ministerio considerationis debitæ mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur.

1281 „ Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidèm Dei, montem uberem, montem pinguem, undè opportunum nobis provenire auxilium, & humilitèr petimus, & devotè speramus. Et quià salubre in his adhiberi remedium interest generalitèr omnium, Nos cum fratribus nostris, aliisque Viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eò tàm circà præmissa, quàm circà cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Conci-

„ cilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roboratâ fide, reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, sedatis discordiis, pace firmatâ, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & ejusdem Terræ Sanctæ statu prospero reparato, hujusmodi scissuras uniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta, & restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem ipse, qui novit, & facultatem tribuat ipse, qui potest, ut vitiorum, errorumque zizaniis ad comburendum fasciculo alligatis, ad triticum in ejus horreum congregandum, sic in præmissis, juxtà intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus utilitèr, quòd idem verus ejusdem universalis Sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus, ac ornatam, unam semper habeat & formosam, ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei pacem, & exaltationem populi christiani.

1282 „ Quià verò profectutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturiùs, ac fœliciùs, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium, numerandum ab initio instantis Maji, ad id duximus deputandum: deputari prætereà interim aliquos Viros tanto ministerio competentes ad prædicandum in Terræ præfatæ suffragium salutiferum verbum Crucis, per quod corda Principum, Prælatorum, cæterorumque fidelium inducantur ad subsidium eidem Terræ, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum.

1283 „ Quocircà universitati vestræ, per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs omni negligentia relegata, cunctis, prout talis, & tanti negotii qualitas exigit, dispositis, & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod Kalendis Maji Anni ab Incarnatione Domini Millesimi ducentesimi septuagesimiquarti, quas vobis, & aliis pro termino assignamus in loco, quem licèt ad præsens subticeamus ex causa, competenti tamèn tempore vobis curabimus intimare, nostro vos conspectui præsentetis, ad subventionem necessariam Terræ prædictæ, solers, & operosum interim studium impensuri, prosequendo favorabilitèr, & fidelitèr adjuvando illos, quòd ad hujusmodi prosequendum duxerimus deputandos. Volumus autem, quòd in vestra Provincia ex vobis fratres Episcopi, unus, vel duo remaneant, ad ea, quæ officium Episcopale requirunt, inibi exercenda, & tàm ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere, quàm alii, quos ad idem venire Concilium præpeditio forsàn canonica prohibebit, Capitula insuper Ecclesiarum omnium ejusdem Provinciæ, tàm Cathedralium, quàm etiam aliarum, quibus per vos fratres Patriarcha, & præfati Episcopi ex parte nostra volumus id mandari, cùm in eodem Concilio tractanda sint aliqua, quæ pertinebant ad ipsos, ad idem Concilium Viros idoneos pro se mittant.

1284 „ Non obstantibus quibuscumque privilegiis, seù indultis quibuscumq; personis, ordini, vel dignitati, seù Collegio sub quacumqua verborum forma, vel expressione, à prædicta Sede concessis, per quæ possit effectua hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari; circà personarum, & evectionum numerum, moderamine, quod aliàs statuit Lateranense Concilium talitèr observato, ut nemini liceat illud excedere, sed omnibus, prout libet, arctare. Nullus pomposus, aut inanis gloriæ quæsitor, sed quilibet sic veræ humilitatis cultor appareat, quòd & Ecclesiæ sibi commissæ nequaquàm onerosus existat.

1285 „ Interim quoquè per vos, & alios prudentea Viros Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia, quæ correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtilitèr, & conscribentes fidelitèr, eadem ad ipsius Concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominùs variis modis, & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen ejusdem deducta Concilii correctionem, & directionem recipiant opportunam.

1286 „ Nullus ergò inobedientię notam, & canonicæ ultionia acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino prava, indirecta, & aspera in vias planas, suâ omnipotentiâ convertente, cessaverunt, frivolæ allegationis munimenta confringat, ut à tàm sancti prosecutione operia se subducat, sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod & divinæ congrui voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum. Datum Laterani Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno I. *Hactenus literæ Indictionis Concilii*.

1287 „ His missis literis, cupiebat Gregorius illicò & ad Imperatorem Græcorum Apocrisiarios destinare tractaturos de unione; verùm Domini Cardinales expectandum consulerunt Missorum ab Apostolica Sede reditum. Et opportunè tandèm supervenit frater Joannes de Monte Corvino ex Ordine Fratrum Minorum, unus ex Missis ab Apostolica Sede, ab ipso Imperatore Græcorum remissus

ad

ad Gregorium cum literis, quibus de illius assumptione ad Pontificatum gratulabatur, dolens, quòd non licuerit, antequàm è Syria regrederetur, ipsum videre. Indèque subjungebat, se plurimùm concupiscere, ut tandèm diù agitatum de utriusque Ecclesiæ unione negocium absolveretur: id quod oretenùs exponere in mandatis habebat Idem Religiosus Missus.

1288 Verùm nil chariùs, & acceptiùs audire potuit Gregorius, nil sanè jucundiùs, qui hac etiam de causa generale Concilium indixerat. Egit statim cum Sancto Bonaventura, tunc Minorum Ordinis Generali Ministro, de seligendis ex eodem Ordine Viros religiosos probos, pios, & doctos, ad ipsum Imperatorem cum Apostolicis literis destinandos, cùm constaret hujus Ordinis Religiosos sæpè ad eundem Imperatorem missos, gratos ei semper extitisse. Selecti ergò fuerunt à Sanctissimo Generali Ordinis Frater Hieronymus Asculanus, tunc Minister Dalmatiæ, qui posteà & Cardinalis fuit, & Pontifex; Frater Raymundus Berengarii; Frater Bonagratia de Sancto Joanne in Persiceto; & Frater Bonaventura de Mugello, Viri utiquè docti, & pii, quos Summo Pontifici præsentavit, à quo missi fuerunt Nuncii ad præfatum Imperatorem, ipsum adminituri de indicto generali Concilio, eumque, ut adesse, vel per se, vel per suos Legatos vellet, rogaturi, atque expposituri apertam fidem Romanæ Ecclesiæ, ut tandèm in perfectam unionem Ecclesiæ coirent, datis ad ipsum Imperatorem per eosdem Nuncios ferendis, & contradendis sequentibus literis.

Viro Magnifico Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

1289 „ Qui miseratione ineffabili, cùm „ venit temporis plenitudo, vocavit ab Oriēte avem, & virum voluntatis suæ de terra „ longinqua: Ipse nos in Orientalibus peregrinantes partibus, ut, licèt immeritos „ ejus Vicarium suâ solâ dignatione statueret, qui ore prophetico, avis nomine in metaphora præmissa signatur, vocari ad gerendum Apostolatus ministerium, dignantèr potiùs, quàm dignè permittens, vota „ nostra, etiàm dùm nos minor status haberet, sicut firmiter credimus, & fatemur humilitèr, in pacis direxit semitas, & eadem „ à nostræ promotionis auspiciis ad illius „ commoda in omnes pretioso Christi redemptos Sanguine, præcipuè autem in „ Christiani nominis titulo insignitos diffundenda pro viribus, eò magis accendit, qui „ salutem animarum, ad quam nos, & affectus „ intentio afficit, & debitum suscepti officii „ Pastoralis adstringit, speramus exindè liberiùs, & efficaciùs, **Divinâ concedente** „ Clementiâ proventuram.

1290 „ Undè quamprimùm ad locum, „ in quo cum fratribus nostris Sacrosanctæ „ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quorum „ specialitèr consilio ultimo, & auxilio communimus, convenire potuimus, nos Hibernis Maris calcatis fluctibus potentia divina perduxit, nequaquàm torpuimus otio. „ Sed non sinè gravi amaritudine attendentes præfiguratam in Piscatoris Petri reti, „ quod pro multitudine piscium rumpebatur, scissuram universalis Ecclesiæ, quam „ in suis fidelibus non in fide, pro qua ille, „ qui pro sua reverentia est in omnibus exauditus, se rogasse testatur, *nè deficiat fides ejus*, apertè videmus, non solùm damnosè „ divelli, verùm etiam in eorundem scissuram, casu, & aversione fidelium periculosè „ divulsam, & ruinis gravibus deformatam; „ elaborandum summoperè fore putavimus, „ ut illo, *qui est lapis angularis utraque unum faciens*, & parietem utrumque connectens, „ suâ immensâ pietate donante, salubris exquiratur, & desiderata provisio, per cujus „ prosecutionem, dicente Domino Aquiloni, „ *Da*; & Austro, *Noli prohibere*, ipsa Mater Ecclesia suos afferens filios de longinquo, & filias suas ab extremis terræ, scissuris, coeuntibus, cadentibus relevatis, „ aversisque conversis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis, dissidentium multitudine in unitate fidei, & vinculo charitatis unita, juxtà Prophetæ vaticinium, dilatet tentorii sui locum, funes tabernaculorum suorum extendat, & consolidet clavos suos, ad dexteram & levam penetret, „ semen ejus gentes hæreditet, & desertas inhabitet Civitates. Hoc est enim quod ab „ ipso largitore bonorum omnium profundis „ suspiriis petimus, hoc quod effusis lacrymis postulamus, ut ipse, in cujus unitate „ fundatur fidei unitas, unitatis Ecclesiasticæ fundamentum, dicente Apostolo, *unus Dominus, una Fides*, suam Sanctam, atque „ Catholicam Ecclesiam redintegrādo uniat, „ & uniendo redintegret in sinu ejus populis „ universis, Latinis, & Græcis specialitèr adunatis, in fide integra, spe solida, & charitate sincera.

1291 „ Et quia hæc, si fons misericordiæ desideriis nostris benignus annuerit, „ ad communem cedent utilitatem omnium, „ communi ad eam deliberavimus consilio „ insistendum. Ideòque cum prædictis fratribus nostris, multisque aliis prudentiâ, „ & veritatis amore pollentibus, deliberatione præhabita, propter hæc, & ad providendum utilitèr, & efficacitèr de necessario Terræ Sanctæ succursu, de generali „ morum reformatione, quorum deformatio „ in Clero, & Populo nimis generalitèr obrepsisse videtur, nec non & propter alia,

quæ

„ quæ cunctis Chriſtifidelibus ſperamus, au-
„ ctore Domino, ſpiritualitèr maximè, ac
„ inſupèr temporalitèr profutura. De dicto-
„ rum fratrum noſtrorum conſilio, Synodum
„ generalem, univerſis Catholicis Mundi
„ Pincipibus, & Eccleſiarum Prælatis, ad
„ illam per noſtras ſub certa forma literas
„ evocatis, in Kalendis Maji, Anni ab Incar-
„ natione Domini Milleſimi ducenteſimi ſe-
„ ptuageſimiquarti, annuente Domino, du-
„ ximus congregandam. Super quo, licèt ab
„ exordio Indictionis hujuſmodi, ad magnifi-
„ centiam tuam literas, & Nuncios diſpoſue-
„ rimus deſtinare, ipſorum tamèn conſultò
„ ſuſpendimus miſſionem, anxii expectantes,
„ ut à te ſuper iis, quæ fœlicis recordatio-
„ nis Clemens Papa prædeceſſor noviſſimè
„ tuæ Celſitudini ſcripſerat, Apocriſiariis
„ receptis aliquibus, noſtros pleniùs mitte-
„ remus inſtructos.

1292 „ Nobis verò de tuorum Apocri-
„ ſiariorum expectatione ſolicitus, dilectus
„ filius frater Joannes de Ordine Minorum à
„ tua Serenitate transmiſſus, bonus de terra
„ longinqua Nuncius ſupervenit, tuas No-
„ bis devotione plenas, & lætitiæ cauſa non
„ vacuas literas repreſentans, in quibus gau-
„ dium de noſtro, quem ſperabas ad tuas par-
„ tes adventu, conceptum, & honorem, &
„ reverentiam nobis, ut Patri affectuoſiſſimo,
„ à te, ac tuis, velut à dilectis filiis, exhi-
„ bendos, & ſubſecutum dolorem ex noſtro
„ tranſitu aliundè reverentèr exprimens, in-
„ ter cætera inferebas nos debere diligentèr
„ advertere, qualem affectum, & zelum tuum
„ gerit, ut dicebas, Imperium ad pacem, &
„ unionem populi chriſtiani; ſperans, ſicut
„ eædem literæ continebant, ex hujuſmodi
„ noſtro adventu diſtantiam, quam inter Pa-
„ ſtorem, & ovile Sathanæ induxit ſugge-
„ ſtio, diſſolvendam. Ac deindè in literis ip-
„ ſis edicens, quòd idem frater tuo dilectus
„ Imperio, ut earundem literarum verba ſe-
„ quamur, enarrabit oretenùs reverentiam,
„ quam gerit idem Imperium ergà ſummã, &
„ Apoſtolicam Sedem Sacroſanctæ Romanæ
„ Eccleſiæ Matris tuæ; & maximum dolo-
„ rem, quem habes propter ſchiſmata, quæ
„ intrà Eccleſiam Chriſti permanent doloſa,
„ & præcordialem affectum, quem obſervas
„ thalamo cordis tui pro pace, ac unione
„ populi chriſtiani; ac ferventem zelum con-
„ trà impios Crucis vivificæ, ac honorabi-
„ liſſimæ inimicos. Demùm in calce litera-
„ rum ipſarum ejuſdem fratris verbis, tan-
„ quàm ex ipſius ore prolatis Imperii, Nos
„ fidem adhibere plenariam petiſti.

1293 „ Sanè tantæ tuæ ad nos devotio-
„ nis indicia, nobis in præmiſſis exhibita,
„ valdè nimirùm gratantèr accepimus, ſed
„ laudabile tuum propoſitum & affectum, ad
„ reparandas ipſius populi chriſtiani ſciſſu-
„ ras, ac ipſum in identitate catholicæ fidei,
„ & charitatis glutino uniendum, nec non
„ & recognitionem reverentiæ debitæ præfa-
„ tę Sedi Apoſtolicæ, ipſique Romanæ Ec-
„ cleſiæ Matris tuæ, per fratrem & literas
„ prædictas expreſſa, cum tanto majori gau-
„ dio acceptamus, quantò id credimus Deo
„ acceptiùs, populo eidem utiliùs, ac tuę ip-
„ ſorum ſaluti, noſtriſque proindè affectibus
„ pleniùs convenire.

1294 „ Adjicit quoquè non modicum
„ ad conceptam ex præmiſſis cordis noſtri
„ lætitiam, quòd hujuſmodi laudabilem ze-
„ lum tuum, ad ejuſdem populi unionem, cla-
„ ræ memoriæ Ludovico Regi Francorum
„ Illuſtri, ſicut intelleximus, apertè revelaſti,
„ & idem patientèr inſinuans, quòd tu, Cle-
„ rus, & Populus tuæ dictioni ſubjecti, deſi-
„ derantes ad obedientiam ejuſdem Eccleſiæ
„ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei
„ profeſſione uniri, ac varias ſuper hoc ad
„ eandem Sedem literas, & Nuncios deſtí-
„ nantes, quorum etiam aliqui in via deten-
„ ti non pervenerunt ad eandem, frequentèr
„ & humilitèr ad id vos poſtulaſtis admitti,
„ nec adhùc tuæ, ac ipſorum fuerat volun-
„ tati ſatisfactum; apud eundem Regem mul-
„ tiplicatis ſuper hoc literis & Nunciis, in-
„ ſtitiſti, petens inſtantèr, ut ipſe in tàm pio,
„ & utili negocio, arbitri partes aſſumens,
„ ad ipſius conſummationem ſolicitè inten-
„ deret pietate; ac inſuper, ut tuis verbis,
„ prout nobis referuntur, utamur, te velle
„ Regem eundem arbitrum in hoc conſtitue-
„ re aſſerens, promittebas, quidquid idem
„ Rex ſuper hoc diceret, te plenè ac invio-
„ labilitèr ſervaturum. Et ut pleniùs circà
„ hoc tuum manifeſtares affectum, adjuraſſe
„ diceris, Regem eundem per aſperſionem
„ Sanguinis Jeſu Chriſti, nè aſſumere onus
„ hujuſmodi recuſaret; & nè ſecùs faceret,
„ ad Summum Judicem, ut ipſe Rex in ex-
„ tremo judicio coràm eo de hoc rationem
„ redderet, appellaſſe. Et licèt idem Rex
„ prudentèr attendens, & humilitèr recogno-
„ ſcens, quòd ſuum non erat, tale in eodem
„ negocio, quod ſpecialitèr pertinere digno-
„ ſcitur ad ejuſdem Sedis examen, officium
„ uſurpare, conſultè reſponderit, quòd in
„ ipſo nequaquàm hujuſmodi partes aſſume-
„ ret, ſed pro ipſius conſummatione apud
„ Sedem ipſam libentèr inſtaret; ac propte-
„ reà literas, & ſuos ad eandem Sedem Nun-
„ cios deſtinaret, qui hæc omnia, ipsâ tunc
„ Sede vacante, coràm prædictis noſtris fra-
„ tribus retulerunt, ad quorum etiam pro
„ parte ipſius Regis inſtantiam, bonę memo-
„ riæ Albanenſi Epiſcopo, tunc in partibus
„ illis ejuſdem Sedis Legato ſuper hoc plena
„ commiſſio facta fuit: tamèn ipſis Rege, &
„ Legato, humana de hac luce ſubtractis,
„ proceſſus aliquis haberi non potuit per ean-
„ dem. Habent hæc itaq; jucunditatis cau-
„ ſam, & materiam exultationis in Domino

„ repræsentant. Si enim, prout est de tanto „ Principe supponendum, de arcano mentis „ ori consonæ in veritate procedant; verisimilitèr credi potest, quòd ille, qui ubi „ vult spirat, tuum ad tale tàm utilis unionis desiderium animum inspiravit.

1295 „ Quæsumus itaquè, spiritum tuum „ non extinguas, nec irrita facias, quæ ad „ eandem tuam Matrem Ecclesiam, & ad „ tantum Principem per diversos, ut præmittitur, Nuncios, & literas, de tuis dicuntur labiis processisse. Sed attende potiùs, & in conspectu attentæ considerationis expende, quòd ille, qui est verum Caput Corporis mystici, Ecclesiasticæ videlicèt unitatis, juxtà illud Apostoli, *omnes sumus unum corpus in Christo*, instante suæ passionis articulo, pro hac sibi placita unitate legitur dignanter orasse: *Volo*, inquiens, *Pater, ut omnes in nobis unum sint*. „ Si ergò juxtà Sacræ Scripturæ testimonium, *consilium ejus stabit, & fiet omnis voluntas ipsius*, necesse profectò est, hanc „ unionem impleri. Festina, & considera „ incertam humani temporis brevitatem, „ tantum bonum non ultrà differendo procrastines, nè fortè cùm voluntas adfuerit, „ ad perficiendum quod volueris, vita desit; „ sed celeritèr viam salutis, & pacis per desiderabilem cordi tuo (ut tàm publicè, tàm „ laudabilitèr profiteris) unionem Latinorum paritèr, & Græcorum, in unius professione fidei, & charitatis solidæ unitate, „ tuis subditis aperi, tuis posteris præpara, „ & incomparabile meritum tibi solicitè, ac „ prudentèr ex tàm utili, tàm salubri præparatione præoccupa.

1296 „ Considera, considera quàm intrepidus, quàm securus in extremo judicio „ coràm tremendo Judice, tantis ad ejusdem „ Matris gremium tecum tuo ministerio reductorum stipatus cuneis, aliis tuis ad id „ concurrentibus meritis apparebis; quàm „ gratus advenies, quàm gratantèr etiam admitteris, quomodò comitiva gratissima ornandus illorum, quos innumeros, ut speramus, de tàm numerosa multitudine, „ quam ad illius ovile, ipso præstante reduces, tandèm ipse *Pastor bonus, qui pro eis animam suam posuit*, in dilecta sua Tabernacula introducet, tu in eandem exultans, „ & jubilans de suo munere introibis. O' te „ fœlicem, si ad hæc te Dominus præparavit, si facultatem, quæ ad ea tibi data videtur, cùm omni diligentia efficacitèr prosequens, & de contingentibus nil omittens, „ multis olim ad eandem laborantibus per „ diversos modos, & vias, tu labores eorum „ introiens, pervenias solus ad bravium optatum, illorum finem obtineas, & inæstimabilem gloriam, quam specialiter sequi debes, finalitèr assequens.

1297 „ Cæterùm, ut si incœpti super iis „ tractatus prosecutio, Deo adjuvante, facilior, & desideratus exitus promptior; „ fœlicis recordationis prædecessorum nostrorum Urbani, & ejusdem Clementis, „ Romanorum Pontificum gesta, circà instans negocium habita, recensuimus diligentèr. Et eos, priùs de fidei veræ dogmatibus, quàm de concordia inter eosdem „ Latinos, & Græcos in charitate mutua solidanda, tractandum, evidentibus ad hoc „ inductis rationibus, licèt aliud continere „ tua petitio videretur, elegisse comperimus. „ Nec indignè, cùm spiritualem unionem fides „ initiet, dicente Domino per Prophetam: „ *Sponsabo te mihi in fide*; charitasque consumet, egregio Gentium Doctore testante, „ quòd, *qui adhæret Deo, unus spiritus est*; „ unus profectò cum illo, non tàm identitate substantiæ, quàm gratiæ participatione, & gloriæ.

1298 „ Memoratus itaquè prædecessor „ noster Clemens, Apocrisiariis, & literis „ tuis ad ipsius præsentiam, super hujusmodi negocio destinatis, benignè receptis; & „ tàm secretè, quàm publicè, prout eis placuit, plenè ac patientèr auditis; multisque „ aliis, ejusdem negocii utilitate, ac justitia „ exigente, peractis, quæ ipsius Clementis „ prædecessoris literæ, per eosdem duos Apocrisiarios ad te missæ, ad tuam, ut credimus, notitiam detulerunt. Demùm, ut „ hujusmodi conjunctions spiritualis initium „ ordinatè procederet, idem prædecessor Clemens, ad utilem, & finalem expeditionem „ negotii, præmissum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. „ Et nè ultrà contingeret idem negotium per „ inefficacia verba deduci, manifestè in prædictis literis suis expressit, quid tibi, tuis „ Clero, & Populo supradictis, faciendum „ incumberet, ut reverentèr ad ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum, tu, & ipsi, sano freti consilio rediretis, in eisdem literis veræ catholicæ fidei professionem, quam „ eadem Romana Ecclesia firmiter tenet, fidelitèr docet, constanter prædicat, & publicè profitetur, quamque à te, tuis Clero, „ & Populo supradictis, idem prędecessor noster Clemens expostulans te, ac ipsos profiteri, si velletis, juxtà ejus desiderium redire ad Ecclesiæ unitatem; ea insuper, quæ „ circà ejusdem Ecclesiæ Romanę primatum „ ab ipsis tuis Clero, & Populo acceptari, & „ recipi voluit, pleniùs explicando.

1299 „ De ipsa prætereà fidei professione dictis tuis Apocrisiariis copiam faciens, „ clementèr obtulit eisdem satisfacere, si super ea in aliquo dubitarent; adjecto nihilominùs in literis supradictis, qualitèr providà deliberatione conceperat, aliquos in „ lege Dei peritos ad tuam præsentiam destinare, cum quibus tu, iidemque tui Clerus

„ rus & Populus super præmissis conferre pos-
„ setis: Et quod si nihilominùs aliquid tuum,
„ tuorumque animos concuteret, aut turba-
„ ret, propter quod aliquid de conteotis in
„ præscriptæ fidei professione, tu, vel ipsi
„ vereremini profiteri: aliquos de peritiori-
„ bus eorundem tuorum Cleri & Populi mit-
„ teres ad eundem. Quibus se paratum ob-
„ tulit, sicut eadem Romana Ecclesia pa-
„ rata semper existit, omni poscenti, de ea,
„ quæ in ipsa est, fide, ac spe reddere ra-
„ tionem.

1300 „ Quamquam autem hujusmodi suos
„ Apocrisiarios, pro eo quod aliqui ex eis,
„ qui ad hoc fuerant de longinquis partibus
„ advocati, & ipsemet morte præveoti fue-
„ runt, non potuerint mittere, ut concepit:
„ Tuam tamen Excellentiam per easdem suas
„ literas monuit, & variis exhortationibus
„ invitavit instanter, ut sic stnderes habili-
„ tare materiam, sic animos tuum, tuorum-
„ que disponere: quod in eorundem Apocri-
„ siariorum, quos ad te, ut prædicitur, mit-
„ tere sperabat, adventu, te & prædictis tuis
„ Clero & Populo præscriptam humiliter su-
„ scipientibus: & fideliter profitentibus fidei
„ veritatem, facilis foret ad reliqua, Divi-
„ na gratia favente progressus. Ad quorum
„ prosecutionem, & specialiter ad charitatis
„ vinculnm inter eosdem Latinos, & Græ-
„ cos solido fœdere confirmandum, si post
„ receptionem, & professionem ejusdem fidei,
„ & postquàm ad obedientiam ipsius Roma-
„ næ Ecclesiæ tu, ac iidem tui Clerus, &
„ Populus, rediissetis, ad locum, de quo
„ eadem Romana expedire videret Ecclesia,
„ generale Concilium peteres convocari: fa-
„ tis apertè spem tribuit, quod tuum in hoc
„ desiderium adimpleret, non ad prædictæ
„ discussionem, vel novam definitionem fidei,
„ quam tanquam innumeris sacræ paginæ au-
„ ctoritatibus, numerosis Sanctorum Patrum
„ seutentiis, & Romanorum Pontificum sta-
„ bili diffinitione firmatam, nec ipse voluit,
„ nec nos intendimus, sicut nec decet, nec
„ foret expediens, in duhium, novo ipsam
„ exponendo examinini, revocare.

1301 „ Cujus seriem ad majorem certi-
„ tudinem, nè forsan ejus copiam casus ab-
„ stulerit, vel illius memoriam obliterarit
„ oblivio, necnon & illorum, quæ circa ejus-
„ dem Romanæ Ecclesiæ Primatum idem præ-
„ decessor Clemens, a te, tuis Clero, & Po-
„ pulo supradictis, acceptari, & recipi vo-
„ luit, licèt eadem per prædictas ipsius præ-
„ decessoris Clementis literas, ad tuam no-
„ titiam pervenisse credamus, præsentibus
„ duximus annectendam: quæ talis est. *Cre-*
„ *do Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium,*
„ *& Spiritum Sanctum, unum Deum Omni-*
„ *potentem, totamque Deitatem coessentialem,*
„ *consubstantialem, coæternam, & omnipo-*
„ *tentem.* Et cætera sicut in Clementis lite-
„ ris, & inde absoluta formula professionis
„ fidei, subnectit.

1302 „ Nos igitur dehita meditatione
„ pensantes, idem negotium, tam utiliter,
„ tam propenso Consilio, & exactà maturi-
„ tate dispositum, & electum: ad executio-
„ nem ipsius ah eisdem prædecessoribus no-
„ stris ordinem imitandum potiùs, quàm mu-
„ tandum, dilectos Filios Religiosos Viros
„ Fratses *Hieronymum de Esculo*, *Raymun-*
„ *dum Berrengarium*, *Bonagratiam de San-*
„ *cto Joanne in Persiceto*, *& Bonaventuram*
„ *de Mugello*, *de Ordine Minorum*, Viros
„ quidem pauperes, Spiritu, sed divites fi-
„ de, Mundi hujus contemptis divitiis, cæ-
„ terisque abjectis illecebris, post Christum,
„ simul in unum, divitem & pauperem, per
„ suorum, quantum eis ab ipso conceditur,
„ gradiendo semitam mandatorum, ipsam
„ veram sapientiam imitantes, decrevimus
„ ad tuam celsitudinem destinandos.

1303 „ Ideoque magnificentiam tuam
„ monemus, rogamus, & hortamur in
„ Domino Unigenito Dei Filio Jesu Chri,
„ sto per suæ Crucis mysterium, & immen-
„ sum Redemptionis humanæ beneficium,
„ in charitatis visceribus obsecrantes, qua-
„ tenus ipsos benignè recipiens, & ad illum
„ respiciens salutis, & pacis auctorem, *qui*
„ *operatus est in medio Terræ salutem*, qni
„ oriens ex alto, pacem sibi acceptam, & ab
„ omnibus acceptandam evidenter ostendens,
„ eam in ortu suo Angelorum ministerio bo-
„ næ voluntatis hominibus nunciavit, & in-
„ ter homines conversatus verbo docuit, præ-
„ dicavit exemplo; ut ad ovile Domini re-
„ deas, ac ipsos tuos Clerum, & Populum,
„ eo concedente reducas; Tibi & ipsis quie-
„ tem tribuas; innumerabilibus periculis ani-
„ marum, & corporum, rerumque dispen-
„ diis, quæ guerra induceret, quam
„ avertat Altissimus, horrenda calamitas,
„ prudenter occurras; & de tam pii negotii
„ consummatione in æternum tibi memoriale
„ constituas, hujusmodi salutarem unionem
„ Latinorum, & Græcorum, quam tibi vo-
„ tivam admodum, evidentibus fateris affa-
„ tibus, sedulis prosecuturus affectibus, præ-
„ scriptam Catholicæ fidei puritatem, immò
„ puram & solidam veritatem agnoscas, su-
„ scipias corde humili, & sincero, & coràm
„ eisdem fratribus Apocrisiariis nostris profi-
„ tearis, ore veridico, & fideli; præmissum
„ etiam ejusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum
„ ad illius obedientiam spontaneus veniens,
„ recognoscas, ipsum acceptes, & spontè
„ recipias, prædictosque tuos Clernm & Po-
„ pulum, ipsam fidem similiter suscipere,
„ profiteri, ac ad obedientiam ipsius Eccle-
„ siæ Romanæ venire, Primatum ejus reco-
„ gnoscere, acceptare procures.

1304 „ Prræmissis primitus adimpletis,
„ ad memoratam Synodum, cui unà cum aliis

,, Catholicis Principibus te decebit, & nos
,, desideramus, & petimus, interesse, in lo-
,, co, in quo ipsam congregari continget, ut
,, ad cætera, quæ imminent, ipsorum & tuo
,, fulti consilio, securiùs procedamus, vel
,, personaliter venturus, si facultas adfuerit,
,, vel Apocrisiarios, magnæ auctoritatis, &
,, prudentiæ viros, tuo missurus nomine, per
,, quos tuum nobis super agendis inibi consi-
,, lium relevetur. Peracta siquidem hujusmo-
,, di utriusque populi, Latinorum scilicèt,
,, & Græcorum, in prædictis professione fi-
,, dei, & recognitione Primatus, tam San-
,, cta, tam desiderabili unione: per quam
,, præmissum tuum laudabilem zelum, à te
,, verbis, & literis frequenter expositum,
,, facto manifestabis, & probabis apertiùs;
,, per quam nostrum eorundem fratrum no-
,, strorum, aliorumque Latinorum tibi ani-
,, mos attrahere poteris, & in iis, quæ agen-
,, da supererunt, nostrum & ipsorum favo-
,, rem, in quibus sine offensa Dei præstari po-
,, terit, meritò vindicare: ad præmissa soli-
,, dè roboranda commodiùs. & ad tractatum
,, charitatis inter ipsos Latinos & Græcos,
,, radicibus Zizaniorum evulsis, omnibus-
,, que discordiis, Domino annuente, seda-
,, tis inviolabiliter solidandæ, tanto effica-
,, ciùs, tantoque favorabiliter intendemus,
,, quanto liberiùs tibi de regione dissimilitu-
,, dinis jam reverso, post prædictam in spe
,, recuperandæ innocentiæ stolam primam,
,, post annulum in manu tua ex fidei profes-
,, sione positum, condescendere poterimus,
,, & sine conscientiæ læsione rationabilibus
,, aquiescere Votis tuis. Sic namque præmis-
,, sa cordi nostro insident, sic ad ea totis præ-
,, cordiis aspiramus; ut pro eorum execu-
,, tione, non solum labores impendere, sed
,, etiam superimpendi modicum repute-
,, mus.

1305 ,, Propter quod, licèt tam tibi, &
,, tuis hæc via salubrior, quam ipsius negotii
,, qualitate sit aptior, cum fidei puritas con-
,, sensum purum, & liberum exigat, & con-
,, ditionem aliquam non admittat; tamen si
,, peccatis exigentibus populi utriusque non-
,, dùm datum est desuper, ut ad ea prædicto
,, modo complenda, tuus, tuorumque animi
,, sint parati; nos non intendentea idem salu-
,, tare negotium desperatione præcidere, sed
,, saltem manuductione, qua possumus, pro-
,, movere, tolerabimus patienter.

1306 ,, Quod si velis ad eandem Sedem
,, ante prædictam Synodum, vel in ipsa Sy-
,, nodo (ut ibi ordine suo prædicta omnia,
,, tam circa professionem fidei cum recogni-
,, tione Primatus ejusdem Ecclesiæ Romanæ,
,, quàm circa ipsos Latinos & Græcos, dissen-
,, sionis cujuslibet inter eos sublata materia,
,, in charitate mutua uniendos, pleniùs, &
,, solidiùs compleantur) tuos Apocrisiarios
,, destinare: ad ea pro te, ac ipsis tuis Clero
,, & Populo facienda, securè cum potestate
,, plenaria, solemnes, prout facti qualitas exi-
,, git, mittas Apocrisiarios ad præmissa. Vo-
,, lumus tamen quod priùs tam tu serenitatis
,, tuæ apices, quàm omnes, vel saltem Pa-
,, triarcha Græcorum, & aliqui alii majores
,, Prælati ejusdem Imperii, prædictis nostris
,, Nunciis (in forma, quam destinavimus sub
,, Bulla nostra per ipsos, tibi cum eis, te ac
,, eosdem tuos Clerum & Populum, ad hæc
,, procedere velle patuerit, ostendendum) li-
,, teras concedatis, de præmissis professio-
,, ne fidei, & recognitionem Primatus ejus-
,, dem Ecclesiæ Romanæ primò apud nos per
,, eosdem solemnes mittendos Apocrisiarios,
,, Domino viam ad sedandas inter Latinos,
,, & Græcos discordias aliàs demonstrante,
,, tuo & tuorum nomine infallibiliter facien-
,, dis, & postmodum per te, Prælatos om-
,, nes, ac tuos Clerum & Populum supradi-
,, ctos, cum à Sede ipsa mandatum fuerit,
,, personaliter iterandis. Nos enim eosdem
,, tuos Apocrisiarios, concessis prædictis tuis
,, apicibus, & Prælatorum literis, destinan-
,, ndos, recipiemus alacriter, charitativè
,, tractabimus, & ad consummationem præ-
,, missorum cum omni diligentia, prout Do-
,, minus concesserit, procedemus. Et nihilo-
,, minùs super sedatione discordiarum ipsa-
,, rum, tam per ipsos Apocrisiarios, quos
,, ad præsens mittimus, quàm per alios hinc
,, inde mittendos poterit interim tractatus
,, haberi, & exquiri diversæ viæ, ac modi,
,, qui ad expeditionem faciliorem idem ne-
,, gotium, favente Domino, præparabunt.

1307 ,, Quia verò cordi nobis est de
,, ipso negotio saltim in eadem Synodo pro-
,, videri salubriter, & ideò desideramus, quod
,, dudùm ante ipsam ad nos de illorum exitu,
,, fœlici utinam, perveniat certitudo: Celsi-
,, tudinem tuam affectuosè requirimus, & ro-
,, gamus instanter, ut eosdem fratres Apo-
,, crisiarios nostros fœliciter, & sic celeriter
,, studeas expedire, quod redeuntes cum tuo
,, certo ad præmissa responso, dictum tempus
,, pro ejusdem Synodi Congregatione præ-
,, fixum, adeò valeant commodè pervenire,
,, quod ad ejusdem negotii provisionem ante
,, ipsam Synodum possit, ut decet, habili-
,, tari materia, sufficientis ad hoc temporis
,, opportunitate concessa. Scire quidem te
,, volumus, quod si eosdem nostros Nuncios
,, contra hujusmodi nostrum desiderium re-
,, tardari contingat, nos de tua responsione
,, incerti, tam utilis negotii prosecutionem,
,, per vias, quas ad animarum salutem Do-
,, minus aperire dignabitur, propterea, nec
,, omittere intendimus, nec differre. Datum
,, apud Urbem Veterem IX. Kal. Novembris,
,, Pontificatus nostri Anno primo. *Hactenus*
,, *Gregorius ad Palæologum*.

1308 Eodem tempore scripsit idem Pon-
tifex Græcorum Patriarchæ Josepho alias
li-

literas ferendas. & per eosdem Apocrisiarios contradendas, quibus ad œcumenicum invitat Concilium, rogatque, ut in negotio unionis, non solum cooperatorem, sed & specialem se exhibeat promotorem, literæ verò ad hunc modum se habent.

Dilecto in Christo Fratri Patriarchæ Græcorum spiritum gratiæ salutaris.

1309 ,, Multo, sicut nos te credimus, ,, labore sudatum est, ut inter Latinos, & ,, Græcos, subductis Seminariis antiquæ scissuræ, vigeret inter eos fidei unitas, consolidaretur inter ipsos unio charitatis. Sed ,, impediente illo, ut credimus, qui primum ,, Schisma excitavit in Cœlo, nondùm est ,, votis laborantium satisfactum. Nos autem ,, de illius omnipotentia spe concepta, qui ,, concordiam in sublimibus operatur, à labore, tam utili non putavimus desistendum, sed insistendum potiùs tantò propensiùs, quantò fructus ex eo, Deo auspice, ,, proventurus ipsi erit acceptior, Mundo ,, utilior, & saluti convenientior animarum. ,, Et ideò cum fratribus nostris, deliberatione præhabita propter hoc, & ad providendum utilirer de succursu Terræ Sanctæ, ,, necnon, & de reformatione morum, qui ,, videntur in Clero, & Populo graviter deformati, ac aliis, quæ animarum salutem ,, respiciunt, & ad statum Orbis pacificum, ,, auctore Domino, redundabunt, Concilium de ipsorum fratrum nostrorum Consilio indiximus generale, in Kalendis Maji, ,, Anni ab Incarnatione Domini, Millesimi ,, ducentesimi septuagesimi quarti, annuente Domino, congregandum, universos Catholicos Orbis Principes & Prælatos ad ipsum per nostra sub certa forma literas advocantes.

1310 ,, Et quia tractatum concordiæ inter eosdem Latinos & Græcos à fælicis recordationis Urbano, & Clemente prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus invenimus laudabiliter ordinatum, Ordinem ,, ab ipsis provido approbatum Consilio, dignum prosecutione potiùs, quàm immutatione censentes, ad faciliorem expeditionem tractatus ejusdem, & consummationem, tam pii negotii, concedente Domino, promptiorem, ipsum deliberavimus ,, prosequendum. Ad quod magnifico Viro ,, Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum ,, Illustri Nuntios, & literas destinamus, per ,, eas sibi persuasiones varias, qualitati tractatus ipsius aptas, & utiles, necnon, & ,, alia, quæ ad fælicem exitum, tam salutaris negotii expediri putavimus, pleniùs explicando. Quæ cum tibi per easdem literas, ,, innotescenda speramus, consultò præsentibus, non duximus repetenda.

1311 ,, Quis verò tuum specialiter in his ,, credimus consilium utile, ac auxilium opportunum, fraternitatem tuam monemus, ,, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, per sua immensa beneficia obsecrantes, ,, quatenus Divinæ remunerationis obtentu, ,, te non solum cooperatorem, sed & specialem in his constituens promotorem, sd celerem, & fælicem expeditionem illorum, ,, quæ per easdem literas paternis affectibus, ,, & piis desideriis postulamus, studio, piæ ,, devotionis intendens. Sic ad illa celeriter ,, exequenda, tam memoratum Imperatorem, ,, quàm alios, qua potest inductionis diligentis, exhorteris, & efficacia exhortationis " inducas, quatenus negocio hujusmodi tuo " suffragio fæliciter consummato, in retributione justorum ab eo, qui nullum bonum ,, sine remuneratione relinquit, cum spe favoris Apostolici, tibi proinde non immerito aquirendo mercedem condignam, tam ,, utilis cooperationis, imò potiùs promotionis securus expectes.

1312 ,, Cæterùm, quis his, Domino ,, præstante, peractis, te, ac alios Prælatos ,, Græcorum, prout prisca consuetudo suggesserit, decebit ei Concilio interesse, ut ,, unà cum prædictis Principibus, & Prælatis nobis in dirigendis, quæ inibi sunt agenda, tu & ipsi Consilio, & auxilio assistatis. Rogamus & petimus, ut tu & illi, ,, quibus per te id denunciari volumus, ad ,, idem Concilium, loco, in quo illud congregari continget, personaliter veniatis. ,, Nos enim te, ac illos benignè recipiemus, ,, & charitativè tractabimus, & honore, quo ,, decuerit, prosequemur. Datum apud Urbem Veterem IX. Kal, Novembris, Anno ,, primo. *Hactenus literæ ad Patriarcham Græcorum.*

1313 Deinde fecit literas ad præfatos Apostolicæ Sedis designatos Apocrisiarios continentes instructionem qualiter in præfata legatione se gerere oportebat: quas literas ex Regesto Vaticano excripsit idem Wadingus, & in suis inseruit Annalibus, ad Annum Domini MCCLXXII. sub n. 6. quæ quidem literę sic se habent.

Fratribus Hieronymo de Esculo, Raymundo Berrengarii, Bonægratiæ de S. Joanne in Persiceto, & Bonaventuræ de Mugello de Ordine Minorum Apostolicæ Sedis Nunciis.

1314 In literis, quas magnifico viro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, per vos mittimus, inter cætera continetur, quod si dictus Palæologus velit ,, suos Apocrisiarios ante indictum à nobis ,, generale Concilium, vel in ipso Concilio, ,, ut Ordine suo inibi omnia, quæ circa professsione

,, fessionem fidei Catholicę cum recognitione
,, Primatus Ecclesiæ Romanæ, quam circa
,, Latinos & Græcos, dissensionis cujuslibet
,, inter eos sublata materia, in charitate mu-
,, tua uniendo, in eisdem literis præmittun-
,, tur, pleniùs & solidiùs compleantur, de-
,, stinare, mittat solemnes, prout negocii
,, qualitas exigit, Apocrisiarios cum pote-
,, state plenaria ad præmissa. Et in literis ip-
,, sis exprimitur, quod nostræ voluntatis exi-
,, stit, ut priùs, tam ipse Imperator apices
,, suos, quam omnes, vel saltem Patriarcha,
,, & aliqui alii majores Prælati Græcorum li-
,, teras suas vobis concedant in forma, quam
,, per vos in eisdem literis nos prædicimus,
,, sub Bulla nostra missuros de præmissis pro-
,, fessionem fidei cum recognitione Primatus,
,, primò apud nos per hujusmodi solemnes
,, Apocrisiarios, Domino viam ad sedandas
,, inter eosdem Latinos & Gręcos discordias
,, alias demonstrante, ipsius Imperatoris Grę̣-
,, corum, & suorum nomine infallabiliter fa-
,, ciendis, & postmodum per ipsum Prælatos
,, omnes, Clerum, & Populum Græcorum,
,, cum à Sede Apostolica mandatum fuerit,
,, personaliter interandis.

1315 Ut igitur formam eandem, sicut in
literis præmissis edicitur, deferatis, ipsam
,, per verba, per quæ, vel æquipollentia,
,, eadem tam substautia omninò servata nobis
,, concedi volumus, præsentibus vobis duxi-
,, mus exprimendam. Quæ præmissa saluta-
,, tione, qua idem Imperator ad nos uti vo-
,, luerit, talis erit. *Nos Michael &c. præsen-*
,, *senti scripto fatemur, Nos recepisse sub Bul-*
,, *la vestra professionem Catholicæ fidei, quam*
,, *Sacrosanta Romana Ecclesia firmiter tenet,*
,, *fideliter docet, constanter prædicat, & pu-*
,, *blicè profitetur cum expressione Primatus ip-*
,, *sius Ecclesiæ, cujus series talis est. Credo*
,, *Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium,*
,, *& Spiritum Sanctum &c.* Ut in literis no-
,, stris ad eum directis usque semper salva.
,, *Nos itaque memoratus Imperator suprascri-*
,, *ptam Catholicæ fidei veritatem, coràm nobis*
,, *plenè ac distinctè lectam, & apertè, ac fideli-*
,, *ter expositam recognoscimus, & promittimus,*
,, *quod postquam in generali Concilio à vobis in*
,, *dicto, sive ante, vel post ipsum Concilium,*
,, *inter nos & Clerum, & Populum nostrum*
,, *ex parte una, & Latinos ex altera super dis-*
,, *cordiis exhortis hinc inde concordia fuerit re-*
,, *formata, eandem fidem, sicut præmittitur,*
,, *infallibiliter primò apud vos in Curia vestra*
,, *per Apocrisiarios solemnes, prout tanti ne-*
,, *gotii exigit qualitas, agnoscemus, suscipie-*
,, *mus corde humili & sincero, & profitebimur*
,, *ore veridico & fideli. Præmissum etiam Ec-*
,, *clesiæ Romanæ Primatum, ad ipsius Eccle-*
,, *siæ obedientiam spontanei venientes, reco-*
,, *gnoscemus, ipsum acceptabimus, & spontè*
,, *recipiemus, & postmodum cum Sedes Apo-*
,, *stolica id mandaverit, præmissa omnia tam*
,, *circa fidei professionem, quàm circa Primatum*
,, *ejusdem Ecclesiæ iterabimus personaliter per*
,, *nos ipsos, prædictosque Clerum & Populum*
,, *procurabimus similiter primò per hujusmodi*
,, *Apocrisiarios apud vos, & postmodum ad*
,, *mandatum ipsius Ecclesiæ personaliter per se*
,, *ipsos fidem agnoscere, suscipere, profiteri,*
,, *& ad obedientiam ipsius Ecclesiæ Ramanæ*
,, *venire, Primatum eius recognoscere, & etiam*
,, *acceptare.* Vel si prædictum verbum, *re-*
,, *cognoscimus*, haberi non possit, recipian-
,, tur loco ejus verba hæc, seù æquipollen-
,, tia: *Nos itaque memoratus Imperator vobis-*
,, *cum, & cum Sancta Romana Ecclesia Ma-*
,, *tre nostra convenimus in suprascriptam fidei*
,, *Catholicæ veritatem.*

1316 ,, Et deinde promissio de recogni-
,, tione ipsius fidei cum expressione Primatus,
,, tam per Apocrisiarios, quàm per se ipsum
,, Imperatorem, & prædictos suos Clerum,
,, & Populum facienda, sicut supra ponitur,
,, repetatur. Quod si nec prædictum verbum,
,, *convenimus*, possit adhiberi, obtineant
,, saltem loco ejus, sive pro ipso verba sub-
,, scripta, vel ęquipollentia: *Desideramus*
,, *eandem fidem agnoscere, suscipere, & pro-*
,, *fiteri, ac vobiscum, & cum Sacrosancta Ro-*
,, *mana Ecclesia Matre nostra, sive ipsi Sa-*
,, *crosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ in*
,, *ejusdem fidei professione uniri, & ad ipsius*
,, *Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ obedientiam*
,, *venire, Primatum ipsius recognoscere, ac-*
,, *ceptare, ac etiam recipere.* Et post hęc re-
,, petatur similiter promissio supradicta. Li-
,, terarum quoque, quas à memoratis Pa-
,, triarcha Græcorum & Pręlatis omnibus
,, vel aliquibus majoribus vobis, ut pręedi-
,, citur, concedi volumus, eadem erit for-
,, ma, mutatis tamen, quę personarum di-
,, versitas suggeret immutanda. Datum apud
,, Urbem Veterem VIII. Kalend. Novembris,
,, anno primo. *Hactenus ad Apocrisiarios in-*
structionis literæ. Quibus & alias per brevio-
res scripsit, ex eodem Vaticano Regesto, ab
eodem Wadingo exeriptas, tenoris videlicèt
sequentis.

Fratribus Hieronymo de Esculo &c.

1317 ,, Cum vos ad magnificum virum
,, Palęologum Imperatorem Gręcorum Illu-
,, strem, cum nostris sub certa forma litteris
,, destinemus, in quibus inter cętera conti-
,, netur, ut si velit ad prosecutionem illorum,
,, de quibus in eisdem literis agitur, ante
,, indictum à nobis generale Concilium, vel
,, in ipso Concilio solemnes Apocrisiarios, se-
,, curitate non habita, commodè mittere non
,, posse causetur: Vobis omnibus, vel tribus,
,, aut duobus ex vobis, si reliquos impediri
,, contingat, concedendi eisdem Apocrisia-
,, riis securitatem veniendi ad Sedem Apo-
,, stolicam, ibi morandi, & exinde ad pro-
pria

„ pria redeundi, prout videritis expedire, „ plenam & liberam, auctoritate præsentium, „ concedimus facultatem, securitate ejusmodi tantummodò usque ad dictum Concilium duraturа. Ex tunc enim, si Apocrisiarios ipsos ad eandem Sedem venire contigerit, eis super hac Sedes eadem pleniùs „ providebit. Datum apud Urbem Veterem Nonis Novembris, Anno primo. *Hactenùs literæ*.

1318 Insuper idem Pontifex generales literas eisdem Fratribus dedit, directas ad Reges, Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Abbates, Priores, aliosque Ecclesiarum Prelatos, Communitates, Universitates, ac Civitatum, & Locorum Rectores, quibus præfatos Apocrisiarios commendavit, ut transeuntes benignè & charitativè exciperentur, ac de necessariis providerentur; & alias speciales literas fecit ad Carolum Siciliæ Regem, quibus rogat, ut mittendis ab Imperatore Apocrisiariis, de salvo conductu provideat, quas quidèm literas ex Vaticano Regesto exhibet idem Wading. loco cit. & quarum primæ ad hunc modum se habent.

Charissimis in Christo filiis Regibus Illustribus, & Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & eorum Capitulo, & Conventibus, nec non Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, Rectoribus, Universitatibus, Communitatibus Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum, eorumque Rectoribus, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

1319 „ Dilectos filios fratres Hieronymum de Esculo, Raymundum Berengarii, „ Bonagratiam de Sancto Joanne in Persiceto, & Bonaventuram de Mugello de Ordine Minorum Apostolicę Sedis Nuncios latores præsentium, ad Magnificum virum „ Michaelem Palęologum Imperatorem Gręcorum Illustrem pro magnis, & arduis negotiis destinamus, quos tantò magis desideramus ab omnibus benignè tractari, „ quantò eos chariores habemus, & quò ferventiùs ad eorum fœlicem exitum, pro quibus ipsos mittimus, aspiramus, eò nobis „ erit acceptiùs, eos in illorum prosecutione, cessantibus impedimentis quibuscumque, ab omnibus adjuvari. Quocircà Universitatem vestram, rogamus, monemus, „ & hortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs Fratres „ eosdem cùm ad vos in eundo, & redeundo „ pervenerint, tanquàm humiles Dei servos, „ & mandati nostri Ministros, illius intuitu, „ qui Evangelicâ veritate testante, se recipi „ fatetur in suis, & ob reverentiam Apostolicæ Sedis, & nostram, recipientes in dulcedine charitatis, ipsos, eorumq; familiam, „ & specialitèr dilectum filium Ferrerium „ Mercatorem de Placentia, quem ad providendum ipsis Fratribus in necessariis mittimus cum eisdem, charitativè tractetis, „ & providentes eis, cùm super hoc requisiti „ fueritis de securo conductu, ipsos aliàs in „ quibus opus fuerit, dirigatis consilio, & „ auxilio foveatis; ità quòd proindè vobis „ apud illum, cujus rei geritur, condignæ „ retributionis meritum, & apud nos favoris „ Apostolici comparetis augumentum. Datum apud Urbem Veterem IV. Kalendas „ Novembris, Anno primo. *Hactenus literæ*: quas verò scripsit Siciliæ Regi sic se habent.

Regi Siciliæ Illustri.

1320 „ Sicut ad tuam credimus pervenisse notitiam, nos tractatum de reductione Græcorum ad Ecclesiæ unitatem à fœlicis recordationis prædecessoribus nostris „ Romanis Pontificibus inchoatam, de fratrum nostrorum consilio prosequentes, „ Nuncios speciales, quosdam videlicèt Fratres Minores latores præsentium ad Palęologum cum nostris sub certa forma literis „ destinamus, in quibus inter cætera continetur, ut si velit ad prosecutionem illorum, „ de quibus in eisdem literis agitur, ante dictum à nobis Generale Concilium, vel in „ ipso Concilio solemnes Apocrisiarios ad „ nos mittat, propter quòd nè forsàn idem „ Palæologus se hujusmodi Apocrisiarios à „ tua Excellentia super hoc securitate non „ habitâ commodè mittere non posse causetur, Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, quatenùs „ circà hoc ità studeas providere Apocrisiariis ipsis ad præmissa mittendis, de securitate in veniendo, morando, ac etiam redeundo, prout expedire videris, provisurus, quòd tractatum eundem occasione hujusmodi non contingat aliquatenùs impediri. Datum apud Urbem Veterem VII. „ Idus Novembris, Anno primo. *Hactenus ad Regem Siciliæ literæ*.

1321 His itaquè muniti literis, alacritèr antefati Viri Religiosi Apostolicæ Sedis Legati profecti sunt Constantinopolim, quos benignè suscepit Palæologus; perlectisque Pontificis literis, ac insuper plenè intellectis quæ ab iisdem Apocrisiariis oretenùs exposita fuere, paratum se exhibuit ad omnia, quę ab eodem Pontifice præscripta fuere; sed quoniàm, negotio cum Patriarcha, & Prælatis communicato, visum est ei, non tàm citò secundùm prædicti Pontificis mentem tractatum expediri posse, volentibus præfatis Prælatis materiam seriùs pertractare, ipsemet Im-

Imperator intereà temporis voluit intimari Gregorio per duos ex prædictis Religiosis, videlicèt per Fratrem Raymundum Berrengarii, & Fratrem Bonaventuram de Mugello, atque per binos à se eum eis missos Nuncios, Theodorum scilicèt Curiæ Imperialis Valetum, & Goffridum Interpretem, quatenùs omni solicitudine laborabat, rem à se desideratissimam ad exitum perducere, brevi se missurus alios duos Religiosos Apocrisiarios cum Legatia, plenam habentibus potestatem negotium omne in Concilio Generali à Sua Sanctitate indicto terminandi. Datia ad prædictum Pontificem per eosdem ferendis, & contradendis sequentis tenoris literis.

Sanctissimo, & Beatissimo Domino Gregorio Papæ Veteris Romæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, & Sedis Apostolicæ Successori, Reverendissimo Patri suo, Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum Ducas, Angelus Comnenus Palæologus, semper Augustus, suæ Sanctitatis obediens filius, debitam Paternitati suæ reverentiam, & orationum petitionem.

1322 „ Multa sunt, Sanctissime Domine, quæ possunt spiritualem delectationem conferre homini, & suadere exultationc & lætitiâ animæ actionum gratiarum laudem attribuere Deo vero. Sed nobis videtur, quòd aliquid sic lætificare potuit aliquem, sicut nos exhilaravit Epistola Vestræ Apostolicæ Sanctitatis nupèr Imperio nostro transmissa, quam gavisi recepimus, cùm in spe eramus ipsam ad nos diutiùs destinari; quam etiam multo desiderio legimus, & perlecta lætati fuimus in lectione ipsius, & sicut ex adipe & pinguedine ipsius delectatione repleti, omni gaudio fuimus recreati. Primò quidèm quià nobis fuit à vobis destinata Epistola, quem Supremum profitemur Pontificem, utpotè Apostolicæ Sedis Successorem, & decus; & etiam ergà Imperium nostrum affectuosè dispositum, paternalem obtinere affectum, quem tanquàm lucernam lucentem puritate conversationis & vitæ divinitate super maximam Pontificatus Sedem, veluti super Candelabrum Deus constituit, ut in omnibus finibus fulgeretis. Cujus operâ, juxtà Sirach: *Sicut Sol in conspectu Domini; & oculi conspicui super vias ejus*; cujus laudem lingua nostra totâ die propterea meditatur. Secundariò verò, qui jàm pacem Christianitatis, & plenitudinis unionem, quæ adest secundùm Deum, quam nos etiam semper sitimus (novit hoc pacis Deus) desiderare vestram Paternitatem in ipsa Epistola deificè denotabat, quæ nos etiam suadebat, vestram in hac parte agnoscere Sanctitatem instantem cohortatricem boni hujus operis, & cooperatricem promptissima & sinceram, & dicere: *Ecce vir timens nomen Domini, in cujus ore lex veritatis consistit, & iniquitas in ejus labiis non invenitur, quoniàm ambulat in pace directus*. Et juxtà magnum Eliam: *Cor restituit Patris ad filium; & hominis ad proximum suum*. Hujus gratiâ multò magis exaltati in his, ultraquàm qui invenit spolia multa, & illum, qui hoc perficit, non cognovimus alium præter Deum, cui justè & dignè ad gratiarum acumen assurgere commovemur, dicentes: Magnificetur semper Dominus, quià erexit vos semper magnum Pontificem suorum servorum pacem optantem, qui suum sanctissimum nomen invocant indefessè.

1323 „ Et licèt anteà pergeremus ad viam unionem ferentem, & festinaremus ad hoc negocium ab antiquo, quòd communem Christianorum utilitatem exhibet, nunquàm finè solicitudine tanti operis moraremur; Nunc tamèn ex quo ad nos Vestræ Sanctitatis literæ pervenerunt, multò magis institimus, & cum ardore animæ festinantes opus suscepimus peroptatum; ad Dominum continuè aspicientes, illum inceptionis nostræ, & promptitudinis cooperatorem obtinere, & perfectorem continuum invocantes, qui jàm vestris sanctissimis, & sacratissimis orationibus exhilarati; cùm ipse Deus clemens sit cupiens unionem, propitius ad nos inspexit, & orationes nostras benignè intendit, super cogitationes nostras ascendens; & secundùm suam magnam & ineffabilem misericordiam intellectus nostros direxit, & viam nobis rectam ostendit, per quam benè perficietur; & dexteram consummationem accipiet negotium supradictum; & modico temporis spatio tantum opus Deo acceptum manifestabitur, cùm ad honorem, & gloriam ejus existat, acceptum etiam Apostolicæ Ecclesiæ, & vestræ etiam Sanctitati.

1324 „ Primitùs enim, Sanctissime Domine, dùm occuleretur via, quæ ducebat ad pacem, incertus erat modus, qualitèr ipsam tractare deceret, & sicut errantes verè oves currebant, & dubium erat, ut aliquis posset ad finem hujus operis pervenire. Deus autem, ex quo ostendit principium, nullum impedimentum consistit, nec prohibet; sed negotium sic facilè de cætero compleri videtur, quòd omnis dubitatio & formido procùl habetur, quòd spes quoquè melior animabus plantatur; & nos cum favore divino putamus amodò finem indè attingere concupitum; alio enim modo in spe bona existentes, quòd etiam sic oportet cum Deo sperare vestram Apostolicam Sanctitatem.

1325 „ De hoc verò, quod accidit moram nobiscum protrahere fratres, & aliquis finis usquè ad hodiernum diem non apparuit: exindè vestra Sanctitas non admiretur, cùm licèt quid modicum videretur in principio, quæ inter nos & vos differentia modica consistebat; sed ipsius prolixitas in tantùm invaluit, & tàm magnam dilatavit, & fecit, quod nè facilem esse, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verùm etiam difficilem & onerosam dissolutionem hujusmodi repræsentat; quarè omnes dicent: *Opus est ad hoc temporis, & laboris*: Temporis quidèm, ut Congregatio fiat Pontificum, qui longè existunt, quos necesse est adesse huic communi negocio, & voluntatem, & propriam intentionem faciētem pacē proferre, & nobiscū sentire quod omnibus expedit: qui Prælati non modica pars universitatis consistunt, ut nè fortè veterem scissuram fuere quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non minorem priore aliundè rumpamus. Laboris autem, quià per instantiam & perseverantiam fit; & etiam quæ sunt difficilia emendare quis potest? Præter autem ista nihil unquàm homo de levibus perfecit, non solùm tantum negotium, quale hoc existit propositum. Undè, si debet illorum aliquid consummari, quæ expediunt, & quæ consummatum ad omne tempus, quod deinceps erit firmum, fortè, & perenne vallari, necessarium est, quòd labor sit, & temporis erogatio intercedat.

1326 „ Sed nè fortè propterea vestra Sanctitas aggravetur, ut aliquas indè cogitationes assumat propter moram fratrum, duo ex ipsis videlicèt, frater Raymundus Berrengarius, & frater Bonaventura de Mugello electi ad præsens mittuntur ad vestræ præsentiam Sanctitatis; alii verò apud nos manent. Illi quidèm, ut annuncient vestræ Sanctitati ea quæ viderunt, & audierunt, & quòd in vanum minimè cucurrerunt, nec inanitèr laborarunt, sed, annuente Deo, præclarus illicò eorum labore consequetur effectus. Quantùm autem ad hoc negotium Deo amabilem festinationem, quamtamvè solicitudinem, & anteà nostrum intulit Imperium, & nunc magis etiam introducit, non est opus literis explicare, cùm hujusmodi opus non duximus omittendum. Fratres verò cùm sint Viri religiosi, & spirituales, pleni bonorum fructuum, & servitores propriæ veritatis, sicut veri Discipuli Christi, & Sanctitatis vestræ, benè scimus, quòd nullatenùs occultabunt nostram proferre operationem ad vestram Apostolicam Sanctitatem. Ipsi enim eorum oculis diligenter viderunt, didicerunt, & noverunt certissimè, quòd cum David passi sumus assiduam afflictionem, dùm oculis nostris somnum non dedimus, nec palpebris dormitationem; sed noctis vigiliæ nos occupant, meditantes, & quæ pacis, & unionis existant. Sol autem oriens in his sedentes non conspicit, & occidens hoc nos meditantes dimittit.

1327 „ Loquimur cum aliquibus, & hæc sunt facta nostri colloquii, consulimus & de his dispensantes continuò cogitamus, & cogitantes intrà nos hæc meditamur. Non enim tempus commestionis à nostro pectore curam illam expellit, non dispensatio communium rerum, non moderamina militiæ, non cura bellorum, non quæcumque aliquis posset dicere, aut delectationem, aut contrarium ad nos ducentia, sed aliorum omnium rationem minimi facientes, pro uno tantummodò opere isto cogitationes omnes revolvimus, cùm ad alias solicitudines, sicut homines corpus habentes laborantes, fatigantes, & fessi aliquandò effecti, ad unum solum tantummodò Deum, nempè erigentem, & potentes nos facientem, infatigati pacificè invenimur, non omninò à nostra pristina promptitudine desistentes, sed supereminentem promptitudinem promovētes ampliùs pervagemus. Quarè argumentamur, quòd nunc Deus magis astitit in medio nostrum, quàm unquàm fuit temporibus retroactis, uniens, & conjungens distantia, secundùm magnam ejus, & inscrutabilem voluntatem. Et de his quidèm Fratres, si voluerint, ac de nostro Imperio coràm vestra Sanctitate veritatis testimonium perhibebunt; propositum autem animæ ergà Beatitudinem vestram, nec ipsi narrantes possent sufficientèr ostendere, nec nos propter tanti loci distantiam literis explicare. Propositum autem animæ quantùm existit, nunquàm per operā potest manifestari, quantò magis sermonibus enarrari.

1328 „ Verumtamèn quamvis aliquam modicam imaginationem magni negocii possit quis à verbis comprehendere, benè novit Magnitudo vestra, Sanctissime Domine, quòd tàm citò unionis nostræ perfectè resplendet bonum, sicut jàm in Deo confidimus, apud quem totius operis est consummatio. Hujus solo nutu omnia possibilia inveniuntur, tunc, & nunc, ex quo & quæ pertinent à vestra Sanctitate tanquàm à speciali Patre, à nostro Imperio tribuentur, specialem filium nos invenietis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & vestræ Apostolicæ Sanctitatis; & benedictiones, & orationes vestras, & alitèr, & quæ ad vestram Sanctitatem pertinent, & quæ ad me, tanquàm filium immediatum, hæredes effecti suscipiemus, & obedientiam vobis, & quod vobis erit placitum faciemus, propriamque vestræ Sanctitatis intentionem complebimus, quæcumque, & ubicumque vo-

lueritis, juxtà omne, quod videbitur bonum Deo. Non enim esset decens, si nos, sicut filii, Paternitate vestrâ fruentes, & quæ ab ipsa Paternitate debetur filio, quòd nos condignam obedientiam & reverentiam non ostendissemus, sicut filii speciales, ad Patrem. Et propter hoc parati erimus, & nos parabimus quod Deo placitum est, & vestræ Sanctitati cum magno studio percomplere, & talitèr, ut scribimus, in proposito firmitèr obtinemus. Postquàm consummatum erit negotium, dexterum à Deo finem recipiet. Sed vestrum de cætero opus erit, Sanctissime Domine, & magis vosipsos dari huic adeò amabili, & salutari negotio, & festinare ad consummationem pacis, nullatenùs desistentes in quantùm sit vestræ Altitudinis magnitudo, & super omnes cognoscetur, in tantùm oportet præ cæteris festinare, & operam adhibere, ut ad consummationem veniat opus propositum peraceeptum.

1329 ,, Hujusmodi autem præsumptuosè quodammodò scribere moti sumus vestræ Apostolicæ Sanctitati, quià & aliàs cùm debemus ad invicèm ad pacem conjungi, existentes jàm ad unionis consummationem, licèt alio modo tunc temporis ea, quæ sunt pacis, tractabuntur, alitèr verò nunc dispensatur gratia Christi. Consideravimus aliquos sequentes proprias voluntates, & injustè pacis prosecutionem prohibentes, qui jàm consensu divino perfecerunt propositum eorundem, & bonum christianæ gentis invidentes inimicitiam ad commune intentum omnium introduxerunt; Nos tamèn omnem curam unionis, & concordiæ apponentes, sic habemus per omnia, sicut dictum est, & nulla à nobis consurget occasio; nàm qualem in verbis nos ostendimus fore, tales etiam & ferventiores nos in operibus invenietis paratos. Beatitudo autem vestra, Sanctissime Domine, non alitèr de nobis recogitet, nec aliquam hæsitationem habeat de consummatione negocii sæpèdicti, sed omnem ambiguitatem, & timorem ejicientes ab anima de consummatione, & perfectione negocii sæpèdicti, quod ad manus est, sicut jàm ad præsens recipiet Sanctitas vestra.

1330 ,, Tempus enim, in quo magis convenit dispensari super Christianorum utilitate communi, non aliud nunc quidèm videtur, quàm præsens. Ad quod nos quidem ad unum convenientes cooperatione Spiritus Sancti ubieumq; voluerimus ambulare, *in Deo faciemus virtutem*, angulari lapide Christo, qui est Caput Ecclesiæ, in quo omnis ædificatio ad Templum Sanctum in medio nostrum compaginata concrescit, justam exindè promissionem habentes, & nos in pace indiruptibilitèr conjungentes, non duo, vel tres existimemus, sed milliaria infinita, & innumerabilia in ipsius nomine congregata. Contrà inimicos autem Dominicæ Crucis Divi Amos dictum benè & optimè indueitur: *Occidet Sol*, in eis, *in meridie*, sic opinantibus ex angustia cordis, & obumbrabitur super terram eorum in die lumen, & in meridie, velut in nocte palpabunt. Expugnatio erit eis, & totalis destructio, Redemptio verò Terræ Sanctę, & ultrà alienigenę non transibunt per eam. Ait Joel, magnus Ægyptus ad destructtonem erit, & Idumæa ad Campum perditionis: Et si tanquàm ignis, & flamma novi Israelis domus apparebit, domus verò Esau tanquàm stipula & consumabuntur iniqui; quoniam venerunt dies vindictæ, juxtà dictum Domini Oseæ, & dies tribulationis eorum.

1331 ,, Nos verò tota christiana gens, dicimus, faventibus orationibus vestris, virtutem à Deo accipientes, dilatati erimus, & ad pristinum iterùm veniemus. Si distantia enim nostra impiis superbiendi libertatem concessit, coadunatio utique, & in unum congregatio manifestissimum eis interitum præparabit. Istud est tempus illud, quod multi quidèm nostrorum spiritualium Virorum, & etiam non pauci vestrorum mentis oculis discernentes, & prophetizantes super hoc, desiderarunt etiam illud corporeis oculis revidere, sed non viderunt. Deus autem in vestris diebus sanctis, vestris orationibus annuens, videre hoc nos dignos concessit, secundùm suæ judicium voluntatis, quod non decet omittere Apostolicam animam vestram, nec in vanum transire concedere. Incertum enim existit, si tale deinceps tempus eveniet; sed hæc quidèm, Beatissime Domine, & propter bonas spes, & confusas, quas decet vos de futuro habere, suggerunt vestræ scribere Sanctitati, ut ad futurum, quod jàm per vos debet celebrari Concilium, futuram cum Deo Ecclesiarum annunciatis confirmationem, & restaurationem, & omnes Divi Viri, qui congregari debent ibidem, cùm deceat ipsos gaudere super negotio ipso lætiores fiant, certificati de perfectione unitatis prædictæ. Et etiam, quòd omnibus certificetur, quòd labor, quem sanctissima benignitas vestra ad præsens negotium subrogavit, non vanus factus est illius gratiâ, quia ad hoc vos inspiravit illa fiducia, quam ad ipsum adhibetis, sed ad tempus concedens, reddet fructum non solùm in triginta, & sexaginta, sed etiam ad centuplum, juxtà vocem Salvatoris in Evangeliis. Residuum sanè in cura vestræ Sanctitatis existit.

1332 ,, Quid restat? Debent brevi Nuncii nostri unà cum aliis fratribus, qui penès nos existunt, viam cum Deo accipere, ad

„ ad vestram Sedem altissimam proficiscen-
„ tes, ut appareant coràm vobis cum perfe-
„ ctione operis peroptati. His autem hoc
„ facere debentibus, sicut Summus Ponti-
„ fex & Pastor pervigil animarum, ac provi-
„ sor omnium, provideatis, si placet, & viam
„ qua transire debent Nuncii modis omnibus
„ securam, & sinè periculo fieri statuatis, ut
„ sinè impedimento nostri Nuncii valeant ad
„ vestram Sanctissimam præsentiam profici-
„ sci; Nàm timemus valdè, nè ipsis deferen-
„ tibus tanti, & tali operis effectum, fortè
„ antiquus bellator, pacis motus invidiâ,
„ tanto divino operi obviare conetur, ut
„ imperfectum contingat multo tempore re-
„ manere, per quosdam inimicos homines
„ indesperatè periculum operetur. Sed Di-
„ vinitas vestra suâ magnâ providentiâ re-
„ pellat insidias assidui inimici, quarè dictis
„ Nunciis, & Fratribus viam præparetis se-
„ curam, ut exindè verecundia malignitatis
„ Principi fiat, & eorum cogitatione annul-
„ latâ vestræ providentiâ Sanctitatis, bonum
„ quod labore est tanto tempore acquisitum,
„ perducatur ad finem, nè propter despectum
„ antequàm confirmetur,& radicetur, apertè
„ rumpatur: Quemadmodùm labor potest
„ reædificare quod destruxit inertia, ità de-
„ struit injuria quod acquisitum est labore.
„ Quapropter divinam vestram & efficacem
„ in operationibus providentiam ad hæc co-
„ gitavimus incitare, quam certi sumus tri-
„ buere velle negotio antedicto in Deo con-
„ fidentes, qui pacem super omnia acceptat,
„ & ipsam tribuit animabus diligentibus ip-
„ sum, & in vestra providentissima, & imita-
„ tiva Sanctitate, cujus orationes nobis affe-
„ ctuosè concedantur. Amen. *Hactenus ad*
„ *Gregorium Palæologus*.

1333 Has literas ex Codice Vaticano exscriptas exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCLXXIII. sub num. 4. extant integræ apud Labæum in Concilio Lugdunensi; mutilatas verò recenset Raynaldus ad eundem, quo suprà, Annum, sub num. 44. post cujus calcem meminit aliarum literarum ferè ejusdem argumenti, quibus etiam rogat Gregorium, ut literis Apostolicis operam det, ut Nunciis à se mittendis, itinera tuta, & libera reddantur, quas non recenset per extensum; sed quoniàm ex eodem Regesto Vaticano habentur exscripta apud eundem Wadingum, eas quoquè subjicere non omittam. Sunt etenim sequentis tenoris, videlicet.

Sanctissimo, & Beatissimo Domino Gregorio Papæ veteris Romæ, ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, & successori Apostolicæ Sedis, Reverendissimo Patri suo, Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus semper Augustus, suæ Sanctitatis obediens filius, debitam Potervitati suæ reverentiam, & orationum petitionem.

1334 „ Qualitèr, & quantùm providen-
„ tia summa Dei, qui servorum suorum cor-
„ da fidelia exhortatur ad bonum continuis
„ monitis & exemplis, super accepto Deo
„ negotio Sanctæ Dei Ecclesiæ, & totius
„ Christianitatis unionis & pacis processerit
„ nostrum Imperium, & literas nostras, &
„ fratres nunc accedentes cum literis ipsis ad
„ vestræ præsentiam Sanctitatis poteritis, si
„ dignemini plenè scire; in quorum comiti-
„ va latores præsentium, videlicèt Theodo-
„ rum Curiæ nostræ Valetum, & de Inter-
„ pretibus Curiæ nostræ Goffridum ad beni-
„ gnitatem Sanctitatis vestræ duximus trans-
„ mittendos, ut per quem locum subsequen-
„ tes nostri Nuncii speciales, & fratres re-
„ liqui transire valeant, secundùm nostræ
„ voluntatis provisionem, vestræ Sancti-
„ tati debeant nunciare; ad hoc, ut eis-
„ dem, tàm per literas, quàm per Nuncios
„ vestræ Apostolicæ Sanctitatis, securitatis
„ receptionis transitus concedatur secundùm
„ vestrum beneplacitum & mandatum. Qua-
„ rè Sanctissimam & charitativam in Domi-
„ no Paternitatem vestram humilitèr exora-
„ mus in Domino Jesu Christo, cujus gra-
„ tiâ hæc perducuntur ad ortum, quatenùs
„ eosdem recipientes sub favore vestræ San-
„ ctitatis, si complacet, commendatos di-
„ vina provisione, prout expedit executioni
„ tanti affectati negotii, securitatem ipso-
„ rum Nunciorum nostrorum tàm in eundo,
„ quàm redeundo salubritèr ordinare, & ad
„ ipsos recipiendos vestræ Apostolicæ San-
„ ctitatis Nuncios, & literas cum prædictis
„ latoribus dignemini destinare ad majorem
„ cautelam, & securitatem ipsorum, nè,
„ quod absit, aliquo obstaculo tanti, & ta-
„ lis negotii executio remaneat imperfecta,
„ seù valeat ulteriùs prorogari, sed ad ve-
„ stræ Sanctitatis præconium, & omnium bo-
„ norum hoc affectantium laudem, fructus,
„ quos exindè ad communem utilitatem, &
„ refectionem obtinere speramus, sinè con-
„ taminatione aliqua colligantur &c. *Ha-*
ctenus literæ Palæologi ex præcitato Wa-
dingo.

1335 Pontifex autem, qui tunc Lugduni morabatur, his receptis literis, & Nunciis, magno exultavit gaudio. Nonnulli tamèn, & non infimæ notæ Viri suggerebant Ponti-

fici, non ex animo Palæologum, aut piâ ergà Sanctam Romanam Ecclesiam devotione talia affatum, verùm magis, ut hoc prætextu, Pontificis suasu & auctoritate Latinorum arma adversùs Græcos parata diverterentur, ac à molestia eisdem inferenda Græcis hac via præfati Latini removerentur; proindè Gregorius per alias literas ipsum de hoc monitum voluit, ac negocium accelerare suggerit, nè se verum prædixisse gloriarentur calumniatores: promittens insuper, securum se redditurum iter, quod curavit, scriptis literis ad Philippum Balduini Secundi filium, Imperatorem Constantinopolitanum dictum, & ad Carolum Siciliæ Regem, & Gulielmum de Willarduin Principem Achajæ, nè, dùm hæc negotia tractarentur, & Palæologus suos Legatos mitteret ad Concilium, eum armis molestarent, sed Nunciis ab eo missis salvum darent conductum, & necessaria quæque per sua dominia transeuntibus ministrarent. Literæ porrò ad Palæologum redditæ, ad hunc modum se habent.

Magnifico viro Michaeli Palæologo Illustri Imperatori Græcorum gratiam in præsenti, per quam gloriam obtineat in futurò.

1336 „ Literarum series, quas nobis novissimè tua magnificentia destinavit, cunctis, qui spiritu Dei aguntur, ipsas audientibus, gaudii & exultationis in Domino materiam subministrat. Siquidèm circà instans unionis Latinorum, & Græcorum desideratæ, perutilis, ac Deo accepto, negotium, & intensum tuum testatur affectum, & votivum illius exitum proximum repromittit; adjiciens inter cætera, quòd cùm qualem te ostendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis scrupulus in nostro corde remaneat de confirmatione, ac perfectione negotii supradicti. Hæc quidèm Catholicos rei conscios, in jubilum excitant animos.

1337 „ Sed multorum circà hoc motus reprimit, quòd, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis, & status asserunt, unionis prædictæ tractatum, ex Græcorum parte diutiùs in figmentis verborum & simulatè deductum. Propter quòd & nobis super Apocrisiariorum nostrorum, qui ad tuam pervenere præsentiam, deliberantibus missione, id dissuasere frequentiùs; viam aliam, quæ se videbatur offerre præ manibus, potiùs suadentes. Licèt autem illis credulitatis aures non duximus inclinandas, hæc tamèn Excellentiæ tuæ ad stimulum quasi solicitudinis exponimus, ut attendens, quod ex iis, quæ de prædictis tuis literis, brevis suprà commemoravit epilogus, & aliis, quæ patent latiùs eisdem, te oris tui verbo non solùm Deo, sed universis audientibus, si famam tuam non negligas, ad consummationem prædicti negotii quasi obligasse videris; ad illam sic solertèr intendas, & efficacitèr, & in veritate procedas, quòd tu promissionis effectu per evidentiam operis apparante, obstruantur ora iniquè loquentium, qui Celsitudinem tuam libentèr fortè notarent, quasi non in sinceritate debita hoc tàm salubre negotium prosequaris; Sed & nunc post Nuncios nostros tanto tempore detentos, quasi necessitatem dilationis ingesseris, sicut hactenùs ex eadem parte frequentèr ingestas asserunt, ut per angustias temporis, & per inopinatos casus, qui persæpè in negotiis tractandis emergunt, desiderato fructu, hoc tàm salubre negotium frustraretur; nè quandò nobis supergaudeant, & insultent, ac dicant: Eccè quod verebamur accidit. Sicut enim vobis prædiximus, solam perditionem temporis nostrorum missio habuit Nunciorum.

1338 „ Hæc sicut ad tuam instructionem, & provisionem de paterna dulcedine prodeunt, ità in tuæ considerationis attentione dulcescant. Sic enim ad salutem animæ tuæ afficimur, ut & personæ in vis hac, quam præmissæ literæ te ambulare deic i-bunt, zelemus honorem; & desideremus te diligentissimum fore opinionis tuæ custodem, curam habentem de tuo nomine, nec famam aliquatenùs neg igentem. Persta igitur: Nosti enim, quod perseverãtię palma debetur. Persta & quę te præmissæ tuæ literæ tàm solicitè incœpisse commemorant, & Nuncii nostri, qui ad nos rediere, testantur, solicitudine continuanda, & quantùm facultas permiserit, augumentanda, prosequere, ad obtinendum immensum divinæ retributionis prçmium, & memoriale inter homines de tàm pio, Deo tàm amabili, & Christianitati tàm votivo, tàm utili opere in æternum; missurus Apocrisiarios, quorum eædem Magnitudinis tuæ literæ pollicentur adventum cum potestate plenaria; & ad omnia, quæ nostrarum missarum ad te per eosdem Nuncios literarum tenor exigit, plenè, prout decet, instructos. De quorum securo conductu, sicut inserta tuis literis petitio continebat, per viam à Celsitudinis tuę Nunciis ad nos propter hoc intèr cætera destinatis de speciali mandato tuo, ut dicebant, electam, salubritèr duximus providendum. Datum Lugduni IX. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno II. *Hactenus literæ ad Palæologum,* quas verò scripsit ad Philippum Imperatorem Cõstantinopolitanum dictum, filium Balduini, ad hunc modum se habent.

Im-

Imperatori Conſtantinopolitano Illuſtri.

1339 „ Tanquàm rem ex temporis brevitate recentem Imperialem adhùc non dubitamus tenere memoriam, quòd ad Palęologum Nuncios deſtinavimus, eum ſuper unionis Latinorum, & Græcorum jamdudùm initiato tractatu cum debita inſtantia requirentes. Ipſe verò, prout oſtendit literarum ſacrarum ſeries, ſatis efficacitèr & devotè reſpondens promittit, ſolemnes Nuncios plenè ad hujuſmodi negotii proſecutionem inſtructos, ad generale, quod imminet Concilium deſtinare, quibus per nos de ſecuritate petiit provideri. Quocircà Imperialem Excellentiam rogamus, & hortamur in Domino, quatenùs prædictis ejuſdem Palæologi Nunciis ad idem Concilium deſtinandis, patentes literas de plena, & pro perſonis, familiis, & bonis ſuis in eundo, morando, & redeundo ſecuratione concedas, & à tuis, ſi ad eos quandocumque pervenerint, mandes, & facias decentèr & benignè tractari. Dat. Lugduni XII. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno II.

1340 Ejuſdem tenoris literas, ut præfati fumus, ſcripſit ad Carolum Siciliæ Regem, & ad Principem Achajæ. Inſuper ſcripſit ad Abbatem Montis Caſſini. ut quamprimùm eorundem Nunciorum adventus ad Portum in quacumque parte Regni Siciliæ ſibi innotuiſſet, perſonalitèr occurreret eiſdem, illos in ſua comitiva deducturus ad Pontificia præſentiam. Et eodem modo paritèr ſcripſit tùm Panormitano, tùm Archiepiſcopis Neapolitano, nec non aliis Eccleſiarum Prælatis, & Urbium Præfectis, circà eoſdem Nuncios honorificè excipiendos. Deniqnè literas fecit ad Fratrem Hieronymum de Eſculo, & Fratrem Bonagratiam de Sancto Joanne in Perſiceto, qui apud Palæologum remanſerant, in quibus laudabiles eorum probat conatus, animumque addit, ut incœpto pergant labore, & omninò curent, ut maturè Imperatoris Legati ad Concilium veniant; quæ literę ex Codice Vaticano à Wadingo exſcriptæ, tenoris ſunt ſequentis.

Fratribus Hieronymo de Eſculo, & Bonagratiæ de Sancto Joanne in Perſiceto Ordinis Fratrum Minorum.

1341 „ Labores veſtros humano penſantes affectu, ad vos, proptèr vos, multà compaſſione movemur, ſed dùm levamus conſiderationis oculos altiùs, & attendimus vos in illius ſervitio laborare, cui nunquàm ſinè remuneratione ſervitur, vobis ſuper illis non dubitamus potiùs congaudendum. Verùm non intendimus in talibus plenè doctos inſtruere, ſed hortari potiùs, ut laborum magnitudinem certa ſpes immenſæ retributionis alleviet, & laborantium zelum accendat, ut ad obtinendum votivum ſuſceptæ commiſſionis exitum, laborent inſtantiùs, & ſi augmentum poſſit ipſorum ſolicitudo recipere, inſtantià majoris intentionis intendant. Recepturi à Domino illud, ut prætenditur, inæſtimabile retributionis indubitatæ præmium, & Apoſtolici favoris augumentum proindè non immeritò habituri. Cæterùm apud Magnificum virum Palęologum Gręcorum Imperatorem Illuſtrem, vos ſpecialitèr inſtare volumus, ut cum ſuis Nunciis venturis ad Concilium ſic celeritèr vos remittat, quòd, auctore Domino, eidem Concilio poſſitis perſonalitèr intereſſe. Datum Lugduni VII. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno ſecundo. *Hactenus literæ*. Et hæc quidèm omnia acta ſunt à Gregorio, & has pro Gręcorum unione ſolicitudines aſſumpſit pius Pontifex, nec ceſſavit, donec negotium conſummatum fuit.

CAPUT XXXI.

De Concilio Lugdunenſi, ac inibi Græcorum peracta unione.

1342 ANno Domini MCCLXXIII. Gregogii X. Pontificat. Anno II. Michaelis Palæologi Imperii Anno XIII. qui fuit Annus primus Rodulphi Imperatoria Occidentia, & Romanorum Regis, Indictione prima, ante ejuſdem Pontificis diſceſſum ab Urbe Veteri, & ante ſcriptas poſteriores ad Palæologum literas, immò & receptas à Palæologo miſſas; quoniàm in literis indictionis Synodi generalis nondùm locum deſignaverat, habitis variis conſultationibus de loco apto deligendo, in eam tandèm deventum eſt ſententiam, ut Lugduni celebraretur in Gallia: Quo firmato, Encyclicas literas per univerſum Orbem, & ad Eccleſiarum Prælatos miſit, & Principes, quas, ut leguntur datæ Archiepiſcopo Senonenſi, & Prælatis ejuſdem Provinciæ, à Raynaldo, ad hunc Annum ſub numero 1. exhibitæ, ſubjiciemus, ad hunc modum ſe habentes.

Archiepiscopo Senonensi, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Senonensem Provinciam constitutis.

1343 „ In literis, quas per universos „ Orbis Principes, & Prælatos super generalis convocatione Concilii destinavimus, „ locum, in quo idem Concilium convenire „ deberet, ex causa duximus subticendum; „ prædiximus tamèn in illis, quòd locum „ eundem ipsis Principibus, & Prælatis intimare cõpetenti tempore curaremus. Nobis „ igitùr cum fratribus nostris,hujusmodi loci „ electionem deducentibus in exactæ discussionis examen, occurrebãt hinc indè diversa, quæ discutientium videbantur judicium alternare. Nec enim præterit nostræ „ considerationis indaginem, quàm grave, „ quàm durum est locum Sedis Apostolicæ „ proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum „ corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tàm diffuso dimittere; tanto locorum „ intervallo à peculiari nostro populo Romanæ Urbis abesse; convicinis partibus, „ quæ Sedi eidem non solùm spiritualitèr, „ sed & temporalitèr subesse noscuntur,commoditatem vicinitatis nostrę subtrahere; „ quanta ex absentia nostra diversis Italiæ „ partibus possent imminere discrimina; „ quantùm partium earundem inveterata „ scissura pro integrandæ unitatis obtinendo „ remedio nostro auxilio indigebat; quantis „ deniquè oneribus, quantis laboribus, nos „ & fratres nostros, quorum aliquos ætas, „ quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, „ & omnes ad hæc desuetudo reddit inhabiles. Exponimus non sinè rerum dispendiis, „ quæ quasi pro nihilo ducimus, non sinè discriminibus corporum, quæ non facilè contemnuntur. Hæc, & alia, quæ non posset „ succinctus sermo percurrere, in partibus „ istis locum hujusmodi eligendum concludere videbantur.

1344 „ Verùm ea, quæ in eo sunt agenda Concilio, contrarium suadebant, & „ specialitèr negotium Terræ Sanctæ, quam „ dùmCreatori omnium chariorem omnibus, „ Scriptura describit, satis apertè indicat, „ charissimam proculdubio à nobis habendam; cùm soleat, quod est in superioris „ conspectu præstantiùs, in subditorum æstimatione præstare. Adjicit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano „ generi de divinæ superabundantia gratiæ „ obvenerunt. Siquidèm Salvator omnium „ operatus est in medio illius Terrę salutem; „ ibi sumpsit corporalis Nativitatis initium; „ ibi conversationis humanæ deduxit tempora; ibi post probrosæ Passionis opprobria pro redemptione nostra mortem subiit temporalem, & sui pretiosi effusione „ cruoris vetus piaculum expiavit. Numquid igitùr non contingent redemptorum „ corda immensa, & innumerabilia beneficia „ redemptionis? Numquìd non accendent „ cujusque præcordia, ut ipsi pro tot, quæ „ nobis tribuit, hoc saltèm necessitatis tempore aliquid impendamus, dùm Crucis „ hostes Crucifixum habentes ostentui, cultores ipsius christiani nominis professores, „ ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant, & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominià, ipsosque diversis confusionibus saturantes?

1345 „ Ad vindicandas itaquè Redemptoris injurias, ac redimenda ignominiosæ conculcationis opprobria in redemptis, „ nostrum circà terram eandem Creatoris „ conformantes affectui, & debitâ meditatione pensantes, quòd ejusdem Terræ subsidium, præcipuè de Principum, & Prælatorum pendet auxilio, quos ultrà montes „ credimus convenire posse commodiùs, existimavimus nosmetipsos, & sub spe illius, qui dat lapso virtutem, debilitatem „ nostram contempsimus; sub ipsius fiducia „ qui de sua misericordia nos confortat, „ quòd intendimus, in eo posse sperantes, „ parvipendimus onera, labores consideratione calcavimus, & cæteris nostris, ac „ fratrum nostrorum incommoditatibus, in „ ejusdem considerationis examinatione postpositis, ut Principum, & Prælatorum „ eorundem faciliùs possimus habere præsentiam, ac Terræ prædictæ subventionem efficaciùs promovere; Civitatem Lugdunensem, quo inibi Concilium cum majori commoditate conveniat, de ipsorum „ fratrum consilio duximus eligẽdum. Quòd „ vobis tenore præsentium nunciantes, universitatem vestram monemus, rogamus, & „ hortamur in Domino, Apostolicâ vobis „ nihilominùs auctoritate mandantes, quatenùs in prædicta Civitate Lugdunensi, „ juxtà præscriptam per supradictas literas „ nostras, formam studeatis omni, quam inevitabilis necessitas non indicet, excusatione postpositâ, in præfixo per easdem literas termino comparere. Datum apud Urbem Veterem, Idibus Aprilis Anno secundo.

1346 His expeditis literis, paulò post, & eodem Anno,Gregorius,unà cum Cardinalibus,ac universâ suâ Curiâ Lugdunum se contulit, ubi, ut fati sumus, primam Legationem recepit Michaelis, & ejus literas. Tempore indè in prioribus literis præfixo, & juxtà seriem antefatarum literarum, convenère ad eandem Civitatem complures christiani Or-

Orbis Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Ecclesiarum Prælati, causâ interessendi indictæ Generali Synodo; & injuncto trium dierum jejunio omnibus Prælatis, & Cappellanis suis, servando à die secunda mensis Maji, & per triduum, dispositisque omnibus in Ecclesia majori S. Joannis, die septima Maji, Anni Domini MCCLXXIV. Imperii Palęologi XIV. Rodulphi Romanorum Regis II. sui Pontificatus III. Indictione secunda, apertum est, & inchoatum Concilium, & habita prima sessio, in qua præmissis solitis ritibus, & ceræmoniis, ipsemet Pontifex assumpto themate: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequàm patiar.* Egregiè sermocinatus est, indèque votum animi sui expressit, & causas indicti Concilii, quarum illæ præcipuę: Subsidium Terræ Sanctæ pręstandum, unio Græcorum, & morum reformatio. Quibus expositis, surrexit Pontifex de sua Sede, & indicta secundâ sessione habendâ in aliam diem Lunæ, absoluta est prima sessio.

1347 Intereà Pontifex cum Cardinalibus segregatim tractatum habuerunt cum Episcopis, & Abbatibus subjectis immediatè Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, super Decimis solvendis, & quidèm in subsidium Terræ Sanctę, & annuentes Episcopi, sponderunt eas solvere per sex annos, incipiendos à festo Sancti Joannis Baptistæ ejusdem anni. Indè celebrata est actio, sivè sessio secunda, die XVIII. ejusdem mensis Maji, in qua habitâ allocutione, latæ sunt quædam Constitutiones pro zelo fidei; & licentiati sunt omnes Procuratores Capitulorum, Abbates, & Priores non mitrati, exceptis iis, qui fuerunt nominatim vocati; & sic pariter licentiati sunt inferiores Prælati mitrati. Et deniquè indicta est tertia sessio ad diem Lunæ post octavam Pentecostes, quæ erat XXVIII. Maji, & dissoluta est secunda sessio.

1348 Pendente interim termino sessionis sequentis, Pontifex accepit literas missas à Fratre Hieronymo ab Esculo, & fratre Bonagratia, Apostolicæ Sedis Apocrisiariis apud Palæologum, quibus significabant, se propè esse, atque in Comitatu habere Lagatos Gręcorum, qui literis, & verbo præsentes obedientiam præstent Romanæ Ecclesię, & concordiam Palæologi, Prælatorumque nomine stabiliant. Quibus acceptis, Pontifex summè gavisus est, & congregatis cunctis Prælatis in prædicta Lugdunensi Ecclesia, post elegantissimum sermonem à Sancto Bonaventura Cardinali recitatum, cujus thema: *Exurge Hierusalem, sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & indè collige filios tuos ab Oriente usquè ad Occidentem*, lectæ sunt præfatæ duorum Apocrisiariorum literæ, & indè dimissi omnes.

1349 Die porrò septima Junii convenientibus iterùm Pontifice, & Patribus in eandem Ecclesiam, sermoneque habito per Petrum Cardinalem Hostiensem ex inclyto Prædicatorum Ordine, cujus thema: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Lectæ sunt variæ, & diversæ Constitutiones pro morum reformatione, quæ actis eiusdem Concilii insertæ leguntur; indèque Pontifex licentiam fecit Prælatis Lugdunum exeundi, causâ divertendi se intrà sex Leucarum spatium, dilatâ sessione usquè ad adventum Græcorum, die nequaquàm præfixâ propter incertitudinem temporis eorundem adventus; & ità absoluta est sessio tertia.

1350 Die autem XXIV. ejusdem mensis Junii advenerunt prædicti Religiosi Frater Hieronymus, & Frater Bonagratia, & cum eis Michaelis Palæologi, ejus filii Andronici, nec non & Prælatorum universæ Græciæ solemnes Nuncii, nimìrum Germanus olim Patriarcha Constantinopolitanus centesimus octavus, Palęologi consanguineus, & Magister, qui Anno primo abdicato Patriarchatu, in Cœnobium se recepit Monachorum; Georgius Acropolita magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicænus, Bithyniæ Primas, Nicolaus Paneretha Camerarius Imperii, & Georgius Zinuchi, Viri quidèm graves, ac in aula Imperatoria celebres. His ergò obviam processerunt omnes Prælati, qui erant in Concilio, cum familiaribus suis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vice-Cancellarius, & omnes Notarii, ac universa familia Cardinalium, & magnificè eos conduxerunt usquè ad Palatium Pontificium. At Pontifex stans in aula Palatii circumstantibus Cardinalibus, & multis Prælatis, ad pacis osculum honorificè illos recepit. Illi verò significaverunt in omnium conspectu se venisse, ut omnimodam obedientiam S.R.E. pręstarent, profiterenturque ejusdem Ecclesię fidem, & Primatum ejusdem, alia adjungentes officiosa. Porrexerunt ibidèm Imperatorium Diploma sub sigillo aureo, In quo fidem catholicam se profiteri, & tenère juxtà missam sibi à Pontificibus Romanis Clemente, & Gregorio instructionem, testabatur; quàm publicâ professione, & juramento interposito coràm prædictis Nunciis Apostolicis se secuturos protestati sunt in aula Imperatoria Constantinopolitana Michael Pater, & Andronicus filius sub mense Februarii hujus pręsentis anni. Quibus peractis à Pontifice licentiati honesto comitatu, ducti fuerunt ad Hospitia eis jàm parata.

1351 Die verò XXVIII. Junii in festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, convenientibus Dominis Cardinalibus, & Prælatis universis in eandem majorem S. Joannis Ecclesiam, Dominus Papa solemnitèr Missam, in qua lecta est Epistola in Latino, & Græco, cantatum quoquè Evangelium in Latino per Dominum Ottobonum, posteà à Græcorum

quo-

quodam Diacono in Græco, facto indè sermone à Sancto Bonaventura. Cantatum est Symbolum Latino idiomate, cum ea particula de Spiritu Sancto: *Qui à Patre, Filioque procedis*; quo absoluto immediatè Germanus Græcorum ex Patriarcha, ac Michaelis Nuncius, cum omnibus Græcis Archiepiscopis de Calabria, & Fratre V. de Morbecca de Ordine Fratrum Prædicatorum, nec non Fratre Joanne de Constantinopoli de Ordine Minorum Domini Papæ Pœnitētiarii in Græca lingua peritis, idem Symbolum altâ voce in Græco idiomate cantaverunt, ter repetentes Articulum: *Qui à Patre, Filioque procedit*; eoque finito idem Patriarcha, Archiepiscopi, & Logotheta, cum aliis cantaverunt solemnes Laudes in lingua Græca Domino Papæ, & post hæc Missa per ipsum Dominum Papam, stantibus Græcis prædictis, juxtà Altare prosecuta est, & completa.

1352 Die tertia Julii ejusdem anni, propter quosdam gravissimos excessus, Episcopus Leodiensis compulsus est cedere dignitati. Die indè quarta venerunt Nuncii Tartarorum Regis, qui se præsentaverunt Domino Papæ in Camera sua, existentibus ibi omnibus Cardinalibus, & multis Prælatis, qui ad tractandum cum eo convenerant de Concilii negotiis, obviantibus eis de mandato Domini Papæ, cunctis de Cardinalium, & Prælatorum familia, & admissi fuerunt ad audientiam. Deindè indicta est sessio quarta habenda sexta mensis, die Veneris.

1353 Prædicta itaq; die sexta Julii, octava Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quarta sessio celebrata est, existentibus in loco, ubi Pontifex cum Diacono Cardinali sedebat, prædictis Nunciis Imperatoris Græcorum à latere dextro post Cardinales, in qua quidèm sessione post consuetas preces, & post sermonem habitum per Fratrem Petrum Episcopum Cardinalem Hostiensem, Dominus Papa alloquens Concilium prædictas tres causas vocationis Concilii iterùm exposuit, deindè dixit, qualiter contrà opinionem quasi omnium, Græci liberè veniebant ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, profitendo fidem, & recognoscendo primatum ipsius, nihilq; temporale petendo; de quo multò dubitabatur; subjungens, qualitèr scripserat Imperatori Græcorum, quòd si non vellet spontaneè venire ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & fidem ejus, quod mitteret Nuncios solemnes ad tractandum super his, quæ petere volebat; & ipse, Deo favente, omnibus prætermissis, spontaneè, & liberè fidem Romanæ Ecclesiæ, & primatum ejusdem professus est, & recognovit in summa, quòd prædictos Nuncios ad profitendum, & recognoscendum miserat in sua præsentia, sicut in literis per prædictum Dominum Imperatorem sibi missis continebatur expressè. His dictis jussit legi literas ipsiua Imperatoris, ipsius filii Andronici, bullatas aureo sigillo, & literas cæterorum Prælatorum. Quas verò scripserat Michael, hujus erant tenoris, videlicèt.

Sanctissimo, & Beatissimo primo, & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis, Venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & Venerabili Patri Imperii nostri Domino Gregorio, Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Angelus, Comnenus, Ducas, Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ; convenientem honorem, & reverentiam, cum sincera, & pura affectione, & orationum postulationem.

1354 „ Quoniàm missi sunt à Magnitu-
„ dine vestra ad Imperium meum Nunciis
„ Deo placentis Ordinis Fratrum Minorum,
„ Frater Hieronymus de Esculo, Frater Ray-
„ mundus Berrengarius, Frater Bonagratia
„ de Sancto Jaanne in Persiceto, & Frater
„ Bonaventura de Mugello, & obtulerunt
„ literas magnæ Sanctitatis vestræ Imperio
„ meo, in quibus inter alia de confessione
„ fidei, quam docet, & prædicat, & confite-
„ tur Sancta Romana Ecclesia, continebatur,
„ & oportebat in his magis responsionem
„ convenientem nos facere. Eccè hoc facit
„ Imperium meum. Habet autem professio
„ fidei in dictionibus talitèr.

1355 „ Credimus Sanctam Trinitatem,
„ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum,
„ unum Deum Omnipotentem, totamque in
„ Trinitate Deitatem, coessentialem, con-
„ substantialem, coæternam, & coomnipo-
„ tentem, unius voluntatis, potestatis, &
„ Majestatia, Creatorem omnium Creatu-
„ rarum, à quo omnia, in quo omnia, per
„ quem omnia, quæ sunt in Cœlo, & in Ter-
„ ra, visibilia, & invisibilia, corporalia, &
„ spiritualia. Credimus singulam quamq; in
„ Trinitate Personam, unum verum Deum,
„ plenum & perfectum. Credimus ipsum Fi-
„ lium Dei, Verbum Dei, æternalitèr na-
„ tum de Patre consubstantialem, coomni-
„ potentem, & æqualem per omnia Patri in
„ Divinitate, temporalitèr natum de Spiritu
„ Sancto, & Maria semper Virgine, cum ani-
„ ma rationali, duas habentem nativitates,
„ unam ex Patre nativitatem æternam, alte-
„ ram ex Matre temporalem; Deum verum,
„ & hominem verum, proprium in utraque
„ natura, atque perfectum, non adoptivum,
„ nec phantasticum, sed unum & unicum
„ Filium Dei, in duabus, & ex duabus natu-
„ ris, Divina scilicèt, & humana, in unius
„ Personæ singularitate; impassibilem, & im-
„ mortalem Divinitate, sed in humanitate
„ pro nobis, & salute nostra, passum vera
„ carnis passione, mortuū, & sepultum, & de-
„ scêdisse ad Inferos, ac tertia die resurrexisse
„ à mortuis verâ carnis resurrectione: Die

Qua-

„ Quadragesima post resurrectionem, cum „ carne, qua resurrexit & anima, ascendisse „ in Cœlum, & sedere ad dexteram Dei Patris, indè venturum judicare vivos, & „ mortuos, & redditurum unicuique secundùm opera sua, sivè bona fuerint, sivè mala. Credimus & Spiritum Sanctum plenum, & perfectum, verumque Deum ex „ Patre, Filioque procedentem, coæqualem, „ consubstantialem, & coomnipotentem, & „ coæternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres „ Deos, sed unicum Deum, omnipotentem, „ æternum, & invisibilem, & incommutabilem. Credimus Sanctam Catholicam, & „ Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, „ in qua unum datur sanctum Baptisma, & „ vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem hujus „ carnis, quam nunc gestamus, & vitam „ æternam. Credimus etiam novi, & veteris „ Testamenti, Legis, ac Prophetarum, & „ Apostolorum, unum esse auctorem Deum, „ ac Dominum Omnipotentem.

1356 „ Hæc est vera Fides catholica; & „ hanc supradictis Articulis tenet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia: Sed „ propter diversos errores, à quibusdam ex „ ignorantia, ab aliis ex malitia introductos „ dicit, & prædicat, eos, qui post Baptismum „ in peccata labuntur, non rebaptizandos, „ sed per veram pœnitentiam suorum confessi veniam peccatorum. Quòd si verè pœnitentes in charitate decesserint, antequàm „ dignis pœnitentiæ fructibus de commissis „ satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis, seù catharteriis, sicut nobis Frater Joannes explanavit, post mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicèt, sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus „ fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post „ sacrum Baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas „ etiam, quæ post contracti peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel „ eisdem exutæ, prout superiùs dictum est, „ sunt purgatæ, mox in Cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, „ vel cum solo originali decedunt, mox in „ Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem Sacrosancta Ecclesia Romana firmitèr credit, & firmitèr „ asseverat, quòd nihilominùs in die Judicii „ omnes homines ante Tribunal Christi cum „ suis corporibus comparebunt, reddituri de „ propriis factis rationem.

1357 „ Tenet etiam, & docet eadem „ Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta, unum scilicèt Baptisma, de quo dictum est suprà; aliud est „ Sacramentum Confirmationis, quod per „ manuum impositionem, Episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Pœnitentia; aliud Eucharistia; aliud Sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium; „ aliud Extrema Unctio, quæ secundùm doctrinam Beati Jacobi, infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens, & docens, quòd in ipso Sacramento „ Panis verè transubstantiatur in Corpus, & „ Vinum in Sanguinem Domini Nostri Jesu „ Christi. De Matrimonio verò tenet, quòd „ nec unus Vir plures uxores simùl, nec una „ Mulier permittitur habere plures viros: „ Soluto verò legitimo Matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas, & tertias, & deindè nuptias successivè licitas „ esse dicit, si impedimentum canonicum „ aliud ex causa aliqua non obsistat. Ipsa „ quoquè Sancta Romana Ecclesia summum, „ & plenum Primatum, & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in Beato „ Petro Apostolorum Principe, sivè vertice, „ cujus Romanus Pontifex est successor, cum „ potestatis plenitudine recepisse veracitèr, „ & humilitèr recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic „ & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio diffiniri; ad quam „ potest gravatus quilibet super negociis ad „ Ecclesiasticum pertinentibus appellare; & „ in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri; & eidem omnes Ecclesiæ sunt „ subjectæ; ipsarum Prælati obedientiam, & „ reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic „ potestatis plenitudo consistit, quòd Ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diversis privilegiis eadem Romana „ Ecclesia honoravit, suâ tamèn observatâ „ prærogativâ, tùm in generalibus Conciliis, tùm in aliquibus aliis semper salva.

1358 „ Suprascriptâ fidei veritate (prout „ plenè lecta est, & fidelitèr exposita) veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & „ ore, ac corde confitemur quod verè tenet, „ & fidelitèr docet, & prædicat Sancta Romana Ecclesia, inviolabilitèr observare „ eandem professionem, & in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquàm tempore ab ipsa discedere quoquo modo, aut deviare, vel discordare promittimus. Primatum quoquè ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, „ ad ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & „ spontè suscipimus. Cõfitentes verò hæc, & ap-

" approbantes, & acceptantes, & promittentes observare, ut superiùs dictum est, rogamus Magnitudinem vestram, ut Ecclesia nostra dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma, qui scilicèt ritus non sunt contrà supradictam fidem, nec contrà divina præcepta, nec contra vetus & novum Testamentum, nec contrà doctrinam Sanctorum generalium Conciliorum, & Sanctorum Patrum receptorum per sancta Concilia, quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Ecclesiæ Romanæ. Hoc igitùr non grave est vestræ Sanctitati, nec inusitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

1359 " Commisimus autem super his, præsentibus Nunciis Imperii nostri, ut dicta per præsentes literas nostras confiteantur, & affirment vice Imperii nostri, coràm magna Sanctitate vestra. Præsens igitùr scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione, & confessione, propriâ manu nostrâ, Dei gratiâ, Imperiali subscriptione signavimus, & sigillum nostræ potentiæ inferiùs appendi fecimus. *Hactenus literæ*. Quibus accessit sacramentum ejusdem Imperatoris nomine exhibitum à Georgio Logotheta coràm Patribus, his verbis conceptum,

Sacramentum Imperatoris Græcorum.

1360 " Ego Georgius Acropolita & magnus Logotheta, Nuncius Domini Imperatoris Græcorum Michaelis, Duce, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infrascripta mandatum, omne schisma prorsùs abjuro, & subscriptam fidei unitatem, prout plenè lecta est, & fidelitèr exposita, in nomine dicti Domini mei, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco. Eam accepto, & corde, & ore profiteor, ipsamque, prout eam veracitèr tenet, fidelitèr docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, ipsum inviolabilitèr servaturum, nec ab ea ullo unquàm tempore recessurum, vel quoquo modo discrepaturum, vel deviaturum, promitto. Primatum quoquè ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius, & meo, sponta-neus veniens, pro ipso, & pro me, fateor, recognosco, accepto, ac spontè suscipio. Et ipsum omnia præmissa, tàm circà fidei veritatem, quàm circà ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam, servaturum, præstito in animam ipsius, & meam corporalitèr juramento, promitto, & confirmo, Sic ipsum Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

1361 Deindè lectæ sunt literę missę à Prælatis, inter quos viginti sex Metropolitæ in literis expressi, fidei Rom. Ecclesiæ, & unioni cum eadem fiendæ subscripserunt; licèt non potuerit induci Josephus Patriarcha Græcorum, ut cum illis consentiret, ut ipsimet testantur Episcopi; etsi Ciacconus cum errore asserat, præfatum Patriarcham ad prefatum Concilium pervenisse. Literæ ergò antedictæ Prælatorum, recitatæ in Concilio, sic se habent.

Sanctissimo, Reverendissimo, & Beatissimo Papæ, antiquo Romanorum Domino, Gregorio, magno Pontifici Excellentissimæ Apostolicæ Sedis, & Venerabilissimo Domino, & Patri nostræ humanitatis.

1362 " Nos, qui Ecclesiasticam complemus ordinationem, vestræ Romanæ Sanctissimæ Ecclesię salutem, spiritualis subjectionis affectionem ubique, Metropolita Ephesius præhonoratus Exarchus totius Asiæ, cum ea, quæ circà me est, Sancta Synodo; Metropolitanus Heracleæ in Thracia, & Præsul honoratorum (*vel boreatarum*) cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Metropolita Chalcedonis superhonoratus, cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Metropolita Tyanorum, cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Episcopus Metropolitanus Iconii, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis; Metropolitanus Naupacti superhonoratus, cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Metropolitanus Heracleæ Ponti superhonoratus, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis: Metropolitanus Conconii, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis; Metropolitanus Carias, cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Metropolitanus Beroeas superhonoratus, cum ea, quæ circà me est, sancta Synodo; Metropolitanus Athenarum, & locum Philippolitæ supplens, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis; Metropolitanus superhonoratus, & Exarchus Insularum Cycladum, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis; Metropolitanus Philippensium, cum iis, qui circà me sunt, Episcopis; Metropolitanus Sinnicæ (*sivè Smyrnæ*) cum iis, qui circà me sunt Episcopis; Metropolitanus Serrorum, cum iis, & cæteris; Metropolitanus Alaniæ (*sivè Apamiæ*); Metropolitanus Prusæ; Metropolitanus Madytorum; Metropolitanus Abydi; Metropolitanus Christianopoleos; Metropolitanus Selybriæ; Metropolitanus Mesemhriæ; Metropolitanus Apri; Metropolitanus Acinnii; Metropolitanus Parii; Metropolitanns Didymo-

„ motichi; Metropolitanus Anastasiopoleos; „ Archiepiscopus Byziæ; Archiepiscopus „ Cypsellorum; Archiepiscopus Gatilleris; „ Archiepiscopus Lopodii; Archiepiscopus „ Pergami; Archiepiscopus Melanii; Archi- „ episcopus Beriæ; Adhùc autem cum nobis „ Pontificibus, & magna Synodo, & Archi- „ diaconus honoratissimus Seversibilis cum „ totali Venerabili Clero, cum iis autem, „ & qui Clerum complent Sanctissimæ Ec- „ clesiæ magnæ Dei, videlicèt magnus Oeco- „ nomus, Protecdicus, Logotheta, Castri- „ sius, Referendarius, qui super judicia, qui „ super secreta, qui super sacrum, qui Re- „ muneratorii, qui Ostiarii, qui Patriarcha- „ les Notarii, qui Protopapæ, cum toto Pre- „ sbiterio Archidiaconatus Ecclesiastici, & „ qui Domestici, cum omnibus Psalmistis, & „ Lectoribus, non solùm nunc, sed priùs „ Beatissimæ, & Sanctissimæ vestræ Ecclesiæ „ magnam faciebamus divisionem integrita- „ tis, & Ecclesiarum Christi totalitèr unita- „ tem dilacerabamus.

1363 „ Quomodò, qui unicus Pastoris „ sumus, non in unum, & inter unum ag- „ gregamur ovile, nec unum replemus man- „ datum Christi? Sed ea, quæ sunt discor- „ diæ, magis eligimus, & bono pacis amisso, „ invenire non quærimus illud, quod ex bo- „ no zelo nobis declarabitur? Nullus autem „ erat, qui conjungeret omnes in unum, & „ sufflaret, quasi ad unum flamen singulorum „ concordiã; quam autem secundùm Chri- „ sti desiderium à Deo coronandus Sanctus „ noster Imperator totus ad seipsum, intel- „ lectum attendens, ut oportebat, nunc in „ hac parte, Dei gratiâ, præhonorabilibus „ aliquibus deputavit. Pius ipse in seipso „ laborabat, quo utiquè modo non declina- „ ret nec ad remissionem, donec scissuram „ Ecclesiæ ad unam interim compaginaret „ unitatem. Deindè non deficiebat commu- „ nicando nobis, quòd in voluntate habebat „ semper, & ostendendo, qualitèr habet suum „ propositum animæ.

1364 „ Ut autem ad ipsum Venerabiles „ Nuncii vestræ Sanctitatis Apostolicas li- „ teras & porrexerunt, & præsentaverunt, „ quam vestra Beatitudo desiderantium ac- „ celerat conjunctionẽ, totus exurgit prom- „ ptus, & prætermittit, quod alienum esset; „ & quasi in secunda consideratione omnia „ negotia sua reputat, proponens ea, quæ „ mandatorum vestrorum sunt, & suarum so- „ licitudinum, & dispositionum. Convocat „ igitùr ad seipsum nostrum universum Pon- „ tificale Collegium, & postmodùm alios, „ quotquot maximè spiritualitati adhærent, „ & circà studium Ecclesiasticum exercitium „ habent unum, & quantus eorum quidèm „ nocturnus, & diurnus erit labor in medio „ est. Qui instat, quasi totalitèr pervigil, „ qui etiam & studiosè exercuit, quasi sem- „ per in suscepto opere fuit, donec ad unam „ & eandem multorum attraheret sententiam, „ longiore quidèm, & indigno sermone agi- „ tatam, si totum processum vestræ Magni- „ tudini præsentaremus. Quidam tamèn no- „ strum statim convenerunt, & quæ pacis „ fuerant, amplexati sunt; quidam verò ma- „ gis obstinatiores apparuerunt, temporis „ antiquitatem revolventes in mentem, & „ opponentes alii, quasi de necessitate hoc „ imponeretur eis; Sed à Deo coronati Im- „ peratoris diligentia vicit in finem, & ha- „ bet omnes jàm concordes ad unicam hanc „ unionem, per quam Apostolicæ Sedi anti- „ quæ Romę ab antiquissimis attributos Pri- „ matus attribuere assentimus.

1365 „ Hoc scilicèt, Dei gratiâ, coope- „ rata est, ut habet ex nobis Apostolica Ma- „ gnitudo, vestræ Sanctitatis sententiam „ agnoscere, qualitèrque Magnifico Impera- „ tori nostro simùl cõmunicaverimus in sen- „ tentia; & quæ quidèm attenderit, & vult „ libentèr, & nos acceptamus, brevitèr prę- „ sentem Epistolam annotamus, & ad con- „ spicuam Excellentiam vestræ Magnitudi- „ nis transmittimus. Scitote quid nos volu- „ mus, quòd Pontificalis Sedis tota plenitu- „ do, cum toto Venerabili Clero, & omni- „ bus Officiariis, Sacerdotibus, Diaconis, „ & Lectoribus sanctissimæ Ecclesiæ Dei, „ convenit in unum, ut attribuat promptè „ vestræ Sanctitati, & Apostolicæ Sedi, „ quod ad honorem pertinet, nec alium pri- „ mum, & Summum Pontificem Ecclesiarum „ nominaturi. Sed antiquam Internuncio- „ rum confessionem agnovimus, quam & „ Patres nostri semper attenderunt toto præ- terito tempore usquè ad tempus hoc. Un- „ dè nostrum Patriarcham, & subsequentèr „ omnes alios, quotquot convenerunt, ut in „ unum hæreant, & Sedis ponerent concor- „ diam, obsecravimus. Ipse verò cum ma- „ gna instantia tenet, quòd agnosci debet „ primus, & posteà, ut indicat, non deci- „ det ab ista voluntate, nec adhùc à prima „ sententia, quam tenet, cum aliqua inten- „ tione mutatus est. Undè & pluriès nos „ Prælati correximus ipsum, ipse nequidquàm „ ad præsens acquievit.

1366 „ Nos autem, & nobiscum poten- „ tissimus Imperator injunximus illi à Pa- „ triarchali Sede recedenti, omninò in una „ forma solitudinis manere, quæ sunt Con- „ stantinopoli Monasteriorum, donec Nun- „ cii ad vestram Sanctitatem accedant, & „ audiant sermonem vestrum; & si Magnitu- „ do vestra ità recipiat, deleget certos Dele- „ gatos cum nostris reversis Legatis. Et nos „ hunc finem obtinentes, communitèr, & „ interim convenientes, attrahemus Patriar- „ cham nostrum, ut si recedere ipsum ab in- „ tentione contingat, nobisque inclinaverit, „ & nos reddet benevolos esse, quòd præte- ritis

„ ritis temporibus Throno Apostolicæ Sedis „ insuper excellens honor attributus est: Sic „ habebimus ipsum Pontificem etiam spiritualitèr, sicut priùs præsidentem, Si verò „ immutabilitèr se habeat in sententia, tunc „ dependebit omnis necessitas, & ipsum dejicere, & Patriarchali Principatu privare. „ Nos autem constituemus, & promovebimus alium, qui utiquè consentiat, nobiscumque ejusdem voluntatis esse, & reddere „ convenientem Primatum summitati Sanctitatis vestræ.

1367 „ Hoc igitùr proponimus à Deo, „ honorate Domine, Nos, quos Patriarchalis Constantinopolitanæ Sedis sublimes „ Pontifices, cum omnibus, qui circà nos „ Venerabilibus Clericis per hoc scriptum „ nostrum vobis conjungi habemus; qualitèr si solùm vestra Magnitudo, ea, quæ Legationis sunt, admittat, non est quòd tempus teratur; & nos inclinamus promptè, „ & magnæ vestræ Altitudini submittimus, „ & valdè gratantèr ea, quæ sunt spiritualis „ subjectionis totius asserimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante schisma præstabant Patres nostri his, qui Apostolicam „ regebant Sedem, sed statim & nos attribuimus. Alia quidèm signabunt Nuncii, „ & gloriosæ vestræ Sanctitati notificabunt. „ Finalitèr, sicut in spiritualibus potentissimus noster Imperator, & nos Pontificum „ Collegium Episcopis commisimus; sicut „ cæteri spiritualitèr ab imperiali mangnificentia mandatum acceperunt, de quibus „ quæcumque ad sæcularis Principatus pertinent gubernationem, vestræ Sanctitati „ referabunt à Deo coronato nostro Imperatore. Confidimus autem, quòd pacis auctor Deus unitatem, paternâ victus clementià adaperiet, nosque, & Magistratus „ gratantèr suscipiet inclinatos, & vestram „ familiaritatem invocantes, & Paternitatem. *Hactenus literæ*; quibus adjectum est sacramentum, quod cùm sit iisdem conceptum verbis, ac illud Imperatoris, referre otiosum duxi.

1368 His ergò peractis, Sanctiss. Pontifex altâ voce incœpit, *Te Deum laudamus*, quo absoluto non sinè omnium lacrymis, unus ex Cappellanis dixit versiculum, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, cunctis respondentibus, *à Templo sancto tuo, quod est in Hierusalem*; & indè Pontifex recitavit orationem, *Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus omnipotens Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur.* Quâ finitâ, sedès in Faldistorio suo breviter alloquutus est sacrosanctum Cœtum super immenso gaudio, animo concepto, & egregio hoc opere, quod Deus mirabililitèr complevit. Indè Germanus ex Græcorum Patriarcha, cùm Archiepiscopo descenderunt in navim Ecclesiæ, & sederunt in sedibus altis, in loco, in quo sedebant Presbyteri Cardinales post eos; & tunc Papa incœpit idiomate Latino, *Credo in unum Deum*, quod stans sinè Mitra, prosecutus est cum universis Concilii Patribus: quo absoluto, idem ex Patriarcha Græcorum eundem Symbolum Græco idiomate intonavit; prosequentibus cæteris Græcis, ac bis repetentibus, *Spiritum Sanctum à Patre, Filioque*. Deindè idem Pontifex significavit, quatenùs Rex Tartarorum miserat suos Nuncios (qui exadversò coràm Pontifice stabant ad pedes Patriarcharum (de rebus gravissimis acturos; jussitque per quemdam Cappellanum legi literas Regias, quæ continebant desiderium suum in conjungendis armis suis cum armis Christianorum ad debellandos Sarracenos: Id quod ingenti lætitiâ Patrum implevit animos, cùm fidem Christi fœlicissimè inter Barbaros disseminatum iri, evertendamque eorum armis Sarracenorum tyrannidem, ac superstitionem, spes effulgeret. Post hæc Pontifex futuram Sessionem indixit ad diem Lunæ proximè sequentem: sicque soluta est Sessio.

1369 Intereà Pontifex ostendit Dominis Cardinalibus Constitutionem ab eo editam super electione Romani Pontificis (*quæ habetur sub titulo de Electione, & electi potestate*, incœpitque: *Ubi periculum*; id quod scissuram peperit, dissentientibus Cardinalibus; undè super hoc variæ habitæ sunt consultationes tùm inter Cardinales seorsùm à Pontifice, tùm à Pontifice cum Prælatis seorsùm à Cardinalibus, donec tandèm in sententiam Pontificis convenerunt; & hac de causa prorogata est Sessio, nec celebrata die indicta in superiori Sessione.

1370 Die porrò XVI. ejusdem mensis Julii celebrata est Sessio V. in qua antequàm Papa intraret Ecclesiam, frater Petrus Cardinalis Hostiensis, universis præsentibus, & adstantibus Prælatis, solemnitèr baptizavit unum ex Tartarorum Nunciis, cum duobus illius sociis, quibus Dominus Papa vestes fecit fieri de scarlato Latinorum more: qua functione absolutâ, idem Pontifex Ecclesiam intravit, & peractis omnibus orationibus, cæterisque præviis, sicut in antecedentibus Sessionibus, lectæ sunt, & publicatæ variæ Constitutiones, inter quas, & in primo loco, illa de electione Romani Pontificis. Cùmque ante hanc Sessionem in Domino obdormisset Sanctus Bonaventura, pius Pontifex, præfatis lectis Constitutionibus, allocutus est sacrum Cœtum, dicens, quomodò Ecclesia Dei magnum damnum perpessa fuerat ex obitu Fratris Bonaventuræ Episcopi Albanensis; mandavitque omnibus Prælatis, & Episcopis, atque Presbyteris per totum Mundum, ut quilibet eorum pro anima ipsius cantaret unâ Missam, aliam verò pro animabus omnium aliorum, qui mortui sunt adveniendo, stando, seù redeundo ad Concilia, sivè Concilium;

Et

Et quoniàm tarda erat hora, dissoluta est Sessio, indictâ alterâ ad diem sequentem.

1371 Sic die sequenti XVII. ejusdem mensis Julii celebrata est quinta, & ultima Sessio, in qua variæ aliæ Constitutiones lectæ, & publicatæ sunt, inter quas, *de religiogiosis Domibus*, & illa, quæ incipit, *Cùm Sacrosancta*: deindè Papa habito sermone ad universum Cœtum, in fine dixit, *Oremus*, *Flectamus genua*, *Levate*; & recitatâ oratione consuetâ, sicut habetur in Ordinario, omnibus Prælatis licentiam fecit recedendi; datâque cunctis solemni benedictione, Cardinalis Ottobononus dixit, *Recedamus in pace*. Et ità absolutum, & dissolutum est Concilium.

1372 Sed & in eo confirmatum est Jus Imperii Orientalis Michaeli Palæologo, licèt reluctantibus Balduino, filio ejus Philippo, qui adhùc dicebantur Imperatores Constantinopolitani, & Carolo Siciliæ Rege, qui omnem operam adhibebat, ut Socerum in Imperii Sedem, ex qua à Palæologo ejectus fuerat, restitueretur. Proclamatus pariter est in Occidente Rodulphus Imperator jàm ferè biennio anteà electus Romanorum Rex, licèt repugnante priùs per Nuncios, indè per seipsum Alphonso Castellæ Rege. Aliaque gravissima in eodem Concilio gesta sunt; ac editum de summa Trinitate, & Fide catholica infrascriptum Decretum.

1373 „ Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternalitèr ex Patre, & Filio, non tanquàm ex duobus principiis, sed tanquàm ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedit. Hoc professa est hactenùs, prædicavit, & docuit, hoc firmitèr tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium Fidelium & Magistra: Hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum paritèr, & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quià nonnulli propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternalitèr Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, sivè etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tanquàm ex duobus principiis, & non tanquàm ex uno, procedat.

1374 Decreta porrò pro morum reformatione in præfatis publicata Sessionibus fuerunt infrascripta, videlicèt, ut dictum est, de Electione, & Electi potest. *cap. Ubi periculum*. *Ut circà*. *Avaritiæ cæcitas*. *Quam sit*. *Perpetuæ Sanctionis*. *Nulli licere*. *Si quandò contigerit*. *Quamvis constitutio*. *Si fortè*. *Sciant cuncti Generali Constitutione*. *Licèt Canon*. *Nemo deinceps*. De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum, *Cap. Eos, qui Clericos*. De Bigamis, *Cap. Altereationis antiquæ*. De officio Judicis Ordinarii, *Cap. si Canonici*. *Ordinarii locorum*. De postulando, *Cap. Properandum nobis*. De iis, quæ vi, metusve causâ fiunt, *Cap. Absolutionis*. De Præbendis, & Dignitatibus, *cap. Statutum*. De rebus Ecclesiæ non alienandis, *cap. Hoc consultissimo*. De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ, *cap. Religionum diversitatem*. De Censibus, & Procuratoribus, *cap. Exigit*. De Immunitate Ecclesiarum, *cap. Decet domum Domini*. De Usuris, *cap. Usurarum voraginem*, *cap. Quamquàm*. De Injuriis, & Damno dato, *cap. Etsi pignorationes*. Et de sententia Excommunicationis, *cap. Constitutionem*, *cap. Præsenti*, & *cap. Quicumque*.

1375 Huic Concilio interfuisse Michaelem Palæologum, Chronicon Hirsaugiense tradit, inquiens: *Ibi comparuit Palæologus Imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiadecima vice in sententiam Romanæ Ecclesiæ Græcos suos totiès deficientes consilio necessario pertraxit*. Blondus paritèr Decad. 2. lib. 8. idem fatetur: *Contulit indè*, ait, *se ad id Concilium Michael Palæologus Græcorum Imperator*, & *Unioni Orientalis ad Occidentalem Ecclesiam consensit*. Robertus Gauguinus lib. 7. similitèr tradit, Palæologum interfuisse, inquiens: *Adfuit Concilio Palæologus Græcus Imperator*, *Ecclesiaque Occidentali se univit*. Alii quoquè hos secuti, idem testati sunt. Acta Concilii contrarium ostendunt, & per Legatos tantùm interfuisse, nequaquàm personalitèr, tradunt, ut ex superiùs relatis clarum fit. Sic paritèr & in errorem lapsi sunt, qui Græcorum Patriarcham Josephum interfuisse referunt; quoniàm ex Episcoporum literis suprà relatis manifestum fit, nedùm non interfuisse, verùm nec unioni consensisse. Et si in Actis Concilii fit aliqua mentio de Græcorum Patriarcha quasi præsente, non ad Josephum verba referenda sunt, sed ad Germanum ex-Patriarcham Græcorum, qui personalitèr adfuit Concilio, ab Imperatore missus Nuncius, & Legatus, ut suprà fati sumus.

1376 Absoluto ergò hoc Generali Concilio, ut ostensum est, Pontifex remisit cum honore Nuncios Græcorum, & cum eisdem misso Abbate Montis Cassini, qui testimonium perhiberet inchoatæ unionis, urgeretque Imperatorem ad eandem consummandam, donec supervenirent solemnes Nuncii Pontificii, quos mox destinare intendebat. Binas scripsit literas ad Michaelem, aliam verò scripsit ad Andronicum filium, & in Imperio consortem; & alteram ad Ecclesiarum Prælatos. Ad Imperatorem ergò scripsit ad hunc modum, videlicèt.

Cha-

Chariſſimo in Chriſto Filio Michaeli Palęologo Imperatori Græcorum Illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

1377 „ Exultat Mater Eccleſia renaſcentis prolis fęcunditate jucundâ, exultat, & jubilat, gaudens, & attendens ſe Dragmam deperditam inveniſſe; immenſæ lętitię rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea ſchiſma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipſius Eccleſię unitatem, ſine ſtragis cujuſquam periculo; ſolo pacis auctore prævio, intuetur. Exultamus, & nos Paſtoris, prout Domino placuit, qui animam ſuam pro ſuis ovibus ponere non expavit. Ipſi Vitulum labiorum exolvimus, de cujus non eſt dubium munere proceſſiſſe, ut ovis, quæ perierat, ſit inventa, & revixerit filius, quem mors animę, mors utique gravior occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione diſſimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te ſolidę charitatis oſculo preſſiùs oſculamur. O' utinam fili, tibi pateret ad plenum eum quanto in his occurrit tripudio eadem Eccleſia nuper in Lugdunenſi Concilio congregata. O' ſi voce pſallentium inibi, Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipuè Prelatorum in tuis ſonuiſſent auribus, & revelata facie ipſorum oculos deducentes, quaſi aquarum exitus inſpexiſſes, profectò prudenter adverteres, quod erant eorum lacrymę, tam excuſſi doloris indices, quàm adeptę lętitię proditrices. Nec minus intelligeres, quàm grati tui advenerint Nuntii, quàm fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tua profeſſio accepta.

1378 „ Exulta igitur, & tu Fili, exulta, & lætare in eo, qui eſt ſplendor lucis æternæ, Divinę quædam emanatio claritatis, qui tuum ſic animum ſuo lumine illuſtravit, ut lumen veritatis intelligens, non ſolum redires ad illam, ſed ad redeundum aliis, Dux, & præviùs effici mereréris. Exulta, & gaude talem, ac tantum jam datum laboribus tuis effectum; ut & de tuo ad ſinum unitatis Eccleſiaſticæ reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus, tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Perſta ergo, & quod cœpiſti, ſolicitè cum omni diligentia, & ſolicitudine proſequaris, efficacem pro poſſe daturus operam, ut nec in aliquibus ejuſdem Schiſmatis reliquiæ qualeſcumque ſuperſint. Dei quidem perfecta ſunt opera, & tu Creatura illius Creatorem tuum in tam placidi conſummatione operis pro viribus imitare, ut ſpei conceptæ de præmio res ſuccedat, & promiſſum debitum exhibitio realis exolvat. Super his autem, & aliis habitis circa premiſſa proceſſibus, præfati tuæ celſitudinis Nuntii, quorum tibi notior eſt virtus, & probitas, ad te pleniùs remittuntur inſtructi, quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere. Datum Lugduni v. Kal. Auguſti, Anno III. *Hactenus literæ ad Palæologum*: Alię verò ad eundem miſſæ ſic ſe habent.

Chariſſimo in Chriſto Filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

1379 „ Dilectum Filium B. Abbatem Monaſterii Montis Caſſini latorem præſentium, virum utique fidelem, & providum, ad tuam præſentiam deſtinamus, gaudium, quo Latinorum corda replevit unio inter ipſos, & Græcos fœliciter inchoata, vivæ vocis miniſterio pleniùs expreſſurum, & daturum nihilominus operam, ut inter te, ac Chariſſimos in Chriſto filios noſtros Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Carolum Siciliæ Regem Illuſtres treguæ ſufficientis temporis ineantur, infrà quod Legato, quem ad tuam Excellentiam intendimus deſtinare, ſit via paratior, & inter te, ac ipſos Imperatorem, & Regem confirmari valeant fœdera concordiæ plenioris. Per eundem inſuper Abbatem intelliges cauſas, propter quas eundem Legatum mitti, tam ſubitò, vitanda nimirum inconſulta feſtinantia, non permiſit. Prædictum itaque Abbatem benignè recipiens indubitatam ſibi fidem adhibe in præmiſſis, & eum cum qua poteris celeritate remitte. Datum Lugduni v. Kal. Auguſti, Anno III. *Hactenus ſecunda Epiſtola ad Palæologum.* Ad Andronicum verò ſic ſcripſit.

Andronico Primogenito chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Michaelis Palæologi, Imperatoris Græcorum Illuſtri, ſalutem, & Apoſtol. benedictionem.

1380 „ Habes, Fili, unde Domino tuo in vocem exultationis, & confeſſionis erumpas. Exultes in eo, & fatearis humiliter, tibi de immenſo ipſius dono conceſſum, veræ fidei agnoſcere veritatem; illam amplecti piis affectibus, & devotis nobis miſſis affatibus confiteri. Hæc ſi corde contrito, & humiliato ſpiritu recognoſcens à cœptorum proſecutione ſolicita non deſiſtas, plura tibi ſalutaribus inhærenti ſtudiis, procuIdubiò ipſe bonorum omnium dator adiiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideòque magnitudinem tuam monemus, & hortamur in Domino

Jeſu

„ Jesu Christo, quatenus in præmissis, sicut „ discretè scripsisti, tui Genitoris incliti laudabili proposito, nobis per ejus, & tuas, „ expresso, literas, constanter adhærens, totis viribus satagas, ut antiquati Schismatis aboleantur omninò reliquiæ, fitque Latinorum, & Græcorum unitas perpetuis „ temporibus inconcussa. Datum Lugduni v. „ Kal. Augusti, Anno III: *Hactenus ad Andronicum*. Ad Episcopos denique scripsit, „ ut sequitur.

Venerabilibus Fratribus Ephesin. In Thracia Heracliæ, Sarden. Lydiæ (aut Liciæ) Nicomediæ, Niceæ, Chalced., Naupacti, Philadelphiæ, Thessalonic. Tyrannorum, Heracliæ Ponti, Iconii, Cariæ, Corsien. Athenien., Rodien., Philippen., Smyrnen., Serarum, Amastridæ, Alaniæ (aut Apamiæ) Prusæ, Meditorum, Abydi, Christianopoleos, Silibriæ, Mesembriæ, Apri, Achiaros (aut Achinii) Pigarum, & Pavii, Dydinotbichi, Anastasiopoleos, Biziæ, Cypsellorum, Garellæ (aut Gatilleris) Derci, Præconensi, Lopadiæ (aut Lepodii) Pergami, Meleniai, & Boeriæ, Metropolitis, & dilectis Filiis Archidiacono, & universo Clero, Oeconomo, Sacellario, Protedico, Logothetæ, Castrisio, Referendario, Didascalo, Primicerio, Ipominisco (sive Hypomnimastistæ) Hostiariis, & Notariis omnibus, necnon Decano, Archidiacono, Diaconis, Cantoribus, & Lectoribus universis salutem, & Apostolicam benedictionem.

1381 „ Charissimi in Christo Filii nostri „ Palæologi Græcorum Imperatoris Illustris, „ & vestros Nuntios & literas, tantò nimirum recepimus gratiùs, quantò procul dubiò gratiora, & nostris acceptiora desideriis retulerunt. Hoc est enim, quod fervor Zeli Patrum Sedis Apostolicæ à longis „ retrò temporibus exquirebat; hoc est, ad „ quod profundis anhelabat suspiriis, & totis „ conatibus suspirabat: ad hoc noster inardescebat animus: Ad hoc semper ampliùs „ accendebatur affectus, ut videlicèt antiquo „ subducto Schismate una esset Columba Domini, formosa ejus, perfecta ipsius, una „ quidem Ecclesia Latinorum pariter, & Græcorum, unita in ejusdem veræ fidei, & capitia unitate, his, & vestra, ut scripsistis, „ vota, ex intimis concurrebant: Astitit „ itaque hisce diebus, multiplicatis intercessoribus, virtus Christi: qui verè testatur nos nihil posse facere absque ipso. Astitit benignus sapientiæ spiritus, & prædicti Principis, ac vestros animos misericorditer inspiravit, talèque, ac tantum dedit ipsius, ac vestro ministerio desideratis „ initium; ut; ipso, ac vobis persistentibus, „ ut speramus, in identitate propositi, consummationis celeris, & perfectæ prosperitas indubiè subsecutura speretur. Illi ergò „ laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui „ verè lapis angularis parietem utrumque „ connexuit, & utraque unum fecit. Qui „ largitor bonorum omnium, tantam nobis, „ & vobis largitus est gratiam, ut nos in hæc „ tempora reservaverit, ut diem hunc nobis „ videre concesserit, quem videntes sumus in „ immensum non indignè gavisi, ex immensitate gratiæ mensuram lætitiæ metientes.

1382 „ Vos igitur Fratres, & Filios monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad perfectionem solidam inceptorum totis viribus „ satagentes, ejusdem Schismatis abolere studeatis omninò reliquias, abiicientes oves „ morbidas, nè gregem valeant contaminare Dominicum, aut fidei à vobis noviter „ agnitæ à vestris cordibus inficere puritatem. In his autem insequendis, utiliùs & „ efficaciùs adimplendis, eidem Principi constanter, & fideliter adhærete, ipsum fulcite consiliis, & auxiliis adjuvate. Decet „ enim vos Prælatos præcipuè, qui Constituti estis in specula veritatis, lumen aliis „ ostensuri, aberrantes de Tenebris errorum „ educere, devios in viam rectitudinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine præmii vestrorum „ laborum exitus compleatur. Datum Lugduni v. Kalend. Augusti, Anno III. *Hactenus ad Græcorum Episcopos Gregorius*.

1383 Post hæc verò idem Pontifex prædicari voluit ab omnibus Prælatis Ecclesiarum, & ab ordinibus Prædicatorum, & Minorum Crucem contra Sarracenos in subsidium Terræ Sanctæ, pro quo decimas per omnem Statum Ecclesiasticum solvi voluit sex annorum spatio, quemadmodùm in ipso Concilio etiam concordaverat cum Episcopis, & Prælatis, ut præfati sumus. Literas verò datas ad Ministros Provinciales Ordinis Minorum, exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCLXXIV. sub num. 31. quas fatetur in omnibus concordare cum literis datis ad Provincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, asservatis in Regesto Vaticani sub n. 7. Et deniquè expedivit Nuncios Regis Tartarorum, diutiùs detentos in Curia, propter unius ex eis infirmitatem, & mortem, datis ad præfatum Regem sequentibus literis.

Aba-

Abagha Regi Tartarorum Illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

1384 „ Excellentiæ tuæ literas, & Nuntios Latores ipsarum, quorum alterum „ postmodum fors, ut dicitur, humana subduxit, ad nostram præsentiam venientes, „ unà cum Sacro Concilio adventus eorum „ tempore, in nostrâ præsentiâ congregato, „ in quo sicut per superstitis relationem intelligere poteris, Principum, & Prælatorum multitudo copiosa, & veneranda convenit, cum animi lætitia, & vultus serenitate recepimus, & literis in communi perlectis, ac Nuntiis ipsis benignè in omnibus, „ quæ proponere voluerunt auditis, corde „ contrito, & humiliato spiritu, exoravimus „ Altissimum, ut ipse, qui est lux vera, omnem hominem venientem in hunc Mundum „ illuminans, tibi, & tuis suâ pietate concedat, sic semper in lumine vultus sui lumen veritatis agnoscere, quod in suis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem „ fidei Christianæ, vestramque salutem, indefesso proposito intendatis. Cæterùm super iis, quæ per Nuntios, & literas prædictas tua magnificentia intimavit ante „ Christiani Exercitus ad Transmarinas partes adventum disposuimus, ad tuam præsentiam Legatos nostros, prout opportunitas permiserit, destinare, qui & magnitudini tuæ ad illa plenè respondeant, & te „ nihilominùs ad alia, quæ si aures illis exauditionis præstiteris, tuam, tuorumque „ salutem, & utilitatem communem respicient, solerter inducant. Datum Lugduni III. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno III. *Hæc Gregorius ad Tartarorum Regem.*

CAPUT XXXII.

De Gregorii X. obitu, & reliquis gestis ad perfectam Græcorum unionem.

1385 **I**Neunte Dom.an. MCCLXXVI. Michaelis Palæologi Imperii anno XVI. Rodulphi Romanorum Regis, & Occidentis Imperatoris Anno IV., Pontificatus Gregorii à sua Electione Anno V. Indictione IV. idem Sanctissimus Pontifex, dum Lugduno Romam contenderet, Aretii in Tuscia morbo correptus, III. Idus Januarii migravit ad Dominum, ingenti sui desiderio relicto, & non sine irreparabili Terræ Sanctæ damno. Sepultus est in eadem Civitate, & Ecclesia S.Donati, apposito ad ejus Tumulum hoc humili Epitaphio.

Gregorius denus virtutum luce serenus
Dormit in hac Archa dignus Romæ Patriarcha.
Quem genuit Placentia, Urbs Aretina tenet.

Post cujus mortem testatam voluit Deus tanti viri sanctitatem, plura ad ejus intercessionem patrando miracula, quæ in veteri charta pergamena, ad illius Sepulchrum in facello Ecclesiæ Aretinæ affixa descripta leguntur: ac nonnulla Raynaldus ad hunc annum sub num. 3. recenset. De eo S.Antoninus 3. par. Titul. 20. cap. 2. principio ait: *Erat autem*, inquit, *vir Zelator fidei, & Divini Cultus, detestator partialitatum, & pacis amator*. Et Leonardus Aretinus in histor. Flor. lib. 3. de eodem Gregorio scribit: „ Fuit Vir optimus, „ & proculdubiò Sanctissimus: ingentis quidem animi contra Christiani nominis inimicos. Et qui Sacræ recuperationem Terræ „ semper meditaretur, ad eamque unam „ rem Christianos omnes, positis inter se „ contentionibus, intendere censebat. *Et infra subnectit*: Sepultus est Aretii summa „ cum veneratione. Multa circa illius Corpus miracula postmodum subsecuta fidem „ ejus sanctitatis indubiam præbuere. *Hæc ille*. Ptolomæus autem Lucensis lib. 22. Eccles. histor. Cap. 5. confirmat omnia supradicta, inquiens; „ Transivit in Lombardiam, „ & venit in Tusciam, ac applicuit apud „ Aretium: ubi infirmatus est, & mortuus: „ per quem Deus suas virtutes ostendit. Quod „ fuit, ut historici tradunt IV. Idus Januar. „ Anno videlicèt Domini MCCLXXV. *Hæc ille*. Licèt in tempore obitus consignando erret. Omitto cæteros Scriptores, qui summis laudibus tantum, & talem extollunt Pontificem: hæc enim adducta satis sunt ad quorumdam maledicorum ora obstruenda, qui iniquis labiis, ausi sunt in Sanctum hunc Pontificem indigna proferre. Pontificatum tenuit à sua computando electione, annos quatuor, menses quatuor, & dies decem, à Kalendis scilicèt Septembris anni MCCLXXI ad diem x. Januarii Anni MCCLXXVI.

1386 Eo itaque tumulato, juxtà Constitutionem ab eodem Pontifice in Concilio editam Lugdunensi, de Pontificis electione, Domini Cardinales reclusi in Conclavi, de successoris electione incœperunt habere tractatum, elapsisque diebus decem vacantis Sedis, die 21. ejusdem mensis Januarii, in festo Sanctæ Agnetis, summa omnium concordia, renunciatus est Romanus Pontifex, Frater Petrus Tarantasiensis, ex Cardinali Episcopo Ostiensi, de inclyto Prædicatorum Ordine, assumpto nomine Innocentii V. Hic à Gregorio X. inter purpuratos aggregatus fuerat: Ille namque Pontifex hos duos Ordines permaximè dilexit, Prædicatorum, scilicèt

licèt & Minorum, unde & S.Bonaventuram ex Minorum Ordine pariter Cardinalem fecit, & in rebus maximi momenti, his præcipuè, utriusque scilicèt Ordinis, utebatur Religiosis: adeout in Constitutione lata in Concilio Lugdunensi: *Cap. Religionum diversitatem*, hos duos Ordines in prædicta Constitutione nequaquam comprehendi declaravit: inquiens: *Sanè ad Prædicatorum & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos, præsentem non patimur Constitutionem extendi*.

1387 In tanta enim estimatione hos Ordines apud Sanctam & Apostolicam extiterunt Sedem, ut Clemens Quartus decessor Gregorii consultus à quodam Domino temporali, qui sęculum relinquere decreverat, quem potiùs Ordinem deberet intrare ad serviendum Deo, in quo magis secundum Deum proficeret, Prædicatorum, vel Minorum, respondisse, refert S.Antoninus 3. part. Titul.10. Cap.1. in principio, per suas literas: „ Primò commendans eum, & confortans in „ eo proposito: & præcipuè cum filium habe- „ ret: qui idoneus reputabatur ad regimen Do- „ minii sui: Secundò comparando præfatos Or- „ dines ad invicem, asservit se habere, sicut „ excedentia & excessa: Nam in cæremoniali- „ bus, & Religionis disciplina, & subjectione, „ Prædicatores Minores excedere: In austeri- „ tate paupertatis & vestitus, Minores, Prædi- „ catores superare. Tertiò, *ait S.Antoninus*, „ reliquit conscientiæ suæ illum assumendum, „ qui sibi magis congruere, & expedire vide- „ retur. Concludens sic: uni horum Ordi- „ num conversatione adhæreas, ut ab altero „ animo non discedas: Nam bonus frater „ Prædicator non est, qui Minores non dili- „ git, & execrabilis frater Minor: qui Prædi- „ catores odit, vel contemnit. *Hæc Clemens apud Sanctum Antoninum*. Quod non immeritò hic transcribere curavi, ut discant tanti Pontificis sententia Fratres Minores, quomodo ergà Sacrum Prædicatorum Ordinem, & Prædicatores ergà Ordinem Minorum, se gerere debeant.

1388 Itaque redeundo ad Innocentium, ut Auctores vitæ ejus referunt: Hic Tarantasia, quod est Municipium non procul à Maurienna Valle in Alpibus situm, fuit oriundus, ante Pontificatum, Petrus nominabatur, Ordinis S.Dominici Religiosus, propter scientiam, & intelligentiam sacrarum literarum, Ostiensis Episcopus factus, & inde Pontifex electus. Ex Archiepiscopo Lugdunensi, creatum Cardinalem, & electum Episcopum Ostiensem, tradunt veridici Scriptores. De eo verò S.Antoninus 3.part. Titul.20. Cap.3. in principio hæc ait: „ Mortuo Gregorio X. „ post quadriennium sui Pontificatus, An- „ no Domini MCCLXXV. de mense Janua- „ rii die x. Cardinales intrantes Conclave „ canonicè elegerunt Petrum de Tarantasia „ Fratrum Ordinis Prædicatorum, qui fuit „ Burgundus Natione: & tunc erat Cardi- „ nalis. Et in ordine fuit Magister in Theo- „ logia, & magnæ literaturæ: unde scripsit „ super sententias, & etiam super Epistolas „ Pauli, quas legit. Et in qualibet lectione „ facit distinctiones communiter septimem- „ bris ad materiam prædicandi. Fuit autem „ electus xx. die ejusdem mensis Januarii „ quamcitiùs, & vocatus est Innocentius V. *Hæc Sanctus Antoninus*. Licèt non tam accuratè consignet tempus mortis decessoris, & electionis ipsius Innocentii.

1389 Subjungit inde coronatum Aretii, inde venisse Viterbium cum universa Curia, & removisse interdictum Florentinis. Verùm Romæ in Ecclesia S.Petri coronatum scribit Ptolomæus Lucensis, inquiens: *Recedens igitur cum Curia de Aretio vadit Romam, & in S.Petro coronatur, & consecratur*. Item tradit per Legatos ab eo missos, omnia pacificata fuisse in Tuscia: „ Misit, *inquit*, duos „ Legatos in Tusciam cum Ambasciatoribus „ Regis Caroli, & facta est pax inter Luca- „ nos & Pisanos per prædictos Legatos, & „ Ambasciatores Regis. Tunc enim quasi to- „ ta Tuscia conjuraverat contra Pisanos. Sed „ per Adventum dictorum Legatorum, & „ Ambasciatorum, omnia sunt pacificata in „ Tuscia. *Hæc ille*. Et tunc submovisse Florentinis interdictum, ut ait Sanctus Antonius credendum est.

1390 Cùmque Gregorius præmisso Abbate Cassinensi, ut præfati sumus, ad Palæologum, alios Legatos se destinaturum promisisset, qui peracta in Concilio Lugdunensi præsentes diffusiùs explicarent, concordiam factam inter utramque Ecclesiam solidiùs consummarent, & de temporalibus Imperii negotiis ponderosiùs tractarent: & quoniam morte præventus, promissa haud adimplere potuisset: Innocentius idipsum agere tentavit, & selectis ad hoc munus exequendum Jacobo Episcopo Ferentino, Gaufrido Episcopo Taurino, Fratre Raynerio Priore Viterbiensi ex Prędicatorem Ordine, & ejusdem Ordinis Fratre Salvio Lectore Lucano, suos & Apostolicæ Sedis Apocrisiarios apud Palæologum, & Græcos constituit. Sed & ipse præoccupatus morte minimè valuit eos expedire.

1391 Itaque eodem suæ Creationis anno, die xxii. mensis Junii, cum sedisset menses quinque, duosque dies, obiit Romæ,: Hic, „ licèt multa facere proposuisset (*ait Bernar- „ dus in Chronic. Rom. Pont.*) morte præ- „ ventus, non potuit adimplere: sed proh „ dolor! mox in suo ortu exaruit flos deco- „ rus: citò namque tulit eum Deus. Obiit „ autem Romæ, sepultus in Ecclesia Late- „ ranensi, Anno Domini M C C L X X V I. „ xxii. die mensis Junii. *Et Ptolomæus Lu-*

„ *censis de ejusdem morte ait*: Sedit menses „ quinque, dies duos, & vacavit dies XVII. „ Recedens igitùr cum Curia de Aretio va- „ dit Romam, & in Sancto Petro coronatur, „ & consecratur. Indè se transfert ad Eccle- „ siam Lateranensem, & ibidèm infirmatur, „ ac in XXII. die Junii moritur in magna „ gratia Collegii, ac præsente Rege Caro- „ lo, in eadem Ecclesia honorificè sepel- „ litur.

1392 Eo defuncto, ac tumulato, Domini Cardinales in Conclavi reclusi,paucis post diebus renunciarunt Romanum Pontificem Dominum Ottobonum Cardinalem Diaconum, Tituli Sancti Hadriani, patriâ Januensem, ex nobilissima Fliscorum Familia, qui ex titulo sui Cardinalatus nomen assumere voluit, dictus Hadrianus V. Hic propter nimiam licentiam Caroli Regis in moderandis rebus Romanis, relictâ Urbe, Viterbium se contulit, nondùm consecratus, nec coronatus, ut Bernardus scribit, & cùm esset infirmæ valetudinis, quadragesimo à sua creatione die objit: Creatus est enim Pontifex IV. Idus Julii, & decessit die XVII. mensis Augusti. Undè Bernardus Guida & creationem, & Pontificatus tempus complectens, ait: „ Hadrianus, natione Genuensis, fuit ele- „ ctus in Papam Romæ in Palatio Late- „ ranensi, in mense Julii, Anno Domini „ MCCLXXVI. seditque à die creationis „ suæ usquè ad diem obitus, mensem unum, „ & dies novem. Vacavit Sedes diebus 28. „ Hic de Roma Viterbium veniens, quadra- „ ginta diebus à sua creatione nondùm ex- „ pletis, nondùmque promotus in Sacerdo- „ tem, nec coronatus, nec consecratus, Vi- „ terbii moritur XVIII. die mensis Augusti, „ & in Ecclesia Fratrum Minorum sepelli- „ tur, Anno Domini MCCLXXVI. *Hactenus Bernardus*. Sepultus est ad lævam Altaris Majoris præfatæ Ecclesiæ honorifico Mausolæo, cui hoc legitur inscriptum Epitaphium: *Hadrianus V. Pontifex Max. Fliscâ è Familia Nobil. Genuens. Mensis unius, dierum novem Magistratum Pontificium gerens*, IV. *Kal. Octob. MCCLXXVI. diem Viterbii functus, hac honorifica Sepultura donatur*. Cæterùm, hoc Epitaphium cùm sit recenti charactere inscriptum, ab antiquo, quod subest Insignibus Gentilitiis discrepat, cùm legatur: *Hic requiescit corpus sanctæ memoriæ Domini Hadriani P.P. V. priùs vocatus Ottoobonus de Flisco, de Janua; tunc S.Hadriani Diac. Cardinal.* ac proindè primum Epitaphium antefatum ab aliquo recentiori incisum videtur, nec sinè errore in consignando tempore illius obitus; non enim scribendum erat IV. Kal. Octobris,sed vel XII. vel XV. secundùm alios, Kal. Septembris.

1393 Hic brevi sui Pontificatus tempore moderasse dicitur Constitutionem Gregorii Decimi circà electionem Pontificis, ex ca parte, qua præcipiebatur rigorosa Cardinalium restrictio; sed morte præventus, non fuisse sufficientèr promulgatam: Sic Jordanus apud Raynaldum ad hunc Annum sub nu.26. *Hic statim*, inquiens, *post suam creationem, Constitutionem Gregorii de restrictione Cardinalium in electione Papæ suspendit, intendens eam aliter ordinare; Sed morte præventus, non potuit, nec Sacerdos ordinatus est*. Animum quoquè adjecisse ad res Terræ Sanctæ instaurandas, atque ad subsidium per Gregorium inchoatum ferendum, scribit Marinus Sanutus lib.3. part. 12. cap. 15. inquiens: „ Ha- „ drianus verò Papa, magnum ostendit affe- „ ctum ad succursum Terræ Sanctæ per Gre- „ gorium inchoatum; & misit Patriarchæ „ XII. millia Librarum Turonensium pro „ galeis construendis, vel aliis magis bo- „ norum Virorum judicio opportunis; quis- „ que literis multùm confortavit Incolas „ Terræ Sanctæ, & ad spem erexit magni „ auxilii: Sed in Pontificatu vixit non am- „ pliùs triginta novem diebus. *Hactenus Sanutus*.

1394 Tumulato itaquè Hadriano, Domini Cardinales sub prętextu moderatę Constitutionis Gregorianæ per Hadrianum, licèt nondùm publicatæ, Conclavi reserari nolebant; sed Populo Viterbiensi tumultuante, coacti sunt recludi, ac etiam in arctiori custodia. Electum ab eis fuisse Vicedominum de Vicedominis Placentinum, Cardinalem Prænestinum, Gregorii Decimi Nepotem, ex Ordine Fratrum Minorum, nonnulla monumenta tradunt,vixisse tamèn unicum duntaxàt diem, ac proindè in serie Summorum Pontificum non reperiri à Scriptoribus relatum, quemadmodùm Stephanus Secundus, ob brevitatem duorum dierum Pontificatus, pariter à Scriptoribus omittitur. Ad hoc probandum noster Wadingus ad hunc annum, sub num.2. affert Annales m.s. Placentiæ, in quibus Vicedominus inter Romanos Pontifices recensetur, dùm in eis scriptum legitur: *Sunt & in dicta Civitate Placentiæ Vicedomini, quæ est magna Domus, & nobilis; nàm de ista Domo fuit unus Papa, qui non stetit in Papatu, nisi per unum diem, & mortuus est, Frater Minor*. Porrò mortem ejus incidisse inter obitum Hadriani, & electionem Joannis, probat ex vetustissimo Diario Ecclesiæ Cathedralis Placentinæ, ubi legitur: VIII. *Idus Septembris obiit Vicedominus,quondàm Episc. Prænestinus, Anno MCCLXXVI. & reliquit huic Ecclesiæ Anniversarium in die obitus sui, qui fuit 6.Septembris, ut in Archivio*. Cùmque Gregorius obiisset die XVIII. Augusti, Joannes verò, ut dicemus, electus die XV.Septembris, vel ut alii scribunt, Idibus Septembris, sequitur infrà hoc tempus, Vicedominum obiisse, & quidèm eàdem suæ creationis die.

1395

1395 Cæterùm fequendo feriem Summorum Pontificum, prout à Scriptoribus confignatur, eligitur Viterbii Petrus, natione Hifpanus, patriâ Ulyfipponenfis, profeffione Medicus, ex Cardinali Epifcopo Tufculano, & appellatus eft Joannes, quem alii XIX. dicunt, alii XX. & alii XXI. de quo Ptolomæus Lucenfis hæc fcribit: „ Annum „ Domini eodem, hoc eft, MCCLXXVI. „ circà finem Septembris, Dominus Petrus „ Hyfpanus, dictus Petrus Juliani, Cardi„ nalis Tufculanus, natione Portugallenfis, „ de Cardinalatu affumitur in Papam, & „ Joannes XXI. eft vocatus. Hic generalis „ Clericus fuit, & præcipuè in Medicinis; „ undè & quædam experimenta fcripfit ad „ curas hominum, ac librum compofuit, qui „ *Thefaurus Pauperum* vocatur. Fecit & li„ brum de Problematibus, juxtà modum, & „ formam libri Ariftotelis. Et quamvis ma„ gnus fuerit in fcientia, modicus tamèn „ fuit in difcretione: præceps enim fuit in „ verbo, & minùs cautus in moribus; & „ plus apparebat, quià facilis ad eum erat „ ingreffus, & indè patebat omnibus fuus „ defectus; quod eft contrà documentum „ Philofophicum, quià facta Principum per„ fonarum non debent patère confpectibus „ hominum, fed folùm publica, in quibus „ Princeps habet populo refpondere, ficut „ Maximus diffinit Valerius. *Hæc ille*. Sed licèt Ptolomæus fcribat, creatum circà finem Septembris, alii verò magis communitèr tradunt, creatum xv. Kalendas Octobris, die videlicèt xvii. Septembris, coronatum verò xii. Kalendas præfati menfis, ideft die xx. Undè nonnulli confundentes Creationem cum Coronatione, fcribunt, creatum xii. Kal. Octobris.

1396 Ab initio fui Pontificatus Legationem defignatam ab Innocentio V. ad Imperatorem Græcorum exequi curavit, de qua idem Ptolomæus Lucenfis fic ait: „ Hic „ Joannes Legatos mittit ad Palæologum ad „ ipfum requirendum, fi paratus erat obedi„ re Romanæ Ecclefiæ cum fua gente; & „ fuerunt duo Epifcopi, & alii folemnes Vi„ ri religiofi Ordinis Fratrum Prædicato„ rum: qui omnes fuerunt ab ipfo multùm „ gratiosè recepti, offerens fe ad omnia ob„ fervanda, quæ Nuncii fui in Concilio Lug„ dunenfi obfervanda judicaverint. *Hæc Ptolomæus*, ex quo conftat, eofdem numero Legatos miffe, quos præfatus Dominus Innocentius defignaverat; & evincitur ex ejufdem Imperatoris literis, in quibus iidem Nuncii nominantur, quos fæpefatus delegerat Innocentius.

1397 Intereà apud Conftantinopolim complures ex Græcis tumultuantes, præfatæ unioni fe opponebant, ipfimet Imperatori refiftentes, inter quos primum locum tenebat Jofephus Patriarcha, qui nullo pacto adduci potuit, ut affentiretur, contentus potiùs cedere Sedi Patriarchali, quàm Decreto Unionis Sacrofancti Lugdunenfis Concilii fubfcribere. Erant autem & alii, tùm Ecclefiaftici Ordinis, tùm Sæculari dignitate præditi, ac non infimæ notæ plures, qui paritèr adverfabantur, & nec rationibus, nec precibus, nec minis Imperatoris flecti potuerunt: Cujus rei causâ irâ percitus Imperator, omiffis lenibus, ad duriora animum convertit. Cùmque enim experientiâ noviffet, duræ cervicis homines juffa Principis in re tàm fancta, tàm jufta, animarum faluti tàm proficua, pro confervando quoquè temporali Imperio tàm neceffaria contemnere, cœpit alios carceribus mancipare, nonnullos in exilium amandare, complurium bona publicare, ac diverfis, & variis pœnis perduelles fubjicere. Hæc quidèm omnia, licèt non obfervato temporis ordine, & fortafsè aliquo pacto alterata, fcribit fchifmaticus, & Græcus auctor Nicephorus Gregoras lib. 5. Hiftoriæ Romanorum in principio, ubi enarrato timore concepto in Imperatoris animo, causâ belli ei indicti à Carolo Rege Siciliæ, fub fpe recuperandi Imperium Orientale Philippo Balduini filio, hæc fubnectit.

1398 „ Tot difficultatibus circumven„ tus Imperator, ac penè defperatione com„ pulfus, Legatos ad Papam mittit de ineun„ da veteris, & novæ Romæ Ecclefiarum „ concordia, modò Caroli expeditionem „ averteret. Ea Legatio à Pontifice benignè „ audita eft; ea fe facilè, quæ Imperator pe„ tiviffet, confecturum effe pollicito; ftatim„ que fuos Legatos illis adjungit, qui con„ cordiam conciliarent, atque amplectren„ tur. Cujus hæc tria capita fuerunt: Pri„ mum, ut in facrorum voluminum Hymno„ diis, Papæ cum quatuor Patriarchis men„ tio fieret. Alterum, ut liceret cuivis, Ro„ mam veterem, quæ Curia major, & perfe„ ctior effet, appellare. Tertium, ut illi „ Principatus in omnibus defferretur. De „ Appendice verò facri Symboli, quàm illi „ novarunt, aut alio quovis argumento, tùm „ nulla acrior contentio incidit; fed (quod „ ad eas quidèm res attinebat) pacata, & „ tranquilla fuerunt omnia. At Patriarcha „ Jofephus eâ concordiâ repudiatâ, Sede „ fua ceffit; nec multò poft relictâ Urbe, fe „ in Archiftrategi Monafterium ad Bofpho„ rum contulit, ubi reliquum ætatis tran„ quillo, & religiofo otio exigeret.

1399 „ His rebus Sacerdotum Colle„ gium concitatum, haùd obfcurè ferebat, „ fe non effe quieturum; plebemque ab Im„ peratoria illa concordia revocabat, mar„ tyrii, & coronarum tempus effe clamitans, „ itaut magnus indè tumultus excitaretur, „ atque in atrocem tempeftatem erumperet: „ Et Imperator externis negociis relictis, „ omne fuum ftudiū ad res domefticas transfer-

„ ferre cogeretur, urbana pericula hellia externis graviora ratus. Erant enim non pauci è Magistratibus etiam, qui decretis illius acritèr adversarentur. In eas igitùr redactus angustias, duas sibi patère vias arbitratus, summâ necessitate nihil tertium admittente in præsentia, ut, aut omnes sibi assentirentur, aut hostium loco haberentur.

1400 „ Quamobrèm adversariorum animos, principiò verborum blanditiis, & comitate morum conciliare sibi, & obnoxios reddere studebat, cœptam eà esse rem, nullo studio novitatis, sed propter difficultatem temporum. Esse autem prudentiæ, impendentes præcavere calamitates; & si quid ad graviora mala avertenda novandum sit, non esse cunctandum. Si enim hostes advetarent, Urbe adhùc multis in partibus lacerata, modoque instaurata, & velut è multiplici dudùm morte reviviscente, præsentia mala graviora futura superioribus, ac Dominos fore hostes, non tantùm sacrorum, sed omnium simùl liberorum, conjugum, & rerum, quarum Domini vi abrepti, libertate cum servitute commutatâ, non corporibus tantùm, sed animis etiam sequi hostium voluntates cogeretur. Id etiam reliquum fore, nè quis mores patrios, ac vetera instituta tueretur; immò, ut sacræ leges, & sanctiones expeditissimè & depravarentur, & everterentur. Quæ cùm ipse prævideret, necessitati parere haùd recusasset; exiguumq; damnum, quod prudentiæ munus sit, magno emolumento post habuisset, minoraque adversariis, ut majoribus potiretur, concessisset.

1401 „ Hac oratione alios commovit Imperator, alios non item. Undè suasione omissâ, viam alteram ingressus, & vi grassatus est; cujus variæ rationes fuerunt, publicationes bonorum, relegationes, custodiæ, excæcationes, flagra, mutilationes, omnia deniquè, quibus Virorum fortium & mollium animi explorantur. Ac quorum studium cognitione regebatur (qui pauci erant) ii magnis, & fortibus animis, omnia libentèr tolerabant, & perpetiebantur, quæ potestas Imperatoris inferebat. Maxima verò pars veri judicii expers, fæx plebis, & circumforanea turba, semper novis rebus gaudens, asperis, velut in scena, palliis induti, ubiquè terrarum sparsim vagati sunt, ubi Christianos esse audiverunt; in Peloponeso, inquam, Achajâ, & Thessaliâ, & Colchide, ubiquè deniquè gentium extrà dictionem Imperatoris; nequè universalem pacem conservare volentes, nequè inter sese, sed alii aliis nominibus ascitis, partem Arsenii, aut Josephi Patriarchæ sectam profitendo, partim alia jactitando, tempus terebant, pleriquè & decipientes, & decepti. *Hæc Gregoras*, omnia simùl miscens, quæ in toto causæ processu evenerant, diversis in annis, & temporibus,

1402 Sed & inter eos, qui adversabantur Imperatori in causa Unionis, unus fuerat Joannes Becus, magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Carthophilax, vir inter Græcos summæ eruditionis, qui ob suam perfidiam, jubente Principe, conjectus est in carcere, ubi perlectis Blemmydæ scriptis, quibus Latinorum dogmata, Sanctorum Patrum, & Scripturæ testimoniis comprobabantur, lumine divino paritèr illustratus, errore deposito, abjuratoque schismate, Imperatori accessit, & pro Unione stetit, factus ex impugnatore acerrimus præfatæ Unionis defensor, & sedulus, atque infatigabilis promotor: Hinc tanquàm catholicus, & virtute insignis, loco schismatici Josephi renunciatus est Patriarcha. Rem verò idem Gregoras refert loco mox citato, licèt, utpotè schismaticus, ut præfati sumus, ad extruendam orthodoxæ Latinorum fidei dignitatem nonnulla verba injiciat.

1403 „ His temporibus, *inquit*, magnæ Ecclesiæ Chartophylax erat Becus, & excellenti vir ingenio, & doctrinæ studiis ab ineunte versatus ætate. Præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius illius ætatis. Nàm & proceritate corporis, & majestate vultus, & facundia, & ubertate, atque acumine ingenii, omnes ad res apti, aliisque dotibus præstabat. Quibus id erat consecutus, ut & Imperatoribus, & Principibus, & omnibus eruditis venerabilis, atque illustri apud eos fama esset. Qui cùm Imperatorio Decreto acritèr adversaretur, Imperator nihil non tentavit, tàm per seipsum, quàm per alios eruditos, ut eruditis, & legitimis rationibus eum adduceret, ut Decreto assentiretur. Verùm ille ingenii acumine, & copiâ orationis omnium animos commovebat, eorumque argumenta, veluti Penelopes, telam retexebat; Nàm non Græcarū literarum doctrina erant qui illum superarent; sed acumine ingenii, & eloquentiâ, & Ecclesiasticorum dogmatum usu, omnes cum illo collati, pueri videbantur. Eâ spe frustratur Imperator, aliam viam init, eumque, & omne ferè genus ejus in teterrimos carceres conjicit.

1404 „ Quibus peractis, tandèm in mentem venit Imperatoris, eandem rem à Latinis ante Annos XXV. Joanne Duca rerum potiente, agitatam fuisse, ac tùm doctum extitisse virum, Nicephorum Blemmydam divinarum literarum peritissimum, qui cùm se in otium contulisset, multa è sacra Scriptura testimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere, ac conscribere cœpisset; clàm ille quidèm Infamiæ metu, sed tamèn scripsisse quædam;

quæ

„ quæ tùm Imperator Beco misit, quibus il-„ le perlectis, Sanctorum libros, è quibus „ Blemmydes ea collegerat, prudentèr ad-„ modùm postulavit; iisq; lubentissimo Im-„ peratore acceptis, in eo occupabatur, ut „ diligentèr illos legeret, expenderet, ad „ verbum conferret. Itaquè brevi tempore „ eum testimoniorum acervum coegit, quæ „ integra volumina complere possent; & qui „ dudùm acerrimè Latinis adversabatur mu-„ tatâ sententiâ, victoriam faceret ambi-„ guam. Quamobrèm Patriarchicâ Sede „ conscensâ, Imperatori unus fuit omnia, & „ lingua, & manus, & acuti Scriptoris ca-„ lamus, & dicendo, & scribendo, & dogma-„ ta statuendo, ejus certaminis adjutoribus „ Meliteniote, & Metochite Imperatorii Cle-„ riarchi Diaconis, & Georgio Cypro. *Ha-„ ellenus Gregoras*.

1405 Hic ergò Joannes Becus ad Solium Patriarchale evectus, congregatâ Generali Græcorum Synodo in ipsa Regia & Imperiali Constantinopolis Civitate, egit, ut Sacrosanctæ & Generalis Lugdunensis Synodi Decretum de Unione reciperetur, ac receptum est. Ipsa námque Græcorum Synodus, Romanam Ecclesiam, Matrem omnium Ecclesiarum, & orthodoxæ Fidei Magistram, Romanum Pontificem Summum omnium Christianorum Pastorem, agnovit: Illius Patres professi insuper sunt, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere; Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum licitè in azymo & veracitèr posse confici; cæteraque fidei dogmata, quæ Sancta Romana Ecclesia recipit, tenet, docet, & prædicat, ipsi quoquè in dicta Synodo se recipere, credere, & tenere, veteri abjurato schismate, professi.

1406 Dùm verò hæc agerentur, pervenerunt Constantinopolim Apostolicæ Sedis Legati à Joanne missi, videlicèt, Jacobus Episcopus Ferentinus; Gaufridus Episcopus Taurinensis; Frater Raynerius Prior Viterbiensis; & Frater Salvus Lector Lucanus, ex Ordine Prædicatorum, quos peramantèr & gratantèr recepit Michael, simùl & Patriarcha cum cæteris Episcopis, & coràm ipsis celebrata est Synodus, licèt non tàm magna, in qua renovata, immò ratificata, & iterùm roborata sunt omnia supradicta, quæ in priori Synodo stabilita, firmata, conclusa, & recepta fuerunt, excommunicatis universis schismaticis, respuentibus initam cum Sancta Romana Ecclesia concordiam. Indè cum Imperialibus Nunciis & literis, tùm Michaelis, tùm Andronici, Patriarchæ quoquè, & totius Concilii nomini, remissi sunt ad Romanum Pontificem.

1407 Sed intereà temporis contigit, Joannem Pontificem mori, eodem sui Pontificatus Anno, ubi sedisset menses VIII. & diem unum; alii scribunt, sedisse menses VIII. totidèmque dies; objisse námque tradunt Anno MCCLXXVII. XVII. Kalendas Junii; Sic inter alios Antoninus Brandanus in Historia Lusitana, lib. 15. ubi ait: *Aera MCCCXV. XVIII. Kalend. Junii objit Papa Joannes XXI. qui dedit Capitulo Domos suas ad Anniversarium faciendum suum*. Sanctus Antoninus 3. part. titul. 20. cap. 3. menses tantùm octo Joannis Pontificatus numerat, nullâ de diebus factâ mentione: *Tenuitque*, inquit, *Sedem Petri tantùm octo mensibus, & mortuus est; ex eo quod testudo Cameræ illius, ubi dormiebat, ruens, oppressit eum, & mortuus est, ac sepultus honorificè Viterbii*. In quo mortis genere cuncti concordant Scriptores; asseruntque, inter ligna, & rudera diruti cubiculi septimâ die vivum repertum, atque omnibus Ecclesiæ Sacramentis sumptis, objisse.

1408 Cùmq; initio sui Pontificatus Hadriani Decretum, quo Gregorii X. Constitutionem de Summi Pontificis electione suspenderat, ratum voluisset, novâ suâ Constitutione incipiente: *Licèt fœlicis recordationis*. Data Viterbii 2. Kalendas Octobris, roborasset, factum est, ut eo vitâ functo, Domini Cardinales in libertate repositi, & Conclavi incommoda non sentientes, diutiùs electionem Romani Pontificis protraherent: Hinc & Sedes vacavit mensibus sex, & ut notat Ptolomæus Lucensis, *ab hebdomada Pentecostes, usquè ad festum Sanctæ Catharinæ Anni MCCLXXVII*. Qua vacante, reversi sunt Nuncii missi ad Græcos à Joanne post perfectissimè eorum completum munus, & cum eis venerunt Nuncii Michaelis, Patriarchæ, ac universorum Prælatorum Græcorum, ferentes literas Imperatoris Andronici filii, Patriarchæ quoquè, & totius Græcorum Synodi, quibus perfectam eorundem cum Apostolica Romana Ecclesia Unionem initam significabant, prout pleniùs in præfatis literis continetur; nàm quæ Imperator scripsit, ad hunc modum se habent.

Sanctissimo, & Beatissimo primo, & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Veteris Romæ, universali Papæ, communi Patri omnium Christianorum, & Reverendissimo Patri nostro Imperii Domino Joanni, Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas Angelus, Comnenus, Palæologus, specialis filius magnæ Sanctitatis vestræ, convenientem reverentiam cum sincera, & pura affectione, ac orationum postulatione.

1409 „ Summæ supereminentiæ Apo-„ stolicæ Sanctitatis, cui fidelis quilibet in „ Christo subesse non debet ambigere, spe „ certâ, & fide præclarâ me totum confiden-„ tèr exponens illius imperio, cui servire, „ perpetuò est regnare, non sustinui, Deum „ testor, dies & annos meos in vacuum con-„ summare; Sed tantò providè adjeci studia

stu-

„ studiis, & vigilias continuis laboribus ad-
„ didi, ut acceptabile opus orthodoxæ fidei
„ germinatum in Domino, vivificè progre-
„ diens ad optata, beatum finem susciperet,
„ glorioso divino lumine illustratum, quan-
„ tò, ut luminare majus præesset hæsitanti-
„ bus, & veluti accensa candelabra, in toto
„ universalis Ecclesiæ catholicæ corpore ra-
„ diaret, ac in remissione peccatorum meo-
„ rum, & laudum obsequio Deo glorioso hu-
„ jusmodi dignum fieret & acceptum. O'
„ fœlix ætas tāti boni desiderati operis com-
„ memoratione dignissima, & per totum ala-
„ critate nimiâ refectiva! In qua destructo
„ totalitèr, & de medio Christianorum ab-
„ jecto penitùs dissensionis schismate, quod
„ inter Ecclesiam orthodoxam, & populum,
„ quem sibi Dominus noster Jesus Christus
„ adoptavit, ut suum, Græcum scilicèt, &
„ Latinum, tot diffusis temporibus viguit
„ suggestione humani generis inimici (qui
„ de nostra immortalitate condolens, nostri
„ primi Parentis seductione dira, æquè in-
„ cautâ mortalitatis transgressione peremit,
„ in evidentem Christianorum perniciem, &
„ jacturam) nunc, disponente Altissimo,
„ multa solertia & solicitudine ipsius veræ
„ fidei totalis identitatis integritas ad Ma-
„ trem Catholicam, & Apostolicam, Sacro-
„ sanctam Romanam Ecclesiam omnium
„ Christianorum Dominam, & Magistram,
„ & ad Patrem verum ipsius Ecclesiæ Sum-
„ mum Pontificem, universalem omnium
„ Christianorum Rectorem, & Doctorem
„ catholicæ veritatis Chrristi Dei nostri in
„ Terris Vicarium, & Beatorum Petri, &
„ Pauli Apostolorum Principum Successo-
„ rem, residet opulentâ dignitate, benigni-
„ tate nominis, virtuis gratiâ, & honoris glo-
„ riâ coronata.

1410 „ Et licèt, pie Pater, Prædecessoris
„ vestræ tempore Sanctitatis, illius videli-
„ cèt bonæ memoriæ Domini Papæ Grego-
„ rii Reverendissimi Patris mei, quem pro-
„ pter ea specialitèr præ aliis bonis firmitèr
„ vivere credo, tantùm eum zelus reunien-
„ dæ Dei Ecclesiæ, ac Christianorum pacis
„ continuè comedebat, hujusceemodi operis
„ laudanda primordia fuissent indulta in ge-
„ nerali Concilio apud Lugdunum prosperè
„ hactenùs celebrato. Tamèn gloriosa so-
„ solemnitas talis perfectionis ipsius vestræ
„ Sanctitatis patrocinio extitit divinitùs
„ conservata imposterùm moderamine vestri
„ gloriosi Apostolatus, qui præ cæteris præ-
„ excellit indissolubili charitatis vinculo in
„ perpetuum roborandæ. Cujus gratiâ sin-
„ gulare commodum, quod incomparabile
„ proindè adjacet, ad omnium beneficia dif-
„ funditur, sinè diffidentia qualibet, cùm
„ sint dulcissima, quæ per gratiam Spiritus
„ Sancti, cujus res agitur, benignitèr lar-
„ giuntur.

1411 „ Dignè itaquè ad me pridem Apo-
„ stolicæ Sanctitatis Nuncii viri religiosis-
„ simi, virtute morum, & gratiarum scien-
„ tiâ decorati, videlicèt, Dominus Jacobus
„ Ferentinus, & Dominus Gaufridus Tau-
„ rinensis Episcopi, & de Sacro Ordine Præ-
„ dicatorum Frater Raynerius Prior Con-
„ ventus Viterbii; & Frater Salvius Lector
„ Lucanus, magis, quàm potest exprimi,
„ alacritèr pervenerunt, vestris piis oratio-
„ nibus properati, eò potissimè, quià men-
„ sam Dominici Convivii, & festivam Mun-
„ di paratibus, refectivis ferculis satiatam,
„ & amœnis odoribus reperientes ornatam,
„ nihil omissis de contingentibus in iis, quæ
„ fore utilia videbantur, prout Creatori
„ omnium Deus benignè dispensaverat ab
„ excelso. Qui finem malis imponens, ser-
„ vos, quos invenit in charitate manere, in-
„ vitat, & præparat eis cibum, non solùm
„ Angelorum panem, sed seipsum, qui ait:
„ *Qui manducat me, ipse vivet propter me*,
„ affectatas satis quondàm magnificæ, ac re-
„ verentissimæ summæ Apostolicæ Sanctita-
„ tis Prædecessoris vestri literas meis pro-
„ priis manibus assignaverunt, quibus filiali
„ reverentiâ receptis, & devotissimè oscu-
„ latis, ac diligentissimè intellectis, quæ or-
„ do narrationis ipsorum detexerat, ac iis,
„ quæ ipsorum Nunciorum grata insinuatio
„ continebat in illo magno salutis gaudio
„ meus animus fuit repletus, gratias Dei
„ illi, qui pro nobis, & salute nostra veram
„ carnē humanitatis assumpsit, genitus Deus
„ homo de utero virginali, & indè multi-
„ plicium congaudiorum genere hilaratus,
„ nomen Domini benedixi, qui meam indi-
„ gentiam multam circumventam afflictio-
„ nibus, & suspiriis, quià videbatur quo ad
„ Sacrosanctam Romanam Ecclesiam (proh
„ dolor!) ex subito defectu Pastorum, uni-
„ tatis Ecclesiarum Dei opus refrigescere,
„ quoquomodò divina gratia subitò me sa-
„ tiavit, & refecit, suspiria, & mœrores ad
„ gaudia infinita convertit, intellecto per
„ ipsos veraciùs, qualitèr Sanctitas Præde-
„ cessoris vestri, disponente Domino, con-
„ scenderat ad Pontificalis speculam digni-
„ tatis. Nec minùs sinceros affectus, quos
„ ad sæpedictum opus Dei de bono in me-
„ liùs promovendum, ejusdem Sanctitas cor-
„ de & animo purè gerebat, quàm de beni-
„ gnitate Sanctitatis vestræ in Domino su-
„ scipere confidimus & speramus, dùm effe-
„ cti estis Dei Vicarii, & Apostolorum Prin-
„ cipum successores.

1412 „ Ego autem tantis Christi dona-
„ riis ubere ditatus, exhilarantèr in opere
„ spem firmavi, in quo jàm multâ inquisitio-
„ ne, ac studio Prophetarum, Apostolorum,
„ & Sanctorum Patrum manifestissima docu-
„ menta solertèr apposueram: *Fundamen-*
„ *tum, quod nemo potest ponere aliud, nisi Do-*
mi-

„ *minus Jesus Christus*, qui patriæ superuę „ Hierusalem, *est via veritas*, *& vita*, ut iu „ habitantes in ea cohabitent in eodem, quo- „ rum efficitur causa mercedis, qui per hauc „ viam iugressi sunt in veritate, quibus vita „ vivere promittitur sine fine. Nil mirum er- „ gò si allectus tam dulcissimis repromissioni- „ bus ad ipsorum consortium revocem par- „ tem meam Beatorum exemplo, qui pro „ æterna patria commutarunt terrena. Su- „ per quod quid aliud existimare oportet, ni- „ si Resurrectionem Christi à mortuis, ut vi- „ talis intellectus, qui latebat prodiret, & „ remotis odiis, Fratrum contentionibus, „ & animarum pressuris, pax vigeret, amor „ cresceret, & quasi cujusdam floris species, „ scripturæ monumento prodeuntes, ovile „ Dominicum impleretur in vera fidei unita- „ te. Ac una Columba, scilicèt Catholica, „ & Apostolica Ecclesia, Rota prima. quæ „ major apparuit super Terram, & unus „ aguus, qui peccata Mundi absolvit, ejus „ in terris Vicarius, Pastorem Gregis uni- „ versaliter venerentur; propter quod. *Quam* „ *bonum est*, *& quam jucundum habitare fra-* „ *tres in unum*, satis os propheticum repre- „ seutat.

1413 „ Ut autem immutatio hujusmodi „ excelsi dexteræ Sanctitatis Vestræ piis in- „ tercessionibus super angularem lapidem, „ qui æternæ legis Dominio cuncta regit in „ Montibus fundata Sanctissimis, Claret in „ æternum, & in Sancta Sanctorum novæ „ structæ Hierusalem, quæ Civitas æternæ „ patriæ superaugeatur, & crescat in atrii „ ejus stantes pedes mei reperiantur ab hu- „ manis insultibus, & pressuris me totaliter „ absoluto, ut quæque grata ipsius Divini „ operis perficerent, & in iis fidei meæ sin- „ ceritas in charitate vigeret, mens mea in „ rebus congruis intentior fuit, cura pro- „ pensior, voluntas pronior, devotio cla- „ rior, & exhibitio operum efficacior, ut stu- „ dium perfectæ consolationis meæ in omni- „ bus efficaciùs haberetur, cum eisdem Ve- „ nerabilibus Nunciis supereminentis Apo- „ stolicæ Sanctitatis tractatum extitit, & „ Deo coadiuvante completum, quidquid „ negotii executio postulabat, & eisdem à „ Sanctitate Apostolicâ specialiter fuit in- „ junctum roborans, & confirmans diversis „ literis, & scripturis omnia & singula, quæ „ de Catholica fide Sacrosancta Romana Ec- „ clesia tenet, docet, & prædicat, quæ si- „ mili modo etiam per Primogenitum meum „ Imperatorem Græcorum & aliorum gen- „ tium, quæ subditę sunt Imperio meo, An- „ dronicum devotum filium Vestræ Aposto- „ licæ Sanctitatis, qui una mecum ad hoc „ opus viriliter laboravit, instructus bene- „ dictione Vestrâ secundum quantitatem sui „ temporis in Divinis operibus, & salutari- „ bus animarum & pacis, per Venerabilem „ quidem Dominum Patriarcham (*scilicèt* „ *Ioannem Becum*) & per cæteros Prælatos „ Orientalis Ecclesiæ, qui una nobiscum iu „ unitate spiritus convenerunt Sanctæ Ro- „ manæ Ecclesiæ, ac ejusdem Pontificis re- „ cognoscentes Primatum, & sibi debitam „ deberi reverentiam & honorem, & cætera, „ in ipsis apertiùs continentur, sunt vallata „ & etiam roborata propriis subscriptionibus „ & sigillis, prout misericordia supremi Ju- „ dicis, qui cuncta in æquitate disponit, sa- „ lubriter dispensavit, & obturavit ora lo- „ quentium falsa, inania, & mendacia, quæ „ odit Dominus, & detestatur. Qui non ve- „ rebantur se timore Divino contra tantum „ bonum opponere, nec investigare iniqua, „ nec etiã iu hujusmodi operis segete, quam „ Dominus coluit, discordia semina sparge- „ re in Christianorum contumeliam, & co- „ rum animarum damnationem æternam.

1414 „ Cætera verò tam ipsis Venerabi- „ libus Nunciis de ipsorum Religiositate, ac „ probitate cousisus, ac meis Nunciis, quos „ confidenter cum eisdem transmitto ad præ- „ sentiam Vestræ Apostolicæ Sanctitatis, vi- „ delicèt, Sacratissimo Metropolitæ Kificen- „ si Ypertino, & Exarcho totius Helespon- „ tis, Theodoro quartam Sedem in Conci- „ lio obtinenti, honorabilissimo Scrinario „ Sanctæ Ecclesię Constantinopolitanæ, & „ Archidiacono Imperialis Cleri Constanti- „ nopolitani, Melitiniota, & honorabilissi- „ mo Archidiacono cæteri Imperialis Cleri, „ & Epitendesion ejusdem Sanctæ Coustan- „ tinopolitanæ Ecclesiæ, Georgio Methoci- „ tæ, & de secretis familiaribus, & Secretæ „ Cameræ nostræ Angelo Joanni, & Andro- „ nico Masgoda fidelibus Imperii nostri sug- „ gerenda commisi, ac exponenda perspica- „ citer auribus vestræ magnificæ Sanctitatis „ instructis de omnibus plenariè, prout ipsi „ præsentialiter pertractarunt, & oculis in- „ spexerunt universaliter singula, & singu- „ lariter universa. Quibus iu his fidem ple- „ nariam dignetur Dei intuitu Vestra pia Sã- „ ctitas adhibere, ac inde Deo auctore, illa „ perficere, & ad luculentam Divini operis „ publicationem complere, per quæ non sub „ modio ejusdem luminis claritas suggeren- „ tibus forsitan supradictis iniquitatis filiis, „ qui in unione tantæ prosperitatis, quam Di- „ vina potentia salutari præsidio misericordi- „ ter introduxit, in contemptum aliquate- „ nus reponatur, sed tanto majora luminaria „ Vestræ Sanctitatis studio ad universalem „ notitiam consurgant in Mundo, quantò iu- „ de major crescit lætitia in corde fidelium, „ qui purâ conscientiâ Deum viderit, quæ „ attendenda sunt, Pater Sanctissime, à Ve- „ strâ piâ benignitate omninò; Cui oves „ Christi pascere ab ipso Domino sunt com- „ missæ vices Beati Petri Apostoli, cujus vi- „ cem geritis, cui ter præcepit Dominus,

Pasce

„ *Pasce oves meas*. Reddatur igitur in his „ Creatori omnium ab hymnidicis Angelo- „ rum Choris, *Gloria in excelsis*, & ab uni- „ versis Orthodoxis de Terra Actio Gratia- „ rum, quoniàm qui retroactis temporibus „ multa mœroris vulnera pertulerunt, nunc „ universalis Consolationis invenerunt fo- „ menta.

1415 „ Unde necesse est Omnipotentis „ Dei misericordiam exorare obnixius, ut „ cor Vestræ Sanctitatis, & Vestrorum Fra- „ trum sua semper dextera teneat, vestrasque „ cogitationes, & ad actus ad firmitatem Di- „ vini operis supradicti, cœlestis gratiæ ope „ dispenset, quatenus tranquillitas vestra, „ tantò rectiùs valeat Deo fervientes prote- „ gere, quantò Dominatori omnium nove- „ rit veriùs deservire, ac in amore Catholi- „ cæ fidei defensores suos faciat, quos fecit „ ex benigno opere imperare, Zelum simul „ & mansuetudinem in mentibus eorum in- „ fundat, ut pio semper fervore valeatis, „ quidquid in Deo excedit, emendare. Om- „ nipotentis Dei misericordiæ largior San- „ ctitati Vestræ concedat, ut quo longiùs vi- „ ta Vestræ Sanctitatis extenditur, ipsa or- „ thodoxia fidei, & meorum laborum con- „ solatio validiùs in Domino roborentur. „ Cæterùm me Divina potentia Imperato- „ rem, & eundem charissimum Primogeni- „ tum meum, Dei gratia, Imperatorem, „ omnes nostros filios, & alios nobis pro- „ pinquos speciali affinitate, necnon, & om- „ nem sortem nobis largitam à Deo Vestris „ Sanctis Orationibus recommendo. Sup- „ plicans humiliter, quatenus semper mei & „ ipsorum memores existentes in Vestris ad „ Deum persuasionibus, & deprecationibus, „ me ac ipsos paternali gratia protegatis. *Hactenus literæ Palæologi*.

1416 Alias insuper misisse eidem Joanni literas eodem tempore, & per eosdem Nuncios, in quibus primum eas inseruit, quas GregorioX. transmisserat, ubi orthodoxæ fidei formam à Pontifice descriptam, se firmissimè tenère professus est, ex Vallicellano m.s. Codice, refert Raynaldus ad Annum Domini MCCLXXVII. sub num. 27. Quam tamen per extensum non exhibet, sed ea solum dumtaxat, quæ ad calcem præfatæ Epistolæ, ex eodem Codice adjecta sunt, præter ea quæ habentur in præfatis datis ad Gregorium literis, transcribit, quæ sic se habent.

1417 „ Cùm sic de verbo ad verbum continens juramentum, juraverit dictus Ma- „ gnus Logotheta in præsentia dilecti illins „ Sanctissimi, & Beatissimi Universalis Pa- „ pæ Domini Gregorii X. dicti apud Lugdu- „ nense Sacrosanctum Concilium; & nunc „ Sanctissimus, & Beatissimus Universalis „ Papa, & Venerabilis Pater, nostri Imperii, „ Dominus Joannes XXI. petit per Venera- „ bilea Nuncios suos; videlicet Jacobum Fe- „ rentinum Episcopum, & Gaufridum Epi- „ scopum Taurinensem, & Fratres, hoc est „ Raynerium Priorem Conventus Viterbien- „ sis, & Salvum Lectorem Lucanum Fratres „ Ordinis Prædicatorum, ut affirmet, rati- „ ficet per corporale Sacramentum Imperium „ nostrum ea, quæ dictus Magnus Logothe- „ ta juravit, ut sæpiùs dictum est; Imperium „ nostrum perficiens petitionem Sanctissimi „ Universalis Papæ, & Venerabilis Patris „ Imperii nostri Domini Joannis XXI. conse- „ quenter supra scriptus, jurat sic:

1418 „ Ego Michael in Christo Deo fide- „ lis Imperator, & moderator Romæorum, „ Ducas, Angelus Comnenus, Palæologus „ omne Schisma prorsus abjuro, & suprascri- „ ptam fidei veritatem, prout plenè lecta, & „ fideliter exposita, veram Sanctam, Catho- „ licam, & orthodoxam fidem esse cognosco. „ Eam accepto, & corde, & ore profiteor; „ ipsamque, prout eam veraciter tenet, fi- „ deliter docet, & prædicat Sacrosancta Ro- „ mana Ecclesia, me inviolabiliter servatu- „ rum, nec ab eo ullo unquam tempore re- „ cessurum, vel quoquomodo deviaturum, „ vel discrepaturum, promitto. Primatum „ quoque ipsius Sacrosanctæ Romanæ Eccle- „ siæ, prout in præmissa serie continetur, & „ ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus ve- „ niens fateor, recognosco, accepto, ac „ sponte suscipio, & omnia præmissa, tam „ circa fidei veritatem, quam circa ejusdem „ Ecclesiæ Primatum, & ipsorum recogni- „ tionem, acceptationem, susceptionem. „ observantiam, ac perseverantiam servatu- „ rum, præstito in anima mea corporaliter ju- „ ramento: & promitto, & confirmo præ- „ dictum juramentum prædicti Logothetæ „ nostri approbo, & ratifico. Sic Deus me „ adjuvet, & hæc Sancta Dei Evange- „ lia.

1419 „ Hæc autem omnia suprascripta „ facit Imperium nostrum, ad Sanctissimum „ & Beatissimum Summnm Pontificem, & „ Venerabilem Patrem nostri Imperii Univer- „ salem Papam Dominum Joannem XXI. & „ per ipsum ad omnes successores suos, robo- „ rans ipsa per propriæ manus, Dei gratia, „ Imperialem subscriptionem suam, & per si- „ gillum potentiæ suæ, mense Aprilis quin- „ tæ Indictionis sexto milleno septimo cente- „ no octuagesimo quinto anno. Actum est „ hoc in Urbe nostra Constantinopolitana, in „ Sacro nostro Palatio Blahernarum. *Hæc ille.* Annus porrò ille Græcorum concordat cum anno nostro, idest Christi MCCLXXVII.

1420 Subjungit inde Raynaldus, hujus facti meminisse Cardinalem Baronium in suis Schedis m.s. ac ibidem sub Anno Domini MCCLXXVIII. scribere: *Imperator Græcorum jurat per omnia servare fidem Catholicam, & Symbolum Latinorum; & quod ipsa Romana Ecclesia est Mater, caput, & Magistra omnium*

nium Ecclesiarum: Confessionem fidei orthodoxæ in literis inseruit, quam subscripsit propriâ manu. Habetur libro Privilegio Romanæ Ecclesiæ. Sed, ut præfati sumus, etiam Andronicus Michaelis Primogenitus, ac Imperii consors, qui paritèr cum Patre ad hanc unionem perfectè complendam cooperatus fuerat, scripsit per eosdem Legatos, ad prædictum Pontificem Joannem, cujus literæ sic se habent.

Sanctissimo, & Beatissimo primo & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Veteris Romæ communi Patri omnium Christianorum, & Reverendissimo Patri Domino Joanni, Andronicus in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, devotus filius Vestræ Sanctitatis, convenientem reverentiam, cum sincerâ, & purâ affectione, ac orationum postulationem.

1421 „ Quæ fides, quæve devotionis integritas ob honorem & obedientiam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris meæ, ac ejusdem Pontificis summæ Apostolicæ Sanctitatis, me solicitaverit hactenus excellentissimo Genitori, & Dominatori meo, Dei gratia, Imperatori Romæorum adesse continuè ad exequendum opus Divinum, unitatis scilicèt Ecclesiarum, & Christianorum pacis reformationis ardentibus desideriis, & studiis curiosis, jam Divinâ misericordiâ operante, patent ex opere. Nec minus effectus ipsorum, meam devotionem, & solicitudinem debitam repraesentat, non sub modio, sed omnibus, qui habitant in Domo Domini, manifestè. Delectabatur in his, novit Altissimus, qui est hujus operis stabilitatis perpetuæ fundamentum, sine quo nihil proficiunt operarii, & sine ipso factum est nihil; ultraquam potest exprimi, meæ juventutis affectus, prætermissis omnibus solicitationibus, ad quas multoties ætatis meæ conversatio applausiva conabatur attrahere: sed Zelus Domus Domini me adeò comedebat, quod ad cor non descendebat alicujus voluptatis affectus, quam senilis dispositionis providentiâ, & præmeditatione maturâ suppeditans, ad ipsum opus totaliter aspirabam, & factus solicitudinis Zelator continuus, studendo, inquirendo, vigilando, & audiendo Sanctorum Patrum volumina, Dei præsidio, & necessitate virtutem assumpsi, nunc suadens supradictum Dominatorem, & Genitorem meû, nunc ostendens secundum cognitionem, & gratiam mihi concessam à Deo, à quo cognovi operis complementum, quod bona, quæ de perfectione ipsâ proveniebant, erant sibi principaliter, mihi & cæteris genitis ejus inexpugnabilis exercitus, gloriosum Præconium vita perpetua, præciosa hæreditas, & gloriosa memoria super terram requies; consanguineis & cæteris fidelibus Imperii sui pacem, & ubertatis tempus, quæ sunt regnantis excellentia nominis, & preciosa commoditas, dum propterea Cives, & populos habet laudantes; præter illa mansura præmia, quæ à Creatore omnium æternaliter pollicentur.

1422 „ Et si quandòque, quod anxie dicimus, oportebat me necessariò ab opere præsentialiter dividere, ipsum opus protectioni Altissimi, studiis exquisitioribus continuis mei Excellentissimi Dominatoris & Genitoris prædicti, qui ad hæc Dei beneplacito suum immolaverat corpus & animum, nec ad alia ex aliquarum varietatum incursu temporalium, quantumcumque suâ præsentiâ indigeret, suum animum convertebat; tamen ferebar ad arma consurgere, turmas belli instruere, ac armata manu pro defensione humani generis, ad cujus servitium misericordia Divina concessit me benigniter imperare, potenter insistere, pugnare pro patriâ, quæ proh dolor! Continuis insultibus ab ipsis lacessitur, & ad reprimendum Turcorum impetum, & multimodam præsumptionem, ipsorum Christianorum acies dirigere, ac ipsos Dei præsidio in propria expugnare, ac de eorum confiniis ejicere, quibus Christianorum Imperio vicinantur; & infra terras ipsorum victoriosè glorificans nomen Christi, ubi prædicti scelerati fatua doctrina blasphemant, & vestris piis orationibus prosperatus, refecta nostra præsentia, gente utcumque perterrita, insultibus paganorum, curam gerebam Provinciæ.

1423 „ Non sic, Pater Sanctissime, quod à Diviniore opere me aliquatenus divisissem, sed in ipsum fundatus anima, & corpore meum Excellentissimum Genitorem, & Dominatorem sedulis literis, & Nuntiorum frequentiâ de statu prospero Provinciæ suum reficiebat affectum, quem ad opus propterea ferventiùs accendebam, à quo gratâ vicissitudine, mea totaliter anima reficiebatur, delectabatur spiritus, & mea viscera congaudebant. Super quibus, Divinâ providentiâ dispensante, quæ procurat, non deserit, me ad Urbem fœliciter redeunte, ad mei Dominatoris & Genitoris præsentiam, in qua post paucos dies Sanctissimi Prædecessoris vestri Nunciis emeritissimis, & discretis salubriter pervenientibus, & iuvenientibus, Dei gratia omnia negotii merita præparata, prosperum assumentibus tractatum, invocato Christi nomine, finaliter ipsi perfecerunt negotium, prout eis redeuntibus ad Arcam, unde ut Columba exiverant, ferentes ramum viridantis olivæ, ramum unitatis & pacis,

„ poterit Vestra Sanctitas informari: & eis „ à Sede Apostolica fuit injunctum, cujus „ successores vos, Dei gratia & misericordia, „ constituti ad speculam dignitatis, confido „ in Deo, quod illa restitutionis gratia Ve„ stra Sanctitas assumere poterit, per quæ „ vestro patrocinio universalia consolatio be„ nigniter oriatur, & amplificatio negotii „ perdueatur ad perpetuam firmitatem: eon„ trà quod, oh! in quantum laboraverit, & „ laborare non cessat ille humani generis „ inimicus, qui tot diffusis temporibus super „ divisione præterita gloriabatur iniquè; non „ dimittens seducere debiles & inermes, & „ illaqueare socios & indoctos, & ostendens „ ei sophisticare charitatem operis, & ope„ rari opus araneæ, cujus telam faciliùs au„ ra dissolvit! Attamen opus tantæ unitatis, „ ex quo ad gremium suæ matris, Deo fa„ ciente, constituitur, sicut jàm ipsius divi„ sio multa mœroris vulnera pertulit, sic cu„ ra, & vigilantia vestri dignissimi Aposto„ latus, cujus interest, non fraudabitur ejus „ operis identitas, sed conservabitur inte„ gra in æterno, de quo erit nomen beni„ gnitatis in sæcula benedictum, & in Cœlis „ ab Angelis æternè glorificatum.

1424 „ Ego autem ex supradictis omni„ bus assumens materiam de benedictione „ vestra consisa, quàm piè cunctis fidelibus „ exhibetis, quodammodò tentavi scribere „ vestræ Apostolieæ Sanctitati, quod in præ„ sumptione non imputetur mihi aliquate„ nùs impertiri; sed acceptum ducatur, quod „ filiali devotione præsumpsi, & oblata ab „ offerente, ac offerens ab oblationibus pla„ ceant; nàm respexit Dominus ad Abel, & „ ad munera ejus: & quamquàm tantam „ gratiam consequi sim indignus, tamèn non „ frustretur spe, qui in vestra devotione per„ sistit, quoniàm Sanctitatis vestræ super„ eminens Apostolatus, qui habet recompen„ sare merita singulorum, & in Cœlo, & in „ Terra absolvere, ac ligare, benedictioni„ bus, orationibus, & persuasionibus potest, „ ut ad charitatis gloriam, & devotis filiis „ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ aggregare, „ ac fovere. Quæ peto mihi benigniter im„ pertiri à vestra piissima Sanctitate, ac re„ quiri ad omnia, quæ vestra Sanctissima Pa„ ternitas mihi suo devoto filio placuerit „ committere, ac mandare; quæ devotè re„ cipiam, & alaeritèr perimplebo. Me nunc „ & semper vestris sacris orationibus reeom„ mendo, ac Nuncios, qui ad vestræ Sancti„ tatis præsentiam transmittuntur in signum „ devotionis innatæ, quibus dignemini cre„ dere, quæ pro parte mea Sanctitatis ve„ stræ audientiæ oretenùs referabunt. Vivat „ Sanctitas vestra salutari & perpetuâ vitâ „ in Domino. Amen. *Hactenus Andronici literæ*. Quid porrò Joannes Becua unà cum universo Prælatorum Græcorum Concilio ad eundem Pontificem, & per eosdem Legatos pariter scripserit, videndum remanet. Scripsit autem in hunc tenorem, videlicèt.

Sanctissimo, & Beatissimo Summo Pontifici Sedis veteris Romæ, & universalis Papæ Domino Joanni, Joannes miseratione divina Patriarcha Constantinopolitanus Romæ novæ cum omni nostra Sacrosancta Synodo debitam reverentiam nostræ obedientiæ, ac inclinotionem, & orationum postulationem.

1425 „ Principii boni optimum esse fi„ nem omnibus absquè dubio clarè patet. Et „ quarè non, eùm *omne donum perfectum de* „ *sursùm sit descendens à Patre luminum?* „ Hoc enim concesso, consequens est credi, „ omne principium eujuseumque rei optimæ „ inehoatæ, à divino pendere consilio, & „ propter hoc necessariò tale principium in „ finem desinere gloriosum. Quod enim à „ Deo benè inchoatum est, quomodò non op„ timè terminabitur, auxiliante Deo, quale „ quid factum est, & super iis, de quibus „ nunc propositum est nobis dicere; O' divi„ num, & sacrum Caput; nàm Ecclesiasticâ „ unione fœlicitèr incœpta tempore fælicis „ memoriæ Beatissimi illius Viri, si tamèn „ Virum, & non Angelum vocari oportet „ fœlicem illum Sanctissimum Papam, De„ eimum dicimus Gregorium ad gloriosio„ rem finem, quàm ad ipsam videlicèt unio„ nem Summus Dominus consummavit in „ diebus, in quibus ad decorem Apostolicæ „ Sedis, & illuminationem perspicuam fir„ mamenti universalis Ecclesiæ voa, nomine „ gratiæ nominatum, Deus eligendo consti„ tuit. Quod quidèm Apostolicæ Sedis Nun„ cii, Reverendissimi scilicèt fratres nostri, „ & Coepiscopi Jacobus Ferentinus, & Gau„ fridus Taurinensis, & de Deo accepto Or„ dine Prædicatorum religiosissimi nostri fra„ tres Raynerius Prior Viterbiensis, & Sal„ vus Lector Lucanus, vestræ Sanctitatis „ orationibus prosperati pervenerunt ad san„ ctos, & potentissimos nostros Moderato„ res, & ad nostram humilitatem, & ad eam, „ quæ apud nos inventa est, sacram, & san„ ctam Synodum relictam ab universitate „ magnæ Synodi, quæ apud nos pauló antè „ fuerat celebrata, dictæ Ecclesiasticæ unio„ nis inchoatio, auctore Deo, absquè defectu „ fine prospero consummata est.

1426 „ Et quomodò quidèm potens, & „ sanctus Moderator noster cum divinitùs „ germinato ramo radicis, sacro, potenti, „ & sancto nostro Moderatore confirmatio„ nem Ecclesiasticæ unionis in fide perfecta, „ & diligenti certitudine fecerunt, poterit „ noscere maxima Sanctitas vestra; & ab ip„ sis, qui ad ipsam mittuntur, literis poten„ tiæ suæ, & ab instrumento juramentorum fa-

„ factorum per ipsos, & ab iis, quæ Aposto-
„ licæ Sedis Nuncii oretenùs divinis auribus
„ vestræ insonuerunt Sanctitatis. Quomodò
„ quoquè nos robur præstamus, & finem
„ apponimus glorioso principio hujusmodi
„ operis unionis, poterit scire vestra à Deo
„ magnifica Sanctitas, & à volumine Syno-
„ dicali, quod sibi ostendetur, quod humi-
„ litas nostra cum toto sacro illius conventu
„ firmavit, & roboravit subscriptionibus ma-
„ nualibus, quæ apud nos vigorem obtinent
„ juramenti. Habet insuper noscere, & ab iis,
„ quæ in presenti scripto specialiùs nos dice-
„ mus omnimodè præbentes nostræ ad Apo-
„ stolicam Sedem puræ, perfectæque obe-
„ dientiæ.

1427 „ Dicimus enim, sub testibus Deo,
„ & Angelis verba facientes, quòd omne
„ schisma inter Ecclesias Dei, veteris Romæ
„ scilicèt, & novæ nostræ, malè introductum
„ in læsionem Christianitatis aspernimur, &
„ abjicimus, & præcordiali affectu, & ex
„ tota anima priùs ipsum deponentes per lin-
„ guam, & labia, & prolativum nostrum ser-
„ monem etiam in presenti scripto ipsum ab-
„ negamus, & Ecclesiasticam pacem, & uni-
„ tatem, & primatum Apostolicæ Sedis con-
„ fitemur, & recognoscimus, acceptamus, &
„ spontè suscipimus, & ad ipsius obedientiam
„ spontanei venientes, ratum habere, & con-
„ servare immutabilem promittimus, & affe-
„ rimus, & eas prærogativas, quæ à princi-
„ pio ante schisma præstabantur Apostolicæ
„ Sedi, qui pro tempore Pontificio in Con-
„ stantinopoli fungebatur, integra, & invio-
„ labilia promittimus conservare. Schisma
„ enim, quod in medio intercessit, intimo
„ cordis affectu, & totâ animi voluntate
„ aspernentes, compaginamus, & cooptamus
„ nosmetipsos lineæ Pontificum illorum, qui
„ ante schisma Apostolicæ Sedi veteris Ro-
„ mæ suam obedientiam canonicè & legiti-
„ mè conservabant; & nihil omninò imper-
„ fectum omittere pollicemur de iis, quæ
„ ante schisma illi Divi, & Sancti Imperato-
„ res Apostolicæ Sedi prestando roborarunt,
„ & affirmarunt; insuper etiam & de iis,
„ quæ in sacris Conciliis Patres nostri ad
„ ipsius obedientiam demonstrabant se con-
„ servare.

1428 „ Rursùs ad Apostolicam Sedem
„ confirmamus inviolabiliter & integrè om-
„ nes prærogativas, & privilegia, quæ ante
„ schisma Reverendi, & Beati Imperatores,
„ & Deiferi Patres nostri Doctores ad pri-
„ matum Apostolicæ Sedis in obedientiam
„ ostendebant, videlicèt, quià ipsa Sacro-
„ sancta Romana Ecclesia summum & perfe-
„ ctum Primatum & Principatum super uni-
„ versam catholicam Ecclesiam obtinet, quæ
„ in seipsa ab ipso Domino in Beato Petro
„ Apostolorum Principe, seù vertice, cujus
„ Romanus Pontifex est successor, cum ple-
„ nitudine potestatis recepisse, verè ac hu-
„ militèr recognoscimus; & quemadmodùm
„ præ aliis tenetur fidei veritatem defendere,
„ sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæ-
„ stiones, suo debent judicio definiri. Ad
„ hanc potest quilibet gravatus in negotiis
„ ad forum Ecclesiasticum pertinentibus ap-
„ pellare, & in omnibus causis, ad examen
„ Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius po-
„ test recurri judicium. Et eidem omnes Ec-
„ clesiæ sunt subjectæ, ipsarumque Prælati
„ obedientiam, & reverentiam sibi debent.
„ Apud hanc autē plenitudo potestatis con-
„ sistit, quòd ea, quæ cæteræ Ecclesiæ, &
„ Patriarchales specialitèr, diversis tempori-
„ bus privilegia obtinuerunt, sanctionibus
„ Beatorum Sanctorum Imperatorum illo-
„ rum, & canonicis sanctionibus, & reforma-
„ tionibus sacrorum & divinorum Concilio-
„ rum eadem Romana Ecclesia confirmavit,
„ & roboravit; & non alitèr obtinuerunt
„ confirmationem Ecclesiarum hujusmodi
„ prerogativæ, nisi eadem Ecclesia Romana
„ suum super iis judicium & sententiam pro-
„ tulisset, suâ tamen prærogativâ, tàm in
„ generalibus Conciliis, quàm in quibus-
„ cumque aliis semper salvâ. Et de abnega-
„ tione quidèm schismatis, & recognitione
„ Primatus Apostolicę Sedis tanta sint dicta.

1429 „ Quoniàm autem multum schis-
„ matis tempus opinionem quibusdam unam
„ & falsam tribuit, quòd sit aliqua differen-
„ tia dogmatum inter utramque Ecclesiam,
„ Græcam videlicèt & Latinam, propter in
„ Symbolo factam additionem per Romanam
„ Ecclesiam, oportet utiquè Nos libellum
„ fidei exponere, ex quo vestra adeò magni-
„ fica Altitudo, & tota Romana Ecclesia co-
„ gnoscet, quòd nulla differentia fidei est iis,
„ qui Symbolum primi Nicœni Concilii le-
„ gunt, & qui Symbolum Constantino-
„ politani secundi Concilii prædicant, &
„ iis, qui hoc Symbolum, quod à Roma-
„ na Ecclesia legitur cum additione, vene-
„ rantur.

1430 „ Credimus enim in unum Deum
„ ingenitum Patrem Omnipotentem, Immor-
„ talē, invisibilem, impalpabilem, Universum
„ implentē, & super omnia existentem, Con-
„ ditorem totius Creaturæ visibilis, & invi-
„ sibilis, corporalis, & spiritualis. Et in
„ unum Dominum Jesum Christum, Verbum,
„ Unigenitum Filium, Æternum ab Æterno
„ Patre, principium de principio, lumen de
„ lumine, Deum de Deo, Omnipotentem
„ de Omnipotente, æqualem incommutabi-
„ litèr generanti Patri, prout ipse Dominus
„ in Evangelio asserit, dicens: *Qui videt me,*
„ *videt & Patrem meum*; qui ante omnia sæ-
„ cula natus ineffabilem, & intellectu incom-
„ prehensibilem habet nativitatem: *Genera-*
„ *tionem ejus quis enarrabit?* Sacra fatentur
„ eloquia, hoc est nullus. In consummatio-

,, ne sæculorum descendit inseparabilitèr ex
,, paterno sinu in intemeratam, & semper
,, Virginem Mariam, & nostram ex ipsa as-
,, sumpsit naturam, carnem videlicèt huma-
,, nam cum anima rationali, non secundùm
,, phantasiam, neq; supernam, & intemporalem
,, nativitate adoptatus, nequè secundùm infe-
,, riorem temporalem; naturalis enim existens,
,, & verus Filius Dei, naturalis, & verus, &
,, semper Virginis Mariæ ipse idem Filius
,, existit, qui carnem accepit ex ipsa, visi-
,, bilem, invisibilis, mortalem immortalis,
,, passibilem impassibilis, palpabilem impal-
,, pabilis; in qua carne & pro nobis spontè
,, suscepit passionem vera carnis passione;
,, mortuus & sepultus, & descendens ad In-
,, feros, & tertiâ die, secundùm Scripturam,
,, resurgens à mortuis verâ carnis resurrectio-
,, ne. Post quadraginta à resurrectione sua à
,, mortuis dies ascendit ad Cœlos, cum ea-
,, dem, qua resurrexit carne & anima; & se-
,, det ad dexteram Dei Patris, introitum in
,, Cœleste Regnum nobis elargiens. Qui
,, venturus est iterùm Judex vivorum, &
,, mortuorum, redditurus unicuiq; secun-
,, dùm opera sua.

1431 ,, Credimus eodem modo & in Spi-
,, ritum Sanctum omnia scrutantem, & pro-
,, funda Dei, qui naturalitèr inest Deo Pa-
,, tri, & essentialitèr insitus est, ut ità dica-
,, mus, & indivisibilitèr ex ipso procedens;
,, naturalitèr inest & Filio, & essentialitèr
,, illi insitus est, & indivisibilitèr ex illo pro-
,, cedit; profunditur quod enim idem pro-
,, cedit, quemadmodùm à fonte Deo & Pa-
,, tre; profunditur autem & ab ipso Filio,
,, queamadmodùm à fonte, velut utiquè &
,, ex ipso Deo & Patre: Sed licèt Pater fons
,, Spiritus Sancti sit, & Filius fons Spiritus
,, sit, non tamèn duo fontes Spiritus sunt Pa-
,, ter & Filius: Unum enim fontem Spiritus,
,, Patrem & Filium fidelis & pia intelligen-
,, tia tenet; & propter hoc communem Pa-
,, tris & Filii Spiritum Sanctum Ecclesiæ lu-
,, minaria, & Doctores theologizarunt: Sicut
,, enim de substantia Patris naturalitèr Spi-
,, ritus est, sic & ex substantia Filii natura-
,, litèr Spiritus est; & sicut secundùm sub-
,, stantiam Filii existit; & ut propriùs est
,, essentiæ Patris, & non extrà hanc proce-
,, dens in esse: Naturalium enim bonorum
,, Dei, & Patris essentialiter existens Filius
,, communicator, habet Spiritum, sicut unus-
,, quisque nostrum proprium in seipso conti-
,, nens Spiritum, & ex intimis visceribus ad
,, extrà profundit ipsum; propter quod &
,, corporaliter ipsum Discipulis insufflavit,
,, quià inspiratione Filii Spiritum novimus,
,, & sensum Christi Spiritum esse, ab Apo-
,, stolo edocti sumus; undè unam esse catho-
,, licam, & sanctam Apostolicam Ecclesiam
,, confitentes, in qua unum datur Baptisma,
,, & verè remissio omnium peccatorum, tri-
,, bus Personis, scilicèt Patri, & Filio, &
,, Spiritui Sancto, in quibus, & ad quas Per-
,, sonas baptizamus, gloriam referimus, sicut
,, uni Deo; & ipsas tres esse cognoscentes
,, Personas, unum Deum Omnipotentem ip-
,, sas cognoscimus, totamque Trinitatem
,, Deitatem coessentialem, coæternam, &
,, coomnipotentem; unius dignitatis, unius
,, potentiæ, unius voluntatis, unius opera-
,, tionis, singulam Sanctæ Trinitatis Perso-
,, nam Deum plenum & perfectum prędican-
,, tes, & confitentes. Et ità credentes glo-
,, riam offerimus Patri, gloriam offerimus
,, Filio, gloriam offerimus Spiritui Sancto.
,, Credimus veram resurrectionem nostrę car-
,, nis, quam in præsenti vita gestamus, &
,, futuram vitam æternam perpetuam expe-
,, ctamus. Credimus etiam ipsum & unum
,, Deum auctorem esse, & Dominum Omni-
,, potentem, veteris & novi Testamenti, Pro-
,, phetarum, & Apostolorum; in Trinitate
,, unum cognitum Deum benedicentes nunc,
,, & in sæcula. Amen. Et hoc quidèm usquè
,, intantùm.

1432 ,, Ex quo autem Sancta Romana
,, Ecclesia propter diversos errores à quibus-
,, dam ex ignorantia, ab aliis ex malitia in-
,, troductos, dicit & prædicat, qui post Ba-
,, ptismum in peccata labuntur, non reba-
,, ptizandos, sed per veram pœnitentiam suo-
,, rum posse consequi veniam peccatorum;
,, & si verè pœnitentes in charitate decesse-
,, rint, antequàm dignis pœnitentiæ fructi-
,, bus de commissis satisfecerint, & omissis,
,, eorum animas in igne Purgatorii post mor-
,, tem purgari; & ad pœnas hujusmodi rele-
,, vandas prodesse iis fidelium vivorum suf-
,, fragia, Missarum scilicèt sacrificia, ora-
,, tiones, eleęmosynas, & alia pietatis offi-
,, cia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri
,, consueverunt secundùm Ecclesię instituta;
,, & illorum quidèm animas, quæ post sa-
,, crum Baptismum susceptum nullam om-
,, ninò peccati maculam incurrerint, illas
,, etiam, quæ post Baptismum maculam pec-
,, cati contraxerunt, vel in suis manentes
,, corporibus, vel eisdem exutæ, sicut supe-
,, riùs dictum est, sunt purgatæ, mox in
,, Cœleste Regnum recipi; illorum autem
,, animas, qui cum peccato mortali, vel cum
,, solo originali peccato decedunt, mox in
Infernum descendere, pœnis disparibus pu-
,, niendas; & quòd nihilominùs in die Judi-
,, cii omnes homines antè Tribunal Christi
,, cum suis corporibus comparebunt reddi-
,, turi de factis propriis rationem; quoniàm
,, quidèm Sancta Ecclesia Romana sic dicit
,, & prædicat, recepimus hæc, & confitemur,
,, quoniàm Sanctorum Patrum Divinæ Scri-
,, pturæ ipsa continent.

1433 ,, Cùm autèm iterùm cùm in su-
,, prascriptis Sancta Apostolica Ecclesia Ro-
,, mana dicit & prædicat, quòd septem sunt
Ec-

„ Ecclesiastica Sacramenta, Baptismus, de „ quo dictum est suprà, Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem „ Episcopi conferunt chrismando renatos; „ Pœnitentia, Eucharistia, Sacramentum „ Ordinis, Matrimonium, & Extrema Unctio, quæ secundùm doctrinam Beati Jacobi Infirmantibus exhibetur. Dicimus & „ de iis hæc, Baptismum hoc recipimus; & „ confitemur, sicut secundùm Confirmationis Sacramentum, licèt apud Ecclesiam „ Romanam per impositionem manuum soli „ Episcopi conferant chrismando renatos, „ apud nos autem indifferentèr Prælati, & „ Presbyteri hoc faciunt; tamèn nos eam, „ quæ hactenùs apud nos obtenta fuit consuetudo, in ipsa ordinatione conservantes, „ quòd à Romana Ecclesia super ipsa fit, sanctificativum, & profectivum, & perfectivum esse confitemur, & recipimus. Pœnitentiam & ipsam amplectanter confitemur, & recipimus. Eucharistiam & ipsum „ Sacramentum Eucharistiæ, per Sanctam „ Ecclesiam Romanam ex azymo pane confectum, secundùm ipsius antiquam consuetudinem, per ipsam hactenùs veneratam. Similitèr illud, quod per nos conficitur Sacramentum, dicimus esse indistanter, credentes & nos ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiæ verè „ transubstantiari in Corpus Domini nostri „ Jesu Christi, & vinum in Sanguinem ejus „ per suam Sanctissimi Spiritus virtutem & „ operationem. A' nobis iterùm ex fermentato confectum pane, Sacramentum etiam „ illud cognoscimus, quod conservantes, „ sicut à principio, nobis traditum. Credimus similitèr ipsum panem verè transubstantiari in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini nostri Jesu Christi per Sanctissimi Spiritus, ut dictum est, virtutem, „ & operationem. Sacramentum Ordinis & „ ipsum amplectantèr confitemur, & recipimus. Matrimonium, de quo tenet ipsa „ Ecclesia Romana, quòd nec unus Vir plures uxores, nec una mulier simùl habere „ permittitur plures Viros; solutâ verò lege Matrimonii per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & deindè nuptias legitimè factas successivè licitas esse „ dicit, si impedimentum canonicum, & „ causa alia non obsistat, recipimus eodem „ modo, & de ipso idem dicimus nos. Extremam Unctionem etiam ipsam recipimus. „ Similitèr cum aliis, quæ & à nobis celebrata *Eptapapadum* nominatur.

1434 „ Unum summatim dicamus: cùm „ hæc omnia sic veneretur, & prædicet dicta „ Sancta Ecclesia Romana, credimus, & dicimus, quòd verè, fidelitèr, & orthodoxè „ docet & prædicat ipsa Sancta Ecclesia Romana; tamèn sic debemus nos permanere „ incommutabilitèr in ritibus, qui à principio obtenti sunt in Ecclesia nostra. Hæc „ omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam, exponentes abnegationem schismatis, & puræ, ac veræ nostræ obedientiæ „ ad Primatum Ecclesiæ Romanæ, & repræsentationem & demonstrationem, quòd „ concors sit plenissimè & sinè defectu, nostra „ Ecclesia secundùm fidei orthodoxæ intellectum Sanctæ Apostolicæ Matris omnium „ Ecclesiarum Ecclesiæ Romanæ, nostrâ Bullâ consuetâ roboravimus, mense Aprilis, „ quintæ Indictionis, sexti millesimi septimi „ centeni octuagesimi quinti Anni, secundo „ Anno Pontificatus nostri. *Hactenus Joannis Becbi, & Synodi literæ.*

1435 Dùm hæc agebantur, non deficiebant qui hujusmodi Unioni ex ipsis Græcis adversarentur, Viri scilicèt utriusque Ordinis Ecclesiastici, nimìrum & sæcularis, ut ex Gregora suprà fusiùs ostensum est, quare Michael vi & armis reprimere curabat: Joannes verò Patriarcha, coactâ, ut præfati sumus, alterâ Synodo, schismaticos Synodali decreto censuris, & excommunicationi subjecit, misso per universam Græciam decreto tenoris sequentis.

Joannes miseratione divinà Constantinopolitanus Patriarcha, universis, ad quos præsentes literæ pervenerint, rei gestæ memoriam cum salute.

1436 „ Charitati vestræ notum fieri volumus per præsentes, quòd nobis existentibus in Concilio Constantinopolitano, „ congregato pro discutienda scissura dudùm „ facta inter Ecclesiam Latinam, & Græcam per illum, qui unitati invidet, & unà „ cum ipso Sacrosancto Concilio deliberatione habitâ, omnes schismaticos, ac Unionis Ecclesiasticæ turbatores, qui propè & „ longè sub pertinacia sua ubicumque existant; qui non recipiunt Sanctam Romanam Ecclesiam esse Matrem, & Caput omnium Ecclesiarum, & fidelitatis orthodoxæ Magistram, & ipsius Summum Pontificem primum & Pastorem omnium Christianorum, quocumque fungantur officio, „ vel ordine, Pontificali dignitate, seù Sacerdotali, Diaconali; ac omnes alios universalitèr schismaticos perturbatores, cujuscumque conditionis, aut status existant, „ sivè de Imperiali, sivè de Senatus consilio, „ aut alicujus alterius conditionis; cùm quibus & ipsum Nichiforum Ducam, qui nominatur Despotas, & Joannem Ducam de „ Petra, qui nominatur Syntocrator (*isti erant Antesignani Schismaticorum*) sicut „ schismaticos & perturbatores hujusmodi „ Ecclesiæ unionis, & susceptores schismaticorum, & persecutores ipsorum, qui convenerunt ad hujusmodi Ecclesiasticâ Unionem;

„ nem; & ſicut illos, qui dividuntur de po-
„ pulitate noſtra, & de noſtra ſocietate ſu-
„ giunt propter obedientiam, quam fecimus
„ ad Apoſtolicam Sedem, excommunicavi-
„ mus, anathematizavimus, ipſoſque dam-
„ natos pronunciavimus, & penitùs repro-
„ batos. In cujus rei teſtimonium Bullam
„ noſtram cum noſtra ſubſcriptione ſolita
„ præſentibus duximus apponendam. Da-
„ tum Conſtantinopoli, apud Sanctam So-
„ phiam, Anno Domini MCCLXXVII. die
„ Veneris, ſextodecimo intrante Julio, In-
„ dictione v. *Hactenus Decretum*.

CAPUT XXXIII.

De Nicolai III. Pontificatu, & ſub eo geſtis in cauſa Unionis Græcorum.

1437 ANno Domini MCCLXXVII. Imperii Michaelis Palæologi Anno XVII. Rodulphi Romanorum Regis & Occidentis Imperatoris Anno V. Indictione VI. inchoata à menſe Septembris, ſex jàm elapſis ab obitu Joannis XXI. menſibus, compoſitis, divinà adjutrice miſericordiâ, diſſidentium Cardinalium animis, VII. Kalendas Decembris, ideſt, die XXV. Novembris, Viterbii renunciatus eſt Romanus Pontifex Joannes Cajetani ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, patriâ Romanus, genere nobiliſſimus, quià de Urſinorum proſapia, nomine aſſumpto Nicolai III. cui, adhùc puero, Sanctiſſimus Pater meus, & Patriarcha Franciſcus, hanc dignitatem prædixerat. Id quod, præter Scriptores Ordinis, refert Jordanus apud Raynaldum, qui de hujus Pontificia electione agens, ait: *Nicolaus, natione Romanus, de Urſinis*. Et infrà, *electus eſt in feſto Beatæ Catharinæ, Viterbii*. Et poſt alia. *Proprium illi nomen fuit Joannes Cajetani. Fuit Diaconus Cardinalis, Titul. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, moribus valdè compoſitus & diſcretus*. Et indè: *Cùm eſſet puer, Pater ejus, qui erat de Tertio Ordine, eum Beato Franciſco obtulit; & Beatus Franciſcus ait, quòd non eſſet Frater habitu, ſed futurus defenſor Ordinis ſui, & tandèm Dominus Mundi*. Poſt ejus electionem Romam ſe contulit, ubi VII. Kalendas Januarias in Baſilica Vaticana ordinatus eſt Presbyter, conſecratus eſt Epiſcopus, indè coronatus per manus Jacobi Sabellii Romani, S. R.E. Archidiaconi, quibus peractis, paucis poſt diebus Encyclicas ad univerſos Orbis Prælatos literas miſit, tenoris videlicèt ſequentis.

Nicolaus Epiſcopus &c.

1438 Nuper fœlicis recordationis Joan-
„ nes Papa prædeceſſor noſter apud Viter-
„ bium, ubi tunc cum ſua Curia reſidebat,
„ ab hac luce ſubtracto, & ipſius corpore in
„ Viterbienſi Eccleſia cum Exequiarum ſo-
„ lemnitate debitâ tumulato, tandèm nos,
„ & fratres noſtri, quibus nos tunc officii
„ quo ad hoc annumerabat æqualitas, in Pa-
„ latio Epiſcopali convenimus, propenſio-
„ rem diligentiam conſideratę proviſioni Ec-
„ cleſiæ impenſuri. Et quamquàm ille, qui
„ cœleſti dat concentui harmoniam, nos ſub
„ clauſura eadem habentes in unum ad uti-
„ lem proviſionem ipſius Eccleſiæ obtinen-
„ dam, prout ſingulorum habebat aſſertio,
„ unanimes fore ſuâ pietate conceſſerit, ad
„ conſummationem tamen proviſionis ejuſ-
„ dem, alto ſuo & ſecreto conſilio, dare ali-
„ quandiù diſtulit ſpiritum unitatis. Sed de-
„ mùm in die Beatæ Catharinæ Miſſarum ſo-
„ lemniis cum invocatione Sancti Spiritus
„ celebratis, iidem Fratres in humilitatem
„ noſtram, utinàm non exorbitante judicio,
„ per viam Scrutinii concordantes, Nos tunc
„ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Dia-
„ conum Cardinalem ad conſcendendam
„ Apoſtolicæ dignitatis ſpeculam unanimi-
„ tèr elegerunt.

1439 „ Verùm, ut rei geſtæ ſeriem ſuc-
„ cinctus ſermo pertranſeat, nedùm defectus
„ eoſdem ad humiliationem noſtram geſti-
„ mus exprimere, ſub humilitatis ſpecie no-
„ tam electionis, ſeù qualiſcumque jactan-
„ tiæ ingerat ſerioſa repetitio veritatis; Nos
„ gradus altitudinem, & oneris imminentis
„ tantæ altitudinis, aſcenſori molem Nobis
„ in Cardinalatus officio experientiæ longæ
„ participio non ignotam, attentâ medita-
„ tione penſantes, eligentium, & offeren-
„ tium inſtantiæ inſufficientiæ noſtræ impa-
„ ritatem objecimus debilitatem noſtram,
„ dictante conſcientiâ, oblatis imparem, cum
„ repetita multotiès ſupplicatione humili al-
„ legantes.

1440 „ Cùmque nec ſic ceſſerit inſtans
„ fratrum importunitas eorundem, ſed vim
„ inferens noſtro propoſito vehementiùs Col-
„ legii juſſus urgeret, noſque violentiam
„ patientes clamaremus lacrymis, nec eſſet,
„ qui auditu exauditionis audiret, vocife-
„ raremur gemitu, nec foret, qui remiſſio-
„ nem injuncti oneris benigno judicio indul-
„ geret; ad illum oculos mentis ereximus,
„ qui, ſicut præmittitur, Eccleſiam, quam
„ per ſe fundavit, non negligit regere per
„ ſeipſum; ſed quam piè condidit, piè re-
„ git. Et quamquàm de inſufficientia noſtra
„ timentes, de ſuperabundantia tamèn Om-
„ nipotentiæ ſuæ confiſi, humeros ſummo
„ ſuperhumerali ſubjecimus, & humilitèr ju-

gum

„ gum subivimus Apostolicæ servitutis; sperantes, quòd ipse, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium; Nobis, quos licèt indignos, illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerii humiliabit per suæ virtutis potentiam colla tumentia superborum, & lapsos in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit.

1441 „ Ad quod efficacitèr obtinendum attentè orationum vestrarum suffragia imploramus, Universitatem vestram, monentes & obsecrantes in Dño Jesu Christo, quatenùs diligentiùs attendentes, quòd ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse vos exigit, vobis in vestris gregibus solicitudo commissa in hujusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem solicitè vigilantes, debilitati nostræ devotarum orationum, & placationum uberum frequentibus orationibus assistatis; ab eo, qui nobis sarcinam eandem imposuit, seù potiùs forsàn imponi permisit, supplicationibus devotis, & sedulis implorantes, ut qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere sublevemur; nobisque ipse bonorum largitor omnium, sic illam ad sui nominis laudem & gloriam, nostram, populique sui salutem, portare suà pietate concedat, quòd eadem pia Mater Ecclesia filios suos numero, & merito nostris multiplicari temporibus glorictur. Cæterùm fratres, & filii affectum vobis charitativæ benignitatis expandimus, & sinum charitatis solidæ aperimus proponentes in quibus cum Deo poterimus honori vestro deferre, ac vestra, & Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovere &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVIII. Kalendas Februarii, Anno primo. *Hactenus Nicolai Encyclicæ*, quæ nonnullis dumtaxàt immutatis, fuere ad Principes, & Reges quoquè missæ; Et cùm fuissent etiam porrectæ ad Palæologum, atque ad Joannem Becum Patriarcham Græcorum, antequàm Nuncii ab ipsis missi ad Joannem reversi fuissent, mox ad ipsum Nicolaum gratulatorias, & obedientiæ literas fecerunt. Palæologus verò sic scripsit.

Sanctissimo, & Beatissimo primo, & Summo Pontifici Apostolicæ Sedis, Sacrosanctæ Ecclesiæ veteris Romæ Universali Papæ, in Christo Deo Reverendissimo, & specialissimo Patri nostri Imperii Domino Nicolao, Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus filialem obedientiam Apostolicæ benedictionis, & orationum postulationem.

1442 „ Si mihi, ò divinum, & sacrum Caput, dignum & æquale totius Angelici chori honore per omnia, exprimere non est leve, quantà lætitià corporis, & exultatione animæ fui repletus ex insinuatione literarum vestræ Apostolicæ Sanctitatis, depromentium ad Apostolicam Sedem vestræ Sanctitatis gloriosum ascensum, quem pridèm fama volatilis satis jucundè conspersérat ad universalem notitiam, & audientiam devotorum vestræ Paternitatis benignitas non miretur. Non enim erat hujusmodi annunciatio extranea spei meæ, immò certissima, dùm hujusmodi omnes communitèr faterentur, & concorditèr asserebant. Si verò secundùm Deum est sententia, utiquè & secundùm Deum hæc existit, & non oportet de hac opinione aliquid aliud cogitare, nisi Deum exiltere attributorem & causam. Hujusmodi igitur gratia confidentèr habebam, & vos fore commodè veraciter expectabam, quem superna providentia eligeret, & ut lumen splēdidum egressum de vero lumine ostenderet Orbi Terræ, quibus mediantibus meipsum beatificabam in Domino. Congaudentem habeo sanè illum in operibus prævium, de quo ante nullatenùs dubitabam suscipiens fines infallibiles spei meæ, quibus etiam ante finem, ut jàm recepisse ultrà modum delectabar, nec in aliquo contristabar. Sed agnoscens vos fore in divinis sapientes, & secundùm Christum, Dei, & hominum mediatorem, nihilominùs in humanis, & omne quod extrà spem admiratur, & omne quod spe accidit, & ante factum diligitur, & in fine beatificatur, & ampliùs diligitur affectanter ad se attrahens experientiam, dans, & recipiens ad invicem primæ affectionis effectum.

1443 „ Extendimus prætereà, Beatissime Pater, animæ specialem affectum; nunc autem totum meipsum Sanctitati vestræ humiliter recommendo, & etiam repræsento, & inclino intellectualiter caput meum, & incumbens in sinu vestræ Apostolicæ benedictionis, orationes postulo, & osculans manus sacras Apostolicam vestram benedictionem assumo. Latores siquidèm vestræ Sanctissimæ Paternitatis, prout decuit, expediti ad vestram affecta-

tam

„ tam præsentiam, utinàm prosperè, revertantur, quibus quædam de plurimis, quæ in meis intimis resident, de ipsorum probitate confisus, attentâ conversatione, quam hactenùs contraxerunt, commissi fidelitèr vestræ Sanctitatis audientiæ referenda cum aliis, quæ viderunt oculis, & auribus audierunt, super quibus benigniter obsecro, ipsis à vestrâ piissimâ Sanctitate benevolam audientiam impertiri. Et quià Dei nostri sunt opera, vos, qui verè in terris, quæ Dei sunt, Deo redditis, & in Cœlo non permittatis hujusmodi, pie Pater; sed cognitâ veritate mihi devoto filio vestræ Apostolicæ Sanctitatis, quæ sunt terreni Cæsaris, ut excelso Cæsari persolvam cum fœnore, assistatis ope, benedictionibus, consilio, & favore, ut Reprobantium opera nostro subsidio intentur. Cœlestis omnipotens Deus Sanctitatis vestræ processibus præbeat misericordiæ largitatem, ut per cuncta, quæ agitis, æternæ gloriæ serviatis. *Hactenus Palæologi Congratulatoriæ*. Joannes verò Bechus scripsit in hanc formam, videlicèt.

Sanctissimo, & Beatissimo Summo Pontifici Apostolicæ Sedis veteris Romæ Universali Papæ Domino Nicolao, Joannes miseratione divina Patriarcha Constantinopolitanus novæ Romæ, & quod sub nobis est Concilium sanctum, salutem in Domino, & debitam inclinationem, & orationum postulationem.

1444 „ Recepimus literas vestras, o Divinissime Domine, Pastorum Pastor, omniumque Præsul supereminens Prælatorum. Nec est dicendum, quantâ lætitiâ repleti sumus. Cognovimus nàmque, quòd Deus bonorum omnium elargitor non magnificentiæ vestræ Sedem, sed Sedi Sanctitatem vestram potiùs condonavit, ut ipsa siquidèm per eos decoraretur ampliùs, & ornaretur. Et quamquàm priùs Sanctitas vestra omnibus esset nota, prævenit enim fama pennas extendens, & volans ubiquè, quæ non cognoscentibus ea, quæ sunt vestræ maximæ Sanctitatis, manifesta & cognita demonstravit; magis cognoscet tamen amodò ac diligentiùs quilibet usus materiâ ampliori, & meliùs quam antè vos benefacientem unicuique specialiter, ac communiter omnibus ex operibus festinantem Maximum & primum Pontificem Dominum nostrum Jesum Christum propensiùs imitari. Confidit proculdubiò nostra humilitas, quòd hoc procedit ad perfectissimum complementum; nec minùs putamus, quòd in hoc concordant quicumque Sapientes, ex præcedentibus futura imaginantur. Si enim antequàm ascendisſetis ad superexcellentem altitudinem omnium dignitatum, **in vobis tanta** aderat præ omnibus excellentia bonitatis, ut vobis quis non posset ferè in aliquo comparari, quanto magis decet vos nunc indutos magnitudine tali, utiliora operari, & meliora? Qui verò nondùm ad gradum perfectionis perveniens, tanto bonorum operum lumine refulgebat, ut persuaderet in ipso videntes Patrem gloriari Cœlestem, hic idem ad superlativum ascendens, quomodò non apparebit lucidus, ac apertiùs relucebit, omnes à longè attrahens ad se, quemadmodùm Candelabrum in alto positum iis, qui longè sunt, resplendet, & ipsos ad se convocat ex fulgore? Non enim idem Candelabrum tantùm ex infimis vel de terrâ refulget, quantùm si super modium, vel in altissimis producatur. Undè & Propheta super Candelabrum aureum videns candelam, duo ostendit, ignem videlicèt descendere gratiæ à Patre luminum; & quod est natura ignis suprastantis nobis ex supernis lucidiùs relucere. Quis ergò ea, quæ diximus, in mente habens, non replebitur delitiâ spirituali, ut promptissimè ad Deum, tanquàm hujusmodi largitorem, gratiarum referat actiones, ac sibi postulet, ut qui tale bonum condonavit, conservet ipsum externum, & sicut ipsum perfecit, ità conservet illud ad communem utilitatem? Quis non super hujusmodi jubilet? Et quis poterit de istis non gaudere? Humilitas verò nostra nunquàm aliàs jucundiùs Deum magnificavit, sibi adscribens omnia, & glorificans procurationem suam maximè, ac provisionem, per quemsemper utile suis dispensans in hujusmodi nuper factis, opportunum nullatenùs præterire dimisit, venientique ad totam Eccl. constitutionem ad ea, quæ damni essent, aliquatenùs extenderentur ipsi Viri Dei. Quomodò enim Viris tàmegregiis in unû congregatis, inter quos, Deum fuisse nullus dubitat, opportunum lateret? Non oportuit hoc fieri, & ideò non est factum.

1445 „ Et licèt vestra maxima Sanctitas in sacris literis ad nos missis, vos indignos voluerit nominare, nosque ad orationem provocaveritis, & supplicationem, ut Deus, vos tanquàm dignos efficiat; Nos tamèn diligenter cognoscimus, quòd nil aliud sunt hujusmodi, nisi verba mansuetudinis & humilitatis: imitamini nàmque omnium Dominum, ac Deum Jesum, à quo vobis tanta gratia est largita, & amplectivum; modestiam & mansuetudinem, & commune exemplum humilitatis vos proponitis, cùm non sit alius dignus ad administrationem gubernationis Ecclesiæ, quàm vestra sapiens à Deo Sanctitas, quàm dignè estis ad hoc, & verè dicere possumus superdignè. Quomodò ergò unquàm orationem talem fundemus pro vestra Apostolica hono-

„ norabilitate, cùm magis vestris sacris ora-
„ tionibus indigentes affectemus quotidiè
„ ipsas habere tanquàm bonum viaticum ad
„ salutem? Deus itaquè per suos speciales
„ Ministros eligit, quem vult, & vincens
„ cum quanta quis dicet virtute, quæ mul-
„ torum sunt, omissis consiliis, suam perfi-
„ cit voluntatem. Undè nos vestras paternas
„ literas intelligentes, de hoc intimantes,
„ filialiter recepimus ipsas, tanquàm omne
„ bonum annunciantes; supplicantes pro-
„ pensiùs vestræ Sanctissimę Paternitati, qua-
„ tenùs de nobis cum aliis, qui inter vestros
„ filios reputantur, memoriam facere veli-
„ tis in sacris ad Deum supplicationibus ve-
„ stris, ut ipsis adjuvantibus, & foventibus
„ benè gubernare possimus populum nobis à
„ Deo creditum, immò ipsum conducere in
„ operibus Deo placentibus; & salutaribus,
„ atque cætera in pace, secundùm Deum, &
„ firmam patientiam, ac quietitudinem ipsi
„ populo acquiramus, negotiantes ipsum ad
„ manus Pastoris omnium Domini Dei salu-
„ britèr pervenire; qui dignetur nos recipe-
„ re mediantibus orationibus sublimissimæ
„ vestræ supereminentiæ, vestram in multis
„ temporibus conservans Divinitatem. *Hactenus Joannis Patriarchæ literæ.*

1446 Cùm autem Apocrisiarii Græcorum ab Imperatore ad Joannem Papam cum suis Andronici, & Prælatorum literis missi, ob inopinatum Joannis Papæ obitū, ac diuturnitatem vacantis Sedis, diù in Curia stetissent. Nicolaus, ad cujus manus traditæ fuerunt prædictæ literæ, Pontifice jàm creato, eos remittere curavit, & alios Sanctæ Sedis Apocrisiarios cum responsivis eis sociare. Ac ideò ad hoc munus exequendum selegit Bartholomæum Episcopum Grossetanum, Fratrem Bartholomæum de Senis Syriæ Ministrum, Fratrem Philippum Perusinum, & Fratrem Angelum Urbevetanum Lectores, ex Ordine Fratrum Minorum, quibus infrascriptas Palæologo contradendas dedit literas.

Charissimo in Christo filio nostro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

1447 „ Sicut ex literarum tuæ Magni-
„ tudinis Sedi Apostolicæ novissimè directa-
„ rum gratâ lectione collegimus, illud ad
„ laudem tui nominis magis claret, immò
„ clariùs Syderis instàr irradiat, quòd ad
„ catholicę fidei veritatem, quam Sedes ea-
„ dem tenet, docet, & prædicat, zelo devo-
„ tionis afficeris, ipsam devotus amplecteris,
„ ad ejus unitatem cunctos tibi subditos ad-
„ ducere satagis, & debitam ei reverentiam
„ invariabili proposito conservare promittis.
„ Quid enim puriore luce relucet in Princi-
„ pe, quàm fidei rectæ sinceritas, & vera Re-
„ ligio? Qui cum in luminis, & vitæ diri-
„ gantur auctorem, tenebras respuunt, sub-
„ jicere defectui nesciunt, nec verentur oc-
„ casum. Probant autem laudabilem tuæ in
„ his sinceritatis affectum ejusdem veræ ca-
„ tholicæ Fidei, tua fidelis, clara, & aperta
„ professio, Primatus Sacrosanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ devota recognitio, spontaneaque
„ susceptio, debitæ sibi obedientiæ prompta
„ & humilis, sponsio, corporaliter à te præ-
„ stito juramento firmata, schismatis abjura-
„ tio, per te publicè facta, ac in earundem
„ literarum serie, juxtà formam per eandem
„ Sedem traditam pleniùs seriatim expressè.
„ Quas ipsi Sedi per tuos Apocrisiarios præ-
„ sentatas non solùm ad veritatis testimo-
„ nium, sed & ad memorabile tuæ laudis
„ præconium, tàm præsentibus, quàm po-
„ steris memorandum in Archiviis ejusdem
„ Ecclesiæ fecimus conservari.

1448 „ Sanè, Fili, dùm ardorem desi-
„ derii, quo ad Latinos, & Græcos, anti-
„ quo schismate separatos, in charitatis mu-
„ tuæ vinculo, & unitate fidei uniendos per
„ Sanctos Patres Romanos Pontifices præ-
„ decessores nostros est suspiratum ardentiùs,
„ & labores immensos, quibus est hinc indè
„ diutiùs laboratum, memoria recensemus,
„ quòd in præmissis actum ab Excellentia tua
„ comperimus, tantò votis nostris cedit ac-
„ ceptiùs, quantò solet haberi gratiùs, &
„ reputari præclariùs, quod anxiè quæritur,
„ & laboriosiùs obtinetur. Et quidèm cun-
„ ctis christianæ Religionis communionem
„ habentibus in iis de reintegratione Reli-
„ gionis ejusdem communis præstantur ex-
„ citativa lætitiæ, sed nobis eo majoris ju-
„ cunditas, & gaudii specialiter causa suc-
„ crescit, quo magis dùm minori fungeba-
„ mur officio, eorundem fuimus laborum
„ participes, & desiderii non expertes, quò
„ singulariùs hęc à nobis ad Apostolatus cul-
„ men assumptis diligētiam promotionis ex-
„ poscunt, qui priùs cooperationis tantum-
„ modò commune nobis, & aliis ministerium
„ exigebant. Sed & tu, Princeps Magnifice,
„ te lætantèr in iis considera prҫducem, &
„ lætare per alios etiam tuos imitaturos exē-
„ plum tibi retributionis premium aliis con-
„ venientibus meritis adaugendum. Consi-
„ dera quot fortes animo, nec debiles viri-
„ bus, qui prudenter sui operis afficiuntur
„ ad exitum, quo plùs fini propinquant, di-
„ ligentiùs operantur. Sic & ii, qui in agone
„ contendunt, quò minùs restat de cursus
„ instantia, eò currere nituntur instantiùs,
„ & quo de victoria magis sperant, ad bra-
„ vium plùs aspirant. Ejà igitùr & tu fili,
„ qui tantùm in te, ac aliis, & præcipuè in
„ dilecto filio nobili viro Andronico nato
„ tuo sic desideratis dedisti principium tan-
„ tum in sic accepto unionis perutilis opere
„ processisti, cùm præstò tibi fatearis poten-

„ tiam virium, nec promptum diffitearis, „ aut diffiteri deceat animum; insta opportunè, immò, si opus fuerit, etiam importunus insiste. Insta, ut quæ in te ipso cœpisti fœliciter, in Prælatis, & aliis etiam ore, „ ac opere compleantur. Suppleantur omninò quæ desunt, nec ulteriùs prætermittantur, aut differantur omissa.

1449 „ Cùm igitur, sicut non solùm famæ, verùm etiam missorum dudùm ad te „ Nunciorum ipsius Ecclesiæ relatio perhibet & veritas, & tua nihilominùs assertio „ habeat, quod totalitèr à te hujusmodi negotium, ejusque dependet consummata „ perfectio, tuæ decet esse solicitudinis, tuæ „ curæ, ut idem negotium celerem desideratæ, sed proculdubiò nimiùm prorogatæ, „ consequatur effectum. Ideòque nos, qui „ ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi „ singulariter innitentes, ad id apud tuam „ Excellentiam, & cum ea, qnin potiùs & „ per eam apud cçteros scilicèt Prælatos, ac „ alios exactâ diligentiâ procurandum, Venerabilem fratrem nostrũ Bartholomæũ Episcopum Grossetanum, & dilectos filios fratres Bartholomæum de Senis Ministrum „ Syriæ, Philippum Perusinum, & Angelum Urbevetanum, Lectores Ordinis Minorum, Viros catholicæ Fidei zelatores, „ scientiâ præditos, observatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos ad tuam præsentiam destinamus. Celsitudinem tuam rogantes & obsecrantes in „ Domino Jesu Christo, quatenùs ipsos ob „ reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram, „ ea, quæ tantum decet Principem, benignitate recipiens illos, quæ ad pleniorem „ ejusdem negotii consummationem, soliditatem, roburque solidiùs tàm per teipsum, „ quàm per alios facienda suaserint, clementer audias, ut efficaciter impleantur ad „ augendum retributionis tuæ præmium, & „ ampliandum laudis titulum, operosus intendas.

1450 „ Cæterùm moram Apocrisiariorum tuorum apud Sedem eandem, quam „ ipsius Sedis vacatio, tibi, ut credimus, „ non ignota, & nostræ promotionis novitas „ induxerunt, habeat tuæ mansuetudinis „ circumspectio excusatam. Ad petitiones „ autem per eos coràm fœlicis recordationis „ Gregorio, & Innocentio IV. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris nomine „ tuo propositaa, & novissimè in nostra, & „ fratrum nostrorum præsentiâ repetitas, „ scimus per speciales literas ejusdem prædecessoris Innocentii plenè, prout suasit „ facti qualitas, fuisse responsum; quàm „ quià nulla postmodùm novitas immutavit, „ nec nos ad eas responsionem putavimus „ immutandam. Datum Viterbii IX. Octobris, Anno primo. *Hactenus literæ Nicolai ad Palæologum*, quas cum subsequentibus ex Codice Vaticano exscriptas exhibet Wadingus ad Annum Dom. MCCLXXVIII. sub num. 3. & seq.

1451 Secundas simùl literas ad eundem Imperatorem eodem tempore, per eosdem paritèr Legatos misit, in quibus nè propter dissensiones exortas inter ipsum, & Carolum Siciliæ Regem, negotium unionis detrimentum aliquid pateretur, in mentem revocat, quæ Joannes XXI. scripserit. Hortans ad pacem ineundam cum præfato Rege, & ut pacta, & conditiones pacis Apocrisiariis Apostolicæ Sedis communicaret; Apocrisiarios etiam suos, cum mandato, & potestate pro pace prædicta firmanda intrà certum tempus, ad eandem Apostolicam Sedem dirigeret; Intereà temporis potuisse aliquam treguam inter eosdem iniri. Dolet autem super hæc omnia, nullum hactenùs datum ab eo responsum. Denique limitat tempus quinque mensium ad destinandos pro hac causa Apocrisiarios apud Sanctam Sedem, & pro tregua ad certum tempus firmanda, hortatur, ut persuasionibus Apocrisiariorum ejusdem Sanctæ Sedis, latorum earundem literarum acquiescat. Itaquè tenor præfatarum literarum est, qui sequitur.

Charissimo in Christo filio Michaeli Palæologo, Imperatori Græcorum Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

1452 „ Ex more quemvis Opificem conservatio sui operis afficit, & ad vitanda solicitè quæcumque contrarii etiam suspicionem inducerent, instinctus quasi naturalis „ inducit. Porrò circà negotium unionis inter Latinos, & Græcos, non sinè multo & „ mutuo hinc indè labore promotum, eminet evidenter Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię, nec solicitudo dissimilis, nec dispar affectus. Siquidèm fœlicis recordationis „ Joannis Papæ prædecessoris nostri tempore, Apostolicis directis Magnificentiæ tuæ „ literis, nè unio eadem ex dissensione, quam „ inter te ex parte una, & charissimos in „ Christo filios nostros Imperatorem Constantinopolitanum, & Carolum Siciliæ „ Regem Illustres ex altera, temporalium „ subministrat occasio, dispendium sentiret „ in aliquo; facti circumstantias non sub involucro verborum involvere, nec sub aliquo velamine velari studuit; sed revelatâ „ veritate dictorum Principum querelas aperuit, detexit instantiam, & propositum „ non celavit; Nec omisit, sed ad communem cautelam, suæque puritatem conscientiæ, conservandam, piâ denunciavit intentione, pericula, quæ dissensio eadem comminatur.

1453 „ Ad quæ vitanda consultiùs, prædictis Principibus hortatis ad pacem, Magni-

„ gnificentiam tuam monuit, & rogavit attentiùs paterno affectu, nihilominùs persuadens, ut proinde dubiis guerrarum consideratis, & vitatis eventibus, quo solent innumera dispendia prævenire, animum tuum ad concordiam præparans, & disponens ad pacem, ac vias & modos: per quos inter te, ac Principes memoratos pax & cõcordia possent provenire faciliùs, diligenter excogitans, illos Sedis Apostolicæ Nuntii. Tunc ad tuam præsentiam destinatis communicare, ac ipsos super eis informare curares. Sed & nihilominùs Apocrisiarios tuos animum, & plenum ad prosequendum eosdem modos & vias, & etiam consummandum mandatum habentes, infra certum terminum in literis ipsis expressum, ad Sedem destinares eandem. Sed, & nè medio tempore per molestias, vel injurias aliquas inter te, ac sæpefatos Principes posset exasperari negotium, ut ab illis abstineretur omninò, treguas aliquas, ad quas memoratos Principes variis inductionibus inclinarat, prout prædicti Nuntii sui suggererent, persuasit iniri.

1454 „ Super iis autem nullo à magnitudine tuâ recepto responso, ex eo nobis, & fratribus nostris datur admirationis non injusta materia, quod cum prædiceris vir esse Consilii, vir magnæ prudentiæ, tantum, ac tale spiritualis tui Patris consilium, nè contempsisse dicaris, taliter præteriisti, nec ipsum facto prosequens, nec ad illud scripto, seù verbo respondens: præsertim cum habuerit hactenus tua instans, & repetita petitio, quod ad Latinos & Græcos in charitate mutua solidanda tractatus erat temporalium præmittendus: licèt ejusdem Ecclesiæ circumspecta provisio, non indignè à spiritualibus elegerit initium assumendum.

1455 „ Quia verò per hæc monitioni Charorum, insistitur, ad quorum utilitatem stimulis charitatis urgemur; quamquam ex parte tua non fuerit efficaciter præmissa, ut decuit, admissa monitio; Nos tamen propterea nequaquam desistendum à cœptis, sed ad conservationem unionis ipsius, & vitandum pervigili studio, quæcumque possent occasionem turbationis ejus inducere, præmissum affectum ejusdem Ecclesiæ prosequendum potiùs æstimantes; Excellentiam tuam attentè rogamus, & affectuosè monemus, exhortantes in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens, quanta ex hujusmo di sedatione discordię detur, non solùm utrique parti, sed etiam toti quasi Christianitati tranquillitas; quanta vitentur ex ea pericula, quam sit eadem animarum saluti congrua, & soliditati tui, tuorumque status accommoda, juxtà præmissas exhortationes, & persuasiones ejusdem tuę „ Matris Ecclesiæ sine cunctatione aliqua pacis semitas prosequaris, & in excogitandis prædictis viis & modis, Venerabili Fratre nostro Bartholomæo Episcopo Grossetano, & dilectis filiis Fratribus Bartholomæo de Senis Ministro Syriæ, Philippo Perusino, & Angelo Urbevetano Lectoribus Ordinis Minorum, Nuntiis nostris, circa illos, prout utiliùs fore putaveris, informandis, nullam ulteriùs negligentiam habiturus, Apocrisiarios tuos, viros quidem idoneos, viros pacificos, ad pacem & concordiam, ut præmittitur animum & mandatum habentes, infra quinque menses post receptionem præsentium destinare ad ejusdem Sedis præsentiam non omittas.

1456 „ Sed & ad compescendum hinc inde molestias & injurias, quæ possent partium animos irritare, circa treguas certi temporis cum dictis Principibus ineundas, eorundem Nuntiorum nostrorum persuasionibus aquiescas pensans consultiùs, quod cum treguarum conventio ex utriusque partis consensu dependeat, non expedit alterutram certam formam eligere, sed ad communem, & æqualem decet eas animos inclinare; nec aliquid petere, quod vel absurditatem sapiat, vel à justitiâ, & ratione discordet. Datum Viterbii IX. Octobris, Anno I. *Hactenus Nicolai secundæ ad Palæologum literæ*. Sed quas ad Andronicum rescripsit attendamus.

Dilecto Filio Nobili Viro Andronico, Primogenito charissimi in Christo Filii Nostri Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

1457 „ Age, Fili, prudenter, & humiliter immensa beneficia tui Creatoris attendè. Attende quanta tuę juventutis auspicia suæ dilectionis benedictione prævenit: Ipse quidem, ut suæ circa te largitatis abundantiam in temporalibus taceamus, in te oculos interioris hominis suo lumine illustravit. Immisit in tuæ mentis habitaculum lucem suam, dedit intelligere Catholicæ fidei veritatem, ut in Montem Sanctum suum, in communionem videlicèt, & unitatem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per professionem ipsius fidei, recognitionem & susceptionem Primatus ejusdem Ecclesiæ, sponsionem debitæ sibi obedientiæ; abjurationem Schismatis, quæ omnia tuæ testantur literæ, quas noveris per Sedem Apostolicam gratanter & benignè receptas, suo ducatu deductus, tandem in dilecta ejus Tabernacula per continuationem bonorum operum fæliciter aducaris. Ipse sic ergà charissimum in Christo Filium nostrum Michaelem Palæologum

„ Imperatorem Græcorum Illustrem Genitorem tuum, & te ipsum pium direxit ejusdem Matris Ecclesiæ studium, ut non solum per hæc ci, & tibi spiritualiter consuluerit ad salutem, sed & salubribus multiplicatis persuasionibus, quæ in aliis eidem genitori tuo, tam à fælicis recordationis Ioanne prędecessore nostro, quàm à nobis directis literis exprimuntur temporaliter ad securitatem status satagit provenire. Decet igitur, ut & tu periculosè de tantis gratiis non comperiaris ingratus eidem Creatori tuo pro omnibus, quæ tibi tribuit aliquid gratitudinis præ tuæ possibilitatis viribus recompenses.

1458 „ Cùm itaque ad perfectiorem consummationem unionis, jàm per ipsius Genitoris, & tuam solicitudinem promotę, fæliciter inter Latinos & Græcos, non solum, quæ per ipsum, & per te acta sunt in Prælatia, & aliis agenda supersunt, sed & alia nonnulla supplenda, ad quorum prosecutionem de tua cooperatione specialiter confidentes, Venerabilem Fratrem nostrum Bartholomæum Episcopum Grossetanum, & dilectos Filios Fratres Bartholomæum de Senis Ministrum Syriæ, Philippum Perusinum, & Angelum Urbevetanum Lectores Ordinis Minorum, Viros Catholicæ fidei Zelatores, scientia præditos, observatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos, ad ipsius Imperatoris, & tuam præsentiam destinamus. Magnitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur attentè in Domino Iesu Christo, quatenus providè pensantes quod solum benè cæpisse non sufficit, nisi perseveranter usque ad operis exitum persistatur; ob reverentiam Apostolicæ Sedis, & nostram, eisdem Nuntiis te favorabilem exhibens, & benignum in iis, quæ ad perfectionem solidam dictæ unionis faciendæ suaserint, & specialiter apud sæpefatum Genitorem tuum, ut nostris consiliis & suasionibus tibi, & idem procuIdubiò, ut speramus, utilibus aquiescat, solicitam operam studiosus impendas. Per hoc etenim non solum tibi laudis titulum, & retributionis meritum ampliabis, sed & statui tuo consultiùs, auctore Domino providebis. Datum Viterbii IX. Octobris, Anno I. *Hactenus ad Andronicum Nicolaus.*

1459 Ad Græcorum inde Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Prælatos scripsit, Apostolicam Sedem ipsorum literas ingenti gaudio accepisse, quibus Primatum Romanæ Ecclesiæ agnoscere, ac suscipere, spondere illi humillima obsequia, atque in Concilio œcumenico gesta admittere exponebant. Attamen, quoniàm professio fidei in præfatis literis ab eis expressa, non sub iisdem terminis fuerat concepta, sub quibus ab antecessoribus Romanis Pontificibus fuerat exarata, atque in Generali Lugdunensi Concilio, recepta, iterumque ab ipso Imperatore per se ipsum subscripta: ad stabiliendam perfectam unionem, admonet & hortatur, ut eandem fidei formam, & ipsi recipiant, eidemque subscribant, cui & Imperator subscripsit, ut uniformitas unitatis fidei servetur ab universis: quoniàm in prædictâ unione procedi debet uniformiter in fidei unitate: Et itá hortatur, ut juxtà requisitionem Apostolicæ Sedis Nunciorum, omnes & singuli profiteantur eandem fidem juxtà formam ab eisdem exhibendam, & præsentandam. Sunt ergò literæ tenoris sequentis, videlicèt.

Venerabilibus Fratribus Patriarchæ, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Prælatis Græcorum,

1460 „ Fraternitatis tuæ literas, Frater Patriarcha, professionem veræ Catholicæque fidei, quam Romana Ecclesia tenet, docet, & prædicat; aspernationem &; abnegationem antiqui Schismatis, ut earundem literarum verbis utamur, recognitionem, & susceptionem Primatus ipsius Ecclesiæ, ac sponsionem obedientiæ spontaneam ad eandem per te nomine tuo, & totius Synodi apud vos antea celebratę, certò modò factas inter alia continentes, Sedes Apostolica benignè recepit, & eas diligenter inspiciens vestrum ad negotium unionis inter Latinos & Græcos, Divino beneplacito inchoatum, & charissimi in Christo Filii nostri Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris Illustris, dilecti Filii Nobilis Viri Andronici nati ejus, ac vestrâ solerti cooperatione promotum, quem eædem literæ prætendebant, notavit affectum, probat multipliciter & commendat. Super quo illi Sacrificium laudis offerimus, & jubilationis hostiam immolamus, qui eorundem Imperatoris, nobilia, & vestros oculos mentis aperuit, intellectum tribuens, & vos ad agnitionem veritatis adducens. Et quidem, Fratres, & Filii lætanter attendimus, & gratanter accepimus multa in eisdem literis contineri professioni ejusdem verę fidei consona, recognitioni dicti Primatus accommoda obedientiæ sponsioni congrua, & abjurationi præfatis Schismatis opportuna.

1461 „ Verùm cum in prædictis propenso consilio & discussione solicitâ ejusdem Ecclesię certâ, quam esse decet in omnibus uniformem, forma sit prodita, per memoratos Imperatorem, & nobilem acceptata, jam dudum per eorum Nuncios in Generali Lugdunensi publicata concilio, & ab ipsis nuper in personis propriis publicè, ac solem-

„ lemniter iterata, illam cenſuimus omnimo-
„ dis obſervandam, præſertim cum expediat
„ in iis uniformiter ab omnibus, per hujuſ-
„ modi unionem vivendi in fidei unitate pro-
„ cedi, & vos velut jam factos obedientiæ fi-
„ lios deceat ipſius Eccleſiæ veſtrę omnium-
„ que Matris fidelium, & Magiſtrę fideli ma-
„ giſterio per obſervationis promptitudinem
„ humiliter adhærere, ac juxtà ejus benepla-
„ citum, & diſpoſitionem circa hujuſmodi
„ negotium adimplere ſollicitè omnia, & ma-
„ ximè illa, quæ ad ipſum conſummandum
„ pleniùs & ſolidiùs roborandum per Nun-
„ tios: noviſſimè ad hoc miſſos ex ejuſdem
„ Eccleſiæ parte requiſita, nec adimpleta
„ fuerunt.

1462 „ Ideòque Venerabilem Fratrem
„ noſtrum Bartholomæum Epiſcopum Groſ-
„ ſetanum. & dilectos Filios Fratres Bartho-
„ lomæum de Senis Miniſtrum Syrię, Phi-
„ lippum Peruſinum, & Angelum Urbeve-
„ tanum Lectoris Ordinis Minorum, Viros
„ Catholicę fidei Zelatòres, ſcientiâ prædi-
„ tos, obſervatores voluntariæ paupertatis,
„ & veræ humilitatis amicos ad hæc inter eæ-
„ tera ſpecialiter deſtinantes, univerſitatem
„ veſtram rogamus, & hortamur, obſecrantes
„ in Dom. Jeſu Chriſto, & per hęc Apoſt. ſcri-
„ pta mandantes, quatenus juxtà requiſitio-
„ nẽ ipſorum, omnes & ſinguli ſingulariter
„ prǽmiſsã veram fidem profiteamini, reco-
„ gnoſcatis & ſuſcipiatis Primatum, abjure-
„ tis Schiſma, obedientiam promittatis. In his
„ ſupradictam formam vobis per eoſdem no-
„ ſtros Nuncios præſentandam ſtudioſè per
„ omnia obſervando, & in cæteris, ut prędi-
„ citur, non impletis, ac aliis, quæ iidem
„ Nuncii ad perfectam conſummationem
„ ejuſdem negotii duxerint requirenda, ipſis
„ aquieſcendo, humiliter & cooperando effi-
„ caciter, quod idem negotium celeriter abſ-
„ que ulterioris moræ diſpendio, ſtudio veſtro
„ perfectiùs conſummatum. Nos, qui anxio
„ & immenſo id deſiderio affectamus, ac uni-
„ verſalem Eccleſiam Sanctam Dei lætificet
„ Civitatem, vobiſque non ſolum apud nos
„ uberioris favoris cumulum, ſed apud re-
„ tributorem bonorum omnium ad fœcundio-
„ ris retributionis cedat augmentum. Datum
„ Viterbii VIII. Idus Octobris, Anno I. *Ha-
ctenus litera*. Sequuntur & aliæ literæ, quibus
Nicolaus ſupradictis Apocriſiariis Legatio-
nem committit, ex eodem Vaticano Regeſto
à Wadingo exſcriptæ, ad hunc modum ſe ha-
bentes, videlicèt.

*Venerabili Fratri Bartholomæo Epiſcopo Groſ-
ſetano, & dilectis Filiis Fratribus Bar-
tholomæo de Senis Miniſtro Syriæ,
Philippo Peruſino, & Angelo
Urbevetano Lectoribus
Ordinis Minorum.*

1463 „ Deſiderantes, ut ea, quæ ad unio-
„ nis inter Latinos & Græcos tractatæ nego-
„ tium conſummandum, pleniùs & firmiùs
„ roborandum, necnon, & ad tollendum ma-
„ teriam turbationis, ſeù impedimenti unio-
„ nis ipſius, quam inter Chriſtianiſſimos
„ in Chriſto Filios noſtros Imperatorem Cō-
„ ſtantinopolitanum, & Siciliæ Regem Il-
„ luſtres ex parte una, & chariſſimum in
„ Chriſto Filium noſtrum Michaelem Palæo-
„ logum Imperatorem Græcorum Illuſtrem
„ ex altera, diſcordia ſuper temporalibus
„ ſubminiſtrat, in literis, quas per vos ei-
„ dem Palæologo, Patriarchæ, & Prælatis,
„ & Clero Græcorum, & nobili Viro Andro-
„ nico ejuſdem Imperatoris Grȩcorum Pri-
„ mogenito, deſtinamus, & in memoriali ſu-
„ per illis ſub Bulla noſtra vobis tradito, ple-
„ niùs continetur, deſiderato, Deo auſpice,
„ impleantur effectu. Volumus, & diſcre-
„ tioni veſtrę, per Apoſtolica ſcripta manda-
„ mus, quatenus ad partes illas perſonaliter
„ accedentes, tam circa prædictos Imperato-
„ rem, & Primogenitum, quàm circa Præ-
„ latos, & alios, præmiſſa ſtudeatis exequi
„ diligenter.

1464 „ Et ut illa commodiùs, & faciliùs
„ valeant provenire, vobis audiendi confeſ-
„ ſiones confiteri volentium, & eis ſalutarem
„ injungenti pœnitentiam pro commiſſis, ac
„ ipſis abſolutionis impendendi beneficium
„ ſuper illis, niſi fortè talia fuerint, propter
„ quæ Sedes Apoſtolica, ſit meritò conſulen-
„ da, excommunicandi præterea auctoritate
„ Apoſtolica eos de partibus illis, quos ne-
„ gotii unionis ejuſdem fore vobis conſtiterit
„ turbatores, cujuſcumque præeminentiæ,
„ conditionis, aut ſtatus exiſtant, & in ter-
„ ras ipſorum interdicti ſententias proferendi;
„ necnon, & procedendi alias ſpiritualiter,
„ & temporaliter contra ipſos, & terras eaſ-
„ dem, prout utilitati negotii conſideratis
„ ejus circumſtantiis, videritis expedire,
„ Abſolvendi quoque juxtà formam Eccleſiæ
„ Latinos & Græcos, tam Clericos, quàm
„ Laicos illarũ partium ab excommunicatio-
„ nis ſententia, quàm pro violenta manuum
„ injectione in Clericos & Perſonas Eccleſia-
„ ſticas incurrerunt, niſi adeò gravis fuerit,
„ & enormis exceſſus, propter quem ad Se-
„ dem eandem oporteat haberi recurſum, &
„ diſpenſandi cum eiſdem Clericis ſuper ir-
„ regularitate, ſi quam contraxiſſe noſcantur,
„ ſe ſic ligati Divinis Officiis immiſcendo.
„ Concedendi etiam ſecuritatem plenariam
noſtro

„ nostro,& Ecclesiæ Romanæ nomine Nuntiis „ Imperatoris, Primogeniti, & Prælatorum „ ipsorum pro negotio supradicto ad Sedem „ prędictam venire volentibus, vobis acvi- „ ce nostrâ in prędictis partibus existentibus, „ usque ad certum tempus, quod eis duxe- „ ritis præfigendum, plenam & liberam præ- „ sentium auctoritate concedimus faculta- „ tem. Datum Viterbii VII. Idus Octo- „ bris, Anno I. *Hactenus ad Apocrisiarios datæ literæ*.

1465 Memoriale porrò indicatum in antefatis literis, continens nimirum instructionem à S.Sede eisdem Apocrisiariis datam circa modum se gerendi cum prædictis Græcis in hac eorum Legatione, omittit Wadingus, licèt asserat illius exemplar apud se habuisse. Raynaldus verò ad An.Dom.MCCLXXVIII. à num. 7. licèt non integrum, & totum per extensum, exhibet tamen, quæ substantialia in eodem continentur; Cum verò ex nullo alio Codice mihi suppetat, prout habetur apud eundem Raynaldum, infra exhibeam; Et quod notatu dignum est, cùm Imperator in literis suis datis ad Gregorium X. & recitatis in Concilio generali Lugdunensi, incipientibus: *Quoniàm missi sunt*: petiisse, ut Ecclesia Constantinopolitana Sanctum Symbolum recitare posset, sub eadem forma, & eisdem verbis, quemadmodùm hactenùs recitaverat, & uti suis ritibus, quibus ante schisma usque ad præsens tempus usa fuerat, nè ex novitate, Græci tumultum excitarent: Et quoniàm in Concilio præfato super hoc nihil fuerat determinatum, nec in literis Gregorii quidquam super hujusmodi petitione responsum datum legatur, Nicolaus in pręfata instructione, declarat non esse quod Symbolum id concedendum, quoniàm apud Græcos decantari consueverat sine voce, in Articulo de processione Spiritus Sancti, *Filioque*, mandans ut uniformiter in utraque Ecclesia decantetur propter fidei unitatem cum voce illa, *Filioque*. Quo verò ad ritus, concedit posse uti ritibus suis, qui puritati Ecclesiæ non adversantur. Et ex hoc clarè evincitur errare illos, qui fatentur Sacrum Concilium Lugdunense permisisse Græcis canere Symbolum sine voce illa, *Filioque*. Hoc certè non constat ex Actis pręfati Concilii, nec ex Gregorii X. vel successoribus ejus literis, quinimmò contrarium omninò demonstrant instructionis literæ Nicolai, quæ ità se habent.

1466 „ In commissi vobis executione negotii, Venerabilis Frater Bartholomæe „ Episcope Grossetane, & dilecti Filii Fratres Bartholomæe de Senis Minister Syriæ, „ Philippe Perusine, & Angele Urbevetane „ Lectores Ordinis Minorum, talis videtur „ processus habendus. *Et infra*. Petenda est „ ab Imperatore prædicto multiplicatio literarum super fidei professione, Primatus re- „ cognitione, ac susceptione, & obedientiæ „ sponsione Missarum ab ipso per Nuntios, „ qui novissimè redierunt. Hoc tamen mutato, ut non scribatur, fęlicis recordatio- „ nis prędecessori nostro Gregorio, sed nobis „ Ad hujusmodi autem mutationem non est „ importunè instandum; sed ità si de plano „ possit haberi. *Et infra*.

1467 „ Item suadeatur diligenter eidem „ Imperatori, ut cum Patriarcha, & alii „ Pręlati nondum fecerint professionem fidei, „ recognitionem, & susceptionem Primatus „ ejusdem Ecclesiæ Romanæ; abjurationem „ Schismatis, & obedientiæ sponsionem, „ juxtà formam ab eadem Ecclesia traditam; „ Cui debent ipsi obedientiæ filii, maximè „ in iis, quæ consummationem, robur, & „ firmitatem unionis tractatę respiciunt, tamquam omnium Ecclesiarum capiti suę Ma- „ tri, & Magistræ devotè parère; Ipse Imperator, qui fatetur & asserit, à se totum „ dependere negotium, suamque fore in iis „ omnibus liberam potestatem, det operam „ efficacem, ut & præmissa fiant à Prælatis „ eisdem & cætera omnia, quæ ad solidationē „ unionis ejusd.per vos, ut inferiùs exprimitur, „ sunt petenda plenariè, per omnia cōpleâtur.

1468 „ Item super eo, quod dictus Imperator in præfatis suis literis petiit, ut „ Ecclesia Gręcorum dicat Sanctum Symbolum, sicut dicebat hoc ante schisma, & ipsi „ Græci maneant in ritibus suis; respondendum est, quod unitas fidei non patitur diversitatem in professionibus suis, sivè in „ professione, sivè in decantatione. vel alia „ ipsius fidei publicatione: & maximè in decantatione Symboli, quod quanto magis in „ Ecclesia frequentatur, tantò apparere debet „ ampliùs uniforme. Et ideò deliberavit eadem Romana Ecclesia, & vult ipsum cum „ adjectione illa, *Filioque*, tàm à Latinis, „ quàm à Gręcis uniformiter decantari: Et „ quia de additione illa specialiter actum est, „ & recognitio veræ fidei occultari non debet; sed revelari potiùs, & publicè prædicari. De cæteris autem Græcorum ritibus, sic respondendum est: scilicèt, quod „ eadem Ecclesia Romana intendit Græcos, „ quantum cum Deo poterit favorabiliter „ prosequi, & ipsos in illis eorum ritibus, „ de quibus Sedi Apostolicæ visum fuerit, „ quod per eos Catholicæ fidei non lædatur „ integritas, nec Sacrorum Statutis Canonum derogetur. *Et postea*, subjungit ea „ quæ præfati Legati exigere debent à Patriarcha, Prælatis, & Græcorum Clero, inquiens.

1469 „ Hæc autem sunt illa, quæ petenda sunt à Patriarcha, cæterisque Prælatis, & Clero Civitatis cujuslibet, castri, „ vici, seù loci: scilicèt, quod ipsi omnes & „ singuli singulariter fidei veritatem, & ejusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum juxtà seriem

„ riem in literis ejusdem prædecessoris Gregorii, quarum tenorem vobiscum defertis „ ad præsens, plenè, ac seriosè lectam & expositam fideliter, explicitè, ac apertè infrascripto modo, absque ulla conditione, „ vel adjectione, occasione præteriti temporis apponenda, seù etiam facienda, sed simpliciter & purè, sicut petitur, recognoscant, acceptent, & profiteantur præstito „ juramento.

1470 „ Ego N. Prelatus, fidei veritatem, „ prout plenè lecta est, & fideliter exposita, „ veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam Fidem esse recognosco, eam accepto, & corde, & ore profiteor; ipsamque, „ prout veraciter eam tenet, fideliter docet, „ & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, „ me inviolabiliter servaturum, & in ea omni tempore perseveraturum; nec ab ea ullo unquàm tempore recessurum quoquomodo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoquè ipsiua Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa „ serie continetur, ad ipsius Ecclesię obedientiam spontaneus veniens, fateor, recognosco, accepto, & spontè suscipio; & „ me omnia præmissa, tàm circà fidei veritatem, quàm circà ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum „ promitto. Manualem insuper obedientiam, & reverentiam vobis Nunciis Sanctissimi Patris Domini Nicolai Tertii, divinâ providentiâ, Summi Pontificia, & „ ipsiua Ecclesiæ Romanæ, ex nunc exhibeo, „ & me ab illis nullo unquàm tempore recessurum, corporalitèr præstito juramento, „ promitto. & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

1471 „ In præmissis autem nullam decet „ Patriarcham, Prælatos, aut Clerum consuetudinem, qnod jurare non consueverint allegare; cùm nunquàm similis casus „ acciderit, cujus possit consuetudo prætendi; nec hujusmodi consuetudines per usurpationem adversùs Superiores, & jura ipsorum; & maximè adversùs Romanam Ecclesiam contrà Canones usurpatæ, sunt aliquatenùs observandæ, nec dicendæ tàm „ consuetudines, quàm abusus.

1472 „ Volumus prætereà, ut in eorundem Prælatorum, & Clericornm promissione veniat, quòd nec contrà suam professionem aliquid publicè prædicare, vel „ occultè suadere præsumant; quinimmò illi, „ qui officium prędicationis exercent, publicè prædicent, & exponant fideliter suis populis eandem fidei veritatem, & cantent „ etiam Symbolum cum additione illa, sicut „ præmittitur, videlicèt, *Filioque*. Adjiciatia nihilominùa vestræ solicitudinis studio in omnibus prædictis professionibus, „ & recognitionibus, quas fieri contigerit, alias idoneas securitates, & cautelas, „ quas vobis circumstantiæ suggerent exigendas.

1473 „ Cæterùm ad faciliorem, & pleniorem consummationem prædictorum, expedire putamus, ut ad singula loca insignia illarum partium, ad quæ accedere poteritis, & de quibus videbitis expedire, „ vos personaliter conferatis, conjunctim, „ vel divisim promissiones similes in eisdem „ locis cum solemnitate, ac observatione „ simùl recepturi. De hujusmodi autem professionibus, & recognitionibus fiant publica instrumenta.

1474 Deindè inter alia subnectit: „ Item „ memorandum, quod post expeditum tractatum præmissorum, vel dùm præmissa „ tractantur, & executioni mandantur, prout opportunitas obtulerit, & videbitur „ expedire negotio, tangendum est, quomodò Ecclesia Romana miratur, quòd Prelati, & alii non curaverunt adhùc statui „ suo ex consideratione præteriti temporis „ providere. Cùm enim ratione schismatis, „ in quo erant, multotiès latæ sint sententiæ „ contrà eos, mirandum occurrit, quòd ipsi „ quo ad relaxationem sentētiarum ipsarum, „ & tàm Prælati, quàm aliis Clerici, & Personæ Ecclesiasticæ super Irregularitate, „ quam ex consequentia incurrerunt se immiscendo divinis, nullum adhùc petierunt „ remedium adhiberi.

1475 „ Item miratur Ecclesia, quòd Patriarcha, & alii Prælati post professionem „ fidei factam, recognitum & susceptum primatum Ecclesiæ Romanæ, ac obedientiam „ promissam eidem super confirmatione status sui nullam provisionem petere curaverunt. *Et indè*.

1476 „ Item attendendum, quòd in quibusdam literis, quæ vobis Nunciis diriguntur, & incipiunt: *Desiderantes, ut ea, quæ ad Unionis &c.* datur vobis sub certa „ forma potestas excommunicandi auctoritate Apostolicâ eos de partibus illis, quos „ negotii unionis ejusdem fore vobis constiterit turbatores, cujuscumque præeminentiæ conditionis, ac status existant, & „ in terras ipsorum interdicti sententias proferendi, nec non & procedendi alias spiritualiter & temporaliter contrà ipsos, & „ terras easdem, prout utilitati negotii, considerata ejus circumstantiis, videritis expedire; quòdque cùm similis potestas data „ fuerit per Sedem eandem duobus Episcopis, videlicèt Ferentino, & Taurinensi, qui „ unà cum aliis novissimè per Sedem ipsam „ ad idem negotium destinati fuerunt; dictus Palæologus ipsos instantissimè requisivit, & apud eos multotiès, & multipliciter institit, ut contrà quosdam Magnates, & nobiles Græcos partium illarum,

qui

„ qui prædictis Imperatori Constantinopoli-
„ tano, & Regi Siciliæ adhæserunt, & ipsis se
„ confederaverunt, ipsumque Palæologum
„ impugnare dicuntur, tanquàm contrà tur-
„ batores prædictæ unionis procederent, eos
„ excommunicando, & excommunicatos de-
„ nunciando, ac ipsorum Terras supponendo
„ Ecclesiastico Interdicto.

1477 „ Ipsi tamen Episcopi post inquisi-
„ tionem super hoc factam non processerunt
„ in aliquo contrà eos, consultiùs attenden-
„ tes, quòd nec prædicti prædecessores Gre-
„ gorius, & Innocentius hujusmodi Palæo-
„ logi ejusdem instātiæ ipsis generaliter con-
„ trà omnes recedentes, & recessuros à fide-
„ litate sua porrectæ annuere voluerunt, si-
„ cut apparet in literis ejusdem Innocentii,
„ quæ missæ fuerunt eidem Palæologo, quæ
„ incipiunt: *Innocentius Episcopus &c. Cha-*
„ *rist. in Christo filio Michaeli Palæologo &c.*
„ *Dudum à Sede Apostolica &c.* quarum te-
„ norem vobiscum portatis; & ad illas re-
„ mittunt in fine suo prædictæ nostræ literæ,
„ quas modò Palæologo portatis, quæ inci-
„ piunt: *Sicut ex literarum &c.* Undè & vos,
„ si forsitàn idem peteretur à vobis, multùm
„ habetis attendere, tàm ipsius prædecessoris
„ Innocentii processum, quàm dictorum Epi-
„ scoporum in hac parte constantiam & ma-
„ turitatem; ut & vos non faciles, nec præ-
„ cipites in hoc inveniamini, sed diligentes,
„ solliciti, & maturi; & ità demùm contrà
„ illos procedatis, si manifestè vobis consti-
„ terit eos esse turbatores unionis ejusdem;
„ non eo ipso quòd à fidelitate, seù subje-
„ ctione dicti Palæologi se subtraxisse, præ-
„ fatis Imperatori Constantinopolitano, &
„ Regi Siciliæ adhæsisse, eisque se confede-
„ rasse, ac eundem Palæologum impugnare
„ dicuntur: Sed si directè veniunt contrà
„ ipsam unionem, & directè impediunt, nè
„ Græci, & Latini in charitate mutua, uni-
„ tate fidei, Ecclesiæ Romanæ primatu reco-
„ gnito, & suscepto sub ipsius obedientia
„ uniantur. *Hactenus Instructio apud præfa-
tum Raynaldum.*

1478 Scripsit pariter sub eodem tempore Carolo Siciliæ Regi de Bellorum motibus comprimendis, & feriendo fœdere, vel Induciis statuendis cum Palæologo, admonens, se ad hunc effectum quoquè Legatos ad præfatum Palæologum destinare; proindèque hortatur, ut nequaquàm negligat Nuncios ad hunc pacis consequendæ effectum, vel unà cum Palæologi Nunciis ad ipsam Apostolicam Sedem, cum sufficienti mandato, & potestate, dirigere: Quas literas ex Vaticano Regesto, ad eundem An. Dñi MCCLXXVIII. sub num. 16. exhibet Wading. & sunt tenoris sequentis.

Regi Siciliæ Illustri.

1479 „ Sicut tuam novimus Excellen-
„ tiam non latère fœlicis recordationis Joan-
„ nes Papa prædecessor noster certis ad par-
„ tes Græciæ super tractatu spiritualium pro-
„ sequendo Nunciis destinatis, charissimum
„ in Christo filium nostrum Michaelem Pa-
„ læologum Imperatorem Græcorum Illu-
„ strem per suas sub certa forma literas dili-
„ genter monuit, & induxit, ut super tempo-
„ ralibus, quæ inter charissimum in Christo
„ filium nostrum Philippum Imperatorem
„ Constantinopolitanum Illustrem, ac teip-
„ sum ex parte una, & eum ex altera, dis-
„ sensionis materiam subministrant, animum
„ suum habilitans & disponens ad pacem, ac
„ vias, & modos excogitans, per quos posset
„ super eisdem temporalibus sedari discor-
„ dia, & concordia provenire super illis, præ-
„ dictos ejusdem prædecessoris Nuncios in-
„ formare; suos Apocrisiarios ad pacem ani-
„ mum & mandatum habentes prosecuturos
„ eosdem modos & vias ad ejusdem præde-
„ cessoris præsentiam infrà certum tempus
„ in eisdem literis comprehensum destinare.
„ curaret: Et nè interim hinc, vel indè mo-
„ lestiæ, vel offensæ procederent inter eos
„ certas treguas certi temporis persuasit
„ iniri.

1480 „ Verùm quia super his adhùc op-
„ tatus exitus non provenit, nos Venerabi-
„ lem fratrem nostrum Bartholomæum Epi-
„ scopum Grossetanum, & dilectos filios fra-
„ tres Bartholomæum de Senis Ministrum
„ Syriæ, Philippum Perusinum, & Ange-
„ lum Urbevetanum, Lectores Ordinis Mi-
„ norum ad partes Græciæ prosequendum,
„ quæ circà tractatum spiritualium inter La-
„ tinos, & Græcos opportuna reputavimus,
„ destinantes, super temporalibus memoratis
„ per nostras sub certa forma literas apud di-
„ ctum Palæologum, eandem monitionis,
„ inductionis, & persuasionis instantiam ite-
„ ramus.

1481 „ Ideòq; Serenitatem Regiam mo-
„ nemus, rogamus, & hortamur attentè in
„ Domino Jesu Christo, quatenùs pruden-
„ ter considerans, quòd sedatio dissensionis
„ ejusdem spiritualiter, & temporaliter est
„ multipliciter utilis, & ob hoc nobis valdè
„ votiva super dictis treguis ineundis ità
„ provideas, & ab Imperatore eodem Con-
„ stantinopolitano providere procures, quòd
„ vel inibi opportuno tempore ipsius Impe-
„ ratoris Constantinopolitani, & tui Nun-
„ cii cum mandatis sufficientibus sint parati
„ pro treguis ineundis eisdem, & ipsis firmi-
„ tatibus opportunis, & debitis roborandis,
„ vel si ipsi Imperatori, & tibi non videtur
„ hoc posse in partibus illis, de facili fieri,
„ aut securitatibus debitis roborari, cùm

Apo-

„ Apocrisiarios ejusdem Palæologi, juxtà „ præmissam nostram instantiam venire contigerit, ejusdem Imperatoris Constantinopolitani, & tuis Nunciis ad hoc concurrentibus coràm nobis, ad omnia sufficienter instructis, tàm super ipsis treguis, quàm super principali negocio liberè, & efficaciter, auctore Domino procedatur. Datum „ apud Castrum Capranicæ xv. Kal. Novembris, Anno I. *Hactenùs Nicolaus ad Regem Siciliæ*.

1482 Intereà verò in Græcorum Imperio turbas, & graves tumultus excitarunt Schismatici, ad arma usquè procedentes adversùs Palæologum, quorum Duces fuere Nichiforus legitimus Michalitii Ducis Petræ filius, & alter ejusdem pariter Michalitii filius nothus, quibus posteà defectione factâ se adjunxerunt Andronicus Palæologus Magnus Orientis Mareschallus, Michaelis Imperatoris Consobrinus; Comninus Catacusinus; & Joannes Palæologus, ejusdem Imperatoris Nepotes, quos cum Exercitu ad debellandos Michalitii filios destinaverat; & indè sociati sunt & alii Magnates, quos pariter Imperator ad priores frænandos miserat; quarè multa mala Imperio intulerunt: quæ omnia diffusè scribit Ogerius Interpres Latinæ Linguæ, & Prothonotarius Imperatoris, in literis ab eo datis Marco, & Marcheto, destinatis Apocrisiariis ad Apostolicam Sedem, ut de præfatis motibus, turbis, & tumultibus, certiorem redderent Sanctissimum Pontificem Nicolaum. Quæ quidèm literæ ex Codice Vaticano exhibet Wadingus ad Annum Domini MCCLXXIX. sub num. IV. Et post eum Raynaldus ad Annum MCCLXXVIII. sub num. 13. ad hunc modum se habentes.

Honorabilibus Viris Domino Marco, & Marcheto Latoribus literarum Sanctissimi, & Beatissimi Summi Pontificis Apostolicæ Sedis veteris Romæ, & universalis Papæ, in Christo Deo specialissimi, & Reverendiss. Patris potentis, & Sanctiss. D. mei Imperatoris.

1483 „ Postquàm locutus est Dominus „ meus Sanctus Imperator vobiscum, & retulit quę oportet vos, tanquàm fide dignos, „ habere in memoria, & denunciare ipsa „ Apostolicæ Magnitudini Summi Pontificis, fore necessarium existimavi hujusmodi præsentibus literis exarare, nè fortè, „ prout consuevit accidere hominibus, tùm „ propter spatium itineris, tùm propter prolixitatem temporis, aliqua occurrat oblivio aliquorum, de quibus vobis commissa „ fuerunt. Ergò illa, quæ locutus est vobiscum Dominus meus Sanctus Imperator „ referenda Sanctissimo D. Summo Pontifici, „ sic se habent.

1484 „ Decet omnes Christianos ad Patrem Spiritualem dicere veritatem, tanquàm verum filium ad verum Patrem; & „ si filius est Imperator, gratiâ Christi, & „ Pater, sed Pater Patrum, sicut Sanctissimus Papa Christi Vicarius, justum est „ equidèm, ut cognoscere debeat Dominus „ Summus Pontifex illud, quod est verum „ de suo filio Imperatore. Propter hoc ergò „ Dominus meus Imperator revelat, & enucleat, quæ reverà ità sunt, Sanctissimo Domino Papæ. Sunt autem quæ vult cognita „ fore Magnitudini Summę Apostolicę Sanctitati, hæc.

1485 „ Verùm est, & jàm patet, quòd „ non potest Dominus meus Sanctus Imperator complere ad præsens negotia sua, „ quemadmodùm erat in anteà consuetus „ complere, cujus causa talis est; Nàm cùm „ vidissent illi, qui sunt in terra sua, scilicèt „ parentes sui, & alii, quod juravit idem „ Dominus meus Imperator Andronicus ratam tenère, ac firmiter conservare obedientiam, honorem, devotionem, & filialem „ affectum, quæ constituerunt habere ad Sanctissimam Ecclesiam Romanam, & per tempora ad Sanctissimos Papas; & certificati, „ quòd amodò est impossibile, ut fiat aliquid „ aliud in diminutione tantæ obedientiæ ipsius Sanctæ Ecclesiæ; aliqui, tanquàm non „ habentes scientiam sufficientem intelligendi magnitudinem operationis hujusmodi „ unionis Ecclesiarum; alii verò propter malitiam, & infidelitatem resilierunt, & conturbari cœperunt; unus, quorum est filius „ naturalis Domini Michalitii, qui à Latanis Dux Petræ vocatur; similiter & alius „ filius ejus legitimus Dominus Nichiforus, „ qui ut subditi, servi, & Subnanueles Imperii sacramentum Domino meo Sancto „ Imperatori fidelitatis, & ligii homagii multotiès præstiterunt de parendo præceptis, „ & mandatis suis, à quo dignitates, & officia, quibus nominati sunt hactenùs, acceperunt.

1486 „ Videntes itaquè isti obedientiam „ Domini mei Sancti Imperatoris ad Sacrosanctam Apostolicam Ecclesiam taliter ratam persistere, insurrexerunt exadversò inopinatè, ac ostenderunt manifestè infidelitatem ipsorum, vocantes hæreticos, qui „ ipsi verè infideles & hæretici sunt, Sanctissimum Dominum Papam, quòd perniciosum est tantummodò cogitare, ac Dominum meum Imperatorem, & Dominum „ Patriarcham Constantinopolitanum, & „ omnes alios, qui subditi sunt Sanctissimo „ Domino Papæ, & Domino meo Imperatori.

1487 „ Quarè Dominus meus Imperator misit ad eos Nuncios, & monuit, & „ persuasit ipsos removeri à vana institutione „ eorum, & simùl sapere cum eodem Sancto Im-

,, Imperatore Domino meo, & aliis fideli-
,, bus, & existere ad obedieutiam Sanctæ
,, Romanæ Ecclesiæ. Cùmque obedire peni-
,, tùs recusassent, & resilirent omnimodè:
,, idem Dominus meus Imperator misit excri-
,, ptam excommunicationem à Nunciis San-
,, ctæ Apostolicæ Sedis. Similiter & excom-
,, municationem, quam exposuit Sancta
,, Constantinopolitana Ecclesia, contra illos,
,, qui nolunt convenire ad obedientiam Do-
,, mini Summi Pontificis.

1488 ,, Et cum adhuc convenire penitùs
,, recusassent, misit Dominus meus Sanctus
,, Imperator exercitum contra ipsos cum Ca-
,, pitaneis de magnatibus Imperii, magnum
,, videlicèt Mareschallum Orientis Dominum
,, Andronicum Palçologum consobrinumDo-
,, mini mei Sancti Imperatoris, & Pincer-
,, nam consanguineum ejusdem, qui habet
,, in uxorem filiam primi consangu'nei Do-
,, mini mei Imperatoris Sancti. Fuerunt
,, similiter, & cum eis transmissi Comninum
,, Catacutinon, & Palæologum Dominum
,, Joannem, ambos Nepotes Domini mei San-
,, cti Imperatoris. Qui euntes ad expugna-
,, tionem dicti infidelis Ducis Petræ, non
,, solum studuerunt, non contra ipsum pro-
,, cedere, sed intimarunt ei, & retulerunt
,, infidelitatem eorum, talibus verbis. *Nos*
,, *tales cognoscentes, quod Imperator unitus*
,, *est cum Papa, habemus & ipsum hæreticum,*
,, *& ideò à nobis contrarietatem aliquam non*
,, *habetis, sed quidquid vultis facere contra*
,, *Terram Imperatoris, nunc habetis tempus.*
,, Ad quorum suggestionem exivit dictus Ba-
,, stardus, & occupavit quædam castra de
,, Terra Domini mei Sancti Imperatoris.

1489 ,, Cum autem cognovisset Domi-
,, nus meus Sanctus Imperator infidelitatem
,, ipsorum Capitaneorum, destinavit inconti-
,, nenti, & removit ipsos de Capitania, &
,, vinculatos deduxerunt ipsos ad Imperium
,, suum, & præcepit & fuerunt carceri man-
,, cipati: Contra illum quidem constituti
,, fuerunt novi Capitanei, & injunctum fuit
,, illis, ut solummodò custodirent Locum &
,, Terram, & non irent ad contrarietatem,
,, ac expugnationem ipsius Bastardi. Illi verò
,, non conservantes se juxtà præceptum Do-
,, mini mei Sancti Imperatoris, sed assumen-
,, tes vanam virilitatem, ut Juvenes æmulati
,, fuerunt, & contra dictum Bastardum im-
,, petum fecerunt, & intrarunt quandam
,, clausuram, & locum vix accessibilem, &
,, arctum, & ipse Apostata inveniens in sui
,, adjutorium duritiâ loci, & difficultates no-
,, cuit eis. Equidem supradicti Mareschallus,
,, Pincerna, Capitanei, & qui cum eis erant,
,, tales apparuerunt, quales erant ad contra-
,, rietatem ipsius Bastardi.

1490 ,, Item ad alias Terras, & ad alias
,, Capitanias fuerunt commissi alii maligni
,, viri, & propinqui Domini mei Sancti Im-
,, peratoris: scilicèt Nepos suus, filius soro-
,, ris suæ Palæologus, Dominus Joannes Tra-
,, chaniotus, Calo Ioannes Lascari, primus
,, Consubrinus Domini mei Imperatoris, &
,, Dominus Isachius, Paulus Comninus,
,, Consobrinus Domini mei Imperatoris.
,, Unusquisque igitur istorum commovit &
,, conturbavit, ad quam erat Capitaneus, ex-
,, positi omnes ipsi ad ipsam contrarietatem,
,, propter ipsum opus obedientiæ Sanctæ Ro-
,, manæ Ecclesiæ: quare detenti fuerunt, &
,, ipsi similiter alligati: ac interrogati cum
,, supradictis, verecundi dixerunt, & egerunt
,, palàm ergà Dominum meum Imperatorem,
,, quod propter unionem Papæ fecimus quid-
,, quid egimus, & debemus adhuc manere
,, ad ipsum nostrum Consilium.

1491 ,, Est autem ad partes Orientis ter-
,, ra, quæ nominatur Trapesunda: quam
,, Terram in captione facta de Constantino-
,, poli à Latinis, tenuit quidam deCapitaneis,
,, qui vocabatur Comninus Dominus Ale-
,, xius: & intimarunt prædicti infideles ad
,, illum, qui nunc est Princeps ipsius Terræ
,, Trapesundæ existentem abnepotem illius
,, quondam Alexii, *quod Imperator factus est*
,, *hæreticus, & subjectus est Papæ, & uni-*
,, *vit Ecclesias scilicèt Græcorum & Latinorum,*
,, *& si vocaberis Imperator, adhærebimus vo-*
,, *bis, & constituemus quidquid voluerimus.*
,, Ille quidem ductus inani consilio vocari se
,, fecit Imperatorem, & coronatus est, & in-
,, duit se vestimentis decentibus Imperio, &
,, fecit Officiales, & tanquam Imperatorem
,, honorari præcepit.

1492 ,, Apparuit autem, quod sicut di-
,, spensarunt, & miserunt ipsi infideles ad
,, eundem Principem Trapesundæ homines
,, cum ipsis intimationibus, erant & Latini
,, simul cum eisdem transmissis cooperantes
,, ipsam Legationem ipsorum. Non solum
,, autem ipsi conturbarunt opus Ecclesiasti-
,, cæ unionis, talem eorum malitiam osten-
,, dentes; verùm etiam multæ mulieres Ba-
,, ronissæ, & speciales propinquæ Domini
,, mei Sancti Imperatoris in ipsam malitiam
,, inciderunt, scilicèt soror Domini mei Im-
,, peratoris, & Nepotis sua filia ejusdem si-
,, militer, & alia sua Neptis filia alteriùs suę
,, sororis, similiter & cognata sua uxor quon-
,, dam Despoti fratris Domini mei Impera-
,, toris, & mater ejusdem uxor Sevastocra-
,, toris quondam Soceri Despoti. Ideò de-
,, tentæ sunt, & ipsæ, ac positæ sunt in Car-
,, ceribus, & bona earum mulierum, & præ-
,, dictorum Baronum ablata sunt & intromissa
,, ad imperiale vestiarium: similiter, & ablatæ
,, sunt possessiones, quas habebant, & feuda. Hi
,, verò õnes supradictiBarones qualia magna-
,, lia & dignitates habebant ab Imperio, & ad
,, quot Capitanias, & castra cõversabantur;
,, quot etiam possessiones & terras habebãt, &
,, quantam substantiam & bona ipsi, &
fu-

„ supradictæ mulieres, & his nunc omnibus „ caruerunt in Carceribus positi, ab aliis „ potest scire Sanctissimus Summus Pon- „ tifex.

1493 „ Isti verò supradicti, qui detenti „ fuerunt in Carcere: quantam devastatio- „ nem intulerunt, eo quod habent parentes „ multos, & magnos viros, & ferè omnes, „ qui sunt in Palatio, quosdam fratres, quos- „ dam consabrinos, quosdam generos, quos- „ dam Avunculos, & Nepotes, & aliam af- „ finitatem, hoc manifestum est omnibus, „ Ideò postquam inventi sunt ipsi tot & tanti „ viri ad infidelitatem & incredulitatem, si „ voluerit secundum consuetudinem suam „ Dominus meus Imperator mittere exerci- „ tum ad debellandum, & contrariandum „ inimicos suos, suspicatur, nè fortè, qui de- „ bent transmitti Capitanei exercitus magni „ viri, & nobiles, habeant, & ipsi consilia „ cum prędictis infidelibus tanquam propin- „ qui eorum, & cogitur, ut cum cautela & „ provisione diligenter perficiat sua negotia „ propter ipsam incredulitatem: quare re- „ velat SanctissimoDomino Summo Pontifici „ consilium suum, & dicit, quod non potest „ ad præsens facere sua negotia, quemadmo- „ dum extiterat primitus consuetum: ad „ quos autem habebat certitudinem à Baro- „ nibus, & fidelibus hominibus suis cogi- „ tur mittere ex ipsis Capitaneos ad terras & „ castra, quæ habet: Manifestum autem est, „ quod sicut ejectus fuisset quidam à Domi- „ no meo Sancto Imperatore conturbator, „ ubicumque erat, & contrarius voluntati „ hujusmodi operisEcclesiasticæ unionis,con- „ fugientes plurimi tales ad Terram ipsius „ Bastardi, diligenter recepit eosdem, & con- „ gregavit de ipsis contrariis fere Monachos „ centum, cum quibusdam Abbatibus, & „ Episcopis octo, & fecit Concilium: & fe- „ derunt, & locuti fuerunt quot voluerunt „ blasphemias contra Romanam Sanctam „ Ecclesiam, & contra Dominum Sanctum „ Imperatorem,& SanctissimumPatriarcham, „ & Ecclesiam Constantinopolitanam, & „ Anathematizarunt Sanctissimum Summum „ Pontificem,Dominum meum Imperatorem, „ & Patriarcham Constantinopolitanum, & „ omnes subjectos simul sapientes, & eos „ tamquam hæreticos.

1494 „ Quidam autem Episcopus Tri- „ calensis vocatus, quia destitit, & surre- „ xit contra eos & dixit, quod malè facitis, „ & non convenit cum eisdem ad ipsam mali- „ gnissimam operationem illorum, detinuit „ ipsum, & posuit in carcere per menses de- „ cem & octo: posteà verò vix evasit de car- „ cere ipso, & invenit lignum navigans, & „ intravit in ipsum, & transfretavit de gul- „ pho Nigripontis, & se contulit in Moream „ ad quoddam castrum Domini mei Impera- „ toris: & exinde receperunt eum homines „ Domini mei Imperatoris, & portaverunt, „ & conduxerunt ipsum in Constantinopo- „ lim.

1495 „ Item alium Episcopum vocatum „ Patrensem tenuit, & ipsum cogebat, ut „ simul saperet cum eodem; & quia non obe- „ diit, sed dixit, quod ego habeo primum „ Prælatum Thessalonicensem, & ab ipso „ sum ordinatus, & ad Concilium in Con- „ stantinopolim cum meo Prælato, & dedi „ meam subscriptionem, quod debeam ma- „ nere cum aliis ad obedientiam Sanctæ Ro- „ manæ Ecclesiæ, & est impossibile, quod „ hoc debeam prætermittere & revocare sub- „ scriptionem meam; & expoliavit eum, & „ reliquit eum cum sola Camisia, & statuit „ eum sub Cælo discooperto; & stabat diù, „ noctuq; afflictus ab hyeme & glacie in mē- „ se Decembri: & hoc sit manifestum & cer- „ tum Sanctissimo Summo Pontifici, & po- „ terit super hoc cognoscere sua sanctitas „ malitiam ipsius Apostatæ Bastardi, & quo- „ modo à se ipso divisus est, & non timet „ Dei judicium, & non verecundatur de ho- „ minibus.

1496 „ Latini verò, qui sunt ad partes „ Thebarum, & Athenarum, & Nigropon- „ tis, & Moream non cessarunt adjuvare, „ & sibi ministrare auxilia omnimodo contra „ partem Domini mei Imperatoris, scilicèt „ ipsis Apostatis Nichiphoro, & Bastardo. „ Misit autem Dominus meus particularia „ ligna, & particularem gentem in ipsos, & „ iverunt ad partes Nigripontis, & inve- „ nerunt Latinos & debellarunt eos, & pro- „ texit Deus, & vicerunt ipsos. Dominus „ autem meus Imperator advocat super hoc „ Deum testem, quia hoc opus non videtur „ sibi quod factum fuisset de virtute illorum, „ quos misit Imperium suum sanctum, sed „ quantum videtur sibi, illi Latini debellati „ fuerunt à Divina virtute, eo quod auxi- „ liabantur talibus excommunicatis, & ino- „ bedientibus Sanctæ Matri Ecclesiæ; „ nam & populi quantitas, quæ debellavit „ ipsos Latinos, fuit ad comparationem il- „ lorum, quasi modica, & nullo modo erat „ digna versus quantitatem, & potentiam „ Latinorum.

1497 „ Hæc sunt, quæ locutus est vobis- „ cum Dominus meus Sanctus Imperator, „ quæ debetis, sicut tenemini, Summæ Apo- „ stolicæ Sanctitati significare. Et subsigna- „ vi hæc ego Protonotarius Interpretum La- „ tinorum Curiæ D.mei Sanctiss.Imperatoris „ Romaniæ ad cautelam.

Ego Ogerius Protonotarius, qui supra manu propria subscripsi, & meo signo signavi.

1498 In hoc rerum statu constituto Constantinopolitano Imperio, Constantinopolim profecti sunt antefati Apostolicæ Sedis Apocrisiarii, non valentes, præfatorum tumul-

tuum causâ, universa à Græcis exigere, quæ juxtà receptam instructionem Apostolica postulabat Sedes: Excusante se Imperatore apud Summum Pontificem per suos Legatos Marcum, & Marchetum, ut in literis Ogerii suprà recitatis, non potuisse ad præsens facere negotia, quemadmodùm priùs faciebat; *Quarè revelat Sanctissimo Domino Summo Pontifici consilium suum*, scribit Ogerius, *& dicit, quòd non potest ad præsens facere sua negotia, quemadmodùm exstiterat primitùs consuetum*. Egerunt tamèn prædicti Apocrisiarii, ut ipse, & Andronicus novam fidel professionem emitterent ad formam præscriptam ab ipso Nicolao, & suis decessoribus, quæ scripto exarata missa est ab Andronico ad eundem Nicolaum, sicuti legitur inserta, & à Michaele edita, licèt nec in ea aliqua mentio fiat de postulatis à Sede Apostolica, ut vox illa, *Filioque*, in Symbolo adjiceretur: Est ergò tenoris sequentis.

Sanctissimo, & Beatissimo primo, & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis, & universali Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, Reverendissimo Patri Imperii mei Domino Nicolao Papæ III. Andronicus in Christo Deo fidelis Imperator Constantinopolitanus semper Augustus, & moderator Romæorum, & omnium subjectorum Gentium Imperio Romaniæ; Ducas Angelus, Comnenus, Palæologus, specialis filius magnæ Sanctitatis vestræ, convenientem bonorem, & reverentiam, cum sincera, & pura affectione, ac orationum postulationem,

1499 „ Cùm Sanctus Dominus meus „ Imperator, & Pater Imperii mei transmi- „ serit ad magnificentiam vestræ Apostolicæ „ Sanctitatis infrascriptas Imperii sui literas „ de verbo ad verbum sic continentes: *San- „ ctissimo, & Beatissimo primo, & Summo Pon- „ tifici &c. Nicolao Papæ Tertio, Michael in „ Christo Deo fidelis Imperator &c.* Quoniàm „ missi sunt à Magnitudine vestra ad Impe- „ rium nostrum Nuncii, Deo placentis, Or- „ dinis Minorum, videlicèt Venerabiles, & „ religiosi viri, Frater Bartholomæus Gros- „ setanus Episcopus, Frater Bartholomæus „ de Senis Minister Syriæ, Frater Philippus „ Lector Perusinus, & Frater Angelus Le- „ ctor Urbevetanus, qui ab Imperio nostro „ petierunt ex parte Magnæ Sanctitatis ve- „ stræ multiplicationem, & renovationem „ literarum super primatus recognitione, ac „ susceptione, & obedientiæ sponsione Ro- „ manę Ecclesię, directarum olim à nobis per „ Nuncios, qui ad præsentiam Sedis Apo- „ stolicæ novissimè redierunt, scilicèt Vene- „ rabiles, & religiosos viros Fratrem Jaco- „ bum Ferentinatem, Gaufridum Taurinen- „ sem Episcopos, Fratres Raymonum Prio- „ rem Viterbiensem, & Salvum Lectorem „ Lucanum Sacri Ordinis Prædicatorum, „ videlicèt, ut in nomine etiam Magnæ San- „ ctitatis vestræ ipsas literas exponamus, di- „ gnum hoc perficere reputantes: Eccè ex- „ ponimus ipsam multiplicationem dictarum „ literarum in nomine etiam Magnæ vestræ „ Sanctitatis, illa recapitulantes, & appro- „ bantes, quæ ad beatæ memoriæ Sanctissi- „ mum Papam Dominum Gregorium De- „ cimum exposuimus, & attribuimus per no- „ stros Nuncios, qui ad ipsius pervenerant „ Sanctitatem: Super quibus acceptati fui- „ mus per ipsius Beatitudinem, & per inven- „ tos ibidem Reverendissimos Cardinales, & „ per sacrum & divinum Concilium, penès „ eum tunc apud Lugdunum congregatum. „ Habet autem professio Fidei, & consequen- „ ter tenor literarum in dictionibus taliter: „ Credimus in Sanctam Trinitatem Patrem, „ & Filium, & Spiritum Sanctum, & cetera, *sicut in literis datis ad Gregorium Decimum, suo loco recitatis, incipientibus pariter*: Quoniàm missi sunt à Magnitudine vestra. Qua Fidei professione absolutâ, subnectit.

1500 „ Quoniàm verò Cognatus Impe- „ rii nostri Magnus Logotheta Dominus „ Georgius Acropolita ad affirmationem su- „ prascriptorum ex mandato Imperii nostri „ juravit in præsentia beatæ memor. Sanctis- „ simi illius universalis Papæ Domini Gre- „ gorii Decimi, & tunc congregati apud „ Lugdunum Sacrosancti Concilii, quæ de „ verbo ad verbum sic se habent: *Ego Geor- „ gius Acropolita, & magnus Logotheta Nun- „ cius Domini mei Imperatoris Græcorum Mi- „ chaelis, & cætera*, prout in Actis Concilii Lugdunensis suprà à nobis relatis; qua acceptatione recitata, subjungit.

1501 „ Cùm sic de verbo ad verbum con- „ tinens juramentum, quod juravit dictus „ Magnus Logotheta in præsentia dicti illius „ Sanctissimi, & Beatissimi universalis Papæ „ Domini Gregorii Decimi, & dicti apud „ Lugdunum Sacrosancti Concilii, & nunc „ Sanctissimus, & Beatissimus universalis Pa- „ pa Venerabilis Pater Imperii mei Domi- „ nus Nicolaus III. universalis Ecclesię Sum- „ mus Pontifex petiit per Venerabiles Nun- „ cios suos, videlicèt religiosos viros Fra- „ trem Bartholomæum Grossetanum Episco- „ pum, & Fratrem Bartholomæum de Senis „ Ministrum Syriæ, Fratrem Philippum Le- „ ctorem Perusinum, & Fratrem Angelum „ Urbevetanum, Sacri Ordinis Fratrum Mi- „ norum, ut renovet, multiplicet, affirmet, „ & ratificet per corporale juramentum ea, „ quæ dictus Magnus Logotheta juravit, ut „ superiùs dictum est, & nos ipsi alias ea- „ dem fecimus corporali præstito juramento; „ Imperium nostrum perficiens petitionem „ Sanctissimi, & universalis Papæ Venerabi- „ lis Patris Imperii mei D. Nicolai III. con- „ sequenter suprascripta sic jurat.

1502 „ Ego Michael in Christo Deo „ fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas Angelus, Comnenus, Palæologus, omne schisma prorsùs abjuro, & suprascriptam fidei veritatem, prout plenè est scripta, & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde, & ore profiteor; ipsamque, prout veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabilitèr servaturum, nec ab eo ullo tempore recessurum, vel quoquomodo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoq; ipsius Sacrosanctæ Rom. Ecclesię, prout in pręmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, ac spontè suscipio; & omnia præmissa tàm circà fidei veritatem, quàm circà ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, & acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam servaturum, in animam meam, præstito corporalitèr juramento promitto; & confirmo prædictum juramentum prædicti Magni Logothetæ mei, & meum, quod alias super his feci; & sicut feci, approbo, & ratifico. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. *Hucusquè literæ Michaelis ad Nicolaum III. insertæ ab Andronico, qui posteà subjungit.*

1503 „ Cùm hæc de verbo ad verbum „ Sanctus Dominus meus Imperator, & Pater Imperii mei transmiserit ad vestram Magnam Sanctitatem, nostrum Imperium totaliter sequens Sanctum Dominum meũ Imperatorem, & Patrem Imperii mei, affirmans, & acceptans omnia supradicta, consequenter sic jurat.

1504 „ Ego Andronicus in Christo Deo „ fidelis Imperator Cõstãtinopolitanus semper Augustus, moderator Romæorum, & omnium subjectarum Gentium Imperii Romaniæ, Ducas Angelus, Comnenus, Palæologus omne schisma prorsùs abjuro, & suprascriptam fidei veritatem, prout plenè lecta est, & fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & ore, & corde profiteor; ipsamque, prout veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquàm tempore recessurum, vel quoquomodo deviaturum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoquè ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, & spontè suscipio; Et omnia præmissa, tàm circà fidei veritatem, quàm circà ejusdem Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptionem, susceptionem, ac perseverantiam servaturum, præstito in anima mea corporalitèr juramento, promitto, & confirmo, & dictum juramentum prædicti magni Logothetæ, prout in litera Sancti Domini mei Imperatoris, & Patris Imperii mei continetur, & meum, quod super his alias feci, & prout feci approbo, & ratifico. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

1505 „ Hæc autem omnia suprascripta „ facit Imperium meum ad vestram Magnificam Sanctitatem, & per ipsum ad omnes successores vestros, roborana ipsa per propriæ manus Dei gratia Imperialem subscriptionem meam, & per sigillum potentiæ meæ ad certitudinem perpetuò duratura. *Præsens autem sacramentum actum est in nostra Urbe fœlici Constantinopolitana in nostro sacro Imperiali Palatio Blachernarum, mense Septembri Indictione octava, Anno sexto milleno septimo centeno octuagesimo octavo* (idest, Domini 1280.) *fœliciter. Amen*. Hactenùs Andronicus. Sed præstò apparuit, quænam fuerit, & sua, & Patris fides, & quo animo hujusmodi repetita sacramenta emissa fuerint, ut in sequenti parte dicemus.

1506 Eodem porrò tempore, quo Nicolaus agebat, ut negotium unionis Græcorum perfectè consummaretur, alios quoquè misit ex Minorum pariter Ordine Legatos ad Abagham in Oriente Tartarorum Regem, & ad Magnum Caamum Quobley omnium Tartarorum Imperatorem; Miserat nàmque Abagham ad Joannem Nicolai decessorem Oratores, qui in Cardinalium cœtu exposuere, præfatum Abagham arma in Sarracenos conversurum, si Christianus Exercitus in Syriam transfretaret. Item Magnum Caamum Quobley Tartarorum omnium Imperatorem, Christianis sacris jàm initiatum, traducendorum ad Christum filiorum desiderio tenèri, atque in votis agere, ut Sedes Apostolica nonnullos Viros rerum divinarum cognitione præditos mitteret, qui Tartaros docere, & baptismo abluere possent. Cùmque Joannes, morte præventus, exequi minimè, quod intendebat, potuisset, Nicolaus illius successor eam Provinciam assumpsit, & Legatos ad præfatos Principes destinavit, Fratres Gerardum de Prato, Antonium de Parma, Joannem de Sancta Agatha, Andream de Florentia, & Matthæum de Aretio, ex Minorum Ordine, ut fati sumus, & prout in literis ejusdem Nicolai datis ad Abagham expressè continetur. In quarum exordio hæc leguntur.

1507 „ Exultavit, & exultat in Domino Romana Mater Ecclesia in iis, quæ grata fœlicis recordationis Joanni Papæ prædecessori nostro, & ejus Fratribus accepta, quamplurimùm Joannes Vassali miles, & Jacobus Vassali, Magnificentiæ tuæ Nuncii, eisdem prædecessori, & fratribus ex

„ ex parte tua, quædam contenta literis, &
„ quædam expressa vivæ vocis oraculo por-
„ taverunt. Sub tuo nàmque nomine præ-
„ sentatæ per eosdem Nuncios eidem præde-
„ cessori literæ, sicut asseritur, continebant,
„ quòd si Christianum Exercitum in Terram
„ Sanctam transfretare contigerit, tu ter-
„ ram tuam, & provisionem victualium ip-
„ sius Exercitus christiani; nec non & perso-
„ nam tuam, ac potêtiam tui Exercitus con-
„ trà inimicos christianæ Fidei, videlicèt
„ Sarracenos, devotâ promptitudine offere-
„ bas. In fine verò continebatur earum,
„ quod eisdem Nunciis in omnibus, quæ pro
„ parte tua dicerent, crederetur: sub qua
„ credulitate, rem Deo placidam, eisdem
„ prædecessori, & fratribus, inter quos noa
„ tunc officium Cardinalatus habebat, ama-
„ bilem retulerunt. Est quidèm res ipsa di-
„ gnâ lætitiâ, plena jubilo tota, divinæ lau-
„ dis extollenda præconiis, quæ si factis di-
„ cta frequentibus confirmetur, salutem tan-
„ tarum continet animarum, videlicèt, quòd
„ charissimi in Christo filii nostri Quobley
„ Magni Caani Imperatoris, & moderatoris
„ omnium Tartarorum Illustris Avunculi tui
„ (qui jàm dudùm fuisse asseritur baptizatus)
„ & tuis inhæret affectibus; personas aliquas
„ ad vos per Romanam Ecclesiam destinari,
„ per quas in christiana Fide, vos, filii, po-
„ pulique vestri instrui valeatis; & ab eisdem
„ prædicti filii vestri, & alii de utriusque po-
„ pulo, seù Exercitu baptizari. *Hactenus Nicolaus* de petitione facta à Tartarorum Rege Abagha. Et post aliqua respondit gratiarum actiones pro oblato succursu contrà Sarracenos referens, & quantùm in se est, opportuno tempore, se dispositurum necessaria ad Terræ Sanctæ subsidium; indè de Legatis, quos ad eum mittit, hæc alia subjungit.

1508 „ Pro tua quoquè prædicti Caani,
„ filiorum, populique sui, tua, populique
„ tui procuranda salute, servitutis nostræ de-
„ bitum exsolventes, Fratres Gerardum de
„ Prato, Antonium de Parma, Joannem de
„ Sanctâ Agatha, Andream de Florentia, &
„ Matthæam de Aretio Ordinis Minorum,
„ Latores præsentium, viros Religione con-
„ spicuos, honestate vitæ pudicos, morum
„ claritate decoros, Sacrę Scripturę scien-
„ tiâ præditos; ut tu, filii, populusque tui,
„ ipsum Dominum Jesum Christum Salvato-
„ rem nostrum salutaribus eorum eruditio-
„ nibus agnoscendo, ac ab eis illi ex verbis,
„ qui nullum baptismum hactenùs, vel non
„ in forma debita receperunt, *in nomine Pa-*
„ *tris, & Filii, & Spiritus Sancti*, auctorita-
„ te nostrâ, fecundùm ritum, quem in hoc
„ hoc eadem servat Ecclesia Christi, baptis-
„ mate baptizati nomen suum gloriosum,
„ quod est super omne nomen, christianæ
„ fidei observatione colatis; de fratrum no-
„ strorum consilio duximus destinandos. *Hac Nicolaus*, qui pariter per eosdem Apocrisiarios scripsit ad præfatum Quobley Tartarorum Imperatorem alias literas, quę incipiunt, *Plasmator hominum Deus*, quas cum superioribus per extensum recitat ex Vaticano Regesto Wadingua ad Annum Domini MCCLXXVIII. sub num. VIII. & IX. Et post eum exhibet Raynaldus ad eundem Annum, sub num. XVIII. & XX. Extant pariter apud eundem Wadingum sub num. X. literæ ejusdem Nicolai datæ ad Fratrem Gerardum, aliosque socios Apocrisiarios, incipientea, *Æterni Pastoris, licèt immeriti*, quibus magna ipsis hac Legatione fungentibus concedit privilegia.

1509 Cæterùm Abagha renuit baptismum suscipere, mansitque Idololatra, ut notat Sanutus lib. 3. part. 13. cap. 8. inquiens: *Abagha prudens fuit, & prosperè rexit, baptizari tamèn renuit, & coluit Idola*. Mangonem verò Tartarorum Imperatorem baptismum suscepisse, petente Aytone Armenorum Rege, Anno scilicèt Domini MCCLIII. idem Sanutus eodem loco cap. 6. est auctor, qui descriptâ professione ejusdem Regis Armenorum ad Magnum Tartarorum Imperatorem, refert septem petitiones fecisse, quarum prima: *Ut ipse cum gente sua, relictis superstitiosis Sectis, fidem Christi susciperet, & baptismum*. Annuisse huic, & aliis petitionibus, subinfert Sanutus, ac respondisse sequentibus verbis, nimìrum: „ Quoniàm Rex Ar-
„ meniæ de remotis partibus ad Imperium
„ nostrum venit, non vocatus, non compul-
„ sus, sed suâ bonâ & propriâ voluntate, de-
„ cet Imperatori Majestatem ejus supplica-
„ tionibus annuere; in iis præcipuè, quæ
„ sunt licita & honesta. Vobis itaquè Regi
„ Armeniæ taliter respondemus: quòd pre-
„ ces vestras acceptamus, & omnes faciemus,
„ cum Dei beneplacito adimpleri. Primò
„ quidèm: Ego Dominus Imperator me fa-
„ ciam baptizari, & Christi suscipiam veram
„ fidem; & omnes de domo mea baptizati in
„ nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,
„ tenebunt fidem, quam tenent hodiè Chri-
„ stiani, & omnibus sub meo Imperio con-
„ stitutis idem consulam, non tamen violen-
„ tiam inferam; nàm fides violentiam non
„ requirit. *Hactenus Mango ad Aytonem*. Cæterùm Anno Domini MCCLIV. Sattachum Tartarorum Regem fidem suscepisse, Legatio ejusdem Regis missa ad Innocentium Quartum, & literæ Innocentii datæ ad eundem Regem Anagniæ IV. Kalen. Septemb. sui Pontificatus XII. incipientes, *Gratias, & laudes*, apud Raynaldum ad eundem Annum, sub nu. 2. palàm testantur. Hunc autem Sattachum eundem esse cum eo, quem D. Antoninus 3. part. cap. 8. §. 21. appellat Cycaltay, & qui scripsit ad S. Ludovicum Regem Franciæ, consistentem in Insula Cypri, cujus literarum exemplar recitat idem S. Antoninua,

eum

eum verò Magnum Cham Tartarorum nominat; undè verosimile mihi videtur, eundem fuisse cum eo, quem Mongonem Sanutus vocat, nàm cùm juxtà eundem Antoninum §. 20. Tartari Mongali appellantur, potuit facilè irrepsisse errorem in nomine, utendo nomine generico, pro proprio & individuali. Et quidèm cùm nec in tempore multùm discrepent, facilè est conjectari, eundem fuisse, ad quem accessit Armeniæ Rex, cum eo, qui ad Ludovicum Regem scripsit.

1510 Intereà verò res Christianorum in Syria in deteriùs prolapsę sunt, quoniàm brevi tempore decedentibus post Lugdunense Concilium diversis Romanis Pontificibus, Decreta in eadem Synodo pro Terræ Sanctæ subsidio minimè fuere executioni demandata; & quod deteriùs est, Christianorum Principum terram incolentium dissidia, & jurgia, ac bella civilia ad extremum universa redigerunt; & nisi Tartari restitissent Sarracenis, longè antè omninò Latini de Terra illa deleti essent. Nicolaus autem Papa animum adjecit, ut juxtà sancita in Generali Lugdunensi Synodo, quàm citò fieret expeditio in subsidium Terræ Sanctæ, undè solicitavit Francorum Regem, & Castellæ, ac Legionis Regem, mittens ad hunc Pontium de Bruet Magistrum Provinciæ Militiæ Templi, à Templariis amandatum ad Papam ad effectum procurandi subsidii accelerationem cum literis, in quibus inter alia hæc habentur: „ Quantò Terræ Sanctæ negotium ex subventione, pro ea ordinata in novissimo Concilio Lugdunensi, videbatur prosperitati vicinus, tantò terra ipsa subventionis ejusdem fert impedimenta molestiùs, & suspirat ardentiùs ad eandem; cùm desiderium propinquantis ad bravium accendere soleat ipsa propinquitas, & inflammare desiderantis affectum. Hinc terra eadem per impedientes subventionem ipsam gravatur infestiùs, contrà eos clamat acerbiùs; sed dùm beneficia sibi per ipsos contrà hostes fidei collata rememorat, recurrit confidentiùs ad eosdem. *Hæc Nicolaus in literarum exordio*. Sed quoniàm ambo prædicti Reges inter se diffidebant, hortatur Pontifex ad pacem ineundam, vel saltèm prolixam treguam firmandam, nè pręfata dissidia impedimentum sacro bello afferrent. Indè publicas preces toto Christiano Orbi indixit, atque orantibus pro præfatorum duorum Regum concordia, à quà unicè pendebat expeditio in Terræ Sanctæ subsidium, Indulgentias ritu Ecclesiastico proposuit, ut ostendunt ejus literæ datę ad Archiepiscopum Turonensem, & ejus Suffraganeos, incipientes, *Salutaria, & solicitè imitanda*. Apud S. Petrum x. Kal. Martii, sui Pontificatus Anno III. Verùm & ipse paucis post mensibus sublatus è vivis, negotium præfatæ subventionis abivit in cassum.

FINIS.



IN-

INDEX RERUM
MAXIME' NOTABILIUM,
Quæ in Tertia Parte hujus secundi Tomi continentur.

Primus numerus Paginam, secundus marginalem demonstrat.

A

C

Ec-

Epi-

F

H

I

L

M

N



P

Q

R

S

Sy-

Finis Indicis Tertiæ Partis.

INDEX RERUM
MAXIME' NOTABILIUM,
Quæ in Quarta Parte hujus secundi Tomi continentur.

Primus numerus Paginam, secundus marginalem demonstrat.

A

Præ-

C

D

E

F

Frau-

Ejus

H

I

Præ-

gra-

M

stan-

N

Q

R

S

T

V

ver-

Finis Indicis Quartæ Partis.

n.X.

Co-

itur
alig

il-
o.
n-
m

le-
ro
ll.
m